image
not
available



# CHRONOGRAPHIA
# PETRI OPMEERI
## A MVNDI EXORDIO AD SVA usque tempora historias continens

*ET ELOGIA*

## *SVMMORVM PONTIFICVM,*

*Imperatorum, Regum, Illustriumq; ac Doctorum omnium ætatum Virorum.*

Aucta nunc demum atque emendata.

*EIVSDEM HISTORIA MARTYRVM Bataviæ recens addita.*

PERMISSU SUPERIORUM.







COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Hæredes IOANNIS WIDENFELT, & GODEFRIDVM de BERGES.

M. DC. LXXXIV.








VALERIVS ANDREAS IVRIS VTR. DOCTOR LOVAN. CL. V.

PETRO OPMEER PETRI F. LIB. MER. D.D.



SIQVIDEM optime semper de Repub. mereri censendi sunt, OPMEERE clarissime, qui omnium temporum memoriam & ætatum, locorumque omnium res domi forisque præclare gestas ab interitu & oblivionis injuria vindicant; Parenti sane tuo viro opt. & eruditissimo, omnes omnino ætates plurimum debebunt, quod ærumnabili labore planeque Herculeo CHRONOGRAPHIÆ hoc opus ab Orbe cōdito, dehinc à CHRISTI Servatoris natali ad sua usque tempora perduxerit: etsi Belgica hæc nostra Gallia assiduis bellis intestinis sic esset implicita, ut bella illa accurate pertractare sine capitis fortunarumque discrimine posset nemo. Tibi quoque vicissim plurimum Manes parentis debebunt, nec minus universus terrarum Orbis obstringetur, qui non tantum patris hoc volumen ingens publicandum Antuerpiæ primum, nunc in Vbiis Coloniæ Agrippinæ curasti, sed & addideris non pauca ex illius scidis, ad annum usq; quo vivere desiit, M.D.XCV. adiiciasque nunc demum HISTORIAM Martyrum Gorcomensium ævi nostri tot Franciscanæ familiæ Religiosis in crucem actis, & CORNELIO MVSIO Delfio, innocentissimæ vitæ virginum velatarum Præfecto, scriptisque claro, immaniter à Lummæo Comite contruci-

 dato,

daro. Hic nimirum fructus est hæreseos, & seditiosæ inprimis nationis Geusiorum Calvinistarum in Belgio, & Hugonotarum in Gallia, qui Franciam primum ex Gehennensi lacu corruperunt, mox Britanniam utramq; & nunc Germaniam, heu, nostram grassando turbarunt, ut omnes omnino civitates & regna evertãt, & ἀναρχίαν, si possẽt, inducãt, specioso quæsito *Religionis reformatæ*, imo deformatæ, colore, titulo, ac prætextu. *O tempora*, (dicam cũ beato Polycarpo Martyre) *in quæ nos*, IESU *bone, reservasti!* Haud scio an gravior exstitit olim persecutio in Catholicos, Donatistarum in Africa; Arianorum in Hispania & Italia; Hussitarum in Bohemia; in Francia Hugonottarum; & in Anglia hodie Puritanorum! *Exurge Domine, iudica causam tuam!* Vertãt in bonũ mala calamitatis huius: Potes enim, &, parens benigne, cupis. Sanguis enim tuorum in Batavia tunc etiã effusus clamat, ut sanguis Abel iusti. Clamat inquã: *Vindica sanguinẽ sanctorum tuorum qui effusus est.* Sed ad me redeo, filũ, funẽq; reduco. Facis tu quidẽ, PETRE, perbenigne, qui HISTORIAM parẽtis ætatũ omniũ ac regionũ, apud te latere perpetuo passus non sis, sed liberali manu cum omnibus, omnique adeo posteritate denuo communicandam duxisti. Atq; utinam bono Ecclesiæ Catholicæ publico *De Missæ sacrificio* eius olim cõtra hęreticos eruditum opus, ab illo auctum instauratumq; editioni denuo quoq; lucẽ aspicere, si ita rationes ferant tuæ, permitteres, typisq; redderes. Quod autem à me conferri ad primam CHRONOL. huj⁹ editionem volebas, altera hac non defui equidem, omissis iconibus, sępius falsis atq; alienis: & minori mole jam exit, quę manu gestari posset, enchiridii pęne forma. Dedique sane operam, ut, quoad eius fieri à me posset, fidem tibi diligentiamque meam probarem. Minor autem forma idcirco, ut fit, gratior futura, quod sumptus vicissim minor legenti & coementi erit: Itaque olim in Germania maiorum gentium Historicos priscos observavi & magna, & minima forma atque charactere extrudi

*Euseb. l. 5. Eccl. Hist. cap. 19.*

*Psal. 73. 22.*

trudi continenter ſolere, *Herodotum*, *Thucydidem*, *Polybium*, *Diodorum Siculum*, & alios: quo Bibliothecis conſultum eunt, ſimul & privatis hactenus tenui cum re, at legendi præditis cupiditate fit ſatis. Habe itaque & æqui boni facito hunc parentis tui inſtauratum ſimul & locupletatum laborem CHRONOGRAPHIÆ Orbis univerſi, omniumque ſæculorum, anguſta veluti Tabula comprehenſum: ſitque mei in te ſtudii pignus, eatque ad poſteros monumentum, cupio quidem certe, ſempiternum. VALE.



VITA

# PETRI OPMEERI

AVCTORE

## VALERIO ANDREA, DESSELIO I. V. Doct. Lovanii.

PETRUS OPMEERUS *Amstelrodami ( quo celebre Batavorum est emporium ) anno Orbis redempti* CIƆ. IƆ. XXVI. *die S. Bernardo sacro ortus est diuite, patricia antiqua* OPMEERORUM *familia è minoribus ut vocant Frisiis, seu potius Hollandia Septemtrionali oriunda, quæ ob debitam ac fidelem Principibus suis in factionibus nobilitatis Batavicæ, vulgo* Honcx *&* Cabellian *dictis, nauatam operam, ad eam est civitatem à Iacoba Hollandiæ Comitissa evecta. Factio autem illa cœpit anno* 1350. *ut refert* Ioan. *Geerbrandus Leydensis in Hollandiæ Chronico typis nuper Francofurti edito. Patrem nomine retulit. Matrem habuit* MARIAM VAN ACHERSLOOT *nobilem, spectatæ virtutis ac pietatis matronam. Nondum ex ephebis excesserat, cum Patre orbatus, à matre, quæ filium unicum tenerrime adamabat, ingenue pieque educatus, literis iis, quibus puerilis ætas ad humanitatem informatur, mature imbuendus traditus est viro tum apud Batavos insignis eruditionis & nominis* Alardo Amstelrodamo, *Theologo: quo vita functo* Nicolaus Cannius, *itidem Theologus & Des. Erasmo quondam à manibus erudiendum eum suscepit. Vtriq; egregiam de se spem puer concitavit. Elucebat enim in eo vivax, facile & promptum ingenium mira ad quidvis discendum aviditas facilitasque, memoria felicißima ac tenacißima, adeo ut septuagenario major omnes P. Terentij Comœdias, ac Flacci Odas (quas Cānio praeunte puer memoriæ mādarit) absque ulla hæsitatione recitaret. Iactis feliciter in patria studiorū funda-*

*fundamētis, Lovaniū missus est, ut firmiora ibidem litterū præsidia compararet.* Petro *itaque* Nannio *Alcmariano, quo tum viro celeberrimū Collegium trilingue Buslidianū superbiebat, annum integrum operam dedit. Lovanio* Tornacum Nerviorum *profectus, Gallicam mox linguam artesque Mathematicas sub* Claudio W*arin Basi. D. Virginis adituo, sacra Matheseos peritissimo perdidit. Iamque ad graviora aspirabat, cum Mater impatiens unici filij absentia invitū domū revocat. Qu[o] etiam instante factū est, ut undeviginti natus annos virginē nobilem* Sophiam *Petri Sasboldi filiam uxorē duxerit, ex qua plures liberos mares feminasque; in his* Petrum *natu maximum ( cui postumum patris fœtum* Orbis universi opus Chronographicum *grata est debitura posteritas) & Lucā* I. *V.* D. *sustulit. Cumque aptum illi factumque ad studia esset ingeniū, cateris omnibus posthabitis, iis se totum quodammodo immersit. Vix ullam temporis partem effluere patiebatur, quā non studiis impertiretur, scribendo, lectitādo, quidquid scitu dignū, aut usui sibi aliquando futurum esset, plumbeo penicillo, quem gestare secū semper solebat, annotādo: Latina Belgis, Belgica Latino donando. In his* Vincentiū Larinensē *satis feliciter patrio idiomate evulgauit, &* Nann. patiētiæ, *ac* pœnitentiæ *sua gentis hominibus composuit, ut illos doceret, non esse Ecclesiā ubi patientia Pœnitentiaque locum non haberent. Græcas etiā litteras, ætate iam provectior, ita addidicit, ut quidquid Græce scriptum esset, nullo negotio intelligeret; usus ad eam rem manuductore* Petro Resenio *Scholæ Delphensis Gymnasiarcha, Græce admodum perito, qui Euclidē Petro nostro prælegebat, magno cū utriusq; cōmodo, dū hic Græcas litteras ille Mathematicas artes brevissimo temporis spatio ita calluit, ut à Guilielmo Arausionensi in Geometram adscitus fuerit. Caterū nec his limitibus* OPMEERI *ingenium omnium pœne disciplinarum capax claudi potuit. Medicinæ enim ac Iurisprudentiæ* αὐτοδίδακτο *ipse, singularē est cognitionē assecutus. Itamq; Iuris laurea donandus Lovaniū cogitabat, cum ingruentibus hæreseos Caluinianæ procellis, ad Theologica studia, quibus se illis avitæ Religionis propugnator acerrimus opponeret, animum appulit. Antiquos omnes Patres*


 non

nõ legisse, semel satis erat iis nocte dieq; immorabatur, ratus, quod res est, & ipse alibi recte monet, ad commonendos errore deceptos hominum animos, antiquum, universalem, & perpetuo concordem Ecclesiæ consensum plurimum valere. Itaque Historicam assertionem officii Missæ è quatuor primis conciliis, SS. Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus apte concinnavit, qua cum Leone Empacio Medico Theologo, pestilentis cathedræ ministro congressus est, & petulantem Leonis linguam compressit. Gliscentibus paulatim atq; inualescentibus Batauorum rebellionibus, turbatoque prisco Religionis statu, cum multi in exsulium eiicerentur, multi vera Fidei Orthodoxæ propugnacula, inauditis suppliciorum generibus afficerentur (inter quos & Nicolaus Cannius Sparvvandæ Pastor, & Cornelius Musius OPMEERI Achates, aliique illi perfamiliares insignem Martyrii palmam tulerunt) & ipse solum vertere maluit, quam feruentes Catilinariorum Capernaitarum (ita vocare illos, quò vulgo Geusios dicimus, solebat) conspirationes spectare. Lugdunum itaque Batauorum ad Franc. Valdesium Legionis Lombardicæ Tribunum se contulit, eique à Consiliis militaribus fuit, donec tota turbata Batauia, patriis excedere finibus coactus, in Hannoniam cum Valdesio profectus est. Inde rursum Amstelrodamum à Petro Longe Prætore est euocatus, ut in avita cives suos Religione formaret firmaretque: qua in re strenuam, quo erat in Orthodoxam fidem animo, operam navavit. Cumq; nec ibi subsistere diutius posset Delphis velut postliminio reversus, sedem ibidem fixit, atque hæreticos inter mærens vixit, magno tamen fructu, dum alios in fide Catholica contineret, alios variis erroribus implicatos ad meliorem mentem revocaret, ingenii etiam monumentis posteritati prodesset; Historicam enim assertionem officii missæ ante à se editam infinitis locis auxit, Hostoriã Martyrum Gorcomiensium aliorũq; in Hollandia Pastorum fidelißime conscripsit, inter quos eminet & Cornelius Musius, velut inter ignes Luna minores. Hoc vero opus beneficio heredũ iam apparebit. Deniq; Orbis universi opus Chronographicũ ad annum usq; nonagesimum supra sesqui

millo-

*millesimum pertexuit; tametsi morte præventus ultimam operi limam, quod dolendum, afferre minime potuerit. Obiit autem laboribus fractus an. salutis. M.D.XCV. IV. Id. Nouemb. Ætatis LXIX. Delphis in D. Hyppoliti ante chorum à parte Septentrionali conditus. Statura fuit heroica corpore robusto, fronte larga, vultu subrubicondo ac majestatem quamdam præseferente.*

Res illi non parta labore sed relicta, non ingratus ager, toga rara, mens quieta, *ita ut iucundißima illi fuerit secundum Martialem vita. In mensa hilaris, comis, ac festivus: apud omnes ordines gratiosus: cum Catholicis SYNCERE, cum hæreticis CAVTE agebat, quod & symbolum præferebat. In pauperes, studiosos præsertim, beneficus ac liberalis. Multos in studiis iuvit, aluit, & ad magna promovit. Amicos coluit eruditione scriptisque illustres*; Stanislaum Hosium Card. Benedictum Ariam Montanum, Michaelem Baium, Cornel. Musium, Petrum Nannium, Martinum Duncanum, Petrum Bacherum, Pontum Heuterum, *aliosque pictores, sculptores & architectos, sympathia quadam adductus, mire devinctos sibi habebat, ut vel ex opere hoc* Chronographico *colligere licet. Florebant in Hollandia ejus amicitia ac contubernio clari* Martinus Hemskerckius, Petrus Longus, Gulielmus Tettero, Franciscus Floris, Antonius Morus, Philippus Gallæus; *Hollandi omnes, pictores sculptoresque excellentes. Atque hæc de vita.*



AMPLISSIMIS VIRIS

# SENATUS POPULIQVE ORBIS CHRISTIANI PETRVS OPMEERUS SAL.

2. Machab. 2. MEMORIAM rerum gestarum, quam HISTORIAM appellamus, à variis laudibus celebrata commendataque est. Ac recte quidam Epulis eam variis millibus opipare instructis comparat, ad quas inuitatus quisque pro palato suo carpere possit, quod salubre, sanum, atque gratum visum fuerit. Non enim omnibus eadem placere possunt, *trahitque*, ut ille canit, *sua quemque voluptas.*

Veteris itaque amici, cujus apud me summa semper auctoritas fuit, hortatu aggressi sum⁹, quæcũq; memoriæ prodita erãt diligentius scrutari; obscure scripta atq; pugnantia, ac veritati nõ consentanea inter se conferre & in integrũ restituere pro ingenii nostri tenuitate. Quam feliciter vero aliorum judicio, qui bene de rebus judicant, explorandum censendumq; permitto: pareboque lubens, paratus etiam si qua aberraverim à vero corrigere errores; ut in me aliis concedam eam παῤῥησίαν, quàm amicis etiam summis adhibui medicinam potius quam plagam inferens. Verbi gratia: In Vrbis Hierosolymitanæ descriptione, nuper amicum monui per Epistolam, secutum Brocardi potius quam sacræ scripturæ vestigia: quod

quod ad modulum vetustæ rationis extruendi oppida Vrbem Hierosolymam quadratam exhibet, cum portis XII. ad numerum quoque filiorum Israelis. A. Brocardo enim deceptus *Portam vallis*, eandem & *Gregis* esse affirmat: cum hanc Eliasib sacerdotem; illam vero Hanum & incolas Zanoe extruxisset referat, qui ab Artaxerxe Persarũ Monarcha missus fuerat sacerdos Nehemias. Qui Esdram quoque ante *Portam Pontis* stare fecit, cum contra eum ascenderent alii in gradibus Sion, usque ad portam Aquarum, in dedicatione murorum; quas duas portas unam eandemque esse scribit etiam Brocardus; sicuti & *Portas Benjamin* atque *Anguli*; cum ab illa ad hanc habitandam esse Hierusalem vaticinetur Propheta Zacharias. *Porta Fictilis* in qua stans Hieremias Propheta prædixit futuram metamorphosim Vallis propinquæ, & Ennon, nulla apud illum est mentio; cum ipsius descriptioni octo portæ sufficiant. Gravis itaque apud plerosque is auctor complures cœcutientes in suam sententiam pellexit. 2, Esdr. 3.

Porro non referam lapsus quorundam in ratione *Ponderum & Mensurarum*: dum hi templum Domini à Salomone ædificatum metiuntur, cubitis communibus, & non iis, qui *Hebræis in prima mensura* vocabantur: sicque statuunt ejus latitudinem XX. cubitorum, quæ vel exigui fuerit sacelli: nec animadvertunt Persarum regem Syrium ejusdem templi reædificandi latitudinem novis extructi fundamentis permisisse ad cubitos tantum LX. Quando templum multum in arctum ita contraheretur, ut postmodum Herodes magnus exilitatem illam aversatus, curaverit sublatis fundamentis muros latius extrui, atque templum refici multo quam antea capacius; cum tamen nec ille Rex vetustum illum archetypũ ullo posset modo assequi. Alij vero tales tres hordei modios humeris imponunt, viduæ Ruth, quales vix quatuor baiuli possent portare. Quæ omnia video plerosque magni nominis, ut sibi quidem videntur, scriptores 2, Paral. 3. Esdr.

res & profanos & Theologos tam parũ curare: quã nonnullos ſtupere ſubinde conſpexi, & ad riſum converti, quod dicerent Orbis terrarum faciem artificioſe in hyacinthina tunica Aaronis fuiſſe acu pictam: Aut quod Iobum Huſſitidem referrem ſummum fuiſſe Oratorem atque cauſarum patronum, & Iureconſultum percelebrem, vel etiã *Achabet Sedechiam* vocatos fuiſſe eos ſenes, qui Suſannam conſtuprare tentarunt. At ubi prolato Bibliorum ſacro codice, id aperte oſtendebam; ſe mihi incredulos, nunc id credere cogi S. Scripturæ auctoritate affirmabant.

*Sapien. 28. Iob. 29. Ierem. 29. Auguſt. contra Adimant. 3. & Epiſt. 8. ad Hieron. & Hieron. in Daniel.*

Cæterum hoc paulo catius expoſui, non quod cornicum oculos, ut aiunt, configere parem, vel me Ariſtarchum aliquem profitear, atque albo Cenſorum alienorum laborum inſcribi poſtulem; ſed ut rationem librorum noſtrorum aliiſdem Cenſoribus, qui forſitan in verba Brocardi aliorumque jurarunt: Et nefas putant ab aliorum opinionibus receptis uſu & calculi ratione diſſentire.

*Temporis ratio & Loci in Hiſtoria ſacra & Biblius.*

Lumen autem adferunt HISTORIÆ vera rectaque Locorum deſignatio; ordines Magiſtratuum, diverſarum gentium, illuſtrium hominum Genealogiæ: eorundem quoque Icones: *Ponderum* analogia, *Menſurarum* æquatio, *Nummorum* denique certum notumque precium, ſine quorum cognitione quaſi cœcutientes verſamur in HISTORIA, & fructu ac delectatione maxima ex parte deſtituimur. Notum vero omnibus quam exacte Moſes annos ætatis maiorum ſuorum, aliique Bibliorum ſcriptores enumerent, quamque accurate S. Lucas, Imper. Tiberii tetrarcharum præſidum ac Pontificum etiam tempora annotet in ſuo Evangelio. Divus quoque Auguſtinus: *Quicquid,* (inquit, libro II. de doctrina Chriſtiana cap. 28.) *de ordine temporum trãſactorũ indicat* HISTORIA, *plurimũ nos adiuvat ad ſanctos libros intelligendos; etiã ſi præter Eccleſiam puerili eruditione diſcatur. Nam & per Olympiades, & per Coſſ. nomina ſæpe*

*multa*

*multa quæruntur à nobis : & ignorantia consulares, quo natus est Dominus anno, & quo passus, nonnullos cogit errare, ut putarēt, quadraginta sex annorū ætate passum esse Dominū: quia per tot annos ædificatum esse templum dictum est à Iudæis, quod imaginem Dominici corporis habebat.* Citra quippe temporis declarationem videtur HISTORIA ad fabulam accedere: sicque ante Græcorum Olympiades HISTORIA magna ex parte fabulosa, fabulisque permista invenitur; ut Bella Gigantum & Titanum quorum etiam meminit Scriptura. *Vbi namq; Temporū ratio non cohæret* (inquit Tatianus) *ibi nec Historia vera esse potest.* Itaq; Romani & ab excidio Troiæ, & ab Urbe condita numeraverūt annos quibus quæque acta fuerunt ante Consules, quos postea annis urbis quosque suis, ut in fastos relati erant, adscripserunt; uti Athenienses singulis annis suum archonta, Latini Prætorem Magistratumque nominant, adhibuerunt. C. Plinius secundus, quo vel statuarij ætatem designaret, & Romanorum & Græcorum more simul eam expressit. *Phidias*, inquiens, *floruit Olympiade LXXXIII. circiter nostræ Vrbis CCC. anno.* Adduntur quoque persæpe ij qui in stadio victores fuerant, ut apud Diodorum Siculum De gestis Philippi Macedonum Regis: *Elapso*, inquit, *hoc anno Athenienses archontem Theophilum, Romani C. Sulpicium, & C. Quinctium Coss. habuerunt, cum inita Olympiade. VIII. & C. victor fuit in stadio Polyches Cyrcacus.* Postmodum annos quoque Imperatorum numerarunt Romani: sicq; idem Plinius: *Non minus*, ait, *mirum ostentum & nostra cognovit ætas an. Neronis Principis supremo, sicuti in rebus eius exposuimus, pratis oleisq; intercedente via publica in cōtrarias sedes trāsgressis, in agro Marrucino, prædiis vecti, Marcelli equitis Rom. res Neronis procurātis.* Cōstantini ætate INDICTIONIS ann⁹ etiā adscribi cœpit: qui à devicto Maxentio tunc initium sumpsit. Non referam hic de AERA Nabarzaerdam, Alexandri, Hispanorū, Alfonsi, & Hegira seu expeditione Mahumedis, qua Saraceni ac Turcæ numerant, quod ea omnia suis quoque locis à nobis

*Iudith. 16 Tatianus orat. contra Gentes.*

*Plin. lib. 33. 35. c. 8. & 2. c. 85.*

nobis enarrentur. Illud tamen admonuisse non abs te fuerit, Barbaras etiam nationes, quas arma Catholicorum Hispaniæ Regum ad humanitatem Religionemq; Christianam traxerunt, nullam habentes litterarum notitiam, solitas fuisse internodiis signare annos Principum suorum, quibus regnis præfuere, idque in funiculis deorsum ex ordine dependentibus: in quibus nodus aliis in signis magis varii coloris filis exornatus, res ab ipsis gestas indicabat: Hæc de temporibus.

Porro *Locorum* etiam cognitio lucis plurimum etiam HISTORIÆ velut alterum capitis lumen adferet: præcipue cum vetustiora nomina minus antiquis, deinde etiam nuper natis explicantur. Quantum facit ad narrationem sacræ HISTORIÆ exactius intellexisse *Rebbathai* ubi Sedechiæ Regi Iuda, liberis iam interfectis, oculi eruti fuerant; Saræias quoque Pontifex, Sophonias secundus sacerdos cum tribus ianitorib. gladio erant percussi, esse *Antiochiam Syriæ* super Orontem cognominatum *Epidaphne*: quod ibi in Daphne luco fanum Apollinis sit: unde Babylæ Antistitis Deciana persecutione martyrio coronati urna Iuliani apostatæ iussu deportata fuit in urbem.

*Antiochia Syria ubi primum dicti Christiani. Act. 11. 26.*

Quæ quidem urbs *Barnarbem & Saulum* excipiens Apostolos, in tantum fide illustrata fuerat, ut ibi Discipuli primum appellati sint CHRISTIANI: quæque Ioannem Antiochenum, Chrysostomum cognomento, magnum totius orbis Doctorem emittens, lumen Apostolici fulgoris cunctis nationibus longe lateque cernendum exposuit. Certũ insigni oportet ut afficiatur voluptate, qui utrumque exploratum habens navigationem sumptu Salomonis ad Ophir institutam, aliam ac majorem fuisse videt in Tharsim, ad quam eum socium adsciscere oportebat Hiram Tyriorum regem: quod sibi tres annos deposceret illa navigatio antequam compleretur. Non dubium quin ultra dimidium ab Asion laber portu pervenerint; cum etiam triennio auspiciis Caroli V. Imp. circa

annum M. D. XX. circumnavigatus sit universus orbis.

Quid luminis adferat S. Scripturæ *locorum cognitio*, norunt potissimum qui *Abrahami*, *Isaac*, *Iacob*, *Moysis*, *Iosua*, *Davidis Regis*, aliorumque Patriarcharum, imo *Iesu Christi*, *Petri*, *Paulique*, aliorumque Apostolorum, & Sanctorum virorum peregrinationes tamquam in speculo contemplari volunt, & itineris socios se quoque mente exhibeant.

Non parui quoque momenti res est, novisse magistratuum ordines, præcipuarum rerumpub. & clarissimarum nationum. Quare si male tibi metuis, poteris cum Sophonia vati arcanorum Dei conscio in specula quasi positus, ac propius urbi admotus, extra omne discrimen audire clamorem à Porta Piscium, & eiulatum in secunda urbe ab Ezechia rege priori addita; & contritionem à Moria, ubi templum erat, & Sione collibus: Aut si animus sibi de nocte surgere mentis oculis somno excusso, atque per tenebras prælucente face considerare muros Ierusalem dissipatos & portas ejus consumptas igni, egredere cum Nehemia per portam vallis, prætergredere fontem draconis, Portamque Sterquilinij; cumque transieris ad portam fontis videbis te aquæductu Regio impediri ab ulteriore progressu. At si libet potius contemplari operi instantes, ut reædificent urbem; agnosces illico portam Gregis ex adverso, in eaque stantem summum sacerdotem Eliasib, ceteros quoque magnates ex ordine, & pro ratione cujusque in aliis portis gnaviter valvas & seras reficientes, atq; erigentes muros eversos pateris etiam in platea ante portam aquarum interesse concioni, ut audias legem Dei ex ore Esdræ festo die tubarum. Quod si magis capiaris sermonibus Pauli Apostoli, sequere eum ex portu Phalero, ubi sunt ARÆ IGNOTORUM DEORUM, ad Areopagū deductum, ut illum inter Stoicos & Epicureos queas videreq; disputantem, & Dionysium Areopagitam verbis ejus credu-

*Topographia Hierosolymæ.*
*Sopho. 1.*
*Esdr. 2.*
*2. Esd. 3.*
*Act. 17.*

Act. 28. credulum adhærere illi. Quem etiam via Appia portam Caponam intrantem, atque extra portam Trigeminam gladio percussum conspicere, si placet, erit integrum. Sed & generationes Patriarcharum cognoscere multum proderit, præcipuè vero Genealogiam *Iesu Christi*; quam exiguo volumini inscriptam clare atque aperte exhibemus, ut nullus calumniis Porphyrij Philosophi, ac Iuliani Imp. relinquatur deinceps locus. Ad Heluidianorum deliria quoque refellenda, gradus etiam cognationis *Christi* adscripsimus. Quibus rebus efficitur, ut cogitatione suavi atque affectu interesse anteactis jam olim diversis negociis præsentes videamur: cum tamen & ob diuturnitatem temporis, & ob locorum distantias corpore longe distemus.

Verum ut & utilitatem *Historiæ* non prætercam, norint pii Lectores duo proponi à psalmista Rege circa quæ omnis moralis Philosophia versatur. Nimirum DECLINARE A MALO, & FACERE BONUM: quod *Malo* dedecus & interitus sint propria; *Bono* vero gloria & vita. Quæ cum ratiocinando docere nitantur Philosophi, demonstrat eadem efficacius multo *Historia* exemplis, cum visis magis, quam auditis adficiatur humanus animus: illaque his altius memoriæ infigantur.

4. Reg. 2. 2. Paral. 21. Quod licet videre in Eliæ Prophetæ literis, quæ decennio circiter, postquam ille curru, equisque igneis fuerat sublatus, allatæ ad Ioram Regem impium Juda erant. In quibus non rationibus eum increpat, sed tantum levi historica narratione, quasi spectator actionum eius fuerit, scelera atque crudelitatem ipsius plane Tyrannicam refert, denuncians illi vatidico spiritu, & quasi prophetans cruciatus & mortem ingloriam, cum internecione pene omnis familiæ eius, quæque alia ultore Deo Tyrannis plerumque eveniunt: Nisi quod Dominus conservaverit natu minimum filium eius Joachaz, ne perderet à stirpe nepotes electi sui, atque sic omnino extingueretur lucerna David.

*Davidis Regis vita.* Cuius Davidis regis vita non

modo

modo principibus ac belli Ducibus, qui vtramque fortunam sæpius experiuntur, pro exemplo esse poterit: sed etiam piis simul & peccatoribus, quibus nitro pœnitentiæ vitiorum sordes eluere animus est: vsque adeo accurate descripta, vt etiam rufus, & pulcher adspectu, decoraque facie atq; robore fortissimus, & peritus psallendi cythara fuisse commemoretur. Quid? nonne Miltiadis victoria atq; trophæa passim enarrata magis ad res præclare gerédas Themistoclem, quam parænefes Philosophorum excitarunt? Tanti sane æstimauit Thucydidis Historiam Demosthenes, vt eam sua manu octies descripserit, Luciano teste. Quemadmodum etiã Imp. III. Claud. Tacitus quotannis decies describi Annales Augustales Cornelii Taciti, atque imponi curabat diuersis bibliothecis. Quorũ quinq; priores libri inuenti in monasterio Corbeio ad Visurgim amnem cum essent delati ad Leoné X. Pont. Max. magno precio eos comparauit, atque vtilitati studiosorum consulens per Philippum Beroaldum iuniorem euulgandos curauit. Carolus item V. Augustus Cæsar parentum memoria feliciter imperans, vsque adeo lectione historiarum delectabatur, vt cum peragraret Galliam anno M. D. XXXIX. iusserit sibi prælegi (more regum Persarum) Philippi Cominæi commentaria, quibus res gestæ proaui ipsius Caroli Burgundi, & victoria ad montem Herrium, qua proficiscendũ ei erat, de Ludouico XI: Galliarum rege continebantur. Sane ob insigné vtilitaté summæ delectationi permixtã conscribendæ historiæ antiquitus occupati fere séper fuere viri clarissimi, & à virtute præcipue cõmendati, vt apud Hebræos Moyses, Prophetæ, ac summi ẽt sacerdotes. Certe apud Athenienses quoq; *Solon* legislator Historiam scribere instituerat, cũ ab Ægyptiorũ sacerdotibus, in quorũ téplis quæcumq; vel ab Ægyptiis, vel ab aliis nationibus memoratu digna gesta fuerant, descripta seruabantur, antiquitatis memoriam edoctus domum esset reuersus. sed seditionibus cæterisque ciuitatis fluctibus ab ea de-

*1. Reg. 16.*

*Cicero.*

*Iudith. 6.*

*Plato in Timæo.*

 tur-

turbatus, medio incursu destitit, neq; eam absoluit, Thucydidem clarum belli ducem Athenienses vrbe eiecerunt, scriptorem vero Historiæ reuocarunt. Apud Romanos, Pontificibus erat antiquitus permissa potestas memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi, & hos appellabant *Annales Maximos*, quasi à Pontificibus Maximis factos. Scripsere apud eos præter alios viri clarissimi Historiam *Fabius Pictor*, *& M. Cato Censorius*: post quos & Cicero postulatus est, vt patriam, quam consul seruauerat, etiam scribendo historiam ornaret. Quin & C. Iulius Cæsar dictator mira elegantia res à se gestas in commentaria reddit, adeo vt ab iis describendis deterruerit alios scriptores. Cæsar quoque Octauianus Augustus, patrem imitatus, Indicem rerum à se gestarum incisum in æneis tabulis ante Mausoleum statui mandauit. Cuius exscripti marmor etiamnum extat lacerum in suburbio Ancyræ. Hoc titulo, vt integrius exiit beneficio V.CL. Augerii Busbequii, ex legati Byzantini, in sex: Aurelio Victore, ab *And. Schotto* Belga editum Plantinianis typis, & post à *Iusto Lipsio* in Inscriptionū veterum Auctario:

*Sueto. in Aug & Ioseph.*

RERVM GESTARVM DIVI AVGVSTI QVIBVS ORBEM TERRARVM IMPERIO POPVLI ROMANI SVBIECIT ET IMPENSARVM QVAS IN REMPVBLICAM POPVLVMQVE ROMANVM FECIT INCISARVM IN DVABVS ÆNEIS PILIS QVÆ SVNT ROMÆ POSITÆ EXEMPLAR SVBIECTVM, &C.

*Suet. in Claudio.*

Claudius quoque Cæsar in adolescentia hortante T. Liuio, Sulpicio vero Flacco etiam adiuuante scribere aggressus est historiam, initium post cædem Cæsaris dictatoris sumens. Sed & transiit ad inferiora tempora, cœpitque à pace ciuili, cum sentiret neque libere, neque vere sibi de superioribus tradendi potestatem relictam, correptus sæpe & à matre & ab auia: multo saniore, me Hercules, consilio quam quo nunc fere omnes & fauorem partium & plausum captant principum. Laborant ple-

plerumque variis ac diuersis affectibus, qui gentium suarum peculiares historias condunt. Extat locus Actii Synceri non illepidus in Florentinæ historiæ scriptorem illum crasse facetum Poggium.

*Dum patriam laudat, damnat dum Poggius hostem*
*Nec malus est ciuis, nec bonus Historicus.*

Quin & Hollandiæ nostræ varii, quos vidi, Chronographi describentes necem Florentii V. Ex comite XVI. in Tyrannum scelestissimum transmutati, quam leuiter enarrant eius fœdum & execrabile flagitium iniuste se vindicantis de primæ nobilitatis viro suoque fidissimo cliente, constupratione castissimæ eius vxoris iure hospitali impie etiam violato: Quanta quoque verborum atrocitate generosissimi Gerardi Velsii facinus & ciuilis & Diuini iuris permissu perpetratum persequuntur, illum vocitantes *traditorem perduellem* atque *paricidam*: & quasi re bene gesta adiiciũt Chronico Zyriczeiensi idiomate conscripto insulsum rancidæ vetustatis Epinicium ad modulum carminis domini de Falchesteyn è porta equitantis decantandum: peccantes per adulationem ea in re duplici modo & quod fortissimi viri & non minus Harmodio & Aristogitone tyrannidis atque H. Iunio Bruno libertatis Ro. vindici statuam promeriti famam indignis lacerant modis: & quod principibus, id quod velint impune licere hominibus persuadere satagunt. Non minus quoque peccant, qui historiam scribendam ad maledicendum tantum arripiunt: & ore virulento cunctas libellorum suorum paginas conspurcant: quod si vmquam, nunc sane sęculum est; cum omnia præterquam bonos esse liceat. Non mirum Germanos, Gallosque scriptores affectib. indulgere: cum inter Italiæ Historicos princeps *Paulus Iouius* magnus ingenio, acer iudicio, clarus eloquio, ætate senex, & officio Episcopus, non omnino iis, vt decebat, caruerit. Certe conuenit *Historico*, si quid aliud, nouisse moderari af-

fectibus ( non enim Apathia in eo requirenda ) & fulciri, quasi duobus tibicinibus, rerum gestarum scientia atque acritate tum oportet illum diuinarum humanarumque rerum, variarum & artium, bellicarum & ciuilium, aliarum quoque actionum esse peritum. Sunt porro & quidam, qui, quo se ab illata iniuria vindicent, instituant conscribere Historiam : vti fecisse *Baptistam Platinam* scribendo vitas Rom. Pontif. in confesso est. Sunt, quod pessimum est, qui ad hoc vt seditiones excitent etiam *historiæ* scriptione abutuntur, vt Ioannes Sleidanus & Ioa. Garcion; digni profecto, vt in eos lege Cornelia vindicetur: vt & in illos, qui ex historiis more *Nicolai Machiauelli* impie instruunt tyrannos. Est enim res sacra historia, & teneræ virgunculæ Vestali persimilis, quam pro libidine violare nefas est. Thesaurus quippe hominibus incomparabilis est, illustrans mentes, morum disciplina, atque speculum humanæ vitæ, docet ea ortum, progressum, exitumque temporum, ac rerum euentus, vicissitudines regnorum, morum mutationes, nihilque stabile esse sub sole: idcirco omnem spem & fiduciam collocandam in eum, qui idem semper est, cuiusque anni non deficient. Non nouit odia, non mouet tumultus, nō gerit bella, sed admonet nulla vnquam tam diuturna atrociaque extitisse bella, quæ non fuerint per pacem finita: siue vna alteram partem superando prælus; siue, quod commodius, vtiliusque reconciliatione partium præ tædio in longinquū extracti belli, aut etiam necessitate. Ostendit commoda paris *historia*, & ad eam quodammodo mortales adhortatur, commemorans studia, & artes per eam florentes atque felicitatem sæculi : Errore ac superstitione profligatis, persuadet fidem rectam, *spem iubet esse ratam*, accendit charitatis ignem, docet prudentiā, monstrat semitam Iustitiæ, hortatur ad fortitudinem, commonefacit temperantiæ, luxum & sordes ex æquo damnans. Cæterum ne idem mihi quoque, Inuictissimi illustrissimique Principes, clarissimique Christiani nominis

populi


populi hanc noſtram hiſtoriam vniuerſis vobis & ſingulis offero, do, dico, dedico atque conſecro, expoſcens pro ea illud præmii: vt ſacerdotes caſte Deum adeuntes, puris precum piarum ſacrificiis eius indignationem à nobis auertant, non ſine fletu dicentes, *Parce Domine, parce populo tuo, & non des hæreditatem tuam in opprobrium*, vt ſe inuicem ipſos ſic latrocinando omnes conficiant: tribue tandem diu exoptatam veram pacem, & tēporum tranquillitatē, vt tibi in omni ſanctitate omnes ſeruientes promereamur inſcribi ciues illi ciuitati, quam claritas Dei illuminat, & cuius lucerna eſt Agnus. Atque vos Principes iuſtis armis defendatis populum innoxiū, debelletis ſuperbos, atque ſubiectis parcatis, iuxta exercentes iudicia condita Clementiæ dulcedine: denique vt & vos populi Chriſtiani gnauiter intēdatis operi ac labori, & vnuſquiſq; veſtrū ſedulo officio ſuo fungatur: quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſerui Dei. Quo præmio nihil honeſtius, nihil vtilius, nihil acceptum magis mihi poſſe rependi exiſtimo: gratitudiniſque ergo vniuerſos vos & ſingulos ad delicatas haſce *hiſtoriarum* epulas variis condimētis exornatas atque lumine multifario illuſtratas, nec ſine cura apponendas inuitari curabo: rogaboque vt eas hilariter & cum iucunditate carpere dignemini. Quod ſi nonnulla videbuntur inſipidiora, poterint illa inſtar fragmentorum relinqui: nec enim cogi ſolent conuiuæ omnia deuorare. Quibus grata, ſana, ſalubria atque optima precamur, rogantes atque obteſtantes, vt ſi quid nouerint melius iſtis candide communicent; ſin minus, conatus noſtros æqui bonique conſulant. Orabimuſque interim vt Deus Optim. Maxim. per vnigenitum filium ſuum Meditatorem DEI & hominum IESVM CHRISTVM vniuerſis vobis & ſingulis impertiat ſpiritum illum ſuum ſanctum, pacis, vnitatis, & veri amoris auctorem, vt poſſitis ſobrie, iuſte & pie viuentes & corpore, & anima, & ſpiritu valere, atque auerſantes ope-

*Ioel. 2.*

*Apoc. 21.*

rarios iniquitatis, & corruptores *Historiæ* ſermoniſque veritatis conſortemini gratia hæredis vniuerſorum, α &
*Hebr.1.3.* ω, principii & finis, portantis omnia verbo virtutis ſuæ purgationem peccatorum facientis, ſedentis ad dexteram Maieſtatis in excelſis cui gloria & honos in æternum, AMEN.

CON-



## CONTENTA IN HAC

# PETRI OPMEERI CHRONOGRAPHIA

## Et Chorographia Librorum sex:

PRIMO *libro continentur ea quæ à condito orbe ad Dauidis regnum vsque gesta. Docetur ratio ac diuersitas temporum. Diuisionem linguarum fuisse partitam eodem modo quo orbis terrarum, secundum numerum filiorum Israel nempe tribuum XII. fuisseque XII. formas proratione cuiusque linguæ, litterarũ quas omnes adscriptas habet. In sacra quoque veste Aaronis acu pictam fuisse vniuersi tabulã (vulgo mappã mundi nominant) neque pulchriorem fuisse Sacerdotis vestem, in hunc vsque diem.* I.

SECVNDO *lib. à Regno Dauidis ad destructionem Hierosolymæ extenditur, vbi quadratæ ciuitatis Hierusalem, & Romæ forma ichnographica templi quoque Salomonis aliaque describuntur. Quo in loco situs fons Paradisi irrigans orbem. Vnde per Guene venerunt litteræ ad Ioram regem, Heliæ, postquam iam ille decem annos fuisset sublatus in aera.* II.

TERTIVS *lib. ad* CHRISTI *Saluatoris progreditur natiuitatem, continens progreßionem Philosophiæ, quam cum Cosmographia originem sumpsisse ex libro Iob ostenditur. Erat enim Iob omnium doctißimus, Orator summus, ac Iurisconsultus & aduocatus tam defendendo quam aduocando non minor Demosthene quam Cicerone aut consulendo Scæuola non inferior. Omnis hic historia Iudææ, monarchiæ Ægypti, Græciæ, Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ, Gottiæ, vniuersi cuiusque nationis origo & progressus miro ordine, & quidquid scitu rarum ac dignum memoratu.* III.

*Libro*

IV. *Libro* QVARTO *perſequendo hiſtoriam* CHRISTI, *Eccleſiæ & Impp. Romanorum ad Conſtantinum vſque magnum res geſtæ narrantur & quicquid vtile in hiſtoria Eccleſiaſtica & Rep. Romana, inſeritur.*

V. QVINTO *libro res ad Gregorium magnum, Pontificem Max. referuntur.*

VI. SEXTO *libro ad noſtram vſque ætatem enarrans colonias deductas à Gothis, Cimbris, Normannis, Vandalis, Francis, Sueuis, per vniuerſam Europam: docens antiquas eorum ſedes ac nomina, & recentia. Nihil quod ad ſacros ritus, doctrinam, arma, Remp. Genealogias Principum attinet, omittendo, exhibens vrbem Romam antiquam, Conſtantinopolim tempore Arcadii.*



# OPVS CHRONOGRAPHICVM ORBIS VNIVERSI

## A Mundi exordio ad hæc vsque tempora,

HISTORIAS CONTINENS CVM ECCLESIAsticas tum externas, adſcriptis Græcis, Latinis, Sacris, ac prophanis Auctoribus.



RINCIPIVM illud ſine principio, immenſum, infinitum, incomprehenſibile, ens, apud quod nil præteritum, aut futurum, ſed omnia ſunt præſentia: idem manens, æuoque nullo mutabile: omnia continens, & nullo contentum loco, vlliuſque indigens: ſuprema, inquam, illa poteſtas, mens, ſapientia, ordo, decus, verum, vita, pulchrum, bonum, iuſtum, ignis conſumens, ſplendor, lux, immobile, & vbique conſiſtens, quod Hebræi diuinitus edocti quatuor hiſce litteris a יהוה (ineffabile enim eſt) Chaldæi vero triplici Iod b ,י, non ſine myſterio ſignāt; nos DEVM appellamus: cōfitentes Chriſtiana ac vera Catholica pietate Patrem ingenitum, Filium vnigenitū, & Spiritum Sanctum ab æterno ex vtroq; procedentem, vnum, verum, & indiuiduum eiuſdem ſubſtantiæ Deum, non ante, vel poſt tempus, aut etiam in tempore; ſed vna cum tempore, id eſt, in principio temporis (quod a momento incipiens, motu menſurabile, rationeque humani ingenij in multiplices partes diuiſibile exſiſtens, ſine ceſſatione ſemper progreditur) creaſſe ex nihilo cœlum Empyreum cœleſtemque materiam; & terram, ſubcœleſtium videlicet rerum elementa, loco ipſis idoneo conſtituto, quo continerentur. *Nimirum, tam exi-*

ANNI MVNDI.

*Gen.1.*
*Pſal.89.144*
*Exod.3.*
*2. Petri 3.*
*Eccl. 42.*
*Mal.3.*
*2. Marc. 14.*
*Exod. 15.*
*Deut.4.*
*Hebr.12.1.*
*Hierem.23.*
*Pſal 138.*
*Exod.6.*

a IEHOVA *ſi pronuntiari poſſet; eſſe, vel eſſentiam aut generationem ſignificaret.*
*Ioan.1.*
*1. Ioan.5.*

b IOD *Confeſsionē, laudationem & gratiarum actionem ſignificat.*
*Gen 1.*
*Hebr.1.11.*

*Locus & tēpus duo ſunt neceſsitate cōiuncta rebus creatis neceſſaria.*

ANNI MVNDI.

*Ambr. Hexame. l. 1. c. 2 v. habet autrograph. Eccli. 18. Rom. 11. Anaxagoras Climenius etiam omnia simul facta asseruit: ea quoque mente accedente fuisse composita. Isai 45. Hesiod. in Theog. Ouid. Metamorp 1. 2. Petri 3. Plut libr. Vtrum aqua an ignis sit vtilior. Thales etiam Milesius exordium ac ortum rerum ad aqua substantiam refert. Homer. quoque Iliad ξ ante eum.*

Præbuit Oceanus cunctis primordia rebus, *canit*

*Isa. 45. Ambr Hexam. l. 1. c. 9. Ioan. 5. Dan. 7. August. de Ciuit. lib. 11. cap. 33. 2. Petr. 2. Theph. Antioch li. 2. ad Autolyc.*

*quo sua voluntatis momento maiestatem tanta operationis absoluit; vt effectus volūtatis sensum temporis praeuenerit. Quo respiciens Scriptura: Qui viuit in aeternum,* ait, *creauit omnia simul. Quoniam per ipsum, & in ipso, & ex ipso sunt omnia.* Porro terra erat inanis & vacua: nullo nimirum ornatu: sed aquis immixta ac tecta vndique: & tenebræ simul etiam creatæ erant. defectu lucis, super faciem abyssi; illam nimirum, elementorum confusionem, ac rudem indigestamque molem, χάος Græcis dictam; quam aquam appellare D. Petrus videtur. Plurimi quoque χάος nihil aliud, atque aquam interpretati sunt, teste Plutarcho, quod fluere & fundi possit. Ceterum *Spiritus Domini ferebatur super aquas,* vti voluntas artificis, concepta idea, super opus suum. *Dixitque Deus,* non vtique voce, aëris percussione efformata; sed voluntate æterna effectum operis potenter procurante. *Sermo enim Dei, voluntas est: & opus Dei, natura est. Fiat lux:* res, scilicet, multo pulcerrima, & forma, vt ita dicam, incorporea; qua nihil diffusius, nihil purius, nihilq; propinquius spiritualibus creaturis: quas etiam primitus inuisibiles non ex elementis, sed vna cum elementis ex nihilo omnes creauit: nimirū *Seraphim,* quos ardentes, ignitosue interpretaueris: vt *Cherubim* scientiæ multitudinem: & *Thronos* sedes Dei. *Dominationes* verò dictæ sunt, quod inferioribus imperent; *Principatus,* quod principes gentium, regionumque Præpositi sint; *Potestates,* quod virtutes coërceant aduersarias; *Virtutes* autem, quod signa miraculaque per eas fiant; *Archangeli* porro summi nuntij; *Angeli* nuntij sunt: *quorum millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia adsistunt ipsi.* Verum hæc lux ab Oriente absq; caloris fotu consurgens completo diei spatio (ita dum lucidam temporis partē Deus appellauit) ad inferiora descendebat: approbationeque diuina conseruata, ita fuit diuisa à tenebris, vt numquam simul esse possint. Quemadmodum & Angeli lucis separati à reprobis fuere spiritibus: qui cum ab initio peccauerint, à Deo auersi, & ad se ipsos conuersi; vitam rationalem ita insipientē habent, vt non possint eam vnquam amittere: & inferni rudentibus in tartarum detracti in iudicium reseruantur.

Porro *lucem appellauit* Deus *diem, & tenebras noctem* nominauit. Nullus enim mortalis potuisset luci aut tenebris, vt par erat, nomina imponere. Alij alijs (inquit Theophilus) nomina indidere: at illa à solo Deo nomina sua acceperunt, vt qui ea creauerat. *Et factum est Vespere,* nempe crepusculum, finis diei ac lucis: *& mane,* nimirum aurora finis noctis ac tenebrarum, *dies vnus*: nempe naturalis, qui nobis XXIV. horis mensuratur. Certa videlicet notaque pars temporis, vnde deinceps reliqua tempora ordine sibi succedentia numerantur. Simul enim atque mundus conditus fuit, tempus illi adfuit: quod absque

mundi

mundi natura minime constat; cum motus cœli mensura sit: ANNI
cui cum adsint ERAT & ERIT, quasi partes, non potest recte MVNDI.
æternitati adsignari, cui esse solum competit.

Porro sacerdotes Ægyptii natalem mundi iudicarunt XIII. *Solin. c. 35.*
Kalendas Augustas, quando Sol ingressus Leonem ortus Sirios
excitauerit. Hebræorum alij IX. Kal. Octobris mundum crea- *Nic. de Lira in Gen. c. 1. & 7.*
tum existimant; alij verò XIII. Kal. Aprilis: quod etiam persua-
sum habent Orthodoxi Patres. *Inde*, inquit Ambrosius, *mundi* *Ambros. de Noe & arca cap 17.*
*capi oportebat exordium, vbi erat opportuna omnibus verna tem-*
*peries.* *Had. Iunius lib 3. Animal cap. 8.*

Ceterum vt in rerum ex nihilo creatione hac die peracta, o-
mnipotentia Dei manifestatur: ita ex earumdem numero, pon- *Rom. 1.*
dere ac mensura, ordinata dispositione; inæstimabilis ipsius *Sap. 11.*
sapientia, duobus diebus subsequentibus præcipue ostenditur. *Psal. 146.*
Die namque secundo, non molesto fatiganteque labore, sed *Iob. 37. 38.*
placida grataque operatione fecit firmamentum, quasi ex ære
fusum, firmissimum: forma vt pulcerrima, ita & capacissima:
extensum instar pellis in medio aquarum: aquis, quæ supra fir-
mamentum sunt (cœlum crystallinum has vocant) ab iis, quæ *Psal. 103.*
infra exsistunt, diuisis. At vero tertio die, cum diuino iussu aquę
subcælestes in vnum locum congregarentur, confestim arida
apparuit: Deo fundente ita puluerem, & glebas compingente,
vt adscenderent montes & descenderent campi in locum, quem
fundauit eis.

Hanc Deus *terram vocauit*, quemadmodum & congregatio- *Hier. Quæst. in Gen.*
nes aquarum, (siue salsæ, siue dulces fuerant,) maria. Quæ a ter-
ra sustentata ostiisque conclusa, vna cum ipsa terra, forma orbi- *Iob. 26. 28. 38.*
culari super nihilum appensa sunt: ita vt ponderosa magis infe- *Prou. 8.*
rius versum, leuiora autem sursum continuo nisu contendant.
Hinc mox summa bonitate ad terrã decore ornandã progrediẽs *Gen. 2. 16.*
Deus, eam proferre fecit omnẽ herbam virentem; lignum quoq;
faciens fructum: quo necessitati, salubritati, delectationi ac cõ-
seruationi animalium creandorũ continuo consuleret: cum &
vnumquodque sementem, secundum speciem suam, haberet;
quæ terræ commissa, & concordi qualitatum temperatione
fota, genus semper suum propagaret. Quarto deinde die or-
nauit Deus cælos luminaribus, quibus primo die creatam lu-
cem imposuit, vt iam deinceps diuiderent diem ac noctem luce
& vmbra; forent in signa, festorum nimirum dierum, serenitatis
& tempestatum atque ventorum, rerumque aliarum, agricultu-
ræ, nauigationi atque arti medicæ inseruientium: & in tempo-
ra, & dies, & annos: lucendoque in firmamento cæli, illumi-
narent terram. Ex his *maius luminare*, quod centies sexagies, bis *Ver. autog.*
octaua parte minus, terræ globo grandius est, *Sol* dictus, præ *Eccli. 43.*

 est diei;

ANNI MVNDI.

est diei: vas admirabile radios exsufflans igneos, & terram calore imbuens. Cuius ardorem frigiditate temperat *Luminare*, ter & quadragies circiter tellure *minus*, *Luna* videlicet, quæ nocti præest. Cæteræ quoque stellæ terræ opitulantur,(ministeriumque præbent cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.) seu erraticæ illæ fuerint, seu in firmamento fixæ. Quarum numerum, ordinem, nomina, magnitudinem, differentem claritatem, concentum atque vim nouit, qui eas fecit, & conseruando bonas esse approbauit Deus. Tanta quippe amplitudine, talique pulcritudine, ab ipso pulcerrimo omnis pulcritudinis auctore formatæ sunt: vt omnium ætatum ac nationum præclarissimis ingeniis maximæ admirationi fuerint: illaque ad sui contemplationem præcipuè excitauerint, & ad inuisibilis Dei creatoris cognitionem amoremque perduxerint.

Nic. Copern. Reuol. lib. 4. cap. 10. Deuteron. 4. Psal. 146. Iob 38. 1. Cor. 15. Eccls. 43. Rom. 1. 1. Tim. 5.

Die deinde quinto aquas, reptile animæ viuentis, & volatile aëris Deus producere voluit: creatis etiam cete grandibus, quę cuncta licet pernicitate excellant; tamen ad stirpium naturam, aliis animalibus propinquius accedunt: cum ad generis propagationem oua proferant, calore incubationis vsque fouenda, donec fœtus absoluatur: sicuti stirpium semina complexu Telluris excepta fotaque paullatim crescunt. Piscium, qui muti plerique, varia genera sunt: variæ & volucrum canoræ vocalesque fere hæ sunt species. *Aiunt autem*, inquit Hieronymus, *qui de animantium scripsere naturis, & proprietate, qui* Ἁλιευτικὰ *tam Latino, quàm Græco docuere sermone (de quibus Oppianus Cilix est, Poëta doctissimus) centum quinquaginta tria esse genera piscium: quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum; dum & nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, & omne genus hominum de mari huius seculi extrahitur ad salutem.* Porro his omnibus, iure naturali constituto, potestatem amoremque generandi, genusq; suum augmentandi concessit Omnipotens. Sexto autem die (hoc est, VIII. Kal. Aprilis, vt Romani putant) *bestias, iumenta & omne reptile terra in genere suo fecit Deus.*

Hieron. l. 14. in cap. 47. Ezech. Ioan. 21. Ambros. de Noe & arca cap. 17.

Ceterum animalium alia, & ante legem datam & sub ea, munda fuerunt; alia vero immunda: quod vel corporalem immunditiam generarent, vel significarent mentalem: quæ omnia tempore gratiæ purificata mundataque sunt: ita vt munda nunc sint mundis.

Psal. 8. Gen. 7. Leuit. 11.

Mox quoque æterno consilio, Adam (vox ea appellatiue *hominem* significat) ex terra lutosa *ad imaginem & similitudinem suam* creauit diuina Trinitas, in faciem eius inspirans vitæ spiraculum; & mentem animæ, atque animam corpori tribuens: vt sic formatus factusque in animam viuentem, vim vegetatiuam, sensitiuam, ac rationalem, qua Deo proximius accedit, sortitus sit. Hac etenim prouide, ac sagaciter intelligit, acutè & cũ con-silio

Act. 10. & 11. Rom. 14. Tit. 1. Genes. 5. 1. Cor. 15.

filio iudicat, atque intellecta iudicataque firma retinet memoria. Vtque ergo in Deo, per hæc (*faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq; terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra*) declaratur personarum diuersitas; & in hoc (*Creauit Deus hominem*) vnitas diuinitatis: sic & homini vna anima erat secundum substantiam, & ex potestatibus triplex. Porro *plantauerat Dominus Deus à principio*, tertio nimirum die, cum ornaret ac vestiret terram suis plantis, loco terræ editiore, Orientem versus, *Paradisum voluptatis*: in quo *de humo produxerat omne lignum pulchrum visu, & suaue ad vescendum; atq; lignum vitæ, lignumq; scientiæ boni & mali in medio eius*. Ex hocce deliciarum voluptatisque loco *egrediebatur fluuius ad irrigandum Paradisum*, occultis se meatibus in quatuor spargens alueos. Quorum vni nomen *Phison* seu *Ganges*, qui Indiam ab Heuilath, filio nempe Iectan, & nepote Hebri, habitatam, flexuoso tramite ambiens, in Indicum mare sese quinque ostiis exonerat. *Vbi aurum obrizum*; (quasi Ophirisum dicas) nascitur: & *Bdellium*, arbor gummi odoratissimi ferax; lapisque ab humani vnguis colore *Onychinus* nominatus, gemma non exigui pretij. Secundo nomen *Gehon* seu *Nilus*, qui Æthiopiam perfluens, Ægyptumque fęcundans, ob Hippopotamos, Crocodilos, Ibesque maximè celebris, in mare Mediterraneum septem ostiis labitur. Tertio *Tigris*, qui ad Mesopotamiæ terminum, ab Euphrate, quarto nimirum, exceptus, per Babylonios Chaldæamque fluens, in mare Persicum rapido impetu præcipitatur. In hunc itaque Paradisum, vt custodiret eum in eoq; operaretur, transtulit Deus Adam, præcipiens ne comederet de ligno scientiæ boni & mali, mortem mandatum transgredienti minatus. Abunde enim ipsum sapientia, rerumque creatarum cognitione imbuerat: adeo vt cunctis animalibus ad se deductis nomina idonea ac quã maxime propria indiderit; quibus & posteri deinceps vsi fuere. Ex hac igitur nominum impositione, non difficile intelligitur ingenij *Adami* magnitudo, iudicij maturitas, & vastitas memoriæ. Neque fuit res vlla doctrinæ magis necessaria, quam nominum impositio, citra quam nequaquam poterant maiores posteris tradere artes, disciplinas, ac Philosophiam. Ceterum ne solitudo Adamo tædio foret, costam altum obdormientis (loco carne repleto) in mulierem formauit Deus: quam conspicatus Adam, eo quod ex viro desumpta esset, *Viraginem* vocandam esse dixit, illiq; sic adhærendũ affirmauit; *vt duo in carne forent vna*. Vere felices ambo: quamdiu nudi nullo, prę innocentia, suffunderentur rubore. Nam vt nullo æstu frigoreue offendebantur: ita grata quoque corporis animique concordia fruebantur. In animo enim vera tranquillitas, summumque

ANNI MVNDI.

*Plato in Timæo Cic. 1. de legibus.*
*Gen. 1.*

*Gen. 2. 8.*

*Gen. 10.*
*Hac cum sequentibus pluribus desiderantur in autographo.*
*Plin. lib. 12. cap. 9.*
*Idem lib. 37. cap. 6.*

*August. de Ciuit. Dei li. 14 c. 26.*

ANNI MVNDI.

ex Deo gaudium erat, & in corpore perfecta sanitas: quam ne senectus dissolueret, ligno vitæ (nec enim illud gustari prohibuit Deus) mederi poterant. Viuebāt itaq; sine vlla egestate, sic semper viuere habentes potestatem. Sed *homo, cum in honore esset, non intellexit*, quandoquidem inuidia diaboli, astuque serpentis callidissimi, per quem ille mulieri loquebatur, & suggestu præuaricantis mulieris, legem transgressus sit, mortem peccato generans. Porro arbor illa cognitionis bona erat, erat & fructus eius bonus: neque enim aliquid letiferi aut noxii tulit ea arbor; sed inobedientia caussa mortis fuit. Fructus quippe nihil aliud habebat, quam solam cognitionem: quæ bona & pulchra est, si quis recte ea vtatur: abutenti contra malum ac perniciem adferre illam nostro malo (proh dolor!) satis hic videmus. Nam cū Adam & vxor eius antea oculati fuissent ad iustitiam, & cæci ad cernendum peccatum: ad hoc quoq; aperti fuerunt ocu'i mentis ipsorum. Hoc quippe vere erat prædulces comedisse siliquas, in quibus manditur cortex ligneus, semen complexus amarum, singulare illicitæ concupiscentiæ symbolum. Sentientes itaque in se confestim contrariæ legis opus inscriptum cordibus, reddente testimonium ipsis conscientia illorum, erubuerunt; consutaque pudendis tegendis fici folia circa lumbos aptarunt: & ad Dei sub vesperam ad auram deambulantis vocem, terrore perculsi, absconderunt se *in medio ligni*, seu (vt Targus Chaldæus habet) *arboris horti*. Quam nequaquam caricæ exesam, sed potius ficum fuisse Indicam existimo. Quando arbor illa (vt eam pereleganter Theophrastus describit) folium non minus pelta habeat, magnitudineque vehementer excellens comam superne lasciuam gerat: & tota fornicato ambitu pulcre orbiculetur, ramos dimittens, qui se terræ coniungentes, ceu sepē circum arborem faciunt: ita vt veluti tabernaculum condatur, quo etiam morari homines solent. Fuere itaque ipsis folia pro vestimento, & frondes pro domo protegente turpitudinem: quæ cū aqua & pane initium vitæ hominis esse asserit Scriptura. Interea euocatus a Deo Adam, commissum confitetur crimen, culpamque in mulierem, illa vero in serpentem coniicit. Quo maledicto in spem eriguntur Ecclesiæ piorū, per mulieris semen Christum saluandæ, licet antiquus ille serpens continuo ipsi insidietur, bellaque moueat. Nuntiat quoque ac prædicit ipsis Deus pœnas peccato promeritas: nimirum dolores partus, viriq; dominium mulieri; & viro tenuitatem victus in herbis terræ, & pane ex terra, ob transgressionem eius maledicta, sudore vultus parato: admonens illum humilis conditionis suæ, vt humiliatus corrigi possit atque saluari. Vocauit vero Adam nomen vxoris HEVA, quod transfertur *in vitam*, ideirco, quia ipsa foret *mater omnium viuentium*. Post hæc, indutos tunicis pelliceis, quas ipsis

Chrys. in Gen. Hom. 16.

Luc. 15. Plin. Nat. Hist. lib. 15. c. 24. & 28. Item li. 23. c. 8. Rom. 2. & 7.

Theoph. Hist. Plant. lib. 4. c. 5.

Eccli. 29.

Hieron. Quæst. in Gen.

ipsis fecerat Deus, emisit eos eodem die post meridiem de Paradiso (de huius situ libro secundo latius disseremus) in terram, de qua sumptus fuerat Adam, quæ in propinquo Hebron in tribu Iuda ostenditur, vt operaretur illam: & statuit Cherubim & flammeum gladium versatilem ante Paradisum, vt custodiret viam ligni vitæ. Senis igitur diebus *perfecti sunt cœli*, Dei quippe habitaculum; *& terra*, animalium atque hominum domicilium. Hæc etenim, quasi benigna mater, nascentes excipit, natos sustinet, fouet, & alit; atque etiam morientes gremio suo complexa custodit ad resurrectionis diem, iudicio extremo sistendos: *& omnis ornatus eorum*, nimirum quidquid sub prædicamento creatæ Substantiæ comprehenditur: quæ vel incorporea est, vel corporea; hæc simplex, vt cœlum, stellæ, elementa, vel mixta, eaque vel perfecta ex quatuor elementis composita, quæ partim animata partim inanimata; vel imperfecta, ex minus quatuor elementis composita, vt fulmen, cometes, & reliqua meteora. ANNI MVNDI. Gen. 2. Exod. 20. Psal. 123.

* Compleuitq. Deus die septimo opus suum, quod fecerat: hoc est, absolutum esse, nihil vlterius creando, declarauit: quandoquidem nihil deesset, nihil etiam esset superfluum, aut foret noxium, si abfuisset peccatum. *Et requieuit* (non quasi operando lassus, quando & conseruando & propagando creata, etiamnum operetur adhuc) *die septimo ab omni opere*. itaque, & benedixit diei Sabbati & sanctificauit eum. Hi ergo dies septem Hebdomadem constituentes; Hebræis prima, secunda, tertia, quarta, quinta, sexta Sabbati & Sabbatum nominantur: Gentilibus dies Solis, Lunæ, Martis, Mercurii, Iouis, Veneris & Saturni à Planetis dicuntur: Ecclesiastici vero Dominicam & II. III. IV. V. VI. ferias ex S. Siluestri Pont. Rom. institutione, & Sabbatum, eos appellant. Porro hoc ex traditione Moysis fuit initium mundi: quem Latini à perfecta absolutaque elegantia, Mundi nomine; Græci Κόσμον, ornamenti vocabulo vocauere. de cuius origine & auctore sic quoque Plato loquitur: *Opificem quidem & patrem mundi inuenire difficile, & cum iam inueneris, prædicare; eloqui vulgo impossibile est.* & mox: *Cum vero mundus omnium genitorum pulcherrimus sit; & eius auctor, caussarum omnium optimus: dubium non est, quin sempiternum sit secutus exemplum. Tempus vero vna cum cœlo factum est: vt vna orta, vna etiam dissoluantur. Dies porro & noctes, & menses, & annos, qui ante cœlum non erant, tunc nascente mundo nasci fecit: quæ omnia temporis partes sunt. Atqui* ERAT *&* ERIT, *quæ nati temporis species sunt, non recte æternæ substantiæ adsignamus: sed illi reuera solum esse competit. Æterna autem substantia, cum eadem semper & immobilis perseueret; neque senior se ipsa fit vmquam, neque iunior: neque fuit hactenus, neque erit imposterum:* * Genes. 2. Ioan. 5. Exod. 20. Apoc. 1. Plin. lib. 2. cap. 4. Plato in Timæo.

ANNI MVNDI.

*neque recipit eorum quidquam, quibus res corporea mobilesque ex ipsa generationis conditione subiciuntur. Nempe hac omnia temporis imitantis æuum, sique numero reuoluentis species sunt. Hac ratione, consilioque Dei tempus creare volentis, Sol & Luna & alia quinque stellæ, quæ vocantur erratica, facta sunt: quo temporis numerus distinguatur atq; obseruetur.* Hæc ille.

Ceterum quamquam non ignorem recentiores fere omnes Chronographos, ex sententia Rabbi cuiusdam Heliæ, totius temporis fluxum in tres ætates partiri, ita vt 2000. annorum, primæ ætati ante legem; 2000. secundæ sub lege; & 2000. tertiæ sub gratia tribuant: volui tamen veteres potius sequi, atque æuum omne in sex distinguere ætates: cum quod numerus hic perfectus sit, suis ex partibus constans: tum quod diebus creationis rerum cunctarum ætates illæ adæquentur, variisque abundent mysteriis, quæ suis locis ostendemus atque explicabimus.

Igitur prima ætas à creato Adamo vsque ad diluuium terramque siccatam, continet annos 1657.

II. A diluuio ad Abrahamum natum, annos 292.

III. Ab Abrahamo ad regnum Dauidis, annos 942.

IV. A regno Dauidis, vsque ad captiuitatem Babylonicam duarum tribuum, annos 472.

V. Inde vero ad incarnatum Christum, annos 603.

Qui anni omnes simul collecti ostendunt, ab orbe condito ad Christum vsque incarnatum, effluxisse 3966 annos. A quo calculo aberrant nonnulli: plures alii, alii vero pauciores annos numerantes.

*Numerant vero*

- *plures*
  - 1. *Michael Nostradamus.*
  - 3. *Ioan. Maria.*
  - 4. *Henr. Pantaleon.*
  - 5. *Petrus Lombardus, M. Sententiarum.*
- *paucio-res*
  - 3. *Ioan. Driedo, & Christianus Massæus.*
  - 4. *Abbas Vrspergensis, Ioan. Carrion, & Wittenbergenses.*
  - 5. *Fr. Leander Albertus.*
  - 6. *Michael Ainstengerus.*

*Vnde errores illi nati sint docet Augustin. 15. de ciuit. Dei cap. 11.*

Qui LXX. Interpretum numeros sequuntur; fere 5199. numerant. Nicephorus recentior inter Græcos auctor; 5505. alii plures pauciores ue: quorum opiniones refellere animus nō est; quando Hebraicam veritatem sequi decreuimus, quasi Thesei filum, in variorum diuersorumq; errorum hocce labyrintho.

*Adam*

*Adam* vero formatus à Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus: custodiuit illum sapientia, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continenti omnia. *Numerum dierum & tempus dedit illi Deus: dedit quoq; illi potestatem eorum, quæ sunt super terram. Posuit enim timorem illius super omnem carnẽ, & dominatus est bestiarum & volatilium. Creata ex ipso etiam adiutrice similis sibi; consilium, & linguam, & oculos, & aures & cor dedit illis excogitandi: & disciplina intellectus repleuit illos. Creauit illis scientiam spiritus; sensu impleuit cor illorum, & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent: & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius. Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hereditauit illos. Testamentum æternum constituit cum illis, & iustitiam, & iudicia sua ostendit illis. Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo. Et mandauit illis vnicuique de proximo suo. Viæ illorum coram eo sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius.* Hæc ergo lex seu ratio illa summa est insita in natura, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria. Magnæ sane auctoritatis hoc ius habetur, quod in tantum probatum est; vt non fuerit necesse scripto id comprehendere. Quod enim naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes gentes peræque custoditur; vocaturq; *Ius gentium*: quasi quo iure omnes gentes vtuntur. Huius itaque iuris instinctu (sunt enim castum coniugium, propagatio sobolis, educatioque, propriè iuris naturalis) cognouit Adam vxorem suam Heuam, quæ concepit & peperit CAIN, dicens: *Possedi hominem per Deum.* Rursumque peperit fratrem eius ABEL. Porro Adam sagax, plenusque rationis & consilii, prouidens res vitæ tuendæ necessarias esse, præter ignem & aquam, ferrum, sal, lac, panem, botrum vuæ, oleum ac vestimentum; rei rusticæ intentus erat, terramque cum labore exercens, & fructibus eius vescens, exemplum liberis suis posteritatique fuit ab adolescentia ipsorum. Sic ergo Cain, agriculturæ deditus, multo sudore terram exercebat: Abel vero tranquillum innocentis vitæ genus secutus, ouium agebat pastorem. Cumq; simplicitate & iustitia, primitias gregis sui cum adipibus eorum Domino offerret, ad ipsum muneraque eius respicienti, & fruges Cain inuidia & zelo pollutas interim auersanti; à fratre vehemẽter irato occisus fuit, hoc ornatus elogio, quod Christum typice designans, virgo, sacerdos ac martyr occubuerit. Fide enim, plurimam hostiam, quã Cain, obtulit Deo: per quam testimonium consecutus est esse iustus (testimonium eius munerib. perhibente Deo) & per illam defunctus adhuc loquitur. Cain autẽ opera maligna erant: apud quem furor, zelus, tumultus, fluctuatio, timor mortis, iracundia

A 5 persecue-

ANNI MVNDI.
Gen. 2.
Sap. 10.
Eccli. 17.
Ius naturale.
Cic. de Legib. lib. 1.
Calist. ff. de Leg. § Imme.
Caius ff. de Iust. & iure L. omnes Populi.
Gen. 4.
Zach. 13.
1. Ioan. 3.
Eccli. 40.

ANNI MVNDI. perseuerans, contentio, contemptus Dei, ac salutis desperatio
mansere. Quamobrē à facie Domini profugus habitauit ad O-
*August. de Ciuit. Dei, lib. 15. c. 8.* rientalem plagā versus Syriam: vbi ex sorore procreato filio He-
noch, vrbem eiusdē nominis Henoch iam circa Libanum mon-
*Ioseph. Ant. lib. 1. cap. 2.* tē condidit: familia eius tanta numerositate crescente, vt populi
multitudine ciuitatē constituere potuerit: vbi excogitatis men-
suris & ponderibus atq; agrorū terminis, simplicem sinceritatē
in versutiam deprauauit: donec tandē longo diuturni temporis
*Philo. Biblic. Antiq.* cruciatu vitam finiret, cū vixisset annis, vt Philo ait, 730. Porro
*Rust. lib. 3.* habitabāt ante, qui agros colebant, in casis, & tuguriis: nec mu-
*Varro de re cap. 1.* rus, nec porta quid esset, sciebant. Quippe diuina natura dedit
agros: ars humana ædificauit vrbes, vt Varro recte scribit.

Ceterum Adam prole multiplici vtriusq; sexus, plurimisque
nepotibus auctum fuisse ante natum Seth, facile intelligimus ex
*Genes. 4.* hisce verbis Cain: *Ecce eiicis me hodie a facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me:* & hoc quoq; responso Domini: *Nequaquam*
*Gen. 5.* 130. *ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Nam vixe-
rat annos centum triginta, quando Seth genuit filium ad ima-
ginem & similitudinem suam: nimirum qui non modo forma;
sed & religione, scientia, studiis ac moribus quam optime patrē
referret. Porro nati quoq; sunt Adam filii & filiæ octingentis an-
*Eccli. 49. August. de Ciuit. Dei li. 15. c. 8.* nis, quibus deinceps vitam produxit. Seth autem apud homines
gloriam adeptus, illius ciuitatis fuit auctor, quæ secundū Deum
viuit in spe felicitatis æternæ. Cum ea, quam Cain condidit, hic
*Eccli. 33.* exspectat illum, quem intendit & appetit finem. Sic itaq; Deus
separauit & immutauit vias ciuium vtriusq; ciuitatis eorum. Ex
ipsis enim benedixit & exaltauit, sanctificauit, & ad se applicauit:
& ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos à separatio-
ne ipsorum. Sic vt contra malum bonum sit, disponente ita Do-
mino contra peccatorem vir iustus, & cōtra mortem vita. Porro
*Enos.* Seth cum vixisset annis 105. genuit Enos, superuixitq; 807. an-
nos, gignens filios & filias. Quod autem Scriptura tam exacte
persequitur generationes & ætates illorum, qui in cultu vnius
Dei perstiterunt: facit hoc, quo certo constet & temporis ratio,
& vera & indubitata genealogia Christi. Alias quippe genealo-
gias tangit breuiter, nec id facit, nisi per occasionem: vt, recen-
*Gen. 4.* sura progeniem Cain, refert tantum, *Henoch genuisse Irad, Irad, Mauiael; Mauiael, Mathusael; hunc vero Lamech*, qui digamus
fuit, *duas habens vxores: Nomen vni Ada, & nomen alteri, Sella. Quarum illa peperit ipsi Iabel patrem habitantium in tentoriis & pastorum: atq; Iubal patrem canentiū cithara & organo: hæc vero Tu-*
*August. de Ciuit. Dei, lib. 15. c. 20.* *balcain fabrum ac malleatorē in cuncta opera æris & ferri; sororemq; eius Noema:* quæ vox, *voluptas* interpretatur. Sic ergo progenies
ex Adam, octaua generatione per Cain descendens vlterius re-
ticetur

ticetur: vndenarioq; numero completo, quo legis transgressio significatur; & nomine feminæ (a quo sexu initium peccati, per quod morimur, factum fuit) vltimo recitato, quasi finitur: cum interea Lamech septuaginta septem liberos habuisse. à Iosepho commemoretur. Quem cum ob occisum iuuenem, acriori odio homines persequerentur; vereretur que, testante conscientia, irã vltoris sanguinis proximi: percallide vniuersos à cæde sui terrere magnitudine vindictæ conatus est, affirmans occisorem suũ septuagies septies fore puniendum.

ANNI MVNDI.

*Ioseph. Antiq. li. 1. c. 2.*

Porro *Enos cœpit inuocare nomen Domini*: nõ quod Adam, Abel & Seth non inuocauerint nomen Domini, cum hoc piorum omnium cõmune sit: sed quod hic primus de fundatore spiritualis ciuitatis natus in populo exorituro, qui secundum electionẽ gratiæ inuocando nomen Domini saluus foret, id primum fecerit: idq; quando habitatores terrenæ ciuitatis nomen Domini prophanarent. Nam Adamo etiam tũ superstite, progenies Cain sceleratissima euasit dum posterior quisq; fit deterior; nec solum imitatur priorum vitia, sed & superat; nec à latrociniis, neque à bello temperando: & si qui abstinebant à cædibus; auare, superbe ac luxuriose, spreto timore diuino, sine cultu religionis inter suos viuebant: ita vt illorum mores vitæque instituta merito BARBARISMVM nominet S Epiphanius.

*Gen. 4. & 5. August. 15. de ciuit. cap. 18.*

*Ioseph. Antiq. l. 1. c. 2.*

*Euseb. in Chron. Epiph. in praf. Ancor. contra hæres.*

Cum vero Enos nonaginta annos esset natus, genuit Cainã: 325.
atq; vlterius ad ãnos 815. progãdo ætatẽ, filios & filias pcreauit *Gen. 5.*

Cainan autem septuaginta annorum cum esset, genuit Malaleel: deinde gignendo filios & filias, insuper 840 annos vixit. 395. *Gen. 5.*

Malaleel vixit sexaginta quinq; annis & genuit Iared: vixit postmodum 830 an & genuit filios & filias. 460.

Iared porro vixit sexaginta duobus annis & genuit Henoch; post quem natum supervixit annis 800, gignens filios & filias. 622.

Henoch natus sexaginta quinq; annos, genuit Mathusalam: & ambulauit cum Deo. Postquam vero Mathusalam genuerat; Prophetauit, dicens: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum peccatores impij.* Genuit porro filios quoque ac filias per trecentos annos, quibus vixit super terrã 687. *Iud. 1.*

Mathusalã ætatis suæ anno 187. genuit Lamech vixitq; deinceps annos 782 gignens filios & filias Qui cum in numero piorum octauus recenseatur, aliorumq; piorum omnium ætatem superet; designat figuratè exordium diei illius, qui finem non sit habiturus. 874.

Ceterum postquam ADAM vixisset annis 930. mortuus est. Vixerat vero cum filio Seth, 800. annis: cũ nepote Enos, 695: pronepote Cainan, 605: abnepote Malaleel, adnepote Iared, 470: 930.

Trine-

ANNI MVNDI. Trinepote Henoch, 308 posteris Mathusalem, 243. & Lamech, 56. Locus sepulturæ eius declaratur in libro Iosue: *Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe: Adã maximus ibi inter enacim situs est.* Vere maximus: cum, vt Suidas ait, is fuerit, qui probauit omnia, & omnibus regulas & amusses exquisitas, atque limites irrefragabiles circumdedit. Cuius inuentum sint artes & litteræ: cuius sint scientiæ, tam disertæ quam mutæ: cuius sint vaticinationes, sacrificia, lustrationes, leges & instituta cuius denique sint omnia inuenta, omnes doctrinæ, & quidquid ad vitam degendam sit vtile ac necessarium. Quapropter hocce elogio ipsum decorat Scriptura: *quod apud homines gloriam adeptus sit super omnem animam ab origine* ADAM.

Ios. 14.
Suidas in Ἀδάμ.
Eccli. 49.

Nemo natus fuit in terra qualis Henoch; cuius facti sunt omnes dies 365. anni: *ambulauitq; cum Deo, & placuit ei, & non apparuit; quia tulit eum Deus.* & receptus est à terra, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. De illo ita Apostolus: *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem; & non inueniebatur: quia transtulit illum Deus.* Ante translationem enim, testimonium habuit placuisse Deo. Distulit equidem mortẽ Henoch, sed eam non euasit. Nam ex Orthodoxorum interpretatione Scripturæ, creditur sacco amictus prophetaturus dies 1260. cum potestate inhibendi pluuiam, & conuertendi aquas in sanguinem, omniq; plaga percutiendi terram diebus prophetiæ ipsius. Occidendus deinde in ciuitate Ierusalem: postq; dies tres & dimidium, in cœlum adscensurus.

Ibidem, & 44.
Gen. 5.
987.
Hebr. 11.
Apocal. 11.

1042. Porro 55. anno post translationem Henoch, moritur Seth: cuius dies fuerunt 912. annorum. De hoc illud dictum est: *Ingressi sunt filij Dei ad filias hominum*; hoc est, Cainæ stirpis. Deum enim ætatis illius homines Seth appellabant: tum ob insignis eius pietatis admirationem; tum quod Hebraicas litterarum stellarumque appellationes inuenisset. Huius vero nepotes, vt Iosephus scribit grauis inprimis auctor, paternæ quisque auitæque virtutis studiis deditì, siderum scientiam atque cælestium rerum cognitionem excogitauerunt. Et ne inuenta ipsorum ex hominum notitia dilaberentur, priusque perirent, quam pernoscerentur; scientes Adam vniuersales rerum interitus præcinuisse, vnum incendio, diluuio alterum: excitatis duabus columnis, vtrique sua inuenta inscripserunt: vt si latericiam diluuio deleri cõtingeret, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret; & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Progenies vero Cain auare superbeque viuere, ac voluptati inseruire, artibusque intendere, quibus & ampliores opes comparare & lautius delicatiusque viuere possent. Nam Iabel Principem egit inter eos, qui in tentoriis habitabant, & armenta pecorum gregesq; pascebant. Iubal vero cum Musicæ esset peritus, citha-

Suidas in Σὴθ.
Ioseph. Ant. lib. 1. c. 2.

citharam inuenit ac psalterium fidibus ipsis adaptatis. Tubalcain denique malleator ac faber erat, commentus æris ferrique opera expolire, quibus & domi & foris vtendum esset. ANNI MVNDI.

Ceterum cum Lamech vixisset 182. annis, genuit filium, vocauitque nomen eius Noë, dicens; *Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Post vero Noë natum viuens 595. annis, vtriusque sexus liberos procreauit. 1056. Gen. 5.

Enos natus annos 905. moritur. 1140.

Cainan postquam vixerat 910. annis, mortuus est. 1235.

Malaleel obijt, cum vixisset annis 895. 1290.

Iared mortuus est, cum omnes dies eius facti essent 962. anni. 1422.

Cum autem cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, videntes filij Eloim, id est, *Dei* seu *Deorum*, vt Aquila interpretatur, aut *potentum*, vt Symmachus, nempe Sethi, Enossi & Enochi filias hominum à Cain procreatorum esse pulcras: capti forma ipsarum acceperunt illas (vt quæque ipsis quam maxime placebat) sibi in vxores: nullo degeneris stirpis respectu habito, ordineque amoris perturbato. Deserto namque magno bono, & bonorum proprio, nimirum pietate, quam in sancta societate seruabant, lapsus factus fuit ad minus bonum, nempe corporum pulcritudinem; bonum, inquam, non bonis proprium, sed bonis malisque commune. Gen. 6. Hieron. in quæst. in Gen. August. de Ciuit. Dei, lib. 15. c. 22.

Gigantes vero erant super terram in diebus illis statura magna, scientes bellum, iccircoq; superbi. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuissent: *Isti fuerunt potentes à sæculo, viri famosi ac celebres:* cum dominandi libidine mortales vbique gentium infestarent. Gen. 6. Baruch. 3. Sap. 14. August. de Ciuit. Dei, li. 15. c. 23.

Quin hoc circiter tempore, centum sexaginta nimirum, plus minus annis, ante exitialem terræ illuuionem, bellum illud Atlanticum gestum fuisse quidam existimant: nouem mille annos lunares (Ægyptij enim lunæ senio annum determinabant) ad solares annos, quibus vtitur Scriptura, reducentes. Quod sane fuit maximum ac memorabile; si verbis Critiæ, sermones sacerdotis Ægyptiaci ad Solonem referentis, apud Platonem fidem adhibemus. Narrat enim Atlantidem insulam Libya simul & Asia maiorem fuisse, in qua maxima & admirabilis potentia extiterat regum, qui insulæ illi, multisque aliis & maximæ terræ continentis parti dominabantur. Siquidem terriæ mundi parti, quæ Libya dicitur, vsque ad Ægyptum imperauerant, Europæ vero vsque ad Tyrrhenum mare. Horum namque vis, quidquid intra columnas Herculis continebatur, inuaserat. Post hæc ingenti terræmotu iugique illuuione factum esse, vt terra dehiscens illos vna omnes bellicosos homines absorberet: & Atlantis in- 1496. Plin lib. 7. cap. 48. Ger. Mercat. in Chron. Plato in Timæo.

ANNI MVNDI.

tis insula sub vasto gurgite mergeretur. Sunt, qui persuasum habent illam eamdem esse, quam nunc ab inuentore AMERICAM appellamus, veteresque putauisse ipsam fuisse demersam: quod illuc, nisi centum ab hinc annis per Oceanum Atlanticum non fuerit nauigatum. Quorum opinionem nequaquam refellere mihi animus est. Quid enim mirum, gigantes robori corporis ac magnitudini staturę confidentes imperii propagandi caussa, in tanta vitæ longæuitate illud fecisse? cum nostra ætate Hispanus miles auspicijs D. Caroli V. Imp. Cæs. Aug. co vectus, duo maxima regna, Mexicanum & Peruuianum deuicerit, atq; subiecerit imperio regni Castellæ.

1556. Hieron. in Quæst. in Gen. Genes. 6 August. de Ciuit. Dei, l. 15. cap. 24. August. de Ciuit. Dei, lib. 15. c. 25.

Deus prædicit homines non amplius 120. annis victuros super terram, hoc est, tot annos habituros ad agendam pænitentiam: tumque confestim cum animantibus ac volucribus esse delendos. Vidit enim quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore: pænituitq; eum, quod hominem fecisset in terra. Non quod pœnitere cadat in Deum: sed quod pænitentis ad modum se habuit, volens perdere, quod prius fecerat. Loquitur quippe sæpius Scriptura de Deo, consuetudine humana: quo se tam liarius insinuet omni generi hominum, quibus vult esse consultũ: vt & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat intelligentes. Quod autem etiam interitum omnium animalium terrenorum volatiliumque denuntiat; magnitudinem futuræ cladis effatur: non animantibus rationis expertibus, tamquam & ipsa peccauerint, minatur exitium. Porro malitiam hominum huius sęculi declarauit abunde Berosus, hunc in modum exorsus: *Ante aquarum cladem famosam, qua vniuersus perijt orbis, multa præterierunt sæcula, quæ à nostris Chaldeis fideliter fuerunt seruata. Scribunt illis temporibus circa Libanum fuisse Enoch, vrbem maximam gigantum, qui vniuerso orbi dominabantur, ab occasu solis ad ortum. Hi vastitate corporis ac robore confisi, inuentis armis omnes opprimebant: libidinique inseruientes, inuenerunt papiliones, & instrumenta musica, & omnes delicias: mãducabant homines, & procurabant abortus, in eduliumque præparabant: commiscebantur matribus, filiabus, sororibus, & masculis ac brutis: & nihil erat sceleris, quod non admitterent contemptores religionis & Deorum. Tum multi prædicabant & vaticinabantur, & lapidibus excidebant de ea, quæ ventura erat, orbis perditione. Sed enim illi malitia assueti, contemnebant omnia. cælestium illos ira atq; vltione perurgente pro impietate atq; sceleribus.* Hæc ille; quibus consona habentur & in Euangelio, vbi Christus ait: *Erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsq; ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes.* Non enim hic damnari intel-

Beros. Anti. lib. 1.

Matth. 24. Luc. 17.

ANNI MVNDI.

intelligi voluit Saluator coniugia & alimenta, cum in his naturæ, in illis successionis posita sint subsidia; sed lasciuiam & licitorum abusum: nempe, luxum, ebriositatem, & coitum illicitũ immoderatumq;. Premium enim luxus, & ebrietatis, libido portentosa & iucundum nefas. Plin. lib. 14. cap 22.

Meminerunt verò huius primæ quoque ætatis scriptores Latini. Pomponius namque Mela de Syria agens, *Est Ioppe*, inquit, *ante diluuium (vt ferunt) conditum.* Plinius etiam Secundus: *Ioppe Phœnicum*, ait, *antiquior terrarum inundatione, vt ferunt.* Denique & C. Iul. Solinus: *Ioppe opidum antiquissimum toto orbe, vtpote ante inundationem terrarum conditum.* Pomp. Mela lib. 1. cap. 11. Plin. lib. 5. cap. 13. Solin. c. 37.

* Noë natus annos 500. genuit Iapheth. * Gen. 5.

Triennio vero post genuit & Sem, qui frater Iaphet maior dicitur, quod duorum fratrum eius maior natu fuerit. Nam Cham tertius filius Noë, postmodum natus, minor filius eius nominatur. 1556. 1519. Gen. 10.

Porro Noë inuenit gratiam coram Domino, atque cum Deo ambulauit; fuit enim vir iustus ac perfectus in generationibus suis. Non vtique, sicut perficiendi sunt ciues ciuitatis Dei in illa immortalitate, qua æquabuntur angelis Dei; sed sicut esse possunt in hac peregrinatione perfecti. Deleturus ergo Deus homines animantiaq; de terra, aquisque terram operturus; præcepit Noë, non nauim sed arcam ædificare: modo ipsi præscripto ad formam humani corporis supine iacentis: cuius longitudo à vertice ad vestigia sexies tantum habet, quam latitudo, quæ est ab vno latere ad alterum latus: & decies tantum, quam altitudo, quæ à dorso exsurgit in ventrem paullulum prominentem. Cuius descriptionem vt facilius intelligamus; operæ pretium fuerit, nonnulla de mensuris linealibus, quibus Architecti ac fabri, Geometræ quoque & propolæ vtuntur, disserere: quarum cognitio non modo erit iucunda; sed & vtilis ad intellectũ Scripturæ atque auctorum. Omnis ergo mensuræ modus sumitur ab homine eiusque partibus: vt non immerito Pythagoras dixerit hominem esse mensuram. Admirabilis quippe humani corporis symmetria est, summeque perfecta analogia membrorum eius, quam contemplari & admirari quàm maxime subinde debemus. Nec enim exigua dementia est, hominem terrasq;, tractusque maris, cælumque profundum metiri, & suam ignorare mensurá: nec posse se suo modulo pedeue (vt par esse aiunt) metiri. Porro mensura maxima est orgyia gigantea, constans sex cubitis communibus seu nouem pedibus: cum iusti hominis mẽsura sit quatuor cubitorum aut sex pedum. Vocat hanc giganteá orgyiam auctor librorum Paralipomenon, cubitũ in mensura prima, designans longitudinem ac latitudinem tẽpli Salomonis. Origenes vero cubitum Geometricum nominat, asserés Gen. 6. Eccli. 44. August. de Ciuit. Dei, li. 15. c. 26. 2. Paral. 3. Orig. Hom 2. in Gen.

majo-

ANNI MVNDI.

*August. de Ciuit. Dei li. 15. c. 27.* maiores dixisse huiusmodi cubitorum numeros: Moysem de arcæ constructione scribentem posuisse. Quæ vtiq; ratio, inquit, si obseruetur; inuenientur & longitudinis & latitudinis tanta spatia, quæ vere totius mundi reparanda germina, & vniuersorum animantium capere rediuiua seminaria potuerint. Ceterum qua proportione excelsitas gigantis à statura iusti hominis discrepat, eadem cubitus communis differt à pede. Ille enim sesquipede seu palmis sex; hic vero palmis constat quatuor: & vt spithama tribus, sic dichas duobus. Palmus autem continet quatuor digitos, siue pollices aut vncias tres. Metiuntur Hebræi & Græci cubitis: Latini plerumque fere pedibus. Est porro magna diuersitas in iisdem. Quo namque gentes aut ciuitates

*Plin lib. 6. cap. 16.* origine sunt vetustiores, eo maioribus pedibus vtuntur. Pes quippe Chaldæorum tribus digitis, & Græcorum vno circiter mensura ampliore pede Romano sunt. Vnde quidam colligunt

*Ibidem, li. 7. cap. 16.* prisca corpora mortalium maiora nostris fuisse. Quare libet hic in gratiam studiosorum aliquot variarum gentium semipedes adscribere; quorum terni cubitum, bini vero pedem efficiunt. Quod si quinos quis acceperit, habebit vlnam decem palmarum, cubito nimirum & pedi simul æqualem, dictam & passum: quorum duo efficiunt passum Geometricum constantem quinque pedibus, Perticæ seu Decempedæ nimirum dimidium: quæ

** Suidas in ἄκαινα.* decem pedes continebat. Græcis dicta * *ἄκαινα*. Erat & palmicubitus septem palmorum: quorum sex, hoc est, septem cu-

*Ezech. 40. 41.* bitis communibus constabat calamus mensorius viri, apud Ezechielem, metientis ciuitatem & templum. Tantæ, plus mi-

*Deuteron. 3.* nus, altitudinis fuisse æstimatur Og Rex Basan. Orestis quoque

*Plin. lib. 7. cap. 16.* corpus, vt Plinius ait, oraculi iussu refossum septem cubitorum

*2. Reg. 17. 1. Paral. 11.* fuisse monumentis creditur: cum Goliath tantum fuerit cubitorum sex & palmi: atque Ægyptius ille, quem percussit Banaias filius Ioiadæ, cubitorum quinque. Hæc hactenus.

*Gen. 6.* At vero vt ad intermissum de arca sermonem reuertamur, dixit Deus Noe: *Fac tibi arcam de lignis leuigatis: mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus:* ne facile cō-

*Ambr. de arca & Noe cap. 6.* nexio dissoluatur rimasue agat. Bitumen enim vehementis ad cōstringendū est naturæ, vnde & Græcis *νάφθα παρὰ τὸ συνάπτειν*, dicitur, quod disiuncta connectat nexuque constringat indissolubili. Mox rationem construendi ostendens; *Sic facies eam,* ait: *trecentorum cubitorum erit longitudo, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius*: nimirum vt culmen tecti arcæ, cubito sit altius lateribus, quo aqua commode defluente non perstillet lectum, nec humore corrumpatur. *Ostium autem arcæ pones ex latere: deorsum, cenacula, & tristega facies in ea,* hoc est, infima, media atque suprema contignatione

distin-

distingues eam. Quæ vt facilius intelligantur, moneo capacitatem fuisse arcę plus minus cubitorum 457500: aream vero arcæ, 15000 cubitorum quadratorum. ANNI MVNDI.

Porro etsi hæc arca hominum arte, industria, ac labore difficulter fabricari posse videbatur, requireretq; sumptus immensos atque intolerabiles; tamen eam fide aptauit Noe in salutem domus suæ: dum longo tempore (nimirum sæculo, vtpote 22. duobus annis) cædendo præparandoq; materiam; (& 78. si Beroso credimus) arcam construendo, & verbo & opere (secundum enim Augustinum arcæ fabricatio, prædicatio quædã fuit) prædicaret incredulis; qui diffluentes luxu voluptatibusq; illicitis, exspectabant patientiam Dei: existimantes illũ in tempora longa prophetare, & flagellum inundans super se non venturum. *Hebr.11.* *August. de Ciuit Dei, li.15 c.27.* *Beros. lib.1.* *1 Petri 3.* *August. ad Euod.*

Interea moritur Lamech, cum an. 777. vixisset. 1651.

Mathusalam quoq; 969. anno vitæ suæ mortuus est; eo nimirum anno, quo cœpit esse diluuium. sicq; nullus eorum, quos de semine Seth propagatos Scriptura commemorat, superfuit, qui diluuio periret. 1656. *Hieron. Quæst. in Genes.*

Ceterum quemadmodum Noe, vt vir maxime potens summusque architectus arcam fabricatus fuerat: ita eam vt diligens paterfamilias, commeatu ac cunctis vitæ degendæ necessariis prouidit; fecitq; omnia, quæ præceperat ipsi Deus, monitus ab illo, post dies septem diluuium futurum. Interim & animalia omnis generis diuino miraculo confluxere ad arcam: atq; ex immundis masculus & femina; ex mundis vero, quatuor masculini sexus, & tria feminini in illam introierunt. Intrauit autẽ in eam quoque Noe anno vitæ suæ sexcentesimo, cum Sem, Cham, & Iapheth filiis suis: vxore quoq; ac vxoribus filiorum eius, Domino occludente ostium deforis. Factum vero est illud in articulo diei 17. mensis 2. qui Iiar seu Zius Hebræis dicitur, estque verni temporis: *Quando*, inquit Ambrosius, *augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fetura se fundit; sole nimirum ingrediente Tauri signum. Tunc ergo fecit diluuium, quando dolor eorum maior foret, qui in sua abundantia perибebantur: tunc vltro terribilior, tamquam dicentis Dei: Ecce omnia secundum liberalitatis diuinæ prouidẽtia gratiã diues natura generauit, omnia in vsum hominum germinauit terra fecundior, segetes spectantur, tritico & hordeo campi replentur, coma arborum venturi fructus floribus vestiuntur: non deest terra obsequiis suis, non bestiæ desunt muneribus suis. quæ solemnes soluuntur in partus, vt homini nihil desit: homo solus partubus suis deest, nescit auctorem suum, à quo ei omnia ministrantur, negligit conditorẽ: despicit homo remuneratorem suũ, cum Deus opus suum non despexerit. Pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia. In suis diuitiis consumatur homo, cũ sua dote moriatur*, & paulo post: *Ideo nõ post collectos fructus infunditur* *Gen.7.* *Ambros. de Noe & arca c.14.*

ANNI MVNDI.

*aqua, ne beneficium magis, quam diluuiũ terra sentiret.* Illico ergo rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, Oceano terram vndiq; inundante; & cataractæ cæli, nubes videlicet, apertę fuerunt: densiore aëris parte à rariore se discernẽte, atq; deorsum sua grauitate tendẽte; ita vt plueret 40. diebus & 40. noctibus super terram, & vniuersi homines cunctaq; terræ animantia morte consumerentur, præter Noë & eos, qui cum ipso erant in arca; quæ naturali ordine ponderum vnda leuabatur. Hæc porro acra, figurate, nouissimum Adam, per quem Ecclesia iustorũ saluatur, supine dormientem designabat: quandoquidem mensura longitudinis, diuinitas; latitudinis, anima; altitudinis, corp' Christi; secupla atq; decupla proportionibus & cõsummatione summitatis in cubito, vnitas personæ apte significentur. Quod ostiũ in latere habet; profecto *illud est vulnus*, inquit Augustinus, *quando latus crucifixi lancea perforatum est. Hac quippe ad illum venientes ingrediuntur: quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Societas nimirũ hominum in huius sæculi vndis ad cælestem patriam peregrinantiũ; quæ etiã in octo animis appositè intelligitur. Mysticum, inq̃, illud corpus Christi mirabili geometrica proportione in octonario numero quadrate cõpositum, atq; per aquę mysterium saluandum. Ita vt duo, numerus linealis, pudicitiam coniugalem; quatuor, superficialis numerus, vidualem; octo, numerus solidus, ambabus superiorem virginalem significantia, instar molis solidæ in trinam producta dimensionem, nobis significanter Ecclesiam exhibeant. Hęc hactenus allegoricẽs.

*August. de Ciuit. Dei, l. 15. c. 26.*

*1. Petri 3.*

*Porro ferebatur arca,* diuina prouidentia illam gubernante, *super aquas,* quę iam ad 15. cubitos super montes, quos operuerũt, excreuerant; eam altitudinem obtinẽtes per dies centũ & quinquaginta. Post quos cœperunt minui aquæ, quæ, nutu Dei, vento excitato, & reciprocante æstu rursus ad Oceanũ reuersæ sunt: raritate aëris simul quoque sursum attractæ nubibus inhæserũt: ita vt 27 die mensis septimi requieuerit arca in vertice montis Ararat. Est autem Ararat (teste Hieronymo) regio in Armenia campestris, per quam Araxes fluit, incredibilis vbertatis ad radices Tauri montis, qui vsque illuc extenditur. *Ergo & arca* (inquit) *in qua liberatus est Noë cum liberis suis, cessante diluuio, non ad montes generaliter Armenia delata est, qua appellatur Ararat; sed ad montes Tauri altissimos, qui Ararat imminent campis.* Hos *Barim* Nicolaus Damascenus, *Gordyeum* Berosus montem, nominant. Cuius medium long. 75. & latitud. 39 gradus & 40. minuta continere scribit Ptolemęus. Decimo deinde mense, prima die mensis apparuerunt cacumina montiũ: cumq; transissent 40. dies, id est, vndecimi mensis die 10. aperiens Noë fenestram arcæ, quam fecerat, emisit coruũ: qui egressus nõ reuertebatur. Est.n. coruus auis

*Sap. 14.*

*Gen. 8.*

*Hieron. li. 11. in cap. 38. Isaia.*

*Ioseph. Antiq. lib. 1. c. 3.*

*Beros. Antiq. lib. 1.*

*Ptol. lib. 5. cap. 13.*

uis corruptelæ familiaris, cadauerumque pastu vsque gaudens: vt cum apud Pharsala hospites Mediæ periere, corui locis Athenarum Peloponnesiq; defuerint; quasi sensum haberent aliquẽ, inquit Aristoteles, quo inter se rerũ euenta significarent, & mouerentur. Post coruum emisit & exploratricem columbam, quæ cum non inueniret (erant enim cuncta vuida ac lutosa) vbi requiesceret pes eius, confestim reuersa manuque prehensa in arcam fuit illata. Post 7. alios dies rursum emisit columbam, quæ sub vesperam reuersa portauit ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo, qualem petentes pacem præferre consueuerunt. Vtrum folia illa ante diluuium fuerint extorta (a oleæ enim folia non decidunt) an hebdomada hacce germinauerit antiqua stirps, aliis relinquimus discutiendum, qui mutuis disputationibus de anni exordio ante diluuium se inuicem refellunt. Ceterum quãuis Noe hinc intellexerat aquas cessasse super terram, exspectatis tamen aliis 7. diebus, 24. nimirum vndecimi mensis, dimisit tertio columbam, quæ non est reuersa ad eum. Igitur 601. an. Noe, primo mense, die prima mensis, an. nimirum mundi 1657. aperuit Noe tectum arcæ, viditq; exsiccatam esse superficiẽ terræ; exspectauit tamen adhuc 56. dies, de exitu, mandatum Dei. Mense ergo 2. die 27. cum in arca commoratus esset integrũ annum solarem, qui 12. menses synodicos, & 11. dies Epactas, seu 12. menses æquales & 5. dies intercalares continebat, locutus est Deus ad eum, dicens: *Egredere de arca, tu, & vxor tua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum: cuncta quoq; animantia, quæ sunt apud te, educ tecum, & ingredimini super terram: crescite & multiplicamini super eam.* Represserat quippe Deus purgatione diluuii (inquit Ambrosius) corporeum vsum, conuersationemq; eius generationis, quæ degenerauerat à decore naturæ, & accepti muneris venustate: nunc vero, quo humani generis animantiũque semen reliquum pullularet, fetibusq; propagaretur, & ortus creaturarum foret perpetuus; reddit ipsis benedictionem, permittitque coitum desiderio sui similes procreandi & suauitate naturali, sensu etiam percipienda, stimulantibus. Facit enim voluptas, teste Philosopho, vt animantes ad coitum ardentius excitentur. Huc vsque primam ætatem mundi breuiter conscripsimus, quæ non male infantiæ fari nesciæ comparatur: quandoquidem cuncta hocce sæculo peracta obliuioni (nec enim reminiscũtur infantes) fuissent tradita, & quasi diluuio perijssent: ni Moyses, vt posteritati consuleret, ea exacte descripsisset; vti vel à maioribus suis acceperat, vel diuinitus ipsi fuerant reuelata. In quibus vti elucet rerum gestarum veritas; sic & significationib. allegoricis eadem etiam quam maxime abundant. Quæ aliis relinquimus enucleanda, ad secundam ætatem mundi declarandam nos accingentes.

ANNI MVNDI.

*Amb. de Noe & arca c. 17.*
*Arist. Hist. Animal. l. 9 c 5.*
*Plin. lib. 10. c. 12.*

a *Plin. l. 16. cap. 20.*

1657.

*Gen. 8.*

*Ambros. de Noe & arca cap. 13.*

*Arist. Probl. Sect. 4. Quæst. 16.*

ANNI MVNDI.

# ÆTAS SECVNDA.

Gen.8.

EGRESSVS *est ergo Noë & filij eius: vxor illius & vxores filiorum eius cum eo: sed & omnia animantia, iumenta & reptilia, quæ reptant super terram secundum genus suum egressa sunt de arca.* Loco, vbi egressi sunt *Apobaterion*, id est, egressorium nomen fecisse Armenios, narrat Iosephus. Sed & Berosus referri scribit, loci illius homines abrasum ab arca bitumen secum reportare & vice amuleti vti solere. Porro illud obseruare debem⁹, quod post diluuium verno tempore renouauit Dominus faciem terræ, & diuitem reformauit ac restituit eius qualitatem. Tunc enim aurarum clementia summam reducit aëris temperiem: quę fouens omnia repetendos cogit in partus; vt terra germinet, & resoluta sulcis semina reuiuiscant, virescant arbores; ad perpetuitatem quoq; conseruandi generis eorũ, quæ vel in terra sunt, vel aquis gaudent, annuis fetibus successio propagetur. Neq; enim potuissent tenera rerum exordia aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus iniuriam sustinere. *Ædificauit autem Noë altare illico Domino, & super illud de cunctis animalibus mundis singulos mares* (huius enim generis quatuor, & feminei tres in arcam intrauerant) *in holocausta Deo obtulit.* Intellexit enim vir iustus veram gratiarũ actionem salutis ergo acceptæ statim deferendam, nec pati debere dilationem. Odoratus verò Dominus suauitatem sacrificii spontaneè oblati, certum ordinem temporum ad perseuerantiam mundi futurum promittit: talis quippe annus, quasi diceret, qualis, qui pręcessit, exstitit, vltra non erit; qui carebat vicissitudine temporum, & qui totus impendebatur procellosis pluuijs, nullo caloris aut hyemis beneficio contemperatus: in quo nulla iaciebatur sementis, nullaq; colligebatur messis. Etenim annus vere & autumno, æstate & hyeme: dies vero luce & tenebris, sibi inuicẽ contrarijs, sicut harmonia cantilenæ, permistis grauibus, & acutis, consistere videntur. Quod si ergo ordo naturalis ac mensura temporum confunderentur; necessario corrumperentur & illa, quæ temporibus suis quæque gignuntur; sequereturq; naturalium rerum certus interitus *Benedixit Deus quoq; Noë & filiis eius dicens: Crescite & multiplicamini & replete terram.* Hoc est, verba facto confirmauit, hi in liberis, illi vero in nepotibus. Nã Sem, Cham, & Iaphet, tres isti filij fuerunt Noë & ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram. Nam gentes omnes, (licet in diuersitatibus corporum ab vsitato naturæ cursu, quem prope omnes tenent, exorbitasse quasi ab Historicis traduntur, si definitione illa includuntur, vt rationalia animalia sint atq; mortalia) ab Noë patre horum trium filiorum originem ducere confitendum est. Concessis deinde illis imperio in animantia, & esu carnium, sanguine

[Margin notes: Ioseph. Anti. lib.1. cap 3. Beros. lib.1 — Ambros. de Noe & arca c.14 & 17. Idem Hexam. lib. 4. c.5. & lib.1. c.4. — Rupert. Tuysc. li.4. cap. 28. in Genes. — Ambros. de Noe & arca cap.25. — Genes.9. — Suidas in εὐλογημένη ἡμέρα ὅσιος. — August. de Ciuit. Dei, lib.16. c.8.]

guine interdicto, ne humanus sanguis temere effunderetur; cō- ANNI
firmat iuramento Deus se diluuio mundum nequaquam dele- MVNDI.
turū esse: sed in signum fœderis inter se & terram, nube roscida, speculi instar, Solis ex aduerso producta, arcum cælestem radiis solarib. resplendentem in ea deinceps ostensurum. Porro *in hoc arcu*, vt Gregorius ait, *color aquæ & ignis simul ostenditur, cum ex parte cæruleus sit, & ex parte rubicundus: testis nimirum vtriusque iudicij; vnius facti, & alterius faciendi. Nam mundus aqua quidem diluuii non delebitur, sed igne iudicii cremabitur.* Greg. hom. 8. super Ezech.

Biennio post diluuium Sem centum annos natus genuit Arphaxad, vixitque insuper 500. annis, & genuit filios & filias. Quod autem Sem à Moyse præponitur Iapheth fratri maximo natu, & Cham natu minimo; est propter prærogatiuam posteritatis suæ: cum pater fuerit omnium filiorum Heber; quodque apud homines gloriam fuerit adeptus. In ipso, primitiæ Israelitarum, in Iapheth plenitudo gentiū intelliguntur: & inter vtrumque medius, atq; ab vtroq; se discernens Cham quid significat, nisi Hæreticorum genus callidum, nō spiritu sapientiæ, sed spiritu versipellis astutiæ? Tales & tum erant, in quibus non suberat scientia Dei, sed specie Solis, Lunæ, stellarum atq; elementorum delectati, illos Deos rectores orbis terrarum putauerūt; mutantes gloriam inuisibilis Dei creatoris in similitudinem creaturarum. Quorum religionem recte beatus Epiphanius SCHITISMVM appellat. Quantum vero ad mores attinebat, viuebant homines hocce sæculo sub lege Naturæ, quæ nullis includebatur mœnibus aut circumscribebatur pomeriis vllis: sed vniuersæ mundanæ Reip. erat communis. Noe quippe erat agricola terram exercens, & vsus alimentiq; gratia, nec non & sanitatis, vineam quoq; plantauit: quod vinum medeatur cruditati stomachi, infirmitatesq; repellat; atq; exsultatio animæ & cordis sit moderate potum. Sanitas enim est animæ & corporis, teste Scriptura, sobrius potus. Porro non primus plantauit vineam Noe, vt vulgus persuasum habet; sed vinum in iucunditatem creatum est ab initio, quando Altissimus creauit de terra medicinam. Quin & hi, qui tempore diluuii erant edentes & bibentes; nequaquam aquam, opinor, biberunt: sed vino, in quo est luxuria, inebriabantur. Gen. 10. & 11. 1559. Eccli. 49. August. de Ciuit. Dei, lib. 16. c. 1. Sap. 13. Rom. 1. Epiphan. in praef. Ancor. contra haeres. Genes. 9. 1. Timoth 5. Eccli. 31. Ibidem 38. Matth. 24. Luc. 17. Ephes. 5.

Verum quandoquidem oportet agricolam primum de fructibus percipere; bibit & Noe vinum, inebriatusque discoopertus iacuit in tentorio suo: cumque Cham pater Chanaan verenda patris sui vidisset; id fratribus suis indicauit. Sem igitur & Iapheth vestimentum humeris suis impositum ferentes, atque retrorsum incedentes operuerunt virilia patris ipsorum: ita vt faciebus auersis ea non conspicarentur. Noe autem somno euigilans, non Cham, qui filius; sed nepoti Chanaan maledixit. Nec 2. Tim. 2. August. de Ciuit. Dei li. 16 c. 2.

ANNI MVNDI.

enim filium, sed opus eius, quod per fructum ipsius intelligitur, detestatus fuit. Sem vero & Iapheth Prophetica benedictione prosecutus, prædicit Monarchias atq; disciplinas in posteritate illorum successione deuenturas esse. Illud etiam, quod futurum esset tam in Iudaico populo, q̃ in plenitudine gentium. *De nobis* inquit Hieronymus, *hic prophetatur, qui in eruditione & scientia Scripturarũ, eiecto Israele, versamur.* Hanc porro de Noe Historiam D. Augustinus non sine præfiguratione aliqua gestam ac conscriptam esse certum tenet; eamq; per Allegoriam refert ad Christi passionẽ & Ecclesiam: Vincentius vero Abbas Lirinensis ad sanctos Ecclesiæ doctores, Orthodoxosq; patres: quorum lapsus ac næui ab Hæreticis aliisve Aristarchis, qui hæresim aliq̃ concinnare machinantur, colliguntur; quib. suis adinuentionibus nituntur patrocinari. *Captant enim*, inquit, *plerumque veteris cuiuspiã viri scripta paullo inuolutius edita, quæ pro ipsa sui obscuritate dogmati suo quasi congruant: vt illud nescio quid, quod proferunt, neq; primi, neq; soli sentire videantur. Quorum nequitia duplici odio est digna, vel eo, quod hæreseos venenũ propinare aliis nõ pertimescunt; vel eo etiam, quod sancti cuiusq; viri memoriam tamquã sopitos cineres prophana manu vẽtilant; & quæ silentio sepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant: sequentes omnino vestigia auctoris sui Cham; qui nuditatẽ venerandi Noë, non modo operire neglexit, verum quoque irridendam ceteris enuntiauit. Vnde tantam læsæ pietatis meruit offensam; vt etiam posteri ipsius peccati eius maledictis obligarentur: beatis illis fratribus, longeq; dissimilibus exsistẽtibus, qui nuditatem ipsam reuerendi patris, neq; suis temerare oculis, neq; alienis patere voluerunt; sed auersi texerunt eum: quod est, erratũ sancti viri nec approbasse, nec prodidisse; atq; iccirco beata in posteros benedictione donati sunt.* Sed ad propositum redeamus.

*Hieron. Quæst. in Gen.*
*August. de Ciuit. li. 16. cap. 2.*
*Vincent. Lirinen. aduers. prophan. hær. nouat.*

1694. Arphaxad anno ætatis suæ trigesimo quinto genuit Sale: vixitq; deinceps annis 303. & genuit filios & filias. Eusebius Cæsariensis Episcopus, D. Aurel. Augustinus, quique alij interpretationem LXX sequuntur, Sale nepotem Arphaxad fuisse asserũt; iccirco, quod in Bibliis Græcis Gen. c. 11. legatur, Arphaxad genuisse Cainan: Cainan vero anno ætatis suæ 130. genuisse Sale, vixisseq; 400. annis post, alios interea liberos procreando: cum interim neque cap. 10 neq; 1. Paralip. c. 1. vllam Cainan mentionem faciant; neque etiam Iosephus eum in serie posterorum Sem enumeret. Ignorant quoque illum tam Hebraica veritas, quam Chaldaica paraphrasis. Quare ij, qui Hebraicam veritatem sequuntur, librariorum iniquitate hoc nomen Cainan in textum Græcum etiam irrepsisse aiunt: quandoquidem cum loca supra allegata LXX. transferunt, palam quoque veritatem secuti fuerint. Certo D Hieronymus conqueri videtur, quod versio LXX. non permanserit pura, & vti ab eis in Græcum sermonem versa est.

*Gen. 10.*
*Euseb. in Chron.*
*August. de Ciuit. l. 16. cap. 3.*
*Gen. 11.*
*Ioseph. Ant. lib. 1. c. 6.*
*Hier. præf. 1. in Paralip.*

est. *Ad Hebraos igitur*, inquit, *reuertendum est, vnde & Dominus loquitur, & discipuli exempla præsumunt.* Qui vero textum Græcum defendere moliuntur; pro insolubili, vt existimāt, argumēto, IESV Christi genealogiam ex Euangelio S. Lucæ proferunt, vbi aperte legitur: *qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem*, &c. Aiunt enim, ita apud Lucam in hunc vsque diē legisse Ecclesiam Catholicam, & nequaquam permissurum fuisse Spiritum Sanctum, tanto tempore errare columnam illam veritatis, si non fuisset Cainan. Quasi vero, respondent his Hebraicæ veritatis assertores, non potuerit contingere, vt illud nomen non ab Euangelista, sed ab alio quopiam descriptore Græculo fuerit insertum huic loco, cum videret Euangelium à Biblijs suis discrepare: quod sibi videretur fieri minime debere, præcipue in ipsa generationum serie. Sic ergo, quod semel aures hominum occupauerat, & nascentis Ecclesiæ roborauerat fidem; iustum credebatur pijs, etiam silentio comprobari. Sed esto, concedamus S. Lucam sic voluisse scribere, sicque scripsisse: tamen aiūt, libere possumus dicere nullum fuisse Cainan secundum historiæ veritatem; & tamen bene eius nomen posuisse S. Euangelistam. Quod enim non fuerit Cainan; ex variis diuersarum gentium historiis abunde satis ostenditur: quæ pleræque omnes in hoc conueniunt, vt à diluuio vsque ad Nini imperium, 249. tantummodo annos effluxisse tradant. Satis quoque constat Nini anno 43. natum fuisse Abraam, nimirū anno à diluuio, 292. Quæ supputatio nequaquam vera erit, si quis ætatem Cainan, nēpe 130. annos, illi inserere voluerit. Quod autem nomen Cainan in Euangelio fuerit positum, facile excusari potest. Lucas enim Antiochenus, Paulli inter gentes assiduus comes, Græcæ linguæ peritissimus, quippe medicus, vt proselytus Hebræas litteras plerisque creditur ignorasse. Cum ergo Euangeliū suum inter gentes promulgaret, noluit cauillationum aditum aliquem aperiri; vt illa translatio, quæ tanto tempore pro authentica fuerat recepta, in dubium vocaretur: quandoquidem LXX. interpretum auctoritas summa foret apud gentes, & ipse ignotus haud magni æstimaretur. Obseruauerat quoque, quod sancti Apostoli, Apostolicique viri, qui gentium conuersioni sedulo incumbebant, vbicumque ad populos loquerentur, his testimoniis plerumque abutebantur, quæ iam fuerant in gentibus diuulgata. Quæ enim audientium legentiumve fuisset ædificatio, si statim in exordio nascentis Ecclesiæ vulgatam editionem reprobassēt? Dissimulauerunt ergo potius, & dimiserunt illam esse, quod erat; ne quod offendiculum præberent infirmis, aut schisma excitarent inter Neophytos, quando suæ gentis interpretes suggillare viderentur. Sicut & quasdam iam tum mortuas legis cærimonias obseruabant: vt quodā honore eas ducerent ad sepul-

*Luc. 3.*

*Hieron. Quæst. in Gen.*

ANNI MVNDI.

Aug. de Hieron. Chr. Mass. Chron. l. 2.

erum, sicuti Augustinus ait. Itaq; valde rationabiliter posuit nomen illud Cainan, quod in vulgatis per orbem reperit exemplaribus. Ad illud autem, inquit, Christianus Masseus, quod opponunt, Spiritum sanctum non permisisse Euangelistam suum errare, & ponere illud nomen, si non fuisset Cainan; dicendum, quod non permiserit ipsum errare, sed permiserit authenticā illo tempore sequi Scripturam. Quemadmodum & nunc permittit sanctam Ecclesiā multa in Psalterio legere, quæ Psalmista non conscripsit. Certe maiore cum pietatis fructu ad huiusmodi res conniuetur, quam verbis decertatur. Hæc hactenus.

Vitr. de Archit. lib. 2. cap. 1.

Ceterum habitarunt primitus homines in tentoriis, deinde cœperunt alij de fronde facere tecta, alij speluncas fodere sub montibus, nonnulli hirundinum nidos & earum ædificationes imitātes de luto & virgultis facere loca, quę subirent. Tunc obseruantes aliena tecta, & adijcientes suis cogitationibus res nouas, efficiebant indies meliora genera casarum. Primumq; furcis erectis & virgultis interpositis luto parietes texerunt. Alij, luteas glebas arefacientes, struebant parietes, materia eos coagmentantes, vitandoq; imbres & æstus, tegebant arundinibus & fronde. Postea, quoniam per hybernas tempestates tecta non poterant imbres sustinere; fastigia facientes luto inducto, proclinatis tectis stillicidia deducebant. Cū vero quotidie faciendo, tritiores manus ad ædificandum fecissent; & solertia ingenia exercendo per consuetudinē ad artes peruenissent: tum etiam industria in animis eorum adiecta perfecit, vt qui fuerunt studiosiores, fabros se esse profiterentur.

Gen. 11. * 1724. Ibidem.

* Sale autem vixit 30. annis & genuit Heber: vixitque deinceps 403. annis, generans vtriusque sexus liberos.

Hactenus terra erat labii vnius; eodemque sermone vsi fuere posteri Noë, quem Arameum seu Syriacum antiquum (nunc Hebraicum vocant) fuisse, ex hoc apparet, quod in cunctis ferè linguis inueniantur verba Hebræa: omniumque pæne linguarum verbis vtantur Hebræi. Ex Hebræorum fontibus etiam Punicam linguam manasse testatur Diuus Hieronymus. In Germanico quoque idiomate Hebræam originem referentia complura vocabula adnotauit in suo Dictionario Sebastianus Munsterus; alij etiam aliis in linguis: quodque non modo hominum locorumque nomina, sed & litterarum significatiua sint, variisque scateant mysteriis. Denique quod eà lingua Deus Optimus Maximus in Filio Prophetisque locutus sit: vniuersique orbis consensu pro meruerit, vt *lingua sancta* nominaretur. Nullius etiam Tyrannide premebantur, sed populari

Hieron. in cap. 7. Isaie.

De Gallicis idem probare conatus est Stephanus Guichardus & librum ea de re conscripsit. Immo Celticam siue Belgicam linguam sola dialecto ab Hebraica differre operosius quam verius docet in suis Originibus Hadr. Scrieckius.

lari statu, qui Democratia dicitur, Remp. administrabant. Insolentiores itaque qui ex Armeniæ montanis profecti, campestri loco Sennaar consederant: animisque elati, ac se inuicem adhortati, ciuitatem & turrim immensæ altitudinis ex latere & bitumine ædificare cœperunt. Sed Deus auersatus atque detestatus vecordem eorum superbiam, confudit linguas ipsorum: ita vt cum ob diuersitatem sermonis sibi inuicem mentis conceptus voluntatesque patefacere non possent; ab opere instituto desistere cogerentur. Quod autem dixerit Deus, *venite descendamus*; intelligendum non loco moueri Deum; qui semper vbique est totus: sed descendere dicitur; cum aliquid facit in terra; quod præter vsitatum naturæ cursum mirabiliter factum, præsentiam quodammodo eius ostendit. Merito vero malus affectus, licet non subsequeretur effectus, in lingua punitus fuit: vt se inuicem non intelligerent homines, qui noluerunt intelligere vt obedirent Deo. Ciuitati turrique nomen בבל Babel (vox ea, confusionem commistionemque significat) inditum: arbitranturque nonnulli verbum Babelen apud Teuthones inde permansisse; pro hærere in sermone, ac ita loqui, quod nemo intelligat. Qualis & nobis videtur naturalis loquela, qua primum infantes loquuntur: qui cibum & potum, vt Cato ait, *papas* ac *buas* vocant, & matrem *mammas* atque patrem *tatas*. Hanc igitur ob caussam, *diuisit eos Altissimus, & posuit ipsis terminos regionum secundum numerum filiorum Israël*, orbe terrarum in duodecim partes partito, cum 12. linguis præcipue distinguerentur. Sic ergo, inquit Diuus Augustinus, conspiratio illa dissoluta est: cum quisque ab eo, quem non intelligebat, abscederet; nec se, nisi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret: & per linguas diuisæ sunt gentes, dispersæque per terras. Nam posteris Iaphet, (qui aut Schytice, aut Græce, aut Sarmatice, aut denique Celtice seu Germanicè loquebantur) ab Amano, qui à Syris Ciliciam separat, & Tauro montibus, pars Asiæ ad Tanaim vsque fluuium, atque inde & Europa omnis Gades vsque concessæ fuere. Hique (quod admiratione dignum est) cum ab Aquilonari plaga Occasum versus migrarent; illuc versus etiam scribere & numeros signare, calculisque computare, ordine quo cœli circumferuntur, etiamnum inueniuntur.

*Chami* progenies, Punica, Æthyopica, Ægyptiaca ac Phœnicia linguis, quid vellent sentirentve, pronunciantes; Lybiam seu Africam, vtramque tam Africanam quam Asianam Æthyopiam, Ægyptum, Phœniciam cum Arabia, vt ibi morarentur, sortiti sunt. Cumque huius stirpis gentes & Austrum & Orientem versus primo fere contenderint; ordine quo cæli inferiores, contrario motu nituntur: Orientem quoque versus & literas

ANNI MVNDI.

*August. de Ciuit. lib. cap 5.*

*Deuteron. 32.*

*August. de Ciuit. l. 16. cap. 4.*

*Plin. lib. 5. cap. 22.*
*Iosoph. Ant. lib. 1. cap. 6.*
*Hier. Quæst. in Gen.*
*Herodot. li. 2.*

ANNI MVNDI.

teras & numerorum signa formant. Quod de Ægyptijs Herodotus & Pomp. Mela etiam adnotarunt.

*Vide Ioann. Bapt. Palat. Vide eundem & Paullum Mendos. lib. 1. c. 11.*

*Semi* nepotes, Syriacâ, Chaldaicâ, Persicâ ac Indicâ linguis distinguebantur; quibus reliquæ Asiæ orbisque partes obtiguerunt. Magnum vero iustitiæ signum Hebri apparuit, quod, cum alij mutatione linguarum plecterentur, ipse sibi suisq; reseruauerit eam linguam, quæ generi humano fuerat communis, & deinceps Hebræa fuit dicta. Qui illo tempore, quando hocce

1758. contigit, annos natus 34. Phaleg, (quæ vox *diuisionem* significat) genuit: posteritatem per eum relinquens, transitione diuersarũ regionum celebrem, Hebræos. Vixit & deinceps 430. annis, & genuit filios & filias. Fuit ipsi filius Iectan, cui 13. erant filij, qui à Chaldæa ad Indiam vsque migrarunt, à quibus Indorum Sinarumq; variæ gentes originem trahunt; ingenio, industriâ, arte atque Philosophiæ studijs excellentes. Signant vero omnes posteri Sem suas etiam litteras charácteresq; numerorum Orientem versus.

*Augustin. de Ciuit. lib 18. cap. 39. Hieron. præf. in lib. Reg.*

Has primæuas mortalium fuisse litteras, quæ per successionem patrum fuerint custoditæ, doctiores quiq; arbitrantur; nec eas Esdram inuenisse, vt Hieronymus putauit, sed potius patrijs sedibus pulsas, quasi iure postliminij vendicatas Iudæis restituisse; colligentes legis tabulas à Deo ijsdẽ fuisse perscriptas;

*Matth. 5.* eo argumento, quod cum Christus apud Matthæum significare vellet ne minimam quidem litterulam de lege esse perituram, dixerit, ne Iod vel Iota vnum aut apicem vnum (ex tribus videlicet quibus Iod constat) præteriturum à lege. At cum non fuerit

*G. Post. de Orig. c. 5.* ante Christum, inquit quidam, vlla alia lex scripta, quam Moysis; & cum in nulla alia lingua mundi sit à patribus obseruatũ, vt non tantum Iod minima vniuersi littera sit ante omnes obseruabilis, sed etiam eius apices sint summæ veritatis argumẽtum, quã in ipsa Hebraica nunc exstante, & iam à temporibus Esdræ post captiuitatem Babylonis publicè exposita: necesse est, vt illa sit æterna lingua & character, vt quæ non tantum Iod habet pro minimo elemento; sed etiam sub qua sola sit vsitatum, rationem

*Aug. de Ciu. lib. 18. ca. 39.* apiculorum considerare, donec omnia fiant. D. quoq; Augustinus, *Non est credendum*, ait, *Hebræas litteras à lege cœpisse, quæ data est per Moysen: sed potius per illam successionem patrum, Hebræam linguam cum suis litteris custoditam. Moyses enim in populo Dei constituit, qui docendis litteris præessent, priusquam diuinæ legis vllas litteras nossent.* Hos appellat Scriptura *grammato-isagoges* (sic vo-

*Deut. 29. & 31.* cantur apud LXX Hieron. *doctores* vertit) qui Latinè dici possunt *litterarũ inductores* vel *introductores*, eo quod eas inducant quo-

*Plin. l. 7. c. 56 Diod. Sicul. Bibl. lib. 12.* dammodo in corda discentium, vel in eas potius ipsos, quos docent. Hactenus ille. Plinius litteras semper arbitratur Assyrias fuisse, appareteq; æternum litterarum vsum. Cum his ea, quæ ad huma-

humanæ vitæ vſum maxime neceſſaria ſint, quibus ſocietatis humanæ ratio pœne omnis continetur, ſuffragia, decreta, conſulta, leges, pacta, conuenta, fœdera, promiſſa, litteræ, quibus abſentes longiſſimeque diſſiti cum præſentibus quodammodo loquimur, ſapientum ſententiæ, oracula Dei, Philoſophorum inuenta: denique omnium diſciplinarum præcepta, humanarum diuinarumque monumenta æterna integritate & fide inconcuſſa cuſtodiuntur. Cum ergo memoria & humanitas vitæ, vſu litterarum maxime conſtet; ratioque bene & beate viuendi à litterarum eruditione conferatur; operæ-pretium fuerit commemoraſſe, quibus materiis inſtrumentisque antiquitus ſcripſerint. ANNI MVNDI.

Primo quippe, ſi Plinio credimus, in palmarum folijs ſcriptitatum, deinde quarumdam arborum libris. Poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cœpta, aut ceris. Pugillarium enim vſum fuiſſe, etiam ante Troiana tempora, inuenimus apud Homerum. Membranas Varro Pergami tradidit repertas. Libros Numæ P. Cornelio L. F. Cethego & M. Bebio Q. F. Pamphilo Coſſ. repertos fuiſſe è charta, vetuſtiſſimus auctor Caſſius Hemina lib. 4. Annalium prodidit. Fiebat hæc è papyro, quæ non ſolum innaſcitur paluſtribus Ægypti, aut quieſcentibus Nili aquis, vbi euagatæ ſtagnant; ſed & in Syria, atque etiam Euphrate circa Babylonem naſci: eumdemque vſum habuiſſe chartæ, intelligimus quoque ex Plinio. Biblia Eſdræ manu in corio exarata viſuntur Bononię apud Prędicatores. Atramentum vero fiebat ex fuligine pluribus modis. Laudatiſſimum ex tædis: ſed librarium ex fornacum balnearūque fuligine, gummi & aceto admiſtis. Hoc in ſole perfecto ad volumina ſcribenda vtebantur. Mira in hoc *ſepiarum* natura, ſed ex his non fiebat. Pugillaribus porro inſcribebant ſtilis ferreis: papyris autem, arundineis calamis, & poſtmodum etiam auium pennis. *Plin. lib. 13. c. 11. & 12.* *Fr. Leand. in Romaniola 13. Reg. Italiæ.* *Plin. l. 35. 6.*

Ceterum auctus poſtmodum fuit vt linguarum, ita & characterum numerus atque diuerſitas; multoque amplius gentium. Nam poſterorum Noë enumerat ſexies duodecim Moyſes, hoc eſt, ſeptuaginta duo: qui Gentium principes vocauerunt nominibus ſuis terras ſuas. Filij quippe Iaphet 7. Nepotes quoque 7. Filii vero Cham 4. Nepotes 23. Pronepotes 2. Filij denique Sem 5. Nepotes 5. Pronepos 1. Abnepotes 2. Adnepotes 13. *Propterea* (inquit Auguſtinus) *multorum filij non ſunt commemorati; quia gentibus aliis naſcendo acceſſerunt; ipſi autem gentes facere nequiuerunt.* Cum enim primis temporibus, ait Theophilus Antiochenus, pauci forent homines in Armenia & Chaldæa; poſt linguarum diuiſionem aucti & multiplicati paullatim ſunt. Hinc quidam abierunt *Auguſt. de Ciuit. l. 16. cap. 6.* *Gen. 10.* *Pſal. 48.* *Auguſt. de Ciuit. lib. 16. cap. 3.* *Theoph. Antioch. lib. 2. ad Antol.*

ANNI MVNDI.

abierunt versus Orientem, quidam concessere ad partes maioris continentis: alij porro profecti ad Septemtrionem, sedes quæsituri. Postmodum sensim inde progressi homines, etiam reliquas orbis partes inuaserunt: cœptæque sunt habitari insulæ maris, nec non reliqua orbis climata. Nec prius desierunt terram vbique occupare; quam etiam Britannos in Arcticis climatibus accesserint.

*Posteris enim Noë sic orbis fuit diuisus, ut obuenerit*

- *Iaphet Europa cum parte Asiæ Septemtrionem versus: cuius filij sortiti sunt*
  - 1. *Gomer, Galatiã seu Galliam: cuius filij*
    - *Aschenes*
    - *Riphat*
    - *Thogorma.*
  - 2 *Magog, Schytiam.*
  - 3. *Madai, Mediam.*
  - 4. *Iauan, Ioniam seu Græciam: cuius filij* Gen. 10. Ezech 27.
    - *Elisa*
    - *Tharsis*
    - *Cethim*
    - *Dodanim*
  - 5. *Thubal, Hispaniã.* Ezech. 27.
  - 6. *Mosoch, Cappadociam & vtramq; Sarmatiam*
  - 7. *Thiras, Thraciam.*
- *Cham Africa cum parte Asiæ Occidentem & Meridiē spectante: cuius filiis cessere*
  - 1. *Chus, vtraq; Æthiopia: cuius filij*
    - *Saba, Arabia felix, dicta & Sabæa. Iob 1.*
    - *Heuila, Getulia.*
    - *Sabatha, Astabarenorũ regio.*
    - *Regma.*
    - *Sabatacha*
    - *Nemrod, Babylonia.*
  - 2 *Mesraim, Ægyptus dicta & terra Cham.* Psalm. 104 & 105.
    - *Ludim*
    - *Anamim*
    - *Loabim*
    - *Nepthuim*
    - *Petrusim*
    - *Chasluim*
  - 3. *Phut, Libya seu Africa.*
  - 4. *Chanaan, Phœnicia & Palæstina, Ægyptum vsq; : cuius filij*
    - *Sidon*
    - *Gethæus*
    - *Iebusæus*
    - *Amorrhæus*
    - *Gergesæus*
    - *Heuæus*
    - *Aracæus*
    - *Asinæus*
    - *Aradius*
    - *Samaræus*
    - *Hamathæus*

**

*Sem*

ANNI MVNDI.

*Sem maxima pars Asiæ cuius filijs obuenere*
1. *Ælam, Persis.* Act. 2.
2. *Assur, Assyria.*
3. *Arphaxad, Chaldæa. huius filius fuit* — *Sale, cuius filius* — *Hebor, cui filij fuere*
- *Phaleg.* — *cuius posteri, progenie Cham expulsa suis sedibus, ab Euphrate Ægyptum vsque dominati fuerunt.*
- *Iectan, cui filij* — *Elmodad, Saleph, Asermoth, Iare, Adoram, Vzal, Decla, Hebal, Abimaël, Saba, Ophir, Aurea Chersonesus. Heuila, India cis vltraque Gangem.* Gen. 2. *Iobas.*
4. *Lud, Lydia*
5. *Aram, Syria*

Talis itaque tum erat orbis terrarum facies; sed termini populorum extensi, regionesque multiplicatæ, & multitudine excrescente deductæ coloniæ, bellorum insuper incursiones atque transmigrationes populorum aliam subinde mūdi formam statuerunt. Nam Cappadoces, Palæstini, expulsis Heuæis, eorum sedes occupauerunt: & Syri ex Libya Cyrenensi in Syriam migrauerunt. Medi, Persæ, & Armenij nauibus in Africam transuecti, atque Getulis per connubia misti, semetipsos Numidas appellauere: Medis verò ac Armeniis Libyes accedentes barbara lingua Mauros illos pro Medis nominauerunt. Varia denique regna à gente in gentem translata sunt propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos. Ceterum de hac orbis diuisione operæ-pretium fuerit etiam audire Platonem disserentem; qui hunc in modum scribit: *Dij quondam vniuersa terra orbem singulatim sortiti sunt, in regiones singulas distributum. Neque partitionem hanc contentio fecit. Iudicij iurisque sortibus sua qui-*

*Deuterom. 2. Amos 9. Sallust in bello Iugurt. Eccl. 10. Plato in Critia.*

que

ANNI MVNDI.

*que ad votum suscipientes, curantesque amicorum singula, regiones habitandas disposuerunt. Hosque veluti greges ipsorum, possessionesq; & armenta nutriuere: hoc tamen excepto, quod corporibus corpora cogere noluerunt; quemadmodum plagis pecora iumentaq; pastores solent. At vero tamquam docile & obediens animal, quasi ex puppe nauem agilem dirigentes, persuasione pro gubernaculis vtebantur, eaq; animam attingebant, & pro arbitrio suo ita ducentes mortale genus omne gubernabant. Et alij quidem Dij aliorum locorum gubernationem sortiti, ea instituebant per sapientia studium atque artium diligentiam. Procreantesque suo quiq; in loco viros indigenas admodum generosos; eorum mentibus Reip. ordinem infuderunt. Quorum dumtaxat nomina supersunt: opera vero eorum, qui successerunt, interitus & longo temporum interuallo è memoria hominum deleta sunt. Semper enim superstes hominum genus montiuagum atq; rude, cui potentum in regione sua virorum nomina solum audita. At præter hac, ex rebus gestis, exigua quadam nota fuerunt. Quapropter filiis suis posteri quodam amoris affectu nomina priscorum imposuerunt, virtutum legumque superiorum ignari. Nihil enim de his habebant præter famã, & eam non satis certam. Cum vero multa per sæcula rebus ad victum necessariis indigerent, ipsique & liberi eorum mentem his adhiberent, quorum premebantur penuria, deque his potissimum verba facerent, rerum antiquarum memoriam neglexerunt. Confabulatio enim, priscarumq; rerum inuestigatio in ciuitatibus cum otio simul sunt orta, cum necessaria vita parata iam essent; prius vero nequaquam. Atque ita priscorum nomina sunt absque operibus reseruata. Versabantur homines in artium studiis & agricultura, & milites habebant omnia ab iis tum ad alimenta, tum ad educationem conferentia: Quorum nullus proprium aliquid possidebat. Nam communia inter se cuncta existimabant. Vltra victus ipsius sufficientiam, nihil ab aliis ciuibus exigebant, erantq; quasi aliorum custodes ac defensores. Quod vero Principes ac præcellentes in Rep. viri Dii antiquitus dicebantur, manifestius est, quam vt vlla declaratione opus sit.* Quin & Psalmista de Iudæis ait: *vos Dii estis, & filii excelsi omnes: quoniam annuntiauerat Dominus verbũ suum Iacob; iustitias & iudicia sua Israel.* De quibus & alio loco: *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dii fortes terra vehementer eleuati sunt.* In Exodo quoque; *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices:* &: *Constitui te Deum Pharaonis* denique *Nabuchodonosor Deus terra est.* Quin & Ianus (sic Noe à יין *Iain*, quod *vinum* Hebræis sonat, vocari volunt) antiquissimis Saliorum carminibus Deorum Deus canitur: & in sacris inter sex cognomina etiã inuocabatur *Consiuius*, à conserendo, id est, propagine generis humani, quæ auctore Iano conserebatur. Duodecim quoq; Dii *consentes* Italis fuere, quorũ imagines Romæ stabant ad forũ auratæ, vti refert Varro. Ara duodecim etiã Deorũ Athenis in foro à Pi-

*Psal.81.* 147. *Ioan.10.* *Psal.46.* *Exod.22.* & 7. *Iud.5.* *Macrob. Saturn.l.1.c.9.* *Varro de re rust.l.1.c.1.*

à Pisistrate Hippiæ F. olim dedicata fuit, teste Thucydide. Traditum vero est, duodecim Deorum rationem ab Ægyptiorum scientia Græcos ad se corriuasse. Sicq; consensus gentiũ in duodenario numero non dissentit à narratione Moysis; quod *posuerit Altissimus terminos regionum secundũ numerum filiorum Israel.* Apud Ægyptios enim in templis descripta seruabantur, quæ memoratu digna gesta fuerant in variis nationibus. Quare sacerdotes Ægyptii ignorantiam antiquitatis & præteritarum rerum obliuionē Græcorum obiiciebant Soloni dicentes: GENVS MAIORVM VESTRORVM IN REGIONE VESTRA CLARISSIMVM ET OPTIMVM IGNORATIS: EX QVO ET TV ET ATHENIENSES CÆTERI NATI ESTIS, EXIGVO SEMINE QVONDAM PVBLICÆ CLADI SVPERSTITE. *Quod propterea vos latuit, quia superstites illi, eorumque posteri, literarum vsu multis sæculis caruerunt: & apud vos quidem & alias gentes res gestæ nuper literis monumentisq; traduntur: sed certis temporũ curriculis illuuies immissa cælitus omnia populatur. Multaque & varia exitia hominum fuerunt: ideo qui succedunt, & literis & Musis orbati sunt.* Hactenus Plato.

ANNI MVNDI.
Thuc. lib. 6.
Herod. lib. 2.
Deuter. 32.
Plato in Timæo.

Verum antequam rursus ad Historiam reuertamur; non abs re fuerit, tres præcipuas partes orbis terrarum compendio quasi describere, quod huiusmodi vel tenuis descriptio multum lucis nostris narrationib. sit allatura. Et vt ab ASIA exordiamur; tribus hanc è partib. tangit Oceanus, ita nominibus, vt locis, differēs. Eous ab Oriente, a Meridie Indicus, à Septemtrione Scythicus. Ipsa ingenti ac perpetua fronte ad Orientē versa, tantum ibi se in latitudinē, quantum Europa, & Africa, & pelagus, quod inter ambas immissum est, effundit. Inde cum aliquatenus solida processit, ex illo Oceano, quē Indicum diximus, Arabicum mare & Persicum, haud procul à Scythico Caspium recipit: & ideo qua recipit, angustior. Rursus expanditur, & fit tam lata, quā fuerat. Deinde cum iam in suum finē, aliarumq; terrarum confinia deuenit, media nostris æquoribus excipitur: reliqua altero cornu pergit ad Nilum, altero ad Tanain. Ora eius cũ alueo Nili amnis ripis descendit in pelagus, & diu sicut illud incedit; ita sua litora porrigit, deinde fit venienti obuiā, & primum se ingenti ambitu incuruat, post se ingenti fronte ad Hellesponticum fretũ extendit, ab eo iterum obliquat ad Bosphorum; iterumq; ad Ponticũ latus curua, aditum Mæotidos transuerso margine tangit. Inde eam gremio ad Tanain vsq; complexa, fit ripa, qua Tanais est. In ea primos hominum accipimus ab Oriente Indos, Seres, & Scythas. Seres media fermè Eoæ partis incolunt, Indi & Scythæ vltima: ambo late patentes, neq; in hoc tantum pelagus effusi: Spectant.n. etiam Meridiem Indi, oramq; Indici maris diu continuis gentib. occupant: spectant & Septemtrionē Scythæ, ac litus Scythicũ (nisi vnde frigorib. arceantur) vsq; ad Caspiũ sinum possident.

ASIA.
Descripta sunt ex Pomp. Mela lib. 1.

ANNI MVNDI.

possident. Indis proxima est Ariane, deinde Aria & Gedrosis & Persis ad sinum Persicum. Hunc populi Persarum ambiunt, illum alterum Arabes: ab his quod in Africam restat, Æthiopum est. Illic Caspiani Scythis proximi sinum maris Caspii cingunt; vltra, Amazones, vltraque eas Hyperborei esse memorantur. Interiora terrarum multæ variæque gentes habitant, Ganderi & Paricani, Bactri & Susiani, Pharmacotrophi, Bomarei, Coamani, Rophanes, Dabæ. Super Scythas Scytharumque deserta ac super Caspium mare Comari, Massagetæ, Cadusii, Hyrcani, Hiberi. Super Amazonas & Hyperboreos, Cimmerii, Scythæ, Eniochi, Georgi, Moschi, Corsitæ, Phoristæ, Riphaces: atque vbi in nostra maria tractus excedit Mardi, Antibarani: & notiora iam nomina Medi, Armenii, Comageni, Murrani, Vegeti, Cappadoces, Gallogræci, Lycaones, Phryges, Pisidæ, Isauri, Lydi, Syrocilices. Rursus ex iis, quæ Meridiem spectant, eædem gentes interiora litora tenent vsque ad sinum Persicum. Super hunc sunt Parthi & Assyrii; super illum alterum Babylonii. Et super Æthiopes Ægypti, ripis Nili amnis & mari proxima iidem Ægyptii possident. Deinde Arabia angusta fronte sequentia litora attingit. Ab ea vsque ad flexum illum, quem supra retulimus Syria: & in ipso flexu Cilicia; extra autem Lycia & Pamphilia, Caria, Ionia, Æolis, Troas vsque ad Hellespontum. Ab eo Bithyni sunt ad Tracium Bosphorum. Circa Pontum aliquot populi alio alioque fine, omnes vno nomine Pontici dicuntur. Ad lacum, Mæotici; ad Tanaim, Sauromatæ.

AFRICA.

AFRICA ab Orientis parte Nilo terminatur, pelago à ceteris: breuior est quidem quã Europa; quia nec vsquam Asiæ, & non non totius huius litoribus obtenditur. Longior tamen ipsa, quã latior, præterquam vbi ad Meridiem promontorio Bonæ spei excurrit: ibi etenim, & qua ad fluuium attingit, latissima. Vtque inde procedit, ita media præcipuè in iuga exsurgens pergit incurua ad Occasum, fastigiatq; se molliter, & ideo ex spatio paulatim adductior. Vbi finitur, ibi maxime angusta est. Quantum incolitur, eximie fertilis. Verum quod pleraque eius inculta, & aut arenis sterilibus obducta, aut ob sitim cæli terrarumq; deserta sunt, aut infestantur multo ac malefico genere animaliũ; vasta est magis, quam frequens. Mare, quo cingitur à Septentrione, Libycum; a Meridie, Æthiopicum; ab Occidente, Atlanticum dicimus. Ab ea parte, quæ Libyco adiacet, proxima Nilo prouincia, quam Cyrenas vocant. Deinde cui totius regionis vocabulo cognomen inditum est, Africa. Cetera Numidæ & Mauri tenent: sed Mauri in Atlanticum pelagus expositi. Vltra Nigritæ sunt & Pharusii, vsque ad Æthiopas. Hi & reliqua huius, & totum latus, quod Meridiem spectat, vsque in Asiæ confinia possident. At super ea, quæ Libyco mari abluuntur,

Libyes

Libyes Ægyptii sunt, & Leucoæthiopes, & natio frequens multiplexq; Getuli: Deinde late vacat Regio perpetuo tractu inhabitabilis. Tum primos ab Oriente Garamantæ: post Augilas, & Troglodytas & vltimos ad Occasum Atlantas audimus. Intra, si credere libet, vix iam homines, magisq; semiferi Ægypanes, & Blemmyæ, & Gamphasantes, & Satyri, sine tectis passim à sedibus vagi habent potius terras, quam habitent. ANNI MVNDI.

EVROPA terminos habet ab Oriente Tanain, & Mæotida, & Pontum; à Meridie reliqua nostri maris; ab Occidente, Atlanticum, à Septemtrione, Britannicum Oceanum. Ora eius, forma litorum à Tanai ad Hellespontum, qua ripa est dicti amnis, qua flexum paludis ad Bosphorum redigit, qua Ponto, Propontidi, & Hellesponto latere adiacet, contrarijs litoribus Asię non opposita modo, verum etiam similis est. Inde ad fretum nunc vaste retracta, nunc prominens, tres maximos sinus efficit, totidemq; in altum se magnis frontibus euehit. Extra fretum ad Occidentem inęqualis admodum pręcipue media, qua procurrit ad Septemtrionem; nisi vbi semel iterumque grandi recessu abducitur, pęne vt directo limite extenta est. Mare quod primo sinu accipit, Ægęum dicitur: quod sequenti in ore, Ionium; Adriaticũ interius: quod vltimo, nos Thuscum, Graij Tyrrhenum perhibent Gentium prima est Scythia; alia quã dicta est, à Tanai media fermè Pontici lateris. Hinc in Ægæi partem continens Thraciæ ac Macedonię adiungitur. Tum Gręcia prominet, Ægęumque ab Ionio mari dirimit. Adriatici latus Illyris occupat. Inter ipsum Adriaticum & Thuscum Italia procurrit. In Thusco intimo Gallia est; vltra, Hispania est Hęc in Occidentem, denique etiam ad Septemtrionem diuersis frontib⁹ vergit Deinde rursus Gallia est longe, & à nostris litoribus huc vsque promissa. Ab ea Germani ad Sarmatas porriguntur; illi ad Asiam. Hæc summa noti olim orbis, hę maximę partes, hæ formæ gentesque partium: nunc quid in iis memoratu dignum gestum fuerit, videamus. Hactenus Pomp. Mela. EVROPA.

Nemrod seu Nimrod (amarum dominatorem vox sonat) filius Chus cœpit potens esse in terra, & tyrannide occupans regionẽ Sennaar, quę terra Nemrod ab ipso *Hebræis* fuit dicta, quasi venator robustus ferarum instar, longe lateque latrocinantes, sibique resistentes subegit, vsq; vt etiam prouerbio celebraretur: *Quasi Nemrod robustus venator coram Domino*: hoc est, Domino ita disponente; *Non est enim potestas nisi à Deo: qui regnare etiam facit hominem hypocritam propter peccata populi*: & dominis quoq; dyscolis parendum iubet. Fuit autem initium seu caput regni eius Babylon. Regnauit autem & in Arach, hoc est, Edessa; & in Achad, quæ nunc dicitur Nisibis; & in Chalanne, quę postea *Genes. 10.* *Mich. 5.* *Rom. 13.* *Iob 34.* *1. Petr. 2.* *Hieron. Quæst. in Gen.*

ANNI MVNDI.

verso nomine à Seleuco rege est dicta Seleucia, vel certe quæ nunc Κτησιφῶν appellatur, regnum primum instituens in Asia, quod fuit Babyloniorum, cui præfuisse fertur 56. annis. De hac terra Sennaar egressus quoque est Assur, qui ædificauit Ninum vrbem magnam, quam Hebræi appellant Niniuen, & plateas ciuitatis, & Chale & Resen: Vnde Assyriorum pullulauit imperium, vltra Euphratem situm. Ibi namque rerum potitus, Monarcha fact⁹ est cum finitimos bello vicisset Mox etiam varii Tyranni, reguli, ac duces apud alias gentes quoque exorti sunt. In vnam quamque enim gentem præposuit Deus rectorem, testante Scriptura; qui imperii formam legibus, iudiciis & præsidiis, quo sontes vi trahere ad pœnas in sua ditione posset, constituit. In publico vero præter ius naturale, gentes humanæ vsi insuper iam tum fuere communi omnibus iure, quod gentiũ appellatur. Ex quo iure gentium introducta sunt bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collata, cõmerciũ, emptiones, venditiones, locationes, cõductiones, obligationes institutæ sunt. Et vt parentibus atq; patriæ pareamus; religioq; erga Deũ iuris gentiũ etiã censentur. Nulla.n. gens tam fera, nemo omniũ tam immanis, cuius mentẽ non imbuerit Dei opinio. Multi de Deo praue sentiunt (id.n. vitiatis moribus effectum) omnes tamen vim & naturam diuinam arbitrantur, etiam sine doctrina. Hoc quoque iure vim & iniuriam propulsant homines: cum quod quisque ad tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse æstimetur. Nam quandoquidem Naturam inter mortales cognationem quamdam constituisse certum est: consequens fuerit & hominem homini insidiari nefas esse. Porro cum hoc ius seruitus inuaderet, secutum fuit etiam beneficium manumissionis; sicque tria hominum genera esse cœperunt; *liberi, serui, & liberti*, qui serui esse desierant. Hactenus Iurisconsultus. Ceterum vt & de religione aliquid in medium proferam; Diophantes Lacedæmonius Antiquitatũ scriptor, statuarum venerationem cœpisse credidit à Syrophane Ægyptio, mortui filii imagine facta, quam dixit εἴδωλον tamq̃ εἶδος ὀδυνῶν, quod nos Latine *species doloris* dicimus. Cuius sententiæ satis subscribere videtur & auctor libri Sapientiæ in hunc modum scribens: *Initium fornicationis est exquisitio idolorum: & adinuentio illorum corruptio vitæ est, neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. Superuacuitas enim hominum hæc adinuenit in orbẽ terrarum: ideo breuis illorum finis est inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquã Deum colere cœpit, & cõstituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tẽpore, conualescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus*

Eccli.17.

π. de Iust. & Iure §. Ex hoc.

Fulgent. Mytholog. lib. 1. cap. vnde Idolum dicatur, & Alex. Sard. de rerum inuent. lib. 1. c. de Theol. antiqua.

Sap.14.

ANNI MVNDI.

*tus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Et hos quos iam palam homines honorare poterant, propter hoc quod longe essent, è longinquo figura eorum allata, euidentem imaginem Regis, quem honorare volebant fecerunt: vt illum, qui aberat, tamquam præsentem colerent sua sollicitudine. Prouexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaborauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat nunc Deum æstimauerunt. Et hæc fuit humanæ vitæ deceptio, quoniam aut affectui, aut regibus deseruientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt*: &c. Sic Semiramis Ioui Belo patri suo templum constituit, quod ad sua tempora durasse commemorat Plinius. Et adorant etiamnum Sinarum populi imagines Regem suorum, præcipue Nouilunijs.

Seruch quoque à tribu Iaphethi ortus, Græcis Idololatriæ fuit auctor; vnde & Diuus Epiphanius religionem ab ætate illius vsque ad Abrahamum vocat GRÆCISMVM. Seruch enim defunctos præstantes viros quotannis adorari iussit, tamquam adhuc viuentes: & memoriam eorum celebrari, & in sacros commentarios referri; & Deos eos iudicari tamquam benefactores. Hinc orta est idololatria, & multitudo Deorum: maxime in Græcia. Nam Græci eum errorem recipientes, Hellenem venerabantur, gigantem è tribu Iapheth oriundum, & condendæ turris socium: ob quam linguæ hominum fuere diuisæ, ipsique ædificantes ex eo dicti *μέροπες*, hoc est, variarum vocum. *Epiph. in Præf. Ancor. contra hæres. Suidas in Σερὺχ.*

Porro ab Ægyptiis ac Græcis omnis fabulositas primum orta, plerasque orbis nationes peruasit. Quid? nonne vel sola Creta multis famigerata fabulis fuit? aduentu nimirum Europę, Pasiphaës & Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate fatoque, Dędali operibus & fuga tum statione atque morte; maxime tamen eo, quod ibi sepulti Iouis pęne clarum vestigium sepulcrum est, cui nomen eius insculptum esse accolæ ostendunt. In opido namque Gnoso, sepulcro eius est inscriptum antiquis litteris Gręcis: *ὁ ζεὺς τοῦ κρόνου* id est Latine, *Iuppiter Saturni*. Quin cum quadam vel tenui fama turris Babylonicæ ædificacio ad Gręcię fabulatores peruenisset: finxerunt illico Gygantomachiam illam, montes montibus superponentem; vt Iouem ipsum de sua sede detruderet. Quod vero Iuppiter molem disiecerit, inquit quidam, nil aliud indicat; quam pœnam illam, quam inflixit Deus in dispersione labiorum; vbi cœpit esse durior hominis ad hominem conditio, quam brutorum & rationis expertium animalium, indicio quodam naturali mutuo se intelligentium. *Plin. lib4. c.1. Pomp. Mela, li.1.c.7. Lactant. Diuin. Inst. l.1. c.11. G. Post de Orig. c.10.*

ANNI MVNDI. tium. Mutatum namque illic naturale idioma fuit, & primum à parente rerum naturę Deo concessum munus. Fabulam quoque finxerunt Græci de cornu capræ cælestis, cuius nomen fuerat Amalthea, quod Iupiter nymphis nutricibus suis dedit: hanc ei adijciens facultatem, vt quidquid optassent, id illis ex eo cornu largiter suppullularet: cum intelligerent pecuniæ obedire omnia. Non enim fictum & commenticium istud poëtarum copię cornu; sed pecunia, si homini fuerit copiosa, ipsi quæcumque voluerit suppeditat, & genus & formam quoque donans. quare scitè Philemo Comicus dixit, argentum esse cornu Amaltheæ. Qui enim pecunia abundat, siue pacem trahat siue bellum gerat, habet vnde sumptum faciat: nilq; mortalibus pecunia commodius modo defuerit abusus. Porro Iauan, qui Iônos Græcis dictus fuit, primum aurum argentumque signasse, hisce versibus canit Lucanus:

Eras. Chil. 1. Cent. 6. Adag. 2.

Eccl. 10.

4. Reg. 23.

*Primus Thessalicæ rector telluris Iônos*
*In formam calidæ percussit pondera massæ,*
*Fudit & argentum flammis, aurumq; monetæ*
*Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.*
*Illi, quod populos scelerata impegit in arma,*
*Diuitias numerare datum est.*

Ceterum ante Iauan, Noë, quem Oenotrium Græci ob olei seu vini vsus traditionem, Latini vero Ianum appellant, æra signasse doctis creditur: quod Draco Corcyreus in suis de lapidum generibus commentariis, hæc ad verbum, Athenæo referente, scriptum reliquit: Ianum fama est bicipitem fuisse; vt & illa, quæ ante & quæ post se essent, facile cernere posset. Ab hoc ipso & Ianus fluuius, & mons in quo degere solitus fuerat, Ianiculus est etiam appellatus. Primus autem omnium coronam inuenisse dicitur: rates etiam & nauigia; nummumque æneum primus excudisse & characteribus signasse perhibetur. Quamobrem apud nonnullos Gręciæ populos, & in plerisque etiam Italiæ & Siciliæ ciuitatibus, nummus excudi consueuit: cuius ex altera quidem parte biceps visebatur facies, ex altera vero non eodem semper modo; sed nauigium sæpe, alias rates, interdum etiam corona. A cuius sententia non dissentit Macrobius omnino, sic scribens: *Cum Ianus primus æra signaret, seruauit & in hoc Saturni reuerentiam; vt quoniam illo naui fuerat auectus, ex vna quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero nauis exprimeretur: quo Saturni memoriam etiam in posteros propagaret.* Æs ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleæ lusu; cum pueri denarios in sublime iactantes, capita aut nauim, lusu teste vetustatis exclamant.

Athen.

Macrob. Saturn. lib. 1. c. 7.

clamant. Quin & æs in Latio signatum fuisse à Saturno, Eutropius memoriæ tradidisse narratur.

ANNI MVNDI.

Porro initio, antequam pecunia signaretur; permutatio cœperat ex eo, quod est secundum naturam: quod alii plura quam opus sit, pauciora haberent alii. Quoad enim ipsis sufficeret, necessarium erat permutationem fecisse: quemadmodum adhuc faciunt Barbarorum nationes multæ; alia pro aliis dantes recipientesque: vtilia. n. pro vtilibus tradunt: vltra vero nihil: seu vinum pro tritico; & ceteris talibus. Huiusmodi ergo permutatio ad amplificationem patrimonii nequaquam pertinebat, cum esset in supplementum indigentiæ. Ex hac tamen illa processit permutatio, quæ est secundum rationem: quamque emptionem ac venditioné vocamus. Nam cum à remotioribus quæreretur auxilium, importando illa, quibus indigebant; & exportando illa, quibus abundabant: necessario introductus fuit nummi vsus, qui quantitate pondereque definitus, signo impressus erat, ad valorem demonstrandum. Eo itaque reperto, ex necessaria permutatione alia species acquirendi emersit, negotiatio. Primo forsan simpliciter, postea per experientiam artificiosior: vnde & quomodo permutando, plurimum quis faciat lucrum. Quapropter videtur negotiatio maxime circa quæstum pecuniarũ versari; & eius esse opus, posse discernere, vnde proueniat multitudo pecuniarum: nummorum enim & diuitiarum effectiua est. Nam & diuitias plerumq; ponunt esse multitudinem pecuniæ: ex eo videlicet, quod in iis ratio quærendę pecunię & negotiatio versentur. Nam rebus contrahendis initium dat pecunia & finem. Itaque nullus finis & modus est diuitiarum, quæ hac quęrendi ratione parantur. Hæc hactenus.

*Georg. Agric. de precio metall li. 1.*
*Arist. Polit. lib. 1. c. 6.*

Verum quandoquidem scriptores plerique initium nobilitatis ad hæc tempora fere referant: non abs re fuerit pauca quædã etiam de illa commentari. Est ergo nobilitas duplex. Gentis nãque ac ciuitatis nobilitas est, indigenas vetustissimos esse, & primos duces illustres: multos quoque ex ea gente in rebus, quæ expetuntur, præclaros exstitisse. Priuata vero nobilitas aut à viris, aut à mulieribus est, legitimaq; ab eis procreatio. Et vt in ciuitate, sic in priuata quoq; nobilitate, aut virtute, aut diuitiis, aut alia relaudata primos claros: multos quoque famosos in ea gente viros & mulieres, iuniores ac seniores fuisse. Est enim generosum, quod non recedit à natura; nobile secundum virtutem generis. Quosdam certe genus, quosdam vero virtus extollit. Nobilitatis etiam differentiæ sunt secundum opulentiam & magnitudinem census. Interdũ si genus bonum fuerit, viri præstantes generantur: rursumq; genus deiicitur. Et quidem nobilitas bonum est per se appetibile, nimirum quædam maiorũ claritas.

*Arist. Rhet. ad Theod. li. 1. c. 5. & l. 2. c. 15. item Polit. li. 4. c. 15.*

ANNI MVNDI. ritas. Nobilitatis mores sunt, sicut Philosophus scribit, vt ambitiosior sit, qui nobilior est. Nobiles enim, inquit ad contemnendos maiorum suorum similes parati sunt. Nam ea, quæ iam diu gesta sunt, honorabiliora sunt, ad iactationemque aptiora, quam quæ nuper facta Recte igitur D. Hieronymus ait: *Nil aliud video in nobilitate appetendum; nisi quod nobiles quadam necessitate constringantur, ne ab antiquorum probitate degenerent.* Etenim sedes ducum superborũ destruit Deus, & sedere facit mites pro eis: Memoriamq; illorum perdit, & relinquit memoriam humilium sensu. Nunc Historiam prosequamur.

*Hieron.*

*Eccli. 10.*

1788. Phaleg natus annos 30. genuit Rheu: vixitque deinceps 209. annis gignens filios & filias.

*Gen. 11.*

1820. Reu cum vixisset 32. annis genuit Saruch; & postea vixit adhuc annis 207. gignens vtriusq; sexus prolem.

1850. Saruch anno ætatis suæ 30. genuit Nachor; & 200. quibus superuixit annis, auctus fuit filiis & filiabus.

1879. Nachor cum vixisset annis 29 genuit Thare; viuensq; insuper 119. annos, filios & filias procreauit. Quod autem Moyses in hac serie posterorum Sem, tam exactè exsequitur, quoto quisq; anno vitæ suæ filium genuerit, ad istum ordinem, qui ad Abrahã pertendit, pertinentem: & quot annos vixerit, postmodum intimans ipsum filios ac filias genuisse: iccirco est, vt habet D. Augustinus, vt intelligamus, vnde potuerint populi accrescere; ne in paucis, qui commemorantur, hominibus occupati pueriliter hæsitemus, vnde tanta spatia terrarum atque regnorum repleri potuerint de genere Sem; maxime propter Assyriorum regnum, vnde Ninus ille Orientalium domitor, vsquequaq; populorum ingenti prosperitate regnauit; & latissimum ac fundatissimum regnum, quod diuturno tempore duceretur, suis posteris propagauit.

*August. de Ciuit lib. 16. cap. 10.*

*Isai. 23.*

1949. Thare anno 43. Nini, postquam vixerat annis 70. genuit Abram; cum ex alia vxore iam suscepisset Aran & Nachor. Iste est Abraham, quo nato, secunda ætas finem habet, quæ rectè pueritiæ adsimilatur; quando pueri illa ætate loquelam iam edocti, artibus degendæ vitæ necessariis instituuntur. Quarum præcipuæ sunt, scientia legendi scribendique, atq; etiam recta numerandi ratio: & vel prætenuis cognitio pecuniæ.

Cum autem in hac genealogiæ serie ab Adamo ad Abrahamum vsque, certa temporis ratio diligentissimè à Moyse obseruata sit, idq; facere neglexerit in descriptione terrenæ ciuitatis, tanquam eam Deus, vt Augustinus ait, sic commemoraret, vt nõ computaret: non incommodum visum nobis fuit, ceterarum gentium emigrationes, post diuisionem linguarum factas, atq; res gestas, hac secunda ætate huc vsq; distulisse, ne ordo videlicet nostræ

*August. de Ciuit. lib. 15. cap. 21.*

cet nostræ narrationis interturbaretur, quas nunc enarrare operæpretium fuerit. Quando ergo Armenia terraq; Senaar ingenti multitudinis incremento auctæ essent, vt necessaria ad vitam commode agendam copia cunctis non suppeteret: necesse erit ipsis illinc emigrare, atque exire quodammodo in colonias. Itaque filii Iapheth, Gomer cum suis Gomeritis seu Cimmeriis, tam cisquam transalpinam Galliam; Tubal cum Iberis & Celtis, Hispaniam occupauerunt. Hæc prima terrarũ est à Gallia Pyrenæis montibus discreta, inde pelago vndique cincta. Vbi illis adhæret, maxime angusta, paullatim se in Mediterraneum mare & Oceanum extendit, magis magisq; ad Occidentem abit, ac fit latissima. Viris, equis, ferro, plumbo, ære, argento auroq; tam abundans, & adeo fertilis; vt sicubi ob penuriam aquarum effeta, & sui dissimilis est; linum tamen aut spartum alat. Tribus autem est distincta nominibus; parsq; eius Tarraconensis, pars Betica, pars Lusitania vocatur. Tarraconensis toto Pyrenæi latere decurrens & simul ad Gallicum Oceanũ Iberico à mari transuersa se pandens, Solorio monte & Oretanis iugis Carpentanisq; & Asturum à Betica & Lusitania distinguitur. Betica a flumine eam mediam secante cognominata cunctas prouinciarum diuiti cultu, & quodam fertili ac peculiari nitore præcedit. Ad fretum Herculeum mons Calpe, incolis Tubalis terra dictus, nõ incelebre antiquitatis vestigium ostendit, sicut & Gades insula, quæ, egressis fretum, statim obuia est. Est & ad litus Oceani Cantabrici summæ antiquitatis opidum *Santander* (*Scalabis* olim) dictum; cuius fundationem in hanc ætatẽ incolæ conferunt. Inter Hispaniæ populos ætate Strabonis Turdetani seu Turduli Beticæ populi putabantur sapientia excellere: quod literarum studiis vterentur, & memorandæ vetustatis volumina haberent, poemata, leges quoq; versibus conscriptas, è sex annorum nimirũ Ibericorum millibus, qui quadrimestres esse feruntur; hoc est ergo, annis 2000. solaribus. Sunt & saltus ibi Tartesiorum, in quibus Titanas bellum aduersus Deos gessisse proditur: quorum etiam in suis Epiniciis meminit Iudith. Porro Pyrenæi montes Hispanias Galliasq; disterminant, promontoriis in diuersa maria proiectis. Diuiduntur q; transalpinæ Galliæ in comatã & bracatam: hæc Narbonensis dicta prouincia interno mari alluitur, amne Varo ab Italia discreta alpiumq; iugis; à comata vero, montib. Gebenna & Iura: agrorum cultu, virorũ morumq; dignatione, amplitudine opum, nulli prouinciarum postferenda, breuiterque Italia verius quam prouincia. Comata autem est omnis diuisa in partes tres, quarũ vnam *Belgæ*; aliam *Aquitani*; tertiã, qui ipsorũ lingua *Celtæ*, Græce *Galatæ*, Latine vero *Galli* appellantur. Gallos ab Aquitanis Garũna

ANNI MVNDI.

*Ioseph. Antiq. l. 1. c. 6.* *Plin. li. 3. cap. 1.*

HISPANIA.

*P. Mela, l. 2. cap. 6.* *Diod. Sic. l. 1. 6.*

*Plin. lib. 4. cap. 22.*

*Strab. lib. 3.* *Xenoph. in Æquiuoc.*

*Iustin. l. 43.*

*Iudith. 16.*

GALLIA.

*Plin. lib. 3. cap. 4.*

ANNI MVNDI.

Hieron. in pr am. l. 2. in Epist. ad Galat.

flumen, à Belgis Matrona, & Sequana diuidit. Ad Septemtrionem Oceano, ad Orientem Rheno omnes includuntur. Lingua ipsis Celtica, quamuis dialectis diuersis vterentur. Quod cū ex Hieronymo intelligitur, qui Gallogræcos seu Galatas Asiæ populū, qui è Gallia veniens se Græcis miscuerat, excepto sermone Græco, propriam eandem pæne linguam habere scribit, quā Treuiros; tum ex complurib. vocabulis ab auctoribus Gallicis appellatis: cum pura puta fuit Germanica. vt *Calf* pro præpingui vituli instar, apud Suetonium; *becca* pro rostro; *marga* pro adipe; *ganza* pro ansere; *plouchraden*, pro aratris quibus sunt rotæ. *planca* pro tabulis; *pala* pro terminis; *marca* pro equis, apud Festum, Ammianum & Pausaniam. Gallia porro togata, ea pars erat Italiæ, quæ ab Alpibus Rubiconē vsq; extenditur, & Pado flumine irrigatur: quē mons Vesulus superantissimus inter iuga Alpium gremio suo fundit, visendo fonte in Ligurū finibus; vnde se primum Padus proruit; submersusq; cuniculo, rursus in agro Vibonensi extollitur, nulli amniū inferior claritate, à Græcis dictus *Eridanus*. Intumescit exortu Canis, tabefactis niuibus, & liquētibus brumæ pruinis; auctusque aquarum accessione, XXX. flumina in Adriaticum defert mare. Italia namq; vniuersa consurgit à iugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem, & litora Brutiorum, quo in mare Meridiē versus protenditur. Inde procedens paullatim se Appennini montis dorso attollit, extensa inter Tuscum & Adriaticum, id est, inter Superum mare & Inferum, similis querno folio, scil. proceritate amplior, quā latitudine. Vbi longius processit, in cornua duo scinditur: quorum alterum Ionium spectat æquor, alterum Siculum. Inter quas prominentias non vno margine accessum insinuati freti recipit; sed linguis proiectis sæpius à procurrentib. distinctum promontorijs pelagus admittit. Vmbrorum gens antiquissima Italiæ existimatur, vt quos alij *Ombrios* à Græcis putent dictos, quod inundatione terrarū imbribus superfuissent: alij à Gomero, quasi *Gombros* seu potius ὀμβροὺς appellatos volunt. *Quis ignorat*, inquit Solinus, *vel dictum vel conditum, à Iano Ianiculum, & à Saturno Latium atque Saturniam?* Quem Belo, quem Babylonij & Assyrii colunt, æqualem fuisse, & eodem tempore adoleuisse, in historia sua dicere Thalum, Theophilus in libro De temporibus refert. Porro Saturnus, regnis sibi à Ioue filio ablatis, naue vectus ad Tiberim appulsus fuit, & à Iano benigne exceptus Aboriginum rex factus est. Qui tantæ iustitiæ fuisse traditur; vt neque seruierit sub illo quisquam, neq; quidquam priuatæ rei habuerit: sed omnia communia & indiuisa omnibus erant; veluti vnum cunctis patrimonium esset.

Sueton. in Galba. Plin. variis locis. Plin. lib. 3. cap. 15.

ITALIA. Solin. c. 8.

Plin. lib. 3. cap. 14.

Iustin. l. 43.

*Aureaq; vt perhibent, illo sub Rege fuerunt*
*Secula: sic placida populos in pace regebat.*

Ob hu-

Ob huius exempli memoriam cautum est, vt Saturnalibus, ex æquato omnium iure, passim in conuiuiis serui cum dominis recumbant. Itaque Italia regis nomine *Saturnia* appellata est; & mons, quem inhabitabat, Saturnus: in quo nunc, veluti a Ioue pulso sedibus suis Saturno, Capitolium est. Hæc ex Trogo, eius abbreuiator Iustinus. Regio porro ipsa quam inhabitabat, a latendo Latium dictũ est: cuius termini antiqui ex vno latere, Tiberis; ex altero, montes Circæi erant, in longitudinem miliariũ L. Cumq; Saturnus omnibus filiis suis superuixerit, dicitur eos deuorasse. Ceterum ea vitalis ac perennis salubritatis cæli temperies est Italiæ, tam fertiles campi, tam aprici colles, tã innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica siluarum genera, tot montium flatus, tanta frugum & vitiũ olearumq; vbertas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumq; vbertas totam eam perfundens, tot maria, portus, gremiumq; terrarum commercio patens vndique; & tanquã ad iuuandos mortales ipsa auide in maria procurrens: vt palam sit, gaudentis opus esse naturæ; dignaq; Iano sedes eiusq; nepote Gomero. Cui tres filii fuere, Aschenes, Riphat & Thogorma, Germanicæ gentis (vt eruditiores putant) auctores. Nam Iudæi etiamnum Tuyscones Askenazim vocitant: & Ezechielis cap. 27. pro *Thogorma* paraphrastes Chaldæus *prouinciam Germaniæ* vertit. Germaniam vero Rhenus ab Alpibus decidens ad Occidentem solem à Gallia separat; à Meridie, ipsis Alpibus; ab Oriente Vistula flumine, Sarmaticarumq; confinio gentium; qua Septemtrionem spectat, Oceanico litore obducta est. Diues virorum terra, frequens populis numerosis & immanibus: de ijs agens Cornelius Tacitus: *Celebrant*, inquit, *carminibus antiquis, quod vnum apud illos memoriæ & Annalium genus est, Tuysconem deum terra editum & filium Mannum originem gentis conditoresq;.* Manno tres filios adsignant: è quorum nominibus proximi Oceano Ingæuones, medii Hermiones, ceteri Istæuones vocantur. Omnes hi eadem lingua vtuntur; sed dialectis multum differente. Ingæuonum pars Cimbri, Teutones ac Cauchorũ gentes: quorum originem & nomina à Gomer atque Aschenes docti deducunt. Hermionum sunt, Hermunduri, Chatti, Cherusci, quos Riphat condidisse persuasum habent: sicuti Rheni accolas Frisios, Sicambros, Menapios, Vbios: illos denique, qui inferioris Germaniæ populi habentur, Istæuonum nomine censitos à Thogorma originem trahere. Quidam autem licentia vetustatis plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambriuios, Sueuos, Vandalos affirmant: eaque vera & antiqua nomina. Hi ergo conditores Germaniæ, quam informem terris, asperam cælo, tristem cultu aspectuque uo sæculo fuisse

ANNI MVNDI.

*Macrob. in Saturn.*

*Plin. lib. 3. cap. 5.*

*Sebast. Münst. Cosmog. lib. 3. cap. 6.*

*G. Post. Origin. c. 20.*

GERMANIA.

*Pomp. Mela.*

*Solin. c. 23.*

*Corn. Tacit. de situ & mor. Germ.*

*Plin. lib. 4. cap. 14.*

ANNI MVNDI.

scribit Tacitus: quæ nunc Romani Imperij titulo decorata pulcerrimis munitissimisq; vrbibus, pagis ac castris est referta. Habet frumenta, vineta, amnes piscosos, fontes aquæ dulces, thermas calidas, mineras salis plurimas. Metallorum autem, nempe auri, argenti, stanni, plumbi, æris, & ferri copiâ abundat. Germanos etiam indigenas minime aliarum gentium aduentibus hospitijsq; mistos credidit Tacitus: quod olim non terrâ sed classibus aduehebantur, & immensus Oceanus raris nauib. adiretur. Quin etiam vrbanitas, & morum ciuilitas, vestitus honestas, litterarum studium, artificum solertia, rei militaris peritia, apparatus bellorum, nauium omnis fere generis multitudo, & stemmatum antiquitas, nobilitasq; nullibi maior. Ab hac Vistula amne discreta est Sarmatia, quę Orientem versus ad mare Caspium extenditur, Tanai flumine gemino ore Mǫotidi influente illam diuidente in Europæā & Asiaticam Sarmatias. Earum incolas partim à Madai, partim à Mosoch ortos contendunt doctiores. Hunc enim Cappadoces, qui à Cappadoce amne nomē traxêre, cum antea Leucosyri dicerētur, ac Meschini condidisse tradunt Iosephus & Hieronymus, vrbemq; ab ipso dictā Mazacam, quæ postea ab Augusto Cæsare, *Cæsarea* est appellata; Basilij Magni Episcopalis sedes. Certe inter Sarmatiæ gentes enumerantur à Pomp. Mela Moschi, & à Plinio Mazaræ. Est & annus Moscha Sarmatis, & vrbs Moscua, vnde Moscouitis nomen, qui Plinio *Hamaxobÿ* dicti putantur. Idem Plinius agens de Sarmatis Tanaim amnem incolentibus, Medorū, vt ferunt, soboles, inquit, & ipsi in multa genera diuisi. A Madai vero Medi descendunt, qui ab Ortu Caspios populos vident, à Septemtrione Armenia circumdantur, ab Occasu transuersa obliquè Parthiæ occurrentes vtraque regna includunt, & à Meridie Persidem habent. Vltra Sarmatas a Rha fluuio Scytharum populi à Magog *Magoga* seu *Massageta* denominati fuerunt, quandoquidem auctor fuerit illorum. Quod Scythæ dicti sunt Græcis, putant quidam, quod pellibus ob ingentia frigora pro indumentis vterentur. Σκύτ☉ enim corium Græcè significat. Scythæ gens laboribus & bellis aspera, atq; situ regionis, quam inhabitant: de vetustate multis rationibus & argumentis contendunt. His inter se fines nulli, neq; enim agros exercent, nec domus illis vlla tectū aut sedes est: armenta & pecora semper pascunt; per incultas solitudines errare soliti, vxores & liberos secū in plaustris vehunt: quibus corijs, imbrium hiemisq; causâ, tectis, pro domibus vtuntur. Iustitia gentis ingenijs culta nō legibus. Multitudo populorum innumera, inquit Plinius, qui nullis cōstant terminis; eò quod agros non colant, neque conuenticula celebrent. Imai montis pars sursum deorsum tensa, Scythiam duplicem distinguit,

SARMATIA.
Plin. lib. 6. cap. 5.
Ioseph. Ant. lib. 1 cap. 6.
Hiero. quæst. in Gen. & l. 8 in Ezech. capit. 27.
Pomp. Mela lib. 3. c. 5.
Plin. lib. 6. c. 7. & lib. 4. c. 12 & lib 6. c. 3. & c. 26.
Solin. c. 59.
MEDIA.
SCYTHIA
Plin. lib. 6. cap. 17.

guit, intra Imaum & extra Imaum, Occidentalem nimirum & Orientalem. Altera parte Imai, quæ ab Occasu in Ortum diffunditur, ab India Scythia separatur à Meridie: ab Ortu vero Serica regione; & a Septemtrione alii terram incognitam, alii autem Oceanum Scythicum terminum habere affirmant. Posteriorum sententiæ potius subscribimus; quod Pomp Mela atque Plinius referant Corn. Nepotem de Septemtrionali circuitu tradere, Q. Metello Celeri, C. Afranii in consulatu collegæ, sed tum Galliæ proconsuli, Indos à rege Suenorum dono datos, qui ex India commercii caussa nauigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Porro refert Iustinus Scythiæ regem Tanaim, & Vexorem regem Ægypti antiquiores temporibus Nini fuisse; quorum hic in Pontum vsque, ille in Ægyptum excesserit: sed longinqua, ait, non finitima bella gerebant; nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant: contentique victoria, imperio astinebant. Ceterum qui Scandię seu Scandinauiæ (quam Hilleuionum gens, eam incolens, alterum orbem terrarum appellat) historiam conscripsere; ad Magog quoque originem gentis referunt. Eius nimirum filios, Suenonem & Gog, Suetiæ & Gothiæ imperasse, suisque nominibus regiones vocasse aiunt. Thraciæ autem nomen dedit Thiras, quæ à Septemtrione, Istro amne & Mysia inferiori; ab Occasu, superiori Mysia; ab Ortu, Ponto & Propontide; à Meridie, mari Ægeo circumscribitur. Eius populi sunt pugnaces ac feritate quadam præditi, & validissimis Europæ gentibus adnumerandi; Bessi, Odones, Thyni, Odrysii, Bryges, aliique complures. Sunt auctores transisse ex Europa Mysos, & Brygas, & Thynos, à quibus in Asia appellati fuerint Mysi, Phryges, Bithyni, vt Plinius refert.

ANNI MVNDI.

G. Post. de Orig. c. 21. Pom. Mela lib. 3. c. 5. Plin. lib. 2. c. 67.

Iustin. lib. 1

Plin. lib. 4. c. 13.

SCANDIA.

THRACIA

Plin. lib. 4. c. 32.

Ex filiis Iapheth restat dicendus Iauan, à quo non modo Attica, sed & omnis Hellas, quæ & Græcia ac Achaia, olim Ionia fuit dicta. Hæc ab Occasu, Epiro; à Septemtrione, Macedonia & Ægæi maris parte terminatur. Deinde in Orientem, ad Sunium Atticæ promontorium vsq; procurrit. A Meridie, iuxta Acheloum fluuium maritimo litore, quod Corinthiacus alluit sinus, ad Isthmum vsque definitur. Ab Isthmo cetera rursus ad Sunium protenduntur. Angustiis, quæ Isthmos appellantur, adhæret Peloponnesus, *Apia* ante appellata & *Pelasgia*, platani folio similis ob sinus & promontoria, quibus vt fibris litora eius incisa sunt: peninsula haud vlli terræ nobilitati postferenda. In Græcia prima Attica, antiquitus *Acte* vocata, regio longe nobilissima; cuius indigenæ αὐτόχθονες dicti Platoni fuere, quasi terra geniti, & quod primi terram colere adorti fuerint. Huic confinis Bœotia, in qua vetustissimum opidum Græcum, quod rex

GRÆCIA.

P. Mela. li. 2. c. 3. Plin lib. 4. c 4. 7

ATTICA.

Plat in Menex Xenoph. in Æquiuoc.

BOEOTIA.

ANNI MVNDI. *Varro de re rust. li. 3. c. 1.* 1816. THESSALIA. *Lucian. Dial. Deorum 2. Eras. Adag. Chil. 5. Cent. 2. vltim. Iudith. 16. Plin. li. 4. c. 8.*

rex Ogyges (ita etiam Noë indigitatur) ædificarit, Bœotiæ Thebę, circiter 2100. annorum antequam M. Varro libros de re Rustica scriberet, LXXXI. annū vitæ suæ agens, nimirum 1400. annis ante Romam conditam. Bœotos *Hyantas* antiquitus dixere. Phocis deinde Locris, Doris atque Thessalia, in qua Iapetum degisse (cuius antiquitas etiam prouerbio celebratur) commemorant. In hac sunt Olympus, Pelion, Ossa, montes memorati fabula belloque Gigantum; quos post filios Titanis etiam in suo cantico recenset Iudith. Inter Olympum & Ossam Peneus amnis, ortus iuxta Gomphos, nemorosa conualle defluit. D. stadiis, dimidio eius spatio nauigabilis. In eo cursu Tempe vocantur, V. M. P. longitudine, & ferme sesquiiugeri latitudine, vltra visum hominis attollentibus se dextra læuaque leniter cōuexis iugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu.

*Ælian. var. histor. li. 3.*

Varijs quippe omnigenisque illecebris hic locus iucundissimus est, non humani ingenii aut iōdustriæ opera, sed ipsius naturæ, sese in huius vallis amœnitatem, tum cum conderetur, sua sponte exercentis.

*Strabo lib. 9. Xenoph. de Æquiuoc. Plato in Timæo. Plin. li. 7. c. 56. & li. 36. c. 4. Euseb. in Chron.* SICYONIORVM REGNVM.

Maximum vero & vetustissimum est Thessalicum nomen & conuentus. Plura apud Thessalos nimis antiqua & permixta fabulis sunt. In parte Hellinica, quæ post Gręcia dicta est, claruit primo anno Nini antiquissimus Phoronæus magnus. Et vt in Peloponnesum reuertamur, in ea peninsula aliqui Argos à Phoronæo rege conditum volunt: quidam & Sicyonem, quæ diu fuit teste Plinio, officinarum omnium metallorum patria. Vbi regnare cœpit anno 246. post diluuium Ægyalæus, regnauitque annis LII Ab hoc rege, vt Sicyonij perhibent, Achaia Peloponnesi prouincia olim Ægialos & incolæ Ægialenses vocabantur.

1902. *Pausan. l. 7. Gen. 10. 1. Paral. 1.*

Ceterum quemadmodum præter communem linguæ Græcæ dialecton, aliæ quatuor sunt nempe Ionica, Dorica, Attica & Æolica: ita & Iauan quatuor fuere filii; Elisa, Tarsis, Cethim & Dodanim. A quibus diuisæ sunt insulæ maris Mediterranęi, locaque maritima Gentium in regionibus suis: vnusquisque secundum linguam suam & familias suas in nationibus suis.

SICILIA. *P. Mela li. 2. c. 7.*

Itaque Elisę in hac partitione obuenisse plerisque doctis creditur Sicilia, omnium, quæ hoc mare habet, insularum maxima, & frugum multo fertilissima. Ipsa tribus promontoriis in diuersa procurrens Græcę litterę imaginem, quæ *Delta* dicitur, Δ. efficit. Pachynum vocatur, quod Gręciam spectat; Lilybæum, quod in Africam; Pelorum, quod in Italiam vergens, Scyllæ aduersum est.

*Strab li. 6.* MAGNA GRÆCIA.

Illa quoque Italiæ pars maribus Siculo, Ionio ac Adriatico conclusą, & ad Lirim amnem vsque protensa, quam vna cum Sicilia olim magnam Græciam appellabant, insulæque circum

circumiacentes Elisæ etiam fuisse attributas, non exiguo argumento est; quod interpres Chaldæus, pro *de insulis Elisæ*, *de prouincia Italia* transtulerit. Nusquam fere gentium, quam in beatissima hac totius Europæ regione præstantius est, quidquid est, quo carere vita non debeat: fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, iuuenci, equi. Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercentibus, vt testatur Plinius, nullis cessit. Et iis, inquit nunc in se grauida, pro omni dote varios succos, & frugum pomorumque sapores fundit. Quare, si vsquam, certe hic campos Elisios statuendos arbitror. Tharsis vero obtinuit Ciliciam, quæ maritima, ab Oriente, Amano monte; à Septētrione, Tauri iugis; ab Occidente, Pamphilia clauditur. Cuius metropolis Tharsus, per quam Cydnus fluit, frigidus ac limpidus amnis, vel solo nomine auctorem gentis satis ostendit. Obtinuit autē & insulas Tharsis Ciliciæ propinquas; quarū maxima Cyprus ad Ortum Occasumq; Ciliciæ ac Syriæ obiecta, tanta tamque multiplici fertilitate abundat rerum omnium; vt nullius externi indigens adminiculi, indigenis viribus, à fundamento ipso carinæ ad supremos vsq; carbasos ædificet onerariam nauem, omnibusq; armamentis instructam mari cōmittat. Cethim Macedoniam partitum esse satis superq; ex Scripturæ variis locis colligitur. Alexandrum Philippi Macedonē egressum de terra Cethim Darium regem Persarum & Medorum percussisse refert primus liber Machabæorum: & apud Isaiam, *De terra Cethim reuelatum est eis*: item, *In Cethim consurgens transfreta, ibi quoq; non erit requies tibi*. Deniq; apud Ieremiam: *Transite ad insulas Cethim*. Porro Cethim Macedoniam, olim etiam Æmathiā dictam, inter Ægæum mare ac Adriaticum sitam, atq; à Septemtrione Traciæ, Mysciæ ac Dalmatiæ; à Meridie, Græciæ, & Epiro conterminam inclytam quondam terrarum imperio esse ostendimus: nūc, quę fuerint eius insulæ, videamus. Nam præter maris Ægæi complures insulas, Cretam quoque à Curetum rege Crete nuncupatam, cum antea Aeria & Chthonia vocaretur, à Cethim possessam fuisse multi persuasum habent. Nec desunt, qui Cethim Κρόνον seu Saturnum esse putent; qui Creta à Ioue filio pulsus, ad proauum Noe in Italiam profugerit: quod regio illa à Moyse & Hebræis *Githim*, & Latinis *Saturnia* ab eius nomine appellabatur. Priscam sane Latii linguam à Græcis quoque multa esse mutuatam: & veteres Græcas literas easdem fuisse pæne, quæ nunc sunt Latinæ, perhibent. Porro videtur Creta insula, vt Aristoteles ait, ad principatum Græciæ esse nata, ac præclare sita. Cuncto namq; imminet mari, cum fere Græci omnes circum mare sint positi. Abest enim hinc modicum à Peloponeso: illinc ab Asia. Nam altero latere ad Austrum, altero ad Septen-

ANNI MVNDI.

*Plin. lib. 37. cap. vlt.*

CILICIA.

*Ioseph. lib. 1. cap. 6.*

*Hier. Quæst. in Gen.*

CYPRVS.

*Plin. lib. 5. cap. 31.*

*Am. Marcell. li. 14.*

MACEDONIA.

*1. Mach. 1.*

*Isai. 23.*

*Ierem. 2.*

*Plin. l. 4. c. 10. & 11.*

*Solin. c. 15.*

CRETA.

*Stephan.*

*Num. 24.*

*Ezech. 27.*

*Fr. Aug. Roccha in Append. Bibl. de Dialect.*

*Plin. lib. 4. c. 12.*

*Arist. Polit. li. 2. c. 8.*

*P. Mela, l. 2. c. 7.*

ANNI MVNDI. Septemtrionem inter Ortum Occasumque porrigitur: nisi maior esset, Cypro similis. Restat Dodanim, cui non modo Rhodum è regione Cariæ insulam pulcerrimam, Sporades ac Cyclades, sed etiam Eubœam diuisione hac acquisitam fuisse ferunt. Quæ omni ferme antiquitati Titanum fuit regnum: quos volunt ex Dodanim ortos. Eubœa autem, in longitudinem vniuersæ Bœotiæ, ab Attica Thessaliam vsque prætenditur; tam modico interfluente Euripo, vt ponte iungatur. Euripum vocāt rapidum mare, alterno cursu septies die, ac septies nocte, fluctibus inuicem versis: adeo immodice fluens, vt ventos etiam, ac plenis velis nauigia frustretur. Porro præter hæc Epirus quoque Dodanim obuenisse dicitur: indicioque esse Dodanam vrbem antiquissimam Chaonum; & quod iuxta est Dodonæū nemus glandibus abundans, nomen eius referentia. Incipit vero Epirus Acrocerauniis montibus ad Occasum ac Meridiem spectans mare Iônium: Orientem autem versus, ad Acherontē flumen ac Achaiam extenditur, clauditurque Macedonia septemtrionali latere. In Epiro fons sacer est: iccirco quod cum sit frigidus, & immersas faces, sicut ceteri exstinguat, vbi sine igne procul admouentur, accendit. Hactenus de Iapheth, filiis nepotibusque eius, qui nomina sua terris suis imposuerunt. Nunc ergo de Cham eiusq; posteris videamus.

RHODVS. Plin. lib. 5. c. 31. Solin. c. 17. EVBOEA. Plin. lib. 4. P. Mela li 2. c. 7. ERIPVS. Seru. in Virg. Georg. l 1. P. Mela l. 2. cap. 3.

Hunc in Ægypto, quæ terra Cham dicebatur, in nomo seu præpositura Tanite habitasse in tentorijs commemorant: vbi ad Nilum ædificari cœpta est, nouem annis post conditam Hebron in terra Chanaan, vrbs Tanis, Pharaonum olim sedes, ob signa & miracula Moysis multo celeberrima, *Zoan* Hebræis dicta. Quod & Dauid testatur hisce verbis: *Fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos*, & paulo post: *Percussit omne primogenitum in Ægypto, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.* Porro fuere Cham filii, Chus, Mesraim, Phut, & Chanaan. Chus in hac diuisione, tam Africana, quam Asiatica Æthiopia potitus est. Æthiopes vero Asiani promissos crines; qui ex Africa, crispissimos inter omnes homines habent. Bipartiti enim sunt naturaliter sinu arabico, instar fluminis. Illi in confinio Arabiæ sedent; hi vltra Ægyptum, atque ad Æthiopicum mare extenduntur. Meroeni habent terram, quam Nilus primo ambitu amplexus insulam facit. Regni caput est Meroë, ciuitas eodem nomine, quo & insula. Ceterum ex filiis Chus, ad Orientem Saba Arābiam felicem possedit: quæ instar peninsulæ, à Septemtrione desertis ac montibus; à Meridie rubro mari magno; deinde duobus sinibus, Arabico, & Persico, clauditur. Regio præter soli fertilitatem, cinnamomi, & thuris, aliorumque odorum maxime ferax: præcipue ea parte, quam Sabæi incolunt, Saba vel

Psal. 104. 105. Psal. 77. Herod. lib. 7. P. Mela, l. 3. cap. 10. ARABIA FELIX. Strabo l. 17. P. Mela, li. 3. c. 7. & 8.

C Sabæa

Sabæa ab auctore gentis dicta. Ad Occidentem vero, Heuila in parte remotioris Africæ, Getuliam à Mauritania Atlante monte distinctam occupauit. Ab illoque orti Getuli asperi inculti que erant: quibus cibus erat caro ferina, atque humi pabulum, vti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, aut imperio cuiusquam regebantur: vagi, palantes, qua nox coëgerat, sedes habebant. Tertio porro loco numeratur Sabatha seu Sabta, qui Astabarenorum, nunc abyssinorum Æthiopum regionem, incoluit atque ciuitatem Sabat de suo nomine reliquit, quam nunc Sabaym incolæ appellant, vnde fuit regina Saba; & vbi nunc longe lateque imperium extensum habet Ioannes Belal, hoc est, pretiosus siue altus Christianorum Æthiopum imperator, continuo in castris & tentoriis versans, atque etiam XVII. reges Mahumetanos tributarios habens. Regma autem quartus filius Chus, ad Orientalem plagam Arabiæ felicis consedisse, atque apud Anaritos ciuitatem, sibi cognominem Regmam condidisse putatur: quam long. 88. latitud. 23. grad. 20 minut. esse scribit Ptolemæus. Regmæ filii fuerunt Saba & Dadan. Hunc auctorem gentis Arabiæ desertæ esse aiunt, cuius & Isaias sub nomine *Dedanim*, & Ieremias sub nomine *Dedam* meminere: illum vero fundatorem vrbis Sabes regiæ: quæ longit. 76. latit. 15. graduum esse in Arabia felici apud Ptolemæum inuenitur. Sabatacham Sabatachenos instituisse ait Iosephus: quos à Nigri flumine postmodum Nigritas dictos quidam opinantur: quod flumen Africam ab Æthiopia dirimit. Nemrod vero vltimus filiorum Chus, arrepta tyrannide apud Babylonios mansit, sicut iam ante diximus.

*ANNI MVNDI.*

GETVLIA.

*Salust. de bello Iugurt.*

*Exempla Æthiop. Imp. ad Eman. Portug. regem.*

ÆTHIOPIA.

*Ptol. lib. 6. c. 7.*

*Isai. 21.*

*Ier. 24. & ibidem. Hieron.*

*Ptol. l. 6. c. 7.*

*Ioseph. Ant. lib. 1. c. 10.*

*Plin. lib. 5. cap. 4.*

Mesraim filio suo Ægyptum cessit Cham, quam prisco vocabulo etiamnum *Mizraim* appellant Iudæi. Hæc inter Catabathmon & Arabas à litore maris Mediterranei immissa, donec Æthiopiam dorso contingat, ad Meridiem refugit. Terra expers imbrium, mire tamen fertilis, & hominum aliorumque animalium perfecunda generatrix: Nilus id efficit, amnium in nostrũ mare permeantium maximus; qui æstiuo sidere exundans, eam irrigat adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque, vt glebis etiam infundat animas, ex ipsaq; humo vitalia effingat. Hoc de illo referunt; pariter ipsum nocere, siue abundantius exæstuet, siue parcius: quandoquidem exiguitas minimum fecunditatis apportet; propensior copia diuturno humore culturam moretur. Maximos eius exitus cubitos XIIX. consurgere, iustissimos XVI. temperari, nec in XV. abesse prouentus fructuarios: sed quidquid intra sit, famem facere. Hæc illa, de qua Lucanus canit,

*Pomp. Mela lib. 1. c. 9.*

*Solinus cap. 35.*



„ *Terra*

ANNI MVNDI.

Lucanus.

„ *Terra suis contenta bonis, non indiga mercis;*
„ *Aut Iouis: in solo tanta est fiducia Nilo.*

Diuiditur vero Ægyptus in superiorem & inferiorem; hæc mari proxima inter Nili brachia, findente ita se Nilo, vt triquetram terræ figuram efficiat *Delta*, dicitur, ob similitudinem litteræ Græcæ Δ. Illa, cui Æthiopia prætenditur, *Thebais* nominatur: propter Thebas centum portis nobilitatam vrbem. Porro Ægyptii Mesraim vocauerunt *Osirim*, de quo ita cecinit Tibullus:

Tibull. li. 1. leg. 7.

„ *Primus aratra manu solerti fecit Osiris,*
„ *Et teneram ferro sollicitauit humum.*
„ *Primus inexpertæ commisit semina terræ,*
„ *Pomaq; non notis legit ab arboribus.*
„ *Et docuit teneram palis adiungere vitem,*
„ *Ac viridem dura cædere falce comam.*

Diod. Sicul. lib. 1. & 6. de Fabul. Antiq. gestis.

Plin. 18. 22.

Quod si qua regio vitibus inepta esset; docuit ex hordeo potum fieri, haud multum virtute, gustuque vino inferiorem, atque auidum potorem, vini instar inebriantem. Est & Occidentis populis sua ebrietas fruge madida, pluribus modis per Gallias Hispaniasque; nominibus alijs sed ratione eadem Hispaniæ iam & vetustatem ea genera ferre docuerunt. Heu mira (exclamat Plinius) vitiorum sollertia! inuentum est, quemadmodum aqua quoque inebriaret. Cum ergo Osiris Ægyptum imperio suo moderatus, legibus, vitæque institutis ornasset atque excoluisset; Typhon frater ipsius illum interficiens, cadauer per Tanaiticum Nili ostium (quod adhuc Ægyptij abominantur) flumini in mare deferendum commisit. Quod cum agricolæ, qui locum Chenin vocatum habitabant, animaduertissent; disseminatis super Osiridis cæde tumoribus, vniuersam Ægyptum subitis repleuerunt tumultibus. Isis eius soror & coniux curauit illum iuxta Memphim sepeliri in palude; quam Stygem, id est, *mœrorem* appellauit. Porro cum penis (quem prisci occultius nominare volentes, *priapum* dixere) cadaueri abscissus non inueniretur; Isis imaginem eius sactauit, cærimoniasque & sacra, cum risu & ludo, illi fieri docuit. Nam hoc turpe membrū festo die cum honore magno plostellis impositum, prius per rura in compitis, & vsq; in vrbem postea vectabatur. Variæ gentes huic membro immortalem honorem quoque impendentes, sub varijs nominibus illud coluerunt. Nam Moabitæ *Beelphegor*, Philisthæi *Beelzebub*, Iudæi *Miplazeth*, Græci *Phallon* & *Ityphallon*, Latinique *fascinum* atque *Mutinum* nuncupauerunt. Apud Thebaidis vero, quæ ciuitas antiquissima est, vt Diodorus refert, incolas

August. de Ciuit. lib. 7. c. 21.
Num. 25.
Hier. li. 2. in cap. 9. Osee.
4. Reg. 1.
3. Reg. 15.

Arnob. August. de Ciuit. lib. 4. cap. 11. Diod. Sicul. lib. 1. de Fab. Antiq. gestis.

colas omnium maximum habetur iusiurandum, per Osiridem in nubibus exsistentem. Hæc de Osiride eiusque verendis. Asserunt autem præterea Ægyptii, Isidem plurium inuentricem ad morbos medicamentorum, & medicinæ arti multum contulisse. Orum quoq; interpretari Apollinem dicunt, qui post patrem Osiridem vltimus Deorum apud ipsos regnauerit; quem mater Isis medendi, diuinandiq; artem docuerat, illumq; cum oraculis, tum medelis plurimum vtilitatis attulisse. ANNI MVNDI.

## TEMPORA EXTERNA.

### *Regnum Babylonicum.*

NEMROD anno 131. post diluuium, instituit regimen Babylonicum: cui præfuisse scribitur annis 56. & deinde non comparuisse. 1789.

Successit ei in regno filius Belus, qui regnauit annis 65. Hunc 1845. sideralis scientiæ inuentorem fuisse; durareque sua ætate Iouis Beli templum narrat Plinius: Gemmam quoq; albicantem, quæ pupillam pingit nigram, è medio aureo fulgore lucentem *Beli oculum* appellari. Hæc propter suam speciem, inquit, sacratissimo Assyriorum Deo dicatur. Hanc gemmam corrupto vocabulo nunc *Belloculum* nominant, à pulchritudine & oculo. *Plin. lib. 6. cap. 26. & l. 37. c. 10. & Georg. Agr. de Fos. lib. 6.*

### *Monarchia prima Assyriorum.*

ASSVR Semi F. quem Ninum Græci vocant, gentis Assyriæ 1906. princeps, cum Semiramidem, Beli ex Dirce Ascalonita filiam, in vxorem haberet mortuo Belo anno Thare 28. qui mundi est 1906. etiam Babyloniis imperare cœpit, constituens primam Monarchiam: cuius amplitudinem declarat Isaias dicens: *Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit: Assur fundauit eam.* Apud Danielem vero illa capiti statuæ ex optimo auro, ob præstantiam; & Leænæ, ob fortitudinem & nobilitatem adsimilatur. Ninus namq; domitis proximis quibusque, cum accessione virium fortior ad alios transiret, & proxima quæq; victoria instrumentum sequentis esset; totius Orientis populos subegit. Postremum illi bellum cum Zoroastre Bactrianorum rege fuit, qui primus dicitur artes magicas inuenisse; & mundi principia, siderumq; motus spectasse diligentissime. Quo in pugna interfecto, dum vrbem à se deficientẽ oppugnat, ictu sagittæ interiit: cum 52. annis imperasset, relicto impubere adhuc filio Nino, ex vxore Semiramide. *Dan. 2. & 7. Iustin. lib. 1.* LEÆNA. *Gen. 20.*

Semiramis Ascalonita ipsius Nini vidua mortuo succedit, per 1957. quadraginta & duos annos bella longe lateque gerens. Nam

 Æthio-

ANNI MVNDI. Æthiopiam regno adiecit, atque Indis quoque bellum intulit: vbi ad Cophem flumen Achetosiam condidit. Mulier nefandæ libidinis, maximeq; fastuosa: vt quæ sibi craterem fieri curauerat, cuius pondus quindecim talenta pendebat: quorum singula septuaginta duarũ librarũ erant Atticarum, h. e. mille sexcentarum & viginti marcarum. Tigrim & Euphratem fossis mirabili opere deduxit. Babyloniam per sexaginta millia passuum circumdedit muris, ducenos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes mensura tribus digitis ampliore pede Romano. Hi ab Ieremia etiam celebrati mundi miraculis annumerantur, hanc condiderat Arbe, proceritate corporis inter posteros Enachin excellens, annis septem antequam conderetur Tanis vrbs Ægypti. Fuit Semiramis prima omnium, quæ mares castrare instituit: vocaturque ab eodem Propheta Ieremia *Columba*.

*Oros. l. 4. Strabo 16. Plin. 8. 42. Ælian. 22. Ierem. 51. Num. 24.*

2000. Sameis Ninias regnat triginta & octo annos: pacemq; ignaue colens, in feminarum turba consenuit.

2038. Arius triginta annos regnans adiecit imperio Bactrianos & Caspios.

## ÆTAS MVNDI TERTIA.

1970. ARAN filius Thare, prognatis Loth filio, Melcha & Iesche
1980. seu Sarai filiabus, moritur: quarum Melcham Nachor, Sa-
2000. rai vero Abram duxerunt vxores.

2007. Thare Abram à Deo monitum & Sarai, vna cum Loth nepote ex Aran, tulit de Vr Chadæorum: petensq; terram Chanaan mansit in Haran seu Carræ ciuitate Mesopotamiæ & habitauerunt ibi, quod cum vnum Deum cæli colerent, noluerant adorare Deos Chaldæorum: sic itaque eduxit Deus Abram de Vr Chaldæorum. Chaldæi quippe ignem, quasi fortissimum, omnes æreos, lapideos, ac ligneos Deos consumentem, Deum suum statuerunt. Sed elusi ab Ægyptiis hoc modo fuere: Hydriam, foraminibus cera obturatis, plenam aqua in Canopi simulacrum efformarant: quã cum succenso igne destruere parabant Chaldæi, cera resoluta calore, aqua foraminibus effluens ignem exstinxit: sicque Canopum ignis victorem gloriabantur Ægyptii sacerdotes.

*Gen. 11. Act. 7. Iudith. 5.*

2009. Noe moritur postquam vixerat nongentis quinquaginta & vno annis.

2019. Nachor quoque Haran Mesopotamiæ commigrauit, & cum patre Thare Diis seruiunt alienis. Quare Thare spiritu erat mortuus, non corpore, cum Abram illinc migraret.

*Vide de Thare & Nachor Philonem, li. de mund.*

Abram

Abram Dei iussis obtemperans cum vxore Sarai & Loth nepote ex fratre, ex Haran egreditur, natus septuaginta quinque annos: venientique in Sichem, promittit Deus, se semini eius terram illam daturum, quam tunc possidebant Chananæi. Quare gratitudinis ergo, constructo ibi altari, tabernaculum suum tetendit ad montem, vt haberet Bethel ab Occidente, & Hai ab Oriente: vbi quoque ædificato altari Domino, inuocauit nomen eius, inde pergens versus Meridiem: vnde ob famem migrauit in Ægyptum. A quo tempore numerandi quadringenti & triginta anni illi sunt, quibus ipse semenque eius sunt peregrinati super terram, vsq; ad exitum ex Ægypto; qui Exodi 12. & Galat. 3. referuntur. Vti quadringenti anni Genes. 15. & Acto. 7. intelligendi sunt (quamquam difficile) a nato filio eius Isaac.

ANNI MVNDI. 2014.

*Gen.12.*

Porro Abram Ægyptum ingressus Sarai vxorem suam esse tacuit; vt homo insidias cauendo: at Deus hoc prodidit, Pharaonem, formâ Sarai captũ affligendo. Quare cũ gratus ac ceptusq; Regi fuisset, quod * numerorum & siderum scientiam Ægyptijs benigne communicasset: dimissus cũ familia rebusq; suis deducitur in terram Chanaan, habitauitq; in conualle Mambre, quæ est in Hebron: quam condiderat Arbe proceritate corporis inter posteros Enachin excellens, annis 7. antequam conderetur Tanis vrbs Ægypti.

*Aug. lib. 16. de ciuit. Dei c 19*

** Complures Socratem in Phad. o Platonis Theut qui Ægyptiis sub Thamo litteras, Arithmeticã, Geometriamq; tradiderat, Abrahamũ putasse existimant. Unde Ioseph. lib. 1. c. 18.*

Cumq; & ipse & Loth abundarent pecore, vt commode non possent habitare simul; Loth delectatus amœnitate loci, à Iordane irrigui, migrauit Sodomam, habitauitq; vir pius inter homines pessimos & peccatores coram Domino nimis. Quibus cum Amraphel Rex Babyloniæ, quod ab eo defecerant (opibus enim iuuentuteq; abundans quinq; Regibus regio parebat) adiunctis sibi Elasar seu Ponti, Ælamitarũ seu Persarum (hic Chodorlahomor nomine 13. abhinc annis eos subiugauerat) & Gentium Regibus, bellũ inferret: percussis Gigantibus, ac fortissimis populis, qui circumcirca habitabant, eorũ Reges prælio deuicit; prædaq; opimâ potitus, etiam Loth captiuum abduxit. Hunc ergo Abram cum 318. expeditis vernaculis Mambre, Escho', Aner Amorrhæis ipsi confœderatis persecutus incautũ nocte oppressit: Loth omnesque captiuos atque vniuersam prædam reduxit, hostibus in Phœniciam vsque propulsatis. Cui victoria claro gratulabundus vsq; ad Campum Regium (hoc nom ẽloco erat) Bara Sodomorum Rex occurrit. Quin & Solymæ vrbis rex iustus ac pacificus Melchisedech (Sem hunc fuisse, filium Noe plerique autumant) ipsi obuians, panemque ac vinum sanctificarum proferens (erat enim sacerdos Altissimi) benedixit, & hymnum debitum Deo concinuit. Cui & Abram decimas de

*Gen. 13. & 14*

ANNI MVNDI. *Heb. 7.* *Epist. ad Euagrium.*

manubiis dono dedit. Hunc Apostolus sine genealogia vocat: quod Scriptura hoc loco eius parentes non referat, nec progeniem, nec mortem. Hieronymus Salem Scytopoli propinquam vrbem dicit, vbi ostendebatur palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis magnificentiam ostendens. Ceteri scriptores omnes Hierusalem esse aiunt. Cum ergo & ea regni nomine censeatur, *Iosue* 10: vt apte mysterio inseruiat; non video quare ab eorum opinione discedendum sit. Condidit enim vrbem in Sione monte, dixitque *Salem*, hoc est *pacificam* seu *εἰρηνόπολιν*, in qua cum regnasset annos centum & tredecim, obiit vir iustus, & per omnem ætatem virgo. Genealogia eius non explicatur, quod esset genere Chananæus. Minime namque decuisset, eum qui summæ iustitiæ compos esset, cum familia summa iniustitia prædita coniungi. Itaque eum patre & matre carere dicunt. Natione fuisse Chananæum ex hoc liquet, quod in medio regionis Chananæorum regnauerit. Melchisedech sacerdos non Hebræorum tantum, sed & Gentium; sic & Christus non pro Iudæis solum, sed etiam pro vniuersis seipsum obtulit Deo. Hic Melchisedech vir religiosus Ethnicus, genus ducens à Side filio Ægyptiorum Regis.

Deinde Abram de posteritate iam desperanti, ipsi heres filius semenque instar stellarum multiplex à Deo promittitur: &, quod Deo fidem adhibuerit, ad iustitiam ipsi reputatur.

PROGE-




Sarai quoque cernens se sterilem, caussa prolis agar ancillam viro tradit, eadem caussa ipsam recipienti: sicque non quærebatur ab vtroque luxus, sed fructus naturæ. Gen. 16. D. August. de ciu. Dei l.16.c.25.

Agar post fugam rediens, peperit Ismaëlem Abram octoginta sex annos iam nato. 2035.

Abrahæ peregrinanti in Geraris rex Abimelech Sarai tollit: cumque sterilitate domus Regis puniretur, cum magnis donis restituitur Sarai viro: danturque Abrahæ mille argentei. Nec antea in sacra historia mentio vsquam fit pecuniæ Hincque iam apparet, *Monetam mirando Dei dono traditam, Principum beneficio mortalibus dispensatam, & probatam in vsum commerciorum fuisse*

ANNI MVNDI.

*conuersam, atque pro solutione rerum emptarum appensam. Inter damna enim Resp: non ferenda, solidorum figura aliquantorum fraudibus deprauata diuersa populos ratione sollicitat. & Regiæ Maiestatis imaginem (dum per monetæ culpam refutatur) imminuit.* Ementis vero huiusmodi solidis fraudulenta calliditas, & vendentis damnosa necessitas, difficultatem quamdam ipsis contractibus inferunt, ne rebus possit inesse simplicitas.

2048. *Abram* postquam nonaginta nouem esset annorum, *Abraham*, quasi patrem multarum Gentium, vocauit eum Deus. & Sarai *Saram*; hoc est, principem, de qua promisit nasciturum Isaac eodem tempore sui sequentis anni: Ismaël quoque futurum in gentem magnam, & duodecim Duces generaturum. Instituit etiam circumcisionem octauo die fieri in signum fœderis. Sicque Abraham nonaginta nouem annos natus circumcidit carnem præputii sui. Ismaël quoque, qui tredecim annorum erat, circumciditur, & omnes viri domus eius. Deinde tres Angelos hospitio excepit, pedes lauit, appositisq; vitulinis, butyro, lacte, panibusque trium satorum subcinericiis, ipsis adstans ministrauit ad mensam sub arbore ilice (quæ ad Constantii minoris principatum narratur durasse) Sara ad tabernaculi ostium ridente, cum audiret se parituram iam anum octoginta nouem annorum, Abraham Angelos discedentes comitatus, audit cladem Sodomæ superuenturam. Nam ciuitas illa, simul & Gomorrha, omnisque vicina regio, pluente Domino ignem & sulphur conflagrauit: educto prius Loth cum filiabus & vxore; quæ, contra mandatum respiciens in statuam salis transformata fuit. & regio in lacum bituminosum. Loth vero in cauerna montis latitantem filiæ vino inebriant, propagandique humani generis ergo ab incio concipiunt: vnaque Moab, altera Cimmon pariūt auctores gentium, quæ Cœlesyriam incoluere Moabitarum & Ammonitarum.

(*Philo lib. de mutatione nominibus. August. de Ciuit. Dei, lib. 18. c. 2. Euseb. de præparatione Euangelica lib. 9. c. 4. Gen. 17. & 18. Gen. 19. Hieron. de locis Hebraicis. Vide Ezech. 16. Gen. 19.*)

2049. 2054. 2057. *Sara* parit Abraham centum annos nato filium *Isaac*, qui *risus* interpretatur. Hic octauo die circumciditur, & anno quinto præparato conuiuio ablactatur; cum Ismaël, vt maioris ætatis, ludo ac ioco sibi primogenita vindicans, domo cum matre eijcitur: Deo tum inter filium carnis & spiritus palam discernente.

(*Gen. 21. & ibi Hieron. Galat. 4.*)

Gra-

Gradus cognationis & consanguinitatis Isaac secundum ius ciuile.

*6. Phaleg Tritauus*

*5. Reu Atauus*

*4. Sarug Abauus*

*3. Nachor Proauus*

*2. Thare Auus*

*3. Aran Patruus* *1. Abraham Pater* *3. Nachor Patruus*

*4. Lot Patruelis,* *2. Ismael frater,* ISAAC *2. Iectan frater,* *4. Bathel Patruelis,*

*5. Filia Patruelis,* *3. Nabaioth nepos ex fratre,* *1. Iacob filius,* *3. Dadan nepos ex fratre,* *5. Laban F. Patruelis,*

*6. Moab filius filia Patruelis,* *4. Pronepos ex fratre* *2. Iudas nepos* *4. Assurim Pronepos ex fratre,* *6. Lia neptis Patruelis*

*5. Abnepos ex fratre* *3. Phares Pronep.* *5. Abnepos ex fratre,*

*6. Adnepos ex fratre* *4. Hesron abnepos* *6. Adnepos ex fratre*

*5. Aram adnepos*

*6. Aminadab trinepos*

Gradus consanguinitatis secundum Canones.

*Isaac pater,*

*1. Iacob fratres Esau*

*2. Iudas Patrueles Rabuel*

*3 Phares filij Patruelium Zara*

*4. Hesron nepotes Patruelium Iacob*

Gradus affinitatis.

| | | |
|---|---|---|
| | | *Thare pater* |
| *Leui soror Dina, frater Aser Iochabeel Consobrini Baira. Maria filij Consobrinorum, Heber, Vri Nepotes Consobrin. Suarũ.* | *Nachor Loth Laban Moab quatenus nepos ex filia Loth.* | *1. Cetura uxor Abrahami 2. Rebecca uxor Isaac 3. Zelpha uxor Iacob 4. Sephora uxor Ioseph.,* |

ANNI MVNDI.
*2062.
2067.
2047.
2076.
*Gen.22.*
*Oros.l.c.7.*
*Iosephus l.1. c.13. & l.7. cap.10. Meminit & pictura huius historia Gregorius Nyssenus sic scribens*; Vidi sæpius imaginem, & sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter poneret ob oculos historiam.
*Eccl.44.*
*2068.

* *Abraham* sanxit fœdus cum Abimelech rege Geraræ, loco nomen Bersabeæ, quod vterque ibi iurarit: vbi & nemus Abraham plantauit, & inuocauit ibi nomen Domini Dei viui, habitans ibidem multo tempore.

Non satis Deo visum Abraham fidem atque obedientiam explorasse exitu de terra sua, ac circumcisione: tertio tentando, iussit ipsum filium suum vnigenitum Isaac, iam viginti quinque annos natum, sibique in omnibus morigerum offerre in holocaustum super montem Moriam (hic ædificato postmodum templo à Salomone, sacrificia Deo fiebant) terram visionis dictam: quem fide perfectaque obedientia, quantum in se erat, etiam immolauit, in tentatione inuentus fidelis. Quare cum Dominus illud prohiberet: aries repente apparens mactatus eius vice fuit.

## EXTERNA TEMPORA ABRAHÆ.

### *Monarchia Assyriorum.*

ARALIVS* imperio ac arte militari clarus imperauit quadraginta annis: attamen deditus fuit pompis, gemmis, aliisq; deliciis muliebribus, vt narrant.

Indorũ sapientes, qui quod nudi præter verenda incederent, Gymnosophistæ dicebantur, omnis publici ministerii vocationem habebant, cunctisque erant venerabiles. Nam primum locum dignitate & auctoritate inter septem Indorum ordines, obtinebant. Hi in nouum quemque annum ad concilium magnũ accersiti, siccitates & imbrium magnitudinem, flatus ventorum, sterilitates agrorum, vberesque prouentus, nec non quæ ad montes spectarent prædicebant, res humano generi perutiles: Cum reges aliique qui rebus publicis præessent, ea audientes, præpararent quæ defutura esse crederent. Quod si iis contingeret falli fallereque in illis quæ prædixerant; plectebantur ea pœna, vt omnem reliquam vitam in silentio transigerent. Committebantur Gymnosophistis sacrificia Deorum, atque mortuorum cura: credebantur enim Diis grati, & rerum infernalium periti; cum contemnerent mortem & Numen diuinum multa pietate venerarentur.

Maxima admiratione dignum est Brachmanarum in India videre nationem: hominum, inquit Hierocles, Philosophantium, & Diis immortalibus mirifice gratorum: quos cum omnes colere impensius, tum Solem præcipue ipsum & veritatem venerari consueuerunt: cui maxime deuoti, & consecrati esse perhibentur. Ii ab omni carnium vsu, delicatioribusque insuper mensarum epulis per omnem semper pertinaciter abstinent vitam,

vitam, & sub dio adsidue degunt. Vestibus autem vtuntur linceis omnes; non quidem ex eo, quod satu è terra nascitur, sed ex genere quodam lini, quod à petrarum marginibus depectitur: quarum abradentes floccos & carminantes in vellera, ea tenuissima deducunt in fila, & contexunt lintea, vestesque inde conficiunt: quarum sordes igne expurgantur. ANNI MVNDI.

Balous Xerxes cognomento, id est, victor ac triumphator, extendens imperium ad Indiam vsq; regnat triginta annis. 2124.

## SARA MORITVR.

*Sara* cum vixisset annos centum & viginti septem, mortua est in Hebron, quæ & *Arbee Mambreq;* dicitur: vbi Abraham ipsam sepeliuit empto ab Ephron filio Seor Hethæo, agro cum duplici spelunca, in possessionem monumenti, quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ, qui singuli quatuor denarios tunc valebant, si: quæ precium monumenti bis mille vellensibus seu Vlijsesis æquatur. 2086.

*Abraham* prouectæ erat ætatis, cum sollicitus de Isaac filio ætatis annum quadragesimum tunc agente, mittit seruum seniorem in eam Syriæ partē (quæ, quod illam Euphrates Tigrisq; circūfluunt, Mesopotamia dicitur) vt ex cognatione sua (intellexerat n. ex Melcha Nachor fratrē prole multiplici auctū) vxorē filio adducat. Qui postquam Haran venerat; Rebeccam, tradentibus ipsam Bathuel patre ac Laban, fratre, herili filio desponsatam secum tulit: comitante eam Deborá nutrice. Aduenientes, dum ad philosophandum egressus sub vesperam esset, obuius excepit Isaac; illamq; in vxorem domum duxit, oblitus mœroris, quo se triennio, ob mortem matris Saræ, afflixerat. *Gen. 24. & 25.* *Eusebius de præp. Euang.* *Gen. 22.* 2089.

Sed & Abraham Cethuram duxit, ex qua iam decrepitus sex filios procreauit: demonstrans hocce suo coniugio post mortem couiugis iterum coniugari non esse peccatum.

*Isaac* deprecatus Dominum pro vxore, quod sterilis esset, impetrauit eam geminos concipere, duorum populorum principes: quorum maior esset inseruiturus minori, magno documento gratiæ, cum neuter ab originali peccato liber esset, & neuter quoque ex se peccauerat; tamen alterum dilexit, alterum odio habuit Deus. Itaque nati sunt ex Rebecca Esau rufus ac hispidus, & Iacob plantam pedis fraterni manutenens, nouemdecim annis antequam Abraham moreretur: cum iam esset Isaac natus annos sexaginta, quibus & centum & viginti superuixit.

*Abraham* filijs concubinarum dans munera ablegat eos ad plagam Orientalem separando illos ab Isaac, quem ex asse here-

ANNI MVNDI. 2142. dem possessionum suarum constituit: moriturq; annos centum & septuaginta quinq; natus, atq; sepelitur apud vxorem Saram in spelunca duplici, è regione Hebron, ab Isaac & Ismael filiis suis.

*Esau* agricola gnarus venandi, defessus atque esuriens, fratri Iacob, qui vir simplex in tentoriis versabatur, vendit ius primogenitorum, iuramento intercedente, ob pultem rufam ex lente confectam, & panem: non ob delicatioris cibi genus, sed ob immoderatam auiditatem culpandus.

Oborta fame præter eam, quæ tempore Abraham fuerat, Isaac cum vxore Gerara profectus ad regem (Abimelech enim generale nomen Regum est Palæstinorum) ex semente centuplum collegit. Quare ditatus armentorum ac gregum possessionibus, fuit inuisus Palæstinis: cum puteos obstruerent, quos foderat, & pastores eius adaquare pecora prohiberent Palæstini. Itaque recedens inde, Bersabee migrauit: vbi cum Rege excepto conuiuio; inito fœdere sibi inuicem iuramentum præstiterunt.

*August. lib. 16. de Ciuit. Dei, c. 36.* Isaac Patriarcha nec vxorem habuit aliam, nec aliquam concubinam; sed posteritate duorum geminorum ex vno concubitu procreatorum contẽtus fuit. Nec ideo istum patri Abrahamo præferre debemus, quia nullam feminam, præter vnam coniugem, nouerat; erant enim proculdubio paternæ fidei & obedientiæ merita potiora: in tantum, vt propter patrem dicat Deus filio facere, quæ fecit. *Gen. 22.* *Benedicentur quippe*, inquit, *in semine tuo omnes gentes terræ, pro eo, quod obaudiuit Abraham Pater tuus vocem meam, & mandata mea, & iustificationes meas & legitima mea.* Sic ergo nouerimus, non ex bonis singulis homines inter se cõparare, sed in vnoquoque consideremus vniuersa. Fieri enim potest, vt habeat aliquid in vita & moribus quisquam, quo alium superet; idque sit longe præstabilibus, quam est illud, vnde ab alio superatur.

2149. *Gen. 26.* *Esau* vero iam quadragenarius duxit Iudith filiam Beeri, & Basemath filiam Elon Herseas in vxores, quæ ambæ Isaac ac Rebeccam offenderunt: quarum hæc etiam Ada, illa Oolibama vocabantur. His tertiam adiunxit Basemath, filiam Ismael, sororem Nabaioth.

*Gen. 11.* 2159. *Ioseph. l. 3.* *Sem* moritur, cum vixisset annum magnum: nempe sexcentos annos.

*Esau*, iussu patris, venatum eunte, Iacob matris callido obtemperans consilio à patre benedicitur, cum is cæcus iam esset, loco Esau. Quare fratris minis territus concessit Haran, vbi auunculo Laban seruienti pro filia Rachel septem annis, Lia supponitur; dicente patre non esse moris, vt iuniores ante nubant: exspectet

expectet dies septem, & Rachel quoque accipiat pacto, vt post peractas nuptias septem præterea annos ipsi seruiat. Acceptata igitur conditione, octauo die duxit quoq; Rachel. ANNI MVNDI.

Primo post nuptias hasce anno peperit ipsa Lia *Ruben*. Annoque sequenti *Simeon*.

*Rachel* se infecundam videns, tradidit viro ancillam suam Balan, ex qua natus *Dan*, & deinde *Nephtalim*.

Tertio anno peperit Lia *Leui*, proximo deinde anno *Iudam*, tuncq; se parere desiisse sentiens, Zelpham marito dedit, ex qua *Gad* natus est atq; etiam *Aser*.

Deinde Ruben puer quinq; annorum egressus tempore messis inuenit Mandragoras, quibus ad matrem delatis, mercata est illa iis concubitum mariti à Rachel sorore. Sicque Lia concipiens peperit *Ioseph*. Cumque proposuisset Iacob redire in patriam; detentus a socero, sex annis pro peculio seruiuit, vsus calliditate insigni (physices enim peritus erat) in adaquandis conceptus tempore gregibus. Quare pecoris diues factus, clam cum omnibus Mesopotamia discessit. At ipsum consecutus Laban, fœdus cum eo iureiurando iniit: locoque nomen iuxta proprietatem linguæ vtriusque inditum, vocatusque deinceps *Galaad*.

Christianus Massæus scribens Iacob anno ætatis septuagesimo octauo cœpisse seruire Laban, deceptus est verisimili numeratione ætatis Ioseph. Erroris enim conuincitur ex *Gen* 38. nam non erat possibile Hesron & Hamul natos cum Iacob intrasse Ægyptum, si anno ætatis eius octogesimo octauo natus fuisset Iudas: nam plus minus viginti annos intercessisse oportuit à venditione Ioseph vsque ad natum Phalech, qui pater Hesron fuit.

Proficiscenti inde Iacob Angeli obuii facti sunt: loco nomen Mahanaim, quod dixerat Castra ibi esse Dei. Cum, nuntiis præmissis fratris potentiam formidaret, suosque tradux sset torrentem Zaboc, ac solus esset; cum Angelo tota nocte luctatur: qui ipsi nomen *Israel*, quasi præualenti indidit, neruumque femoris tetigit; vt eo crescente, pede claudicaret. Hinc posteritati religio neruis veici.

Vnde digressus venit in Hebron habitans apud patrem suum Isaac. *Quid sapientius* inquit D. Ambrosius, *sancto Iacob qui Deum vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid iustius, qui ea, quæ acquisierat, oblatis muneribus, cum fratre diuisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius, qui modestiam ita & locis & temporibus deferebat, vt filia iniuriam mallet prætexere coniugio, quam vindicare: eo quod inter alienos positus, amori potius consulen-* *Ambros. de offic. I. 25.*

ANNI MVNDI.

*consulendum, quam odia colligenda censebat? Imitemur ergo & nos odorem eius, virtutes eius, laborem eius. Sicut enim Abrahæ opera facere debemus, vt filij eius iure appellari mereamur; ita etiã exercitia atque certamina S. Iacob subire debemus vt Deus Iacob, Deus noster esse credatur.*

*Idem semper Psal. 45.*

Post reconciliatum fratrem Esau quadringentis viris comitatum (eo enim potentiæ peruenerat) terram ingressus Chanaan in propinquo Salem, seu Sichem; agrum à filiis Hemor Heuæi, Principis regionis, emit centum agnis (sunt qui nummos fuisse existimant valoris quinque siclorum argenti) vbi ædificata domo fixisque tentoriis (hinc *Sochot* loco nomen) habitauit: atque erecto altari, super illud inuocauit fortissimum Deum Israel.

*Gen 34. Oros lib. 1 cap. 7.*

*Dina* vixdum quindecim annos nata, egressa ad spectandum Sichemitas mulieres, à Sichem filio Hemor rapitur ac violatur. Quod scelus fratres vterini Simeon ac Leui fraude vlti sunt; ipso etiam Hemor cum Sichem & omnibus masculis trucidatis. Quare Iacob sibi metuens, admonitus Dei oraculo, defossis sub terebintho arbore idolis, quæ Rachel clam à patris abstulerat ædibus, Luzam seu Bethel migrauit: vbi secundario ipsi nomen *Israel* fuit à Deo inditum. Inde rursum digressus Rachel parit in via, quæ ducit Ephratam seu Bethlehem versus Beniamin: vnde reges, nẽpe Saul & Isboseth, progressuros Deus ante prædixerat. Sed cum ex partu illa moreretur; ibi condita fuit monumento titulo decorato. Quo fere tempore, incestum perpetrauit Ruben cum Bala concubina patris sui: cum Iacob fixerat tabernaculum ad turrim Edor seu gregis.

*August. de Ciuit. 18. 3.*

Vnde digressus venit in Hebron, habitans apud patrem suum Isaac. Eodem tempore Ioseph sexdecim annos natus, detulit ad patrem crimina filiorum Bala & Zelpha: vnde inuidia fratrum aduersus eum orta narratione somniorum vsque eo creuit; vt ipsum vendiderint viginti argenteis (hos æquari sex marcis & duabus vncijs argenti volunt) Madianitis ab Ismael oriundis. Qui deductum in Ægyptum, Putiphari præfecto militiæ Pharaonis vendiderunt.

*Vide Aug. Serm. 8. de temp. & in libro de Ioseph.*

Secundum vero Allegoricam rationem, Ioseph inse typum Domini gessit quod prius cognoscimus in eo, quod tunicam multicolorem habuit: & Dominus ac Seruator noster Ecclesiam ex variis gentibus congregatam, veluti indumentum vestis accepit. Est & alia varietas tunicæ huius: habet Ecclesia diuersas & varias gratias, habet Martyres, habet Confessores, habet sacerdotes, habet ministros, habet virgines ac viduas, habet operarios iustitiæ: sed varietas illa non est colorum, sed gratiarum. Ioseph distractus à fratribus, ab Ismaelitis comparatus est; & Sal-

ANNI MVNDI.

& Saluator distractus a Iudæis, à gentibus comparatus est. Denique Ismaelitę, qui Ioseph comparauerunt, diuersa secum odoramenta portabant; vt inde ostenderetur, quod gentes venientes ad fidem *Christi*, diuersis odoribus iustificentur, toti mundo fragrantes.

*Iudas* duxit vxorem Sua Chananitidem, quæ ipsi peperit filios Gen.38.
*Her, Onan*, & *Sela*.

*Ioseph* cum benigne à Putiphare exceptus, domumque eius 2203.
ac familiam procuraret: decorus insigni specie vxoris heri sui oculos in se conuertit. Quæ cum amore eius deperiret; expetitum sæpius, nec acquiescentem sibi, per calumniam accusat: viroque conqueritur stuprum sibi ab ipso esse intentatum. Quare Gen.39.
in carcerem coniectus est.

*Ioseph* annos natus triginta interpretatur Regi somnia sua cum biennio ante, pincernæ ac pistori regis, quæ ipsis euenere, declarasset. Quare à Pharaone exaltatur, regnoque præficitur, 2209.
longo tempore ante annos vbertatis & famis. Oportet enim Ioseph viginti annis plus minus ante Ægypto prę fuisse, ratione posteritatis Iudæ & Beniamin. *Quid de Ioseph loquar* (inquit Ambrosius) *qui vtique habebat cupiditatem libertatis; & suscepit seruitii necessitatem? Quam subditus in seruitute! quam in virtute constans! quam benignus in carcere! sapiens in interpretatione, in potestate moderatus, in vbertate prouidus, in fame iustus, ordinem laudis rebus adiungens, & opportunitatem temporibus, æquitatem populis officij sui moderatione dispensans!* Ambr. l. 1. de offic. cap. 24.

*Her* in vxorem ducens Thamer à Deo occiditur, quod nequā Gen.38.
esset in oculis eius. *Onan* quoq; à Domino percussus fuit, quod ducta Thamar, fratris semen suscitare noluerit.

*Sua* vxor Iudas moritur: & ex eo Thamar concepit ac peperit *Phares* & *Zara*: illum patrem prodens, prolatis annulo, armilla ac baculo, quæ ab ipso pro arrhabone receperat.

*Isaac* cum vixisset annos centum & octoginta, mortuus est; 2229.
& à filiis Esau & Iacob sepultus apud parentes, & vxorem suam Rebeccam.

*Esau* tollens vxores & omnem substantiam ex terra Chanaan, Gen.26.
à fratre suo migrauit in montem Seir, qui est Edom. Gen.41.

Annus primus vbertatis per Ægyptum. 2231.

Ioseph nati sunt Manasses & Ephraim ex Aseneth filia Puthipharis sacerdotis Heliopoleos, antequam veniret fames.

Annus primus famis. Nilus enim vt diuturno humore cultu- 2236.
ram moratur agrorum: ita exiguus, minimum fecunditatis apportat: quæ est caussa famis in Ægypto.

*Phares* genuit Hesron & Hamul. 2239.

*Iacob* a Ioseph filio vocatus & Dei monitus oraculo, iam centum

ANNI MVNDI.

tum & triginta annos natus, descendit in Ægyptum, cum sexaginta sex posteris: sic vt ipse cum Ioseph eiusque filiis, illis annumerati septuaginta numero omnes fuerint, præter vxorem isorum.

Hæc est quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. *Psal. 23.*

Numerus redeuntium in terram promission.

- IACOB LIBERI EX
  - *Lia*
    - *Ruben* — 43730.
      - *Hemon*
      - *Phallu*
      - *Hesron*
      - *Charmi*
    - *Simeon* — 22200.
      - *Iamuel*
      - *Iamin*
      - *Ahod*
      - *Iachin*
      - *Sohar*
      - *Saul*
    - *Leui* — 23000.
      - *Gerson*
      - *Cabath.*
      - *Merari*
    - *Iudas* — 76500.
      - *Zela*
      - *Phares*
        - *Hesron*
        - *Hamul*
      - *Zara*
    - *Issachar* — 64300.
      - *Thola*
      - *Phua*
      - *Iob*
      - *Simeron*
    - *Zabulon* — 60500.
      - *Sared*
      - *Elon*
      - *Iahelel*
    - *Dina*
  - *Zelpha*
    - *Gad* — 40500.
      - *Sephon*
      - *Aggi*
      - *Esebon*
      - *Sum*
      - *Heri*
      - *Arodi*
      - *Areli*
    - *Aser* — 53400.
      - *Iamma*
      - *Iesua*
      - *Iessui*
      - *Beria*
        - *Heber*
        - *Melchiel*
      - *Sara soror eius*

*Rachel*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Rachel | Ioseph | Manasses | 52700. |
| | | Ephraim | 32500. |
| | Beniamin | Bela | |
| | | Bechor | |
| | | Asbel | |
| | | Gera | 45600. |
| | | Naaman | |
| | | Echi | |
| | | Ros | |
| | | Mophim | |
| | | Ophim | |
| | | Ared | |
| Bala | Dan. | Husim | 65600. |
| | Nepthalim | Iasiel. Gum. | |
| | | Ieser. Sallem. | 45400. |

*Iacob* habitauit septemdecim annos in terra Gessen: & post- 2256.
quam filiis ventura prædixisset, ac vaticinatus esset de Christo, moritur annos natus centum & quadraginta septem: translatusque Ægypto pompa funebri, sepelitur apud parentes & vxorem Liam in Hebron.

Hesron genuit Aram

Circa hæc tempora vixit in terra Hussitide inter Palestinam & Cœlesyriam *Iob*, vir columbinæ simplicitatis summæque pru- Iob.1.
dentiæ, exemplar quoque perfectæ patientiæ. Creditur eius domus, teste Hieronymo, fuisse in Astaroth, regia Og regis Basan in tribu Manasse, concessa Leuitis. Abundabat hic non modo diuitiis, sed etiam scientia iuris clarus erat, tum consulendo, tum etiam patrocinando iniuriam patientibus. Orator quippe tan- Iob.29.
tus; vt ipso dicente senes adsurgentes starent, duces voces suas cohiberent, & Principes superponerent digitum ori, prædicantes eum beatum; quod benedictione periturus alioquin, eum prosequeretur, & cor viduæ ab ipso consolaretur. Fuit et- Iob.36.
iam Matheseos, Physices ac Medicinæ peritus, & religione pura sedulo Deum colens. At subito opibus liberisque decem priuatus, vlceribusque pessimis repletus, irridetur etiam, patienter ferendo, ab vxore & amicis. Siue ergo ex Esau fuerat (vt Origenes existimat) siue ex Nachor (vt Hieronymus putat) oriundus; certo agnatus erat filiis Israel. Liber eius vitam continens, Heroico ferè carmine, instar Tragicomœdiæ, conscriptus, tam multiplicis & raræ doctrinæ est: vt qui vel sensum litteralem eius percipere, oporteat ipsum omnis Philosophiæ esse peritum. Nullus sententiam suam de carnis resurrectione hoc sæculo apertius Iob scripto reliquit, quam

exoptat

ANNI MVNDI. Iob.19. exoptat scribi aut exarari in libro stilo ferreo, & plumbi laminâ, vel potius silici insculpi. *Scio enim*, inquit, *quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt & non alius.*

2311 p. Genes. 50. *Ioseph* postquam suos iureiurando obstrinxisset, vt exeuntes Ægypto sua ossa secum asportarent; moritur annos natus centum & decem. Conditus itaque aromatibus, loculo in Ægypto reponitur: vbi 94. circiter annos vixerat.

Aug. de ciuit. 16. 43. D. Augustinus centum quadraginta quatuor annos seruitutis, à morte Ioseph ad exitum de Ægypto statuens, fallitur plus minus viginti annis: anno decimo nimirum Principatus Ioseph venisse in Ægyptum existimans Iacob, cum id fuerit anno circiter trigesimo, si naturali ratione filios Beniamin & præcipue Hesron & Hamul natos credamus.

*Leui* postquam filiam Iocabed genuisset in Ægypto, moritur annos natus centum & triginta septem.

Aram genuit Aminadab.

Defunctis filiis Iacob: posteri in immensum aucti sunt & roborati; ita vt Ægyptum implerent. Quare exorto nouo rege, cui Ioseph non fuerat cognitus, eos tributis oneribusq; ille premebat, ita vt coacti ipsi ædificarent vrbes Phithom & Ramesses. Cũ iam Caath nasceretur Amram: qui tribus præterea auctus filiis 133. annis vixit.

Exod. 1. Oppressi Hebræi ab Ægyptiis dura seruitute premuntur. Nã

Ioseph. 2. 5. Nilum flumen in multas fossas diducere; aggeres, quibus inundationes arcentur, exstruere; lateres mœnibus vrbium ædificandis conficere compulsi; etiam insanis substructionibus Pyramidarum vexati fuere: Eæ enim in sepulcra Regum erigebantur stulta quadam opum ostentatione. Ex his (complures enim visuntur) duæ inter orbis miracula adnumerantur. Alterius quatuor latera singula sunt 883. pedum, in cacumine viginti

Plinius, lib. 36. c. 12. Strabo li. 17. quinque: Alteram item septingenti, triginta septem pedes quadratis interuallis comprehendunt. Altitudinem ambæ habent paullo lateribus maiorem, mirantibus cunctis quanam ratione in tantam altitudinem subuecta sint cæmenta: quamquam 360000 hominum amplissimam viginti annis constuxisse prodantur.

2371. Exod. 1. Num. 26. Amram, ducta in vxorem Iochabed amita sua, genuit Aaron, nondum sæuiente in Hebræorum infantes Pharaone: Qui deinde vocatis ad se obstetricibus iisque obiurgatis, iussit paruulos Hebræorum submergi in Nilo. Obstetrices enim Sephora ac Phua timentes Deum non compleuerant mandatum Regis de masculis interficiendis, se excusantes; quod mulieres Hebrææ

vegetæ,

vegetæ, sibi ipsis pro obstetricibus essent. Itaque mercedem meruit pietas etiam mendacio velata. Etenim eam remuneratus est Deus, posteritati ipsarum multum crescente. Porro Iochabed cum peperisset infantulum elegantem, abscondit eum tribus mensibus, deinde expositum in scirpea fiscella illita pice ac bitumine in carecto ripæ fluminis, sustulit Termuthis, ac matri lactandum mercede tradidit: cur ante hoc infantis sorore Maria. Ablactatum adoptauit sibi in filium Termuthis, filia Pharaonis, nomenque ei indidit Moyses, *Mo* enim Ægyptiorum lingua *aqua*; *yses*, vero *seruatum* dicitur; eo quod de aqua tulisset eum. Sicque fauore diuino ab illis, qui Hebræos perdendos volebant, educatus, atque in omni sapientia ipsorum est eruditus: potens in verbis & in operibus suis. Nec enim leuiter litteris fuit imbutus: sed Poësi etiam excelluit, omnisque vetustæ memoriæ cognitione. Quanta grauitate Heroicum conscripserit carmen, quantoque ornatu, ostendit trigesimum secundum caput Deuteronomii: nam Epicinium, Exodi quinto decimo, cum decore suauius cecinit: nullusque, eo prius ac verius gentium origines sæculis ritè obseruatis descripsit. Matheseos, Physices, humani diuinique iuris peritiam satis superque scriptis suis prodit: cum nihil, quod sciri potest, ipsum latuisse videatur.

ANNI MVNDI.
*Exod. 2.*
*Act. 7.*
2374.
*Ioseph. 2. 5.*
*August. de Ciuit. Dei, 18. 15.*

Gradus consanguinitatis Moysis.

*0. Maiores,*

*6. Abraham Tritauus*

*5. Isaac Atauus Esau patruus Max.*

*5. Ruben patruus maior 4. Iacob Abauus Iudas patruus maior*

*6. Hemō maior consobrinus 4. Merari patruus magnus 3. Leui Proauus Phares maior consobrinus 6.*

*5. Musi consobrinus proprius 2. Caath Auus: Ieasar patruus 3.*

*6. Edor consobrinus maior 1. Amram Pater: Core Patruelis: Elisabeth fratria*

*Hur sororis maritus 2. Maria soror* MOYSES *Aaron frater, 2. Abiasaph filius Patruelis*

*3. Vri sororu filius, 1. Eliezer filius: Eleasar frat. filius 3. Asir maior consobrinus*

*4. Beseleel sororis nepos 2. Rohabia nepos Phinees fratris nepos 4.*

*5. Sororis Pronepos 3. Isaias Pronepos Abisue fratris Pronepos 5.*

*6. Sororis Abnepos 4 Zoram Abnepos Becci fratris Abnepos 6.*

*5. Zechri Adnepos*

*6. Selemith trinepos*

*0. Posteri deinceps.*

## EXTERNA TEMPORA MOYSIS.

### *Regnum Atheniensium.*

2405. CECROPS Atheniensium Rex regnauit annis quinquaginta, qui primus Iouem Hypatum seu supremum vocauit, & res nullas animatas censuit immolandas, ad aram tantum molam ex farina tenuissima confectam sacrificans. Lycaon vero infantu-

fanculum, aræ Iouis Lycæi impositum immolauit, ideoque dice-batur versus in Lupum. Aiunt vero Cecropen successisse Actæo mortuo, qui primus in Attica regnauit, cum filiam eius in vxorem duxisset. sub ipso quoque Athenas vel conditas vel instauratas: qua ciuitate nihil habuit Græcia clarius atque nobilius; cum esset parens artium, litterarum, Philosophiæ, humanitatis ac legum: sed nunc cum opidulum sit; ANNI MVNDI.

*Quid Pandioniæ restat nisi nomen Athenæ?*

Quondam Munychia muro vallata erat, & iunctis domicilijs referta, Piræum & alios portus naualibus plenos, in quibus & armamentorum Philonis opus, circuitu complectens. Statio ibi nauium dignitate insignis quadringentarum nauium capax, cum non pauciores ab Atheniensibus emitterentur. Hoc autem muro duo ex opido protracta crura vrbem Piræo coniungunt. Hi muri longi fuere quadraginta stadia. Sed muri hi dissipati primum fuerunt a Lacedæmonijs, postea vero à Romanis vrbs ipsa saxum est in plano quaqua versum habitato: In quo saxo vetustum Mineruæ templum Poliadis surgit: vbi Palladium est ex ebore perfectum, opus Phidię Erant statuæ, signa, & tabulæ in vrbe passim sine numero; gymnasia septem, Iudicia decem. Horum primum Areopagus sic dictus, quod Ares, seu Mars ibi in iudicium vocatus sit. Lapides ibi sunt argentei, quibus accusatores & rei insistunt, vni *Contumeliæ*; alteri *Impudentiæ* nomen. Huc deductus D Paullus ab ara ignoti Dei, quæ in portu Phaleno erat, occasionem annuntiandi Christum captat. *Tacianus Orat. contra Græcos.*

Lycaonem Pelasgi filium & Cecropem eadem ętate vixisse existimant. Qui Lycosuram vrbem Arcadiæ antiquissimam condidit in monte Lycæo, & certamina Lycęa.

Deucalion circa Parnassum expulsis Pelasgis regnat in Thessalia, & Pyrrham patrui sui Epimethei ac Pandorę filiam in vxorem duxit. Diluuium sub eo fuit, quodque homines in Parnasso seruatos in plana reduxerit; occasionem fabulæ de lapidibus in homines mutatis dedit.

Phorbas Argiuorum Rex Rhodum obtinet.

Melanthus triginta duobus annis regnat.

Triopas quadraginta sex annis imperat.

Hoc tempore vitis apud Græcos plantata fuisse narratur.

## SALE MORITVR.

Sale defunctus est cum vixisset annos quadringentos & triginta quinque.

*Aminadab* genuit Elisabeth, quam Aaron sibi in vxorem duxit, genuit quoque Nahasson.

Moyses perfectus copiis Ægyptiorum, vrbem Sabam, quam 1409.

 *Ioseph. l. 2. 9.*

ANNI MVNDI. *Num. 12.*

postmodum de sororis suæ nomine Meroën Cambyses vocauit, per deditionem cepit, tradente eam Tharbe Æthiopum Regis filiâ, pacta vt ipsam quoque in vxorem acciperet. Ob hanc, Aaron & Maria contra eum videntur murmurasse.

2414. *Exod. 2. Act. 7. Hebr. 11. August. de Ciuit. Dei, 18. 11.*

Annos natus quadraginta negauit se filium esse filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Nam vltionem, Hebræo iniuriam sustinenti, fecit percusso Ægyptio. Quod cum ad Pharaonem delatum esset; fugit in terram Madian in propinquo monti Sinai: ibique vxorem duxit, filiam Raguel sacerdotis, Sephoram (stirpis hæc creditur Ismaeliticæ fuisse) quæ ipsi peperit Gersam & Eliezer filios.

Aaron quoque nati sunt filij ex Elisabeth; Nadab, Abiu, Eleasar & Ithamar. Nascitur & Caleb Iephonæ filius tribus Iuda.

*Exod. 6.*

Mortuo Pharaone ingemiscentes filii Israel propter seruitutem, clamauere ad Dominum: qui recordatus fœderis sui, Moysi pascenti oues fratris vxoris suæ, Iethro, ex rubo flammis non comburente loquitur dicens: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Mandatque vt adeat Pharaonem, & educat filios Israel ex Ægypto.

Eleasar filius Aaron duxit filiã Phutiel, q̃ peperit ipsi Phinees.

2454. *Exod. 7.*

Moyses annos natus octoginta, relictus ab vxore & filiis, cũ fratre Aaron, qui octoginta trium annorum erat, loquuntur Pharaoni, vt dimittat populum Israël; vertitur quoque virga Aaron in colubrum, quæ virgas Magorum Ægyptiorum incantationibus in dracones conuersas, deuorauit. Indurato corde Pharaonis, aquæ vertuntur in sanguinem: & omnes pisces Nili moriuntur: post septem dies ranæ exsilientes flumine operuerunt terram: eadem facientibus maleficis per incantationes suas. Quod facere non potuere; cum puluis terræ vertitur in ciniphes, & dum replentur muscis diuersi generis domus Ægyptiorum. Subsequitur pestis in iumentis & animantibus, vlcera quoque & apostemata in hominibus, tam in magis quam aliis Ægyptiis. Tonitrua etiam & fulgura, cum grandine tantæ magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita fuit, quæ se vetustissimam iactitat, multas ætates annalibus referens. Octauum signum fuit locustarum, herbas fructusque arborum deuorantium: vti nonum erant tenebræ palpabiles per tres dies continuos; sic vt nulla vis ignis illis poterat lumen præbere. Quare ne ad se redeat Moyses, præcipit Pharao, mortem ipsi minatus. Ante decimum signum, hortatur Deus per Moysem, vt spolient vasa argentea & aurea Ægyptiorum: quod, cum primogenita occisa fuerint, expulsę

*Exod. 8. & 9.*

*Iosephus & Hebræi ciniphes pediculos aiunt fuisse, ex intimis hominum corporibus ebullientes sicque Ægyptios morbo pthiriasi seu pediculari laborasse. Origenes genus muscæ minutæ, quod cum corpori insederit, aculeo eius illud terebrat. Mela. 1. 9. Exod. 10. Sapien. 17.*

pulsurus sit ipsos Pharao de finibus Ægypti. Atque ab eo tempore deinceps initium anni inchoant: ita vt mensis Ægyptiorum octauus Pharmuti, sit Israëlitis primus, nempe Nisam: cuius decimo quarto die, sub vesperam, agnus masculus anniculus sine macula in cunctis familijs immolabatur: cuius sanguine, fasciculo hyssopi, postes ac limen superius vniuscuiusque domus, in qua illum igne assum comedebant, tingebantur. (Id fuit, ni fallor, postridie Kalendas Apriles, quo die etiam Christus crucifixus est:) idque plenilunio; quod tunc temporis ossa animalium medulla abundent. Quo signo admonitus pertransiit Dominus ædes ipsorum, cum eadem nocte occideret omnes primogenitos Ægypti, tanta strage edita, vt non sufficerent viui ad sepeliendos mortuos. Quare vocatis ad se nocte, Moyse & Aaron, permittit ipsis cum populo, atq; armentis, & gregib. abire: vrgentibus quoque Ægyptiis populum velociter exire terra. Hoc itaque primum Phase, hoc est, transitus Domini: quod celebrarunt filii Israël apud Ramesses, editis prius signis memoratis in campestribus Taneos & tabernaculis Cham. Spoliatis ergo Ægyptiis eodem die profecti sunt de Ramesses in Sochot 600000. circiter viri fortes pedites armati cum paruulis, & mulieribus, vulgoque promiscuo innumerabili, & pecoribus quoque admodum multis. Secundum LXX. interp. translationem exierunt ex Ægypto in quarta generatione tribus Leui, & in quinta generatione tribus Iuda: cum iam habitassent ipsi & patres eorum annos quadringentos & triginta in Ægypto & terra Chanaan. Cum itaque Pharao emisisset populum, non duxit eos Dominus per regionem Philisthiim, quę proxima est terræ Chanaan: sed circumduxit eos per viam deserti: sic vt de Sochot profecti, castrametati sint in Etham, in extrema parte solitudinis. sita, præcedente ipsos Domino interdiu in columna nubis, & de nocte in columna ignis.

ANNI MVNDI.

*Exod.* 12. *Num* 9. *Sap.* 18. *Psal.* 77.

Egressi Etham venerunt in Phibahiroth, transieruntque mare aquis stantibus quasi in vtre: persecutus eos Pharao submersus est cum vniuerso exercitu suo. Venientibus in Mara, aquæ amaræ, iniecto ligno, dulces factæ sunt. In Helim duodecim fontes & septuaginta palmas inuenerunt: decimoquinto die mensis secundi qui Zius est. Duodenario fontium numero, Patriarchæ; & septuagenario palmarum, omnes qui cum Iacob in Ægypto consederant, vnde populus Israëlis profluxerat, significabantur. Venientes in Sin desertum, murmurauerunt contra Moysen & Aaron: itaque vesperi, vento mutato, pluit quasi coturnices, & mane manna in similitudinem pruinæ. Quod deinceps per annos quadraginta, recens cælo quotidie, præterquam Sabbatis, decidit omne delectamentum & omnis sapo-

*Exod.* 12. *Num.* 33. *Psal.* 77. *Judith* 5. *Eccli.* 38. *Exod.* 12. *Num.* 11. *Sap.* 16.

ANNI MVNDI.

* *Abraham* sanxit fœdus cum Abimelech rege Geraræ, loco
nomen Bersabeæ, quod vterque ibi iurarit: vbi & nemus Abra-
*2062. ham plantauit, & inuocauit ibi nomen Domini Dei viui, habi-
2067. tans ibidem multo tempore.

2047. Non satis Deo visum Abraham fidem atque obedientiam ex-
2076. plorasse exitu de terra sua, ac circumcisione: tertio tentando, iussit ipsum filium suum vnigenitum Isaac, iam viginti quinque annos natum, sibique in omnibus morigerum offerre in holocaustum super montem Moriam (hic ædificato postmodum templo à Salomone, sacrificia Deo fiebant) terram visionis dictam: quem fide perfectaque obedientia, quantum in se erat, etiam immolauit, in tentatione inuentus fidelis. Quare cum Dominus illud prohiberet: aries repente apparens mactatus eius vice fuit.

*Gen. 22. Oros. l. 1. c. 7. Iosephus l. 1. c. 13. & l. 7. cap. 10. Meminit & pictura huius historia Gregorius Nyssenus sic scribens*: Vidi sæpius imaginem, & sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter poneret ob oculos historiam. *Eccl. 44.*

## EXTERNA TEMPORA ABRAHÆ.

### *Monarchia Assyriorum.*

ARALIVS* imperio ac arte militari clarus imperauit quadraginta annis: attamen deditus fuit pompis, gemmis, aliisq; deliciis muliebribus, vt narrant.

Indorũ sapientes, qui quod nudi præter verenda incederent, Gymnosophistæ dicebantur, omnis publici ministerii vocationem habebant, cunctisque erant venerabiles. Nam primum lo-
*2068. cum dignitate & auctoritate inter septem Indorum ordines, obtinebant. Hi in nouum quemque annum ad concilium magnũ accersiti, siccitates & imbrium magnitudinem, flatus ventorum, sterilitates agrorum, vberesque prouentus, nec non quæ ad montes spectarent prædicebant, res humano generi perutiles: Cum reges aliique qui rebus publicis præessent, ea audientes, præpararent quæ defutura esse crederent. Quod si iis contingeret falli fallereque in illis quæ prædixerant; plectebantur ea pœna, vt omnem reliquam vitam in silentio transigerent. Committebantur Gymnosophistis sacrificia Deorum, atque mortuorum cura: credebantur enim Diis grati, & rerum infernalium periti; cum contemnerent mortem & Numen diuinum multa pietate venerarentur.

Maxima admiratione dignum est Brachmanarum in India videre nationem: hominum, inquit Hierocles, Philosophantium, & Diis immortalibus mirifice gratorum: quos cum omnes colere impensius, tum Solem præcipue ipsum & veritatem venerari consueuerunt: cui maxime deuoti, & consecrati esse perhibentur. Ii ab omni carnium vsu, delicatioribusque insuper mensarum epulis per omnem semper pertinaciter abstinent vitam,

vitam, & sub dio adsidue degunt. Vestibus autem vtuntur lineis omnes; non quidem ex eo, quod satu è terra nascitur, sed ex genere quodam lini, quod à petrarum marginibus depectitur: quarum abradentes floccos & carminantes in vellera, ea tenuissima deducunt in fila, & contexunt lintea, vestesque inde conficiunt: quarum sordes igne expurgantur.

Balous Xerxes cognomento, id est, victor ac triumphator, extendens imperium ad Indiam vsq; regnat triginta annis. 2124.

## SARA MORITVR.

*Sara* cum vixisset annos centum & viginti septem, mortua est in Hebron, quæ & *Arbee Mambreq;* dicitur: vbi Abraham ipsam sepeliuit empto ab Ephron filio Seor Hethæo, agro cum duplici spelunca, in possessionem monumenti, quadringentis siclis argenti probatæ monetæ publicæ, qui singuli quatuor denarios tunc valebant, si que precium monumenti bis mille vellenibus seu Vlijesis æquatur. 2086.

*Abraham* prouectæ etat ætatis, cum sollicitus de Isaac filio ætatis annum quadragesimum tunc agente, mittit seruum seniorem in eam Syriæ partē, quæ, quod illam Euphrates Tigrisq; circūfluunt, Mesopotamia dicitur) vt ex cognatione sua (intellexerat n. ex Melcha Nachor fratrē prole multiplici auctū) vxorē filio adducar. Qui postquam Haran venerat; Rebeccam, tradentibus ipsam Bathuel patre ac Laban, fratre, heri filio desponsatam secum tulit: comitante eam Deborá nutrice. Aduenientes, dum ad philosophandum egressus sub vesperam esset, obuius excepit Isaac; illamq; in vxorem domum duxit, oblitus mœroris, quo se triennio, ob mortem matris Saræ, afflixerat. *Gen. 24. & 25.* *Eusebius de præp. Euang.* *Gen. 22.* 2089.

Sed & Abraham Cethuram duxit, ex qua iam decrepitus sex filios procreauit: demonstrans hocce suo coniugio post mortem coniugis iterum coniugari non esse peccatum.

*Isaac* deprecatus Dominum pro vxore, quod sterilis esset, impetrauit eam geminos concipere, duorum populorum principes: quorum maior esset inseruiturus minori, magno documento gratiæ, cum neuter ab originali peccato liber esset, & neuter quoque ex se peccauerat; tamen alterum dilexit, alterum odio habuit Deus. Itaque nati sunt ex Rebecca Esau rufus ac hispidus, & Iacob plantam pedis fraterni manutenens, nouendecim annis antequam Abraham moreretur: cum iam esset Isaac natus annos sexaginta, quibus & centum & viginti superuixit.

*Abraham* filijs concubinarum dans munera ablegat eos ad plagam Orientalem separando illos ab Isaac, quem ex asse here-

ANNI MVNDI. 2142. dem possessionum suarum constituit: moriturq; annos centum & septuaginta quinq; natus, atq; sepelitur apud vxorem Saram in spelunca duplici, è regione Hebron, ab Isaac & Ismael filiis suis.

*Esau* agricola gnarus venandi, defessus atque esuriens, fratri Iacob, qui vir simplex in tentoriis versabatur, vendit ius primogenitorum, iuramento intercedente, ob pultem rufam ex lente confectam, & panem: non ob delicatioris cibi genus, sed ob immoderatam auiditatem culpandus.

Oborta fame præter eam, quæ tempore Abraham fuerat, Isaac cum vxore Gerara profectus ad regem (Abimelech enim generale nomen Regum est Palæstinorum) ex semente centuplum collegit. Quare ditatus armentorum ac gregum possessionibus, fuit inuisus Palæstinis: cum puteos obstruerent, quos foderat, & pastores eius adaquare pecora prohiberent Palæstini. Itaque recedens inde, Bersabee migrauit: vbi cum Rege excepto conuiuio; inito fœdere sibi inuicem iuramentum præstiterunt.

*August. lib. 16. de Ciuit. Dei, c. 36.* Isaac Patriarcha nec vxorem habuit aliam, nec aliquam concubinam; sed posteritate duorum geminorum ex vno concubitu procreatorum contêtus fuit. Nec ideo istum patri Abrahamo præferre debemus, quia nullam feminam, præter vnam coniugem, nouerat; erant enim proculdubio paternæ fidei & obedientiæ merita potiora: in tantum, vt propter patrem dicat Deus filio facere, quæ fecit. *Benedicentur quippe*, inquit, *in semine tuo omnes gentes terræ, pro eo, quod obaudiuit Abraham Pater tuus vocem meam, & mandata mea, & iustificationes meas & legitima mea.* Sic ergo nouerimus, non ex bonis singulis homines inter se cõparare: sed in vnoquoque consideremus vniuersa. Fieri enim potest, vt habeat aliquid in vita & moribus quisquam, quo alium superet; idque sit longe præstabilibus, quam est illud, vnde ab alio superatur.

*Gen. 22.*

2149. *Gen. 26.* *Esau* vero iam quadragenarius duxit Iudith filiam Beeri, & Basemath filiam Elon Herseas in vxores, quæ ambæ Isaac ac Rebeccam offenderunt: quarum hæc etiam Ada, illa Oolibama vocabantur. His tertiam adiunxit Basemath, filiam Ismael, sororem Nabaioth.

*Gen. 11.* 2159. *Ioseph. l. 1.* *Sem* moritur, cum vixisset annum magnum: nempe sexcentos annos.

*Esau*, iussu patris, venatum eunte, Iacob matris callido obtemperans consilio à patre benedicitur, cum is cæcus iam esset, loco Esau. Quare fratris minis territus concessit Haran, vbi auunculo Laban seruienti pro filia Rachel septem annis, Lia supponitur; dicente patre non esse moris, vt iuniores ante nubant:

expectet dies septem, & Rachel quoque accipiat pacto, vt post peractas nuptias septem prætere a annos ipsi seruiat. Acceptata igitur conditione, octauo die duxit quoq; Rachel. ANNI MVNDI.

Primo post nuptias hasce anno peperit ipsa Lia *Ruben*. Annoque sequenti *Simeon*

*Rachel* se infecundam videns, tradidit viro ancillam suam Balan, ex qua natus *Dan*, & deinde *Nephtalim*.

Tertio anno peperit Lia *Leui*, proximo deinde anno *Iudam*, tuncq; se parere desiisse sentiens, Zelpham marito dedit, ex qua *Gad* natus est atq, etiam *Aser*.

Deinde Ruben puer quinq; annorum egressus tempore messis inuenit Mandragoras, quibus ad matrem delatis, mercata est illa ius concubitum mariti à Rachel sorore Sicque Lia concipiens peperit *Ioseph*. Cumque proposuisset Iacob redire in patriam; detentus a socero, sex annis pro peculio seruiuit, vsus calliditate insigni (physices enim peritus erat) in adaquandis conceptus tempore gregibus. Quare pecoris diues factus, clam cum omnibus Mesopotamia discessit. At ipsum consecutus Laban, fœdus cum eo iureiurando iniit: locoque nomen iuxta proprietatem linguæ vtriusque inditum, vocatusque deinceps *Galaad*

Christianus Massæus scribens Iacob anno ætatis septuagesimo octauo cœpisse seruire Laban, deceptus est verisimili numeratione ætatis Ioseph. Erroris enim conuincitur ex *Gen* 38. nam non erat possibile Hesron & Hamul natos cum Iacob intrasse Ægyptum, si anno ætatis eius octogesimo octauo natus fuisset Iudas: nam plus minus viginti annos intercessisse oportuit à venditione Ioseph vsque ad natum Phalech, qui pater Hesron fuit.

Proficiscenti inde Iacob Angeli obuii facti sunt: loco nomen Mahanaim, quod dixerat Castra ibi esse Dei Cum, nuntiis præmissis fratris potentiam formidaret, suosque tradux flet torrentem Zaboc, ac solus esset; cum Angelo tota nocte luctatur: qui ipsi nomen *Israel*, quasi præualenti indidit, neruumque femoris tetigit; vt eo crescente, pede claudicaret. Hinc posteritati religio neruis vesci.

Vnde digressus venit in Hebron habitans apud patrem suum Isaac *Quid sapientius* inquit D. Ambrosius *sancto Iacob qui Deum vidit facie ad faciem, & meruit benedictionem? Quid iustius, qui ea, quæ acquisierat, oblatis muneribus, cum fratre diuisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius, qui modestiam ita & locis & temporibus deferebat, vt filiæ iniuriam mallet prætexere coniugio, quam vindicare: eo quod inter alienos positus, amori potius consulen-* Ambros. de offic. 1. 25.

ANNI MVNDI.

*consulendum, quam odia colligenda censebat? Imitemur ergo & nos odorem eius, virtutes eius, laborem eius. Sicut enim Abrahæ opera facere debemus, vt filij eius iure appellari mereamur; ita etiã exercitia atque certamina S. Iacob subire debemus vt Deus Iacob, Deus noster esse credatur.*

*Idem semper Psal. 45.*

Post reconciliatum fratrem Esau quadringentis viris comitatum (eo enim potentiæ peruenerat) terram ingressus Chanaan in propinquo Salem, seu Sichem; agrum à filiis Hemor Heuæi, Principis regionis, emit centum agnis (sunt qui nummos fuisse existimant valoris quinque siclorum argenti) vbi ædificata domo fixisque tentoriis (hinc *Sochot* loco nomen) habitauit: atque erecto altari, super illud inuocauit fortissimum Deum Israel.

*Gen 34. Oros lib. 1 cap. 7.*

*Dina* vixdum quindecim annos nata, egressa ad spectandum Sichemitas mulieres, à Sichem filio Hemor rapitur ac violatur. Quod scelus fratres vterini Simeon ac Leui fraude vlti sunt; ipso etiam Hemor cum Sichem & omnibus masculis trucidatis. Quare Iacob sibi metuens, admonitus Dei oraculo, defossis sub terebintho arbore idolis, quæ Rachel clam à patris abstulerat ædibus, Luzam seu Bethel migrauit: vbi secundario ipsi nomen *Israel* fuit à Deo inditum. Inde rursum digressus Rachel parit in via, quæ ducit Ephratam seu Bethlehem versus Beniamin: vnde reges, nẽpe Saul & Isboseth, progressuros Deus ante prædixerat. Sed cum ex partu illa moreretur; ibi condita fuit monumento titulo decorato. Quo fere tempore, incestum perpetrauit Ruben cum Bala concubina patris sui: cum Iacob fixerat tabernaculum ad turrim Edor seu gregis.

*August. de Ciuit. 18. 3.*

Vnde digressus venit in Hebron, habitans apud patrem suum Isaac. Eodem tempore Ioseph sexdecim annos natus, detulit ad patrem crimina filiorum Bala & Zelpha: vnde inuidia fratrum aduersus eum orta narratione somniorum vsque eo creuit; vt ipsum vendiderint viginti argenteis (hos æquari sex marcis & duabus vncijs argenti volunt) Madianitis ab Ismael oriundis. Qui deductum in Ægyptum, Putiphari præfecto militiæ Pharaonis vendiderunt.

*Vide Aug. Serm. 8. de temp. & in libro de Ioseph.*

Secundum vero Allegoricam rationem, Ioseph ipse typum Domini gessit quod prius cognoscimus in eo, quod tunicam multicolorem habuit: & Dominus ac Seruator noster Ecclesiam ex variis gentibus congregatam, veluti indumentum vestis accepit. Est & alia varietas tunicæ huius: habet Ecclesia diuersas & varias gratias, habet Martyres, habet Confessores, habet sacerdotes, habet ministros, habet virgines ac viduas, habet operarios iustitiæ: sed varietas illa non est colorum, sed gratiarum. Ioseph distractus à fratribus, ab Ismaelitis comparatus est; & Sal-

ANNI MVNDI.

& Saluator distractus a Iudæis, à gentibus comparatus est. Deniquè Ismaelitæ, qui Ioseph comparaverunt, diuersa secum odoramenta portabant; vt inde ostenderetur, quod gentes venientes ad fidem *Christi*, diuersis odoribus iustificentur, toti mundo fragrantes.

*Iudas* duxit vxorem SuaChananitidem, quæ ipsi peperit filios *Her, Onan*, & *Sola*. Gen.38.

*Ioseph* cum benignè à Putiphare exceptus, domumque eius 2203. ac familiam procuraret: decorus insigni specie vxoris heri sui oculos in se conuertit. Quæ cum amore eius deperiret; expetitum sæpius, nec acquiescentem sibi, per calumniam accusat: viroque conqueritur stuprum sibi ab ipso esse intentatum. Quare Gen.39. in carcerem coniectus est.

*Ioseph* annos natus triginta interpretatur Regi somnia sua cum biennio ante, pincernæ ac pistori regis, quæ ipsis euenere, declarasset. Quare à Pharaone exaltatur, regnoque præficitur, 2209. longo tempore ante annos vbertatis & famis. Oportet enim Ioseph viginti annis plus minus ante Ægypto præfuisse, ratione posteritatis Iudæ & Beniamin. *Quid de Ioseph loquar* (inquit Ambrosius) *qui vtique habebat cupiditatem libertatis; & suscepit seruitii necessitatem? Quam subditus in seruitute! quam in virtute constans! quam benignus in carcere! sapiens in interpretatione, in potestate moderatus, in vbertate prouidus, in fame iustus, ordinem laudis rebus adiungens, & opportunitatem temporibus, æquitatem populis officij sui moderatione dispensans!* Ambr l.1. de offic. cap. 24.

*Her* in vxorem ducens Thamer à Deo occiditur, quod nequã esset in oculis eius. *Onan* quoq; à Domino percussus fuit, quod ducta Thamar, fratris semen suscitare noluerit. Gen.38.

*Sua* vxor Iudas moritur: & ex eo Thamar concepit ac peperit *Phares* & *Zara*: illum patrem prodens, prolatis annulo, armilla ac baculo, quæ ab ipso pro arrhabone receperat.

*Isaac* cum vixisset annos centum & octoginta, mortuus est; 2229. & à filiis Esau & Iacob sepultus apud parentes, & vxorem suam Rebeccam.

*Esau* tollens vxores & omnem substantiam ex terra Chanaan, Gen.26. à fratre suo migrauit in montem Seir, qui est Edom. Gen.41.

Annus primus vbertatis per Ægyptum. 2231.

Ioseph nati sunt Manasses & Ephraim ex Aseneth filia Puthipharis sacerdotis Heliopoleos, antequam veniret fames.

Annus primus famis. Nilus enim vt diuturno humore culturam moratur agrorum: ita exiguus, minimum fecunditatis apportat: quæ est caussa famis in Ægypto. 2236.

*Phares* genuit Hesron & Hamul. 2239.

*Iacob* à Ioseph filio vocatus & Dei monitus oraculo, iam centum

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Rachel | Ioseph | Manasses | | 52700. |
| | | Ephraim | | 32500. |
| | Beniamin | Bela | | |
| | | Bechor | | |
| | | Asbel | | |
| | | Gera | | 45600. |
| | | Naaman | | |
| | | Echi | | |
| | | Ros | | |
| | | Mophim | | |
| | | Ophim | | |
| | | Ared | | |
| Bala | Dan. | Husim | | 65600. |
| | Nepthalim | Iasiel. Gum. | | |
| | | Ieser. Sallem. | | 45400. |

*Iacob* habitauit ſeptemdecim annos in terra Geſſen: & poſtquam filiis ventura prædixiſſet, ac vaticinatus eſſet de Chriſto, moritur annos natus centum & quadraginta ſeptem: tranſlatuſque Ægypto pompa funebri, ſepelitur apud parentes & vxorem Liam in Hebron. 2256.

Heſron genuit Aram

Circa hæc tempora vixit in terra Huſſitide inter Paleſtinam & Cœleſyriam *Iob*, vir columbinæ ſimplicitatis ſummæque prudentiæ, exemplar quoque perfectæ patientiæ. Creditur eius domus, teſte Hieronymo, fuiſſe in Aſtaroth, regia Og regis Baſan in tribu Manaſſe, conceſſa Leuitis. Abundabat hic non modo diuitiis, ſed etiam ſcientia iuris clarus erat, tum conſulendo, tum etiam patrocinando iniuriam patientibus. Orator quippe tantus; vt ipſo dicente ſenes adſurgentes ſtarent, duces voces ſuas cohiberent, & Principes ſuperponerent digitum ori, prædicantes eum beatum; quod benedictione perituras alioquin, eum proſequeretur, & cor viduæ ab ipſo conſolaretur. Fuit etiam Matheſeos, Phyſices ac Medicinæ peritus, & religione pura ſedulo Deum colens. At ſubito opibus liberiſque decem priuatus, vlceribuſque peſſimis repletus, irridetur etiam, patienter ferendo, ab vxore & amicis. Siue ergo ex Eſau fuerat (vt Origenes exiſtimat) ſiue ex Nachor (vt Hieronymus putat) oriundus; certo agnatus erat filiis Iſrael. Liber eius vitam continens, Heroico ferè carmine, inſtar Tragicomœdiæ, conſcriptus, tam multiplicis & raræ doctrinæ eſt: vt qui vel ſenſum litteralem eius percipere, oporteat ipſum omnis Philoſophiæ eſſe peritum. Nullus ſententiam ſuam de carnis reſurrectione hoc ſæculo apertius Iob ſcripto reliquit, quam exoptat

Iob. 1. Iob. 29. Iob. 36.

ANNI MVNDI. Iob.19. exoptat scribi aut exarari in libro stilo ferreo, & plumbi laminâ, vel potius silici insculpi. *Scio enim*, inquit, *quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt & non alius.*

2319. Genes. 50. *Ioseph* postquam suos iureiurando obstrinxisset, vt exeuntes Ægypto sua ossa secum asportarent; moritur annos natus centum & decem. Conditus itaque aromatibus, loculo in Ægypto reponitur: vbi 94. circiter annos vixerat.

Aug. de ciuit. 16.43. D. Augustinus centum quadraginta quatuor annos seruitutis, à morte Ioseph ad exitum de Ægypto statuens, fallitur plus minus viginti annis: anno decimo nimirum Principatus Ioseph venisse in Ægyptum existimans Iacob, cum id fuerit anno circiter trigesimo, si naturali ratione filios Beniamin & præcipue Hesron & Hamul natos credamus.

*Leui* postquam filiam Iocabed genuisset in Ægypto, moritur annos natus centum & triginta septem.

Aram genuit Aminadab.

Defunctis filiis Iacob: posteri in immensum aucti sunt & roborati; ita vt Ægyptum implerent. Quare exorto nouo rege, cui Ioseph non fuerat cognitus, eos tributis oneribusq; ille premebat, ita vt coacti ipsi ædificarent vrbes Phithom & Ramesses. Cũ iam Caath nasceretur Amram: qui tribus præterea auctus filiis 133. annis vixit.

Exod. 1. Iosepb. 2.5. Oppressi Hebræi ab Ægyptiis dura seruitute premuntur. Nã Nilum flumen in multas fossas diducere; aggeres, quibus inundationes arcentur, exstruere; lateres mœnibus vrbium ædificandis conficere compulsi; etiam insanis substructionibus Pyramidatum vexati fuere: Eæ enim in sepulcra Regum erigebantur stulta quadam opum ostentatione. Ex his (complures enim visuntur) duæ inter orbis miracula adnumerantur. Alterius quatuor latera singula sunt 883. pedum, in cacumine viginti quinque: Alteram item septingenti, triginta septem pedes quadratis interuallis comprehendunt. Altitudinem ambæ habent paullo lateribus maiorem, mirantibus cunctis quanam ratione in tantam altitudinem subuecta sint cæmenta: quamquam 360000 hominum amplissimam viginti annis constr uxisse prodantur.

Plinius, lib. 36. c 12. Strabo li. 17.

2371. Exod. 1. Num. 26. Amram, ducta in vxorem Iochabed amita sua, genuit Aaron, nondum sæuiente in Hebræorum infantes Pharaone: Qui deinde vocatis ad se obstetricibus iisque obiurgatis, iussit paruulos Hebræorum submergi in Nilo. Obstetrices enim Sephora ac Phua timentes Deum non compleuerant mandatum Regis de masculis interficiendis, se excusantes; quod mulieres Hebrææ

vegetæ,

vegetæ, sibi ipsis pro obstetricibus essent. Itaque mercedem meruit pietas etiam mendacio velata. Etenim eam remuneratus est Deus, posteritati ipsarum multum crescente. Porro Iochabed cum peperisset infantulum elegantem, abscondit eum tribus mensibus, deinde expositum in scirpea fiscella illita pice ac bitumine in carecto ripæ fluminis, sustulit Termuthis, ac matri lactandum mercede tradidit: curante hoc infantis sorore Maria. Ablactatum adoptauit sibi in filium Termuthis, filia Pharaonis, nomenque ei indidit Moyses, *Mo* enim Ægyptiorum lingua *aqua*; *yses*, vero *seruatus* dicitur; eo quod de aqua tulisset eum. Sicque fauore diuino ab illis, qui Hebræos perdendos volebant, educatus, atque in omni sapientia ipsorum est eruditus: potens in verbis & in operibus suis. Nec enim leuiter litteris fuit imbutus: sed Poësi etiam excelluit, omnisque vetustæ memoriæ cognitione. Quanta grauitate Heroicum conscripserit carmen, quantoque ornatu, ostendit trigesimum secundum caput Deuteronomii: nam Epicinium, Exodi quinto decimo, cum decore suauius cecinit: nullusque, eo prius ac verius gentium origines sæculis ritè obseruatis descripsit. Matheseos, Physices, humani diuinique iuris peritiam satis superque scriptis suis prodit: cum nihil, quod sciri potest, ipsum latuisse videatur.

ANNI MVNDI. *Exod. 2.* *Act. 7.* 2374. *Ioseph. 2. 5.* *August. de Ciuit. Dei, 18. 15.*

Gradus consanguinitatis Moysis.

*0. Maiores,*

*6. Abraham Tritauus*

*5. Isaac Atauus Esaupatruus Max.*

*5. Ruben patruus maior 4. Iacob Abauus Iudas patruus maior*

*6. Hemō maior consobrinus 4. Merari patruus magnus 3. Leui Proauus Phares maior consobrinus 6.*

*5. Musi consobrinus proprius 2. Caath Auus: Ieasar patruus 3.*

*6. Edor consobrinus maior 1. Amram Pater: Core Patruelis: Elisabeth fratria*

*Hur sororis maritus 2. Maria soror* MOYSES *Aaron frater, 2. Abiasaph filius Patruelis*

*3. Vri sororu filius, 1. Eliezer filius: Eleasar frat. filius 3. Asir maior consobrinus*

*4. Beseleel sororis nepos 2. Rohabia nepos Phinees fratris nepos 4.*

*5. Sororis Pronepos 3. Isaias Pronepos Abisue fratris Pronepos 5.*

*6. Sororis Abnepos 4 Zoram Abnepos Becci fratris Abnepos 6.*

*5. Zechri Adnepos*

*6. Selemith trinepos*

*0. Posteri deinceps.*

## EXTERNA TEMPORA MOYSIS.

### *Regnum Athieniensium.*

2405. CECROPS Atheniensium Rex regnauit annis quinquaginta, qui primus Iouem Hypatum seu supremum vocauit, & res nullas animatas censuit immolandas, ad aram tantum molam ex farina tenuissima confectam sacrificans. Lycaon vero infantu-

fantulum, aræ Iouis Lycæi impositum immolauit, ideoque dicebatur versus in Lupum. Aiunt vero Cecropen successisse Actæo mortuo, qui primus in Attica regnauit, cum filiam eius in vxorem dux isset. sub ipso quoque Athenas vel conditas vel instauratas: qua ciuitate nihil habuit Græcia clarius atque nobilius; cum esset parens artium, litterarum, Philosophiæ, humanitatis ac legum: sed nunc cum opidulum sit; ANNI MVNDI.

*Quid Pandionia restat nisi nomen Athenæ?*

Quondam Munychia muro vallata erat, & iunctis domicilijs referta, Piræum & alios portus naualibus plenos, in quibus & armamentorum Philonis opus, circuitu complectens. Statio ibi nauium dignitate insignis quadringentarum nauium capax, cum non pauciores ab Atheniensibus emitterentur. Hoc autem muro duo ex opido protracta crura vrbem Piræo coniungunt. Hi muri longi fuere quadraginta stadia. Sed muri hi dissipati primum fuerunt a Lacedæmonijs, postea vero à Romanis vrbs ipsa saxum est in plano quaqua versum habitato: In quo saxo vetustum Mineruæ templum Poliadis surgit: vbi Palladium est ex ebore perfectum, opus Phidię. Erant statuæ, signa, & tabulæ in vrbe passim sine numero; gymnasia septem, Iudicia decem. Horum primum Areopagus sic dictus, quod Ares, seu Mars ibi in iudicium vocatus sit. Lapides ibi sunt argentei, quibus accusatores & rei insistunt, vni *Contumeliæ*; alteri *Impudentiæ* nomen. Huc deductus D. Paullus ab ara ignoti Dei, quæ in portu Phaleno erat, occasionem annuntiandi Christum captat. Tatianus Orat. contra Græcos.

Lycaonem Pelasgi filium & Cecropem eadem ętate vixisse existimant. Qui Lycosuram vrbem Arcadiæ antiquissimam condidit in monte Lycæo, & certamina Lycęa.

Deucalion circa Parnassum expulsis Pelasgis regnat in Thessalia, & Pyrrham patrui sui Epimethei ac Pandorę filiam in vxorem duxit. Diluuium sub eo fuit, quodque homines in Parnasso seruatos in plana reduxerit; occasionem fabulæ de lapidibus in homines mutatis dedit.

Phorbas Argiuorum Rex Rhodum obtinet.

Melanthus triginta duobus annis regnat.

Triopas quadraginta sex annis imperat.

Hoc tempore vitis apud Græcos plantata fuisse narratur.

## SALE MORITVR.

Sale defunctus est cum vixisset annos quadringentos & triginta quinque.

*Aminadab* genuit Elisabeth, quam Aaron sibi in vxorem duxit, genuit quoque Nahasson.

Moyses perfectus copiis Ægyptiorum, vrbem Sabam, quam 2409. Ioseph. 2. 9.

ANNI MVNDI. postmodum de sororis suæ nomine Meroën Cambyses vocauit, per deditionem cepit, tradente eam Tharbe Æthiopum Regis
Num. 12. filia, pacta vt ipsam quoque in vxorem acciperet. Ob hanc, Aaron & Maria contra eum videntur murmurasse.

2414. Annos natus quadraginta negauit se filium esse filiæ Pharaonis,
Exod. 2. Act. 7. Hebr. 11. August. de Ciuit. Dei, 18. 13. magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem. Nam vltionem, Hebræo iniuriam sustinenti, fecit percusso Ægyptio. Quod cum ad Pharaonem delatum esset; fugit in terram Madian in propinquo monti Sinai: ibique vxorem duxit, filiam Raguel sacerdotis, Sephoram (stirpis hæc creditur Ismaeliticæ fuisse) quæ ipsi peperit Gersam & Eliezer filios.

Aaron quoque nati sunt filij ex Elisabeth; Nadab, Abiu, Eleasar & Ithamar. Nascitur & Caleb Iephonæ filius tribus Iuda.

Mortuo Pharaone ingemiscentes filii Israel propter seruitutem, clamauere ad Dominum: qui recordatus fœderis sui, Moysi pascenti oues fratris vxoris suæ, Iethro, ex rubo flammis non comburente loquitur dicens: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abra-*
Exod. 6. *ham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Mandatque vt adeat Pharaonem, & educat filios Israel ex Ægypto.

Eleasar filius Aaron duxit filiã Phutiel, q̃ peperit ipsi Phinees.

2454. Moyses annos natus octoginta, relictus ab vxore & filiis, cũ
Exod. 7. fratre Aaron, qui octoginta trium annorum erat, loquuntur Pharaoni, vt dimittat populum Israël; vertitur quoque virga Aaron in colubrum, quæ virgas Magorum Ægyptiorum incantationibus in dracones conuersas, deuorauit. Indurato corde Pharaonis, aquæ vertuntur in sanguinem: & omnes pisces Nili
Exod. 8. & 9. moriuntur: post septem dies ranæ exsilientes flumine operuerunt terram: eadem facientibus maleficis per incantationes suas.
*Iosephus & Hebraei cinephes pediculos aiunt fuisse, ex intimis hominum corporibus ebullientes, sicque Ægyptios morbo phthiriasi seu pediculari laborasse. Origenes genus muscæ minutæ, quod cum corpori insederit, aculeo oris illud terebrat.* Quod facere non potuere; cum puluis terræ vertitur in cinipnes, & dum replentur muscis diuersi generis domus Ægyptiorum. Subsequitur pestis in iumentis & animantibus, vlcera quoque & apostemata in hominibus, tam in magis quam aliis Ægyptiis. Tonitrua etiam & fulgura, cum grandine tantæ magnitudinis, quanta ante numquam apparuit in vniuersa terra Ægypti, ex quo gens illa condita fuit, quæ se vetustissimam iactitat, multas ætates annalibus referens. Octauum signum fuit locustarum, herbas fructusque arborum deuorantium: vti nonum erant tenebræ palpabiles per tres dies continuos; sic vt nulla vis ignis illis poterat lumen præbere. Quare ne ad se redeat Moyses, præcipit Pharao, mortem ipsi minatus. Ante decimum signum, hortatur Deus per Moysem, vt spolient vasa argentea & aurea Ægyptiorum: quod, cum primogenita occisa fuerint, expulsu-

*Mela. 1. 9. Exod. 10. Sapien. 17.*

pulsurus sit ipsos Pharao de finibus Ægypti. Atque ab eo tempore deinceps initium anni inchoant: ita vt mensis Ægyptiorum octauus Pharmuti, sit Israëlitis primus, nempe Nisam: cuius decimo quarto die, sub vesperam, agnus masculus anniculus sine macula in cunctis familijs immolabatur: cuius sanguine, fasciculo hyssopi, postes ac limen superius vniuscuiusque domus, in qua illum igne assum comedebant, tingebantur. (Id fuit, ni fallor, postridie Kalendas Apriles, quo die etiam Christus crucifixus est:) idque plenilunio; quod tunc temporis ossa animalium medulla abundent. Quo signo admonitus pertransiit Dominus ædes ipsorum, cum eadem nocte occideret omnes primogenitos Ægypti, tanta strage edita, vt non sufficerent viui ad sepeliendos mortuos. Quare vocatis ad se nocte, Moyse & Aaron, permittit ipsis cum populo, atq; armentis, & gregib. abire: vrgentibus quoque Ægyptiis populum velociter exire terra. Hoc itaque primum Phase, hoc est, transitus Domini: quod celebrarunt filii Israël apud Ramesses, editis prius signis memoratis in campestribus Taneos & tabernaculis Cham. Spoliatis ergo Ægyptiis eodem die profecti sunt de Ramesses in Sochot 600000. circiter viri fortes pedites armati cum paruulis, & mulieribus, vulgoque promiscuo innumerabili, & pecoribus quoque admodum multis. Secundum LXX. interp. translationem exierunt ex Ægypto in quarta generatione tribus Leui, & in quinta generatione tribus Iuda: cum iam habitassent ipsi & patres eorum annos quadringentos & triginta in Ægypto & terra Chanaan. Cum itaque Pharao emisisset populum, non duxit eos Dominus per regionem Philisthiim, quę proxima est terræ Chanaan: sed circumduxit eos per viam deserti: sic vt de Sochot profecti, castrametati sint in Etham, in extrema parte solitudinis sita, præcedente ipsos Domino interdiu in columna nubis, & de nocte in columna ignis.

Exod. 12. Num 9. Sap. 18. Psal. 77.

Egressi Etham venerunt in Phibahiroth, transieruntque mare aquis stantibus quasi in vtre: persecutus eos Pharao submersus est cum vniuerso exercitu suo. Venientibus in Mara, aquæ amaræ, iniecto ligno, dulces factæ sunt. In Helim duodecim fontes & septuaginta palmas inuenerunt: decimoquinto die mensis secundi qui Zius est. Duodenario fontium numero, Patriarchæ; & septuagenario palmarum, omnes qui cum Iacob in Ægypto consederant, vnde populus Israëlis profluxerat, significabantur. Venientes in Sin desertum, murmurauerunt contra Moysen & Aaron: itaque vesperi, vento mutato, pluit quasi coturnices, & mane manna in similitudinem pruinæ. Quod deinceps per annos quadraginta, recens cælo quotidie, præterquam Sabbatis, decidit omne delectamentum & omnis sapo-

Exod. 12. Num. 33. Psal. 77. Iudith. 5. Eccli. 38. Exod. 12. Num. 11. Sap. 16.

ANNI MVNDI.

ris dulcedinem in se habens: erat autem simile coriandri semini, & gustus ex se quasi similæ, cum melle coctum panis oleati saporem præbebat. Singulis sufficiebat collegisse Gomor, id est, decimam partem Ephæ, quæ est duodecima pars Cori minoris quorum decem complent, Homer seu Corum æqualem Dordracensi Galero. Epha vel Ephi capiebat tria sata, quorum mentio fit apud *Lucam*, 12. *Gen* 18. quæ plus minus sunt nostro quartario Delphensi. Gomor Man circiter pondi pendisse arbitramur, aut paullo plus cum vocarint eum cibum leuissimum Hebræi. Porro iussit Deus colligi & conseruari in futuras generationes tantum Man, quantum Gomor capere posset. Deinde in Raphidim sitientes potantur aqua prouenienté ex petra Horeb; pugnantque, Duce Iosue, contra Amalec; Moyse orante leuatis manibus quas Aaron & Hur, sororis Mariæ maritus, sustentabant. Venit eo etiam Iothro vxoris frater cum Sephora & filiis Moysis: lætatus, quod omnia audiuerat, quæ Moyses sibi euenisse referebat; dans quoque consilium sanum de constituendis iudiciorum Magistratibus. Die quadragesimo octauo fixerunt tentoria è regione montis Sinai: vbi Deus iussit eo die & postridie populum consecrari, & paratos esse in diem tertium, qui erat vndecimus Kalendas Iunii; quando cœperunt audiri tonitrua & micare fulgura, & mons nube fumosa operiri: eo quod descenderat Dominus in igne, qui hosce sermones locutus est ad Moysen, cum populus de longe staret perterritus & pauore concussus; quos & Moyses scripsit ex ore eius in libro.

*Exod.* 17. 18.

Ego



ANNI MVNDI.

Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.



*ON habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis, sub terra. Non adorabis ea neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Exod. 20.

*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini sui frustra.*

*Memento vt diem Sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & aduena, qui est intra portas tuas. Sex diebus enim fecit Dominus cælum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt: & requieuit die septimo, iccirco benedixit Dominus diei Sabbati & sanctificauit eum.* Exod. 21. 22. 23.

*Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

*Non occides.*

*Non mœchaberis.*

*Non furtum facies.*

*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

*Non concupisces domum proximi tui.*

*Nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.*

ANNI MVNDI.



IVSSIT quoq; Dominus altare sibi fieri terreum; vel ex lapidibus non expolitis, solo æquale: ne ad illud per gradus ascendant sacrificaturi.

Iudicia quoq; populo proponenda exponit.

Postridie obtulit Moyses duodecim vitulos, & legit verba fœderis, quæ scripserat in volumine, adspergens populum sanguine, quem in cratere conseruauerat. Deinde assumptis septuaginta quatuor viris, adscendit aliquantulum montem; vbi viderunt Deum, comederunt & biberunt, nec quidquam ipsis nocuit. Sequenti die cum Iosue adscendit altius, inceperuntq; ieiunare: septimo die, solus Moyses tendit in verticem montis apud Deum; sic quod cum Iosue in monte manserit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Deut. 9. 10. discens à Deo formam tabernaculi, quæq; eo debeant contineri, ritum quoq; sacerdotii omnisq; religionis: Designantes etiam Beseleel & Ooliab artificibus summis, qui parandis iis præessent. Interea populus videns Moysen diutius in monte morari, sibi vitulum conflari curauerunt, quem instar numinis colebant, efferentes holocausta ipsi, hostias pacificas manducantes, Plin. 8, 46. bibentes, atq; ludentes: imitati Ægyptios, qui Apim bouem in- Solin. 15. signem albæ notæ macula, quæ dextro eius lateri ingenita, corniculantis lunæ referebat faciem, centum Antistites Memphim prosequuntur: vt incipiat sacris ibi initiatus, sacer fieri. Delubra quibus succedit, aut incubat, mystice *Thalamos* nominant. Grex puerorum carmen honori eius canentium procedentem comitatur. Sic vt Moyses ita incensus proiecerit tabulas binas, sculptura scripturæ digiti Dei insignes, quæ ad radicem montis fractæ fuerunt: & immiserit Leuitas per medium castrorum, qui triginta tria millia hominum trucidarint. Reuersus quoq; in mõtem, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non comedens & aquam non bibens, iacuit coram Domino, suppliciter deprecando, ne deleret populum, sicut erat comminatus. Completo hoc ieiunio, nouæ tabulæ à Moyse lapideæ delatæ sunt, quibus rursum Decalogum Deus inscripsit, positæque eæ sunt in arca. Quas cum deferret Moyses, cutis faciei eius radios præ gloria eiaculabatur: ita vt velamen ponere supra faciem sit compulsus; perterrito alioquin populo. Qui admonitus ab ipso, voluntariæ oblationis tantum obtulit; vt iusserit Moyses voce Exod. 36. præconis proclamari: *Ne vir aut mulier quidquam vlterius offerat in opere Sanctuarij*. Nam oblata fuere auri viginti nouem talenta, & septingenti & triginta sicli, ratione ponderis sicli Sanctuarii, hoc est, mille, quadringenti & octoginta tres, aliis sunt quinquies mille quadringentæ & octoginta tres marcæ & vnciæ, cũ ter mille sicli efficiunt talentũ. Censiti præterea numero 603550.

armati

ANNI MVNDI.

gmati singuli semisiclum argenti seu didragma viginti octo obtule:ant: sicque argenti illius pondus erat centum talentorum, & mille septingentorum & septuaginta quinque siclorum. Æris quoque oblata talenta 72000. & quadringenti sicli; lignaque Sethim in varios vsus: est vero Sethim ea cedrus, cuius resina laudatissima & materia ipsa æterna quasi est. Ex ea & gentes simulacra deorum factitauerunt. Cedrinus erat Romæ in delubro Apollo Sosianus, Seleuciæ aduectus. *Plin.15.5.*

Principes vero dederunt lapides onychinos ac gemmas; mulieres prudentiores, quæ neuerant, præbuerunt: sic vt nihil deesset, quod etiam ad ornatum & ad vestes sanctas necessarium erat. Quæ tanto artificio fecere Beseleel & Ooliab, Geographiç non imperiti, vt in veste poderis, qua induebatur Aaron, totus esset orbis terrarum; & magnalia parentum sculpta in ordinibus lapidum, atque magnificentia Dei in diademate capitis eius scripta conspici possent: mira quadam permistione colorum; cum coccus ignem, hyacinthus aërem colore, byssus terram o rigine, & purpura mare referre viderentur. Quibus etiam colo ribus velum Sanctuarii distinctum erat: in quo omnis cæli ratio erat expressa, præter signa. Nam duodecim panes in mensa positi, signorum circulum, anniq; menses significabant. Quemadmodum septem lucernæ candelabri, quod talenti auri erat, Planetas: thuribulum vero impletum tredecim odoribus, designabat omnia Dei esse, ipsique seruire. Omnia quippe plena erant mysteriis; quæ mala punica, salubres acinos cortice tegentia, sacerdotum doctrina, quasi tintinnabulis exponenda esse admonebant. Ideoque & rationali iudicii quasi pectori Aaronis inscriptum erat, *Veritas & Doctrina*, quodammodo ex ore eius exquirendæ: cum esset & ab eloquentia etiam à Deo commendatus; qui dedit illi in præceptis suis potestatem in testamentis iudiciorum docere Iacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel. *Sap.18.* *Iosephus de bello Iudaico, 6.6.* *Exod.36.* *Exod.25.30.* *Mal.2.* *Mal.2.* *Exod.4.* *Eccli.45.*

Anno secundo ducatus Moysis, primo die primi mensis Nisan, erectum, atq; cum vniuersa supellectile, oleo vnctionis consecratum fuit tabernaculum; nube Domini operiente illud interdiu, & igne de nocte per omnes deinceps mansiones. Locutusque inde Dominus ad Moysen, docuit ipsum ritus holocaustorum, oblationis sacrificiorum, similæ oleo conspersæ, hostiæ pacificorum, & pro peccatis, atq; pro delicto. *Exod.40.* *Leuit. 6.* *Ioseph.3.7.*

Aaron quoque consecutus cum filiis suis, vestesque eorum qui septem diebus manserunt in tabernaculo. Octauo die, exercente Aaron Pontificatus officium, ignis à Domino egressus est consumens holocaustum & adipes, qui erant super altare. Hic ignis lignis nutritus est ad Babylonicã vsq; captiuitatem, tũcq; *Leuit.8.9.*

ANNI MVNDI.

in cauerna putei siccum habente locum, clam absconditus, in aquam crassam mutatus fuit: qua, iussu Nehemiæ sacerdotis, ligna sacrificiis supposita adspersa, accensa fuere: sicq; ignis sacer conseruatus est. Qui, quanti erat æstimandus, exemplo Nadab & Abiu alienum ignem coram Deo offerentium & ab igne Domini exstinctorum, vestibus ipsorum non adustis, cognoscere possumus.

Tabernaculum constituebatur ex decem cortinis, ex bysso retorta hyacintho, purpura, coccoq; bis tincto, acu pictis: longitudine viginti octo, latitudine vero quatuor cubitorum, numeris mysteriis consecratis. Iungebantur cortinæ quinquaginta ansulis Hiacinthinis: & quinæ iunctæ in veli modum, simul quinquaginta aureis annulis connectebantur. Tecti loco erant saga vndecim longa cubitis triginta, lata quatuor, quæ desuper pellibus arietum rubricatis, & vlterius Hyacinthinis: vtiis micantibus, à procul quasi cœlum ipsum videri putaretur.

Quatuor columnæ, ex quibus velum dependebat, secernebant Sancta Sanctorum à sanctuario. Et ex quinq; aliis pendebat velum Sanctuarii: erantq; numero nouem deauratæ.

Ad vim ventorum sustinendam, ponebantur à partibus Meridionali & Septemtrionali triginta tabulæ deauratæ, cum vectibus & annulis aureis, à parte Occidentali Tabernaculi, statuebantur octo tabulæ deauratæ, longæ decem cubitis, latæ vno & dimidio; extremæ crassæ semi palma, præter extremas, quę semicubitali erant crassitudine, omnes ex ligno Sethim.

*Ioseph. 3. 5. de antiquit.*

Tabernaculi trifariam diuisio vniuersitatis naturam referebat. Nam tertia pars, quæ intra quatuor columnas continebatur, sacerdotibus inaccessa, cœlum Dei quodammodo repræsentabat. Aliud spatium, tanquam mare & terra, hominibus inaccessibilis, solis sacerdotibus concedebatur. Hæcq; ternaria diuisio viginti octo cubitis concludebatur: qui numerus inter perfectos secundus est ordine; constans quatuor septenariis, sicuti latera protensa erant quatuor denariis cubitis. Atrii alius erat ordo, cum longitudo duplex esset proportione ratione latitudinis: sicuti & columbæ septem cubitorum cum semisse, omnes numero sexaginta, ad quæ tentorium velaque atrii expandebantur.

Stola Sancta, auro, & Hyacintho, & purpura opus textile, viri sapientis, iudicio & veritate præditi. Non est indutus illa alienigena aliquis; sed tantum Aaron, & filii, nepotesque eius. *Sic pulchra non fuerunt talia ante Aaronem vsque ad originem* Eccli. 45.

Altare numeris mensuræ suæ significabat ex quinq; ætatibus restare tria, quibus sacrificia significatiua essent suo in vigore consti-

constituta: nec enim esse solida ac perpetua, sed verum sacrificium ipsis successurum.

Eleazar (hæc vox *adiutorium Dei* Hebræis sonat) curæ erant oleum oliuarum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & sacrificium, quod semper offertur, nempe simila: cuius decima pars Ephi (medium mane, & medium vesperi) in sartagine oleo frixa offerebatur calida à summi sacerdotis successore: totaq; in altari cremabatur: & oleum vnctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinebat, omniumq; vasorum, quæ in sanctuario erant.

Septem lucernarum lumina, septem præcipua dona Spiritus, Dei adiutorio septemplici operum caritatis numero elucentia, in triplici statu hominum piorum adumbrantur. In forma enim scyphi nucis amygdalæ coniugati, sine quibus nec viduæ nec virgines prodire possunt, infimum occupare locum videntur. Viduæ, quæ & virgines & coniugatæ fuere, quasi orbiculi ex duobus concauis (nec enim, licet fusile solidum candelabrum erat) compositi, medio loco statuuntur. His supereminent virgines, per lilia florum excelsissima, candore quoq; excellentia, & languido collo humilitatem præ se ferentia, expressæ. Ex quibus, successione rursum prouenient coniugati ac viduæ, in præpotentibus, mediocribus ac tenuibus, quos omnes sustentat Deus. Triplex ordo orbium fidem, spem, & caritatem, virtutes Theologicas, à Deo perfecte donari; & prudentiam, temperantiam, iustitiam, ac fortitudinem ab ipso concedi, quadruplex ordo demonstrat.

*Panes* propositionis erant ex farina duorum assaronum seu Gomor confecti, purissimi atq; Azymi: qui singulis Sabbatis recentes inferebantur, mensa stante in parte Aquilonis.

*Arca* duorum cubitorum cum semisse erat longitudine; altitudine latitudineq; æquali, nempe sesquicubiti. Operculum corona aurea erat ornatum: cunctaque vestita auro intus & foris.

Heb. 9.

| | |
|---|---|
| *Conseruabantur in Arca* | Tabulæ Decalogi, |
| | Gomor Manna, |
| | Virga Aaronis, |
| | Liber Deuteronomij. |

*Propitiatorium Arcæ* superponendum ex auro, vnde oracula Dei è medio pronuntiabantur.

*Velum tabernaculi* varium ac distinctum pulchra varietate, Cherubin habens opere textorio & ordinē cæli: sanctū à Sancto

ANNI MVNDI.

sanctorum secludens: in hoc arca cum propitiatorio; in illo mēsa ac candelabrum erant.

*Secundum Pascha.* *Num. 1. 2. 10.*

Decimoquarto die celebratum est Phase ad Vesperam iuxta omnes cæremonias eius. Deinde primo die mensis secundi, delectus habitus eorum, qui vigesimum annum ætatis impleuerant: qui omnes numero 603550 præter Leuitas, fuerūt sub duodecim ducibus per familias ac domos patrum suorum, proficiscentes & castrametantes per turmas suas: præcedentibus Iuda, Issachar, & Zabulon tribubus: pone sequentibus filiis Gerson & Merari cum tabernaculo: quos Ruben, Simeon, & Gad subsequebantur: deinde Caathitæ portantes sanctuarium: post hos Ephraim, Manasse, & Beniamin incedebant; Dan, Aser, ac Nepthalim extremum claudentibus agmen. Leuitæ, supra primogenitorum suorum numerum, ad viginti duo millia numerati fuere. Pro quibus cum Dominus primogenitos aliarum tribuū permutasset, excederentq; illi ducentos septuaginta tres numero, & singuli quinq; siclis sanctuarii redēpti essent: summa mille, trecentorum & sexaginta quinq; siclorum Aaroni & filiis eius data fuit à Moyse. Ex hoc tempore, tribus Leui quoque Aaroni

*Num. 4.*

donata, ministrauit ei ipsi: atq; seruiuit in ministeriis tabernaculi. Numerus seruientium, à triginta annis vsq; ad annum quinquagesimum, fuit octo millium, quingentorum & octoginta. Qui numerus Arithmetica proportione, nempe 2.6.8. vel. 3.6.9. diuisibilis, ostendit iustitia comutatiua distribui deberi ex æquo labores: cum numerus 22000. Geometrica proportione per 2.4.8 diuidendus, pręfecturas Synagogæ ac Magistratus iustitia distributiua impartiri oportere ostendat. Itaque cum Caathitæ, quib. præerat Eleazar, proficiscentes, supellectilem Tabernaculi inuolutam operimentis baiularent: Gersonitæ, qui parebant Ithamar, vela, cortinas, tabernaculi funiculos, vasaq; ministerii portarent: Meraritę (& hi sub Ithamar erant) tabulas, vectes, columnas, cum basibus, paxillis & funibus ferebant. His itaq; Moyses quatuor plaustra tecta & octo boues: Gersonitis duo plaustra cum quatuor bobus dedit: quæ Principes obtulerant, cum dedicaretur tabernaculum. Qui quoq; per duodecim dies, ordine, quo proficiscebantur, singuli muneta ante altare consecratum offerebant acetabula argentea duodecim: phialas duodecim, appendentia bis mille & quadringentos siclos sanctuarii: duodecim mortariola aurea centum & viginti siclorum: præter triginta sex boues, arietes, & agnos, hircos, ducentos & sexdecim omnes numero.

Die vigesimo mensis secundi, cum iam decem menses & viginti dies in Sinai commorati essent; eleuata nube de tabernaculo, post clangores tubarum ductilium, profecti peruenerunt

in solitudinem Pharam: quando Moyses affinis suo Hobab filio Raguelis dixit, *Veni nobiscum, ut benefaciamus tibi.* Qui primum renuit, sed postea acquiescens, iuit cum eo. Ex eo vero nati sunt & orti Cinæi illi, qui cum Iuda habitauerunt in desertis eius ad Meridiem Arad. ANNI MVNDI.

Murmurante populo, ignis extrema castrorum depascebat, qui, orante Moyse Dominum, extinctus fuit; loco inde nomen *Tabera*, id est, *incensio:* quemadmodum sunt dicta *sepulcra concupiscentiæ*, quod ibi sepulti essent, qui carnes desiderauerant; cum Dominus translato Austro, adduxisset Africum ventum, qui *Psal.77.* violentus arreptas trans mare coturnices, volantes in aere duorum cubitorum altitudine super terram, spatio itineris diurni, instar pluuiæ in castra adduxit. Sicque qui parum ex iis collegerant, etiam decem coros impleuerunt: siccantes eas in circuitu castrorum: cum Deus iam Aristocratiam septuaginta ducum optimatum simul cum Moyse instituisset. *Num.11.12.*

Egressi inde, castrametati sunt in Haseroth: vbi Maria lepra percussa, septem diebus castris excluditur: quod contra Moysen cum Aarone ob Tharben Æthiopissam, quam Moyses in vxorem duxerat, murmurasset.

De Haseroth venerunt Rethma, vnde emissi sunt duodecim exploratores: qui quadraginta diebus circumeuntes regionem, mala granata, ficus, & botrum vuæ, quem duo viri in vecte portabant, inde retulerunt. Nomina vero, ac tribus exploratorum hæc sunt.

| | |
|---|---|
| 1. *Ruben* | *Sammua filius Zechur* |
| 2. *Simeon* | *Saphat filius Huri* |
| 3. *Iuda* | *Caleb filius Iephone* |
| 4. *Issachar* | *Igal filius Ioseph* |
| 5. *Ephraim* | *Osee seu Iosue filius Nun* |
| 6. *Beniamin* | *Phalti filius Raphu* |
| 7. *Zabulon* | *Geddiel filius Sodi* |
| 8. *Manasse* | *Gaddi filius Susi* |
| 9. *Dan* | *Ammiel filius Gemalli* |
| 10. *Aser* | *Sthur filius Michael* |
| 11. *Nepthalim* | *Nahabi filius Vapsi* |
| 12. *Gad* | *Guel filius Machi.* |

Quæ dum ostenderent populo, narrantes terram inhabitari à Gigantibus, illum terrore impleuerunt: frustra reclamantibus Iosue & Caleb. Iratus itaque Dominus, omnes à viginti annis in deserto morituros dicit, præter Caleb & Iosue; paruulos *Num.14.* vero ipsorum terram promissionis intraturos: cum quadraginta annis secundum numerum dierum, quibus terra explorata est, *Annus pro die impositus.*

fuerint

ANNI MVNDI.

*Num.* 14. *Augustin. de Ciuit. Dei.* 18.12.

fuerint vagati in deserto. Non quod ira vlla ve perturbatio animi cadat in Deum: sed iudicio, quo irrogatur pœna peccato, irasci quasi videtur. Quod in eo, qui quod sabbato ligna collegerat, lapidatus fuit, hic ostenditur. Et præcipue in Core, Dathan & Abiron, quos terra, os quasi suum aperiens, hoc loco deuorauit,
1489 ac etiā in ducentis quinquaginta ipsorum fautoribus igne consumptis: ijsq; 14700 qui postridie conflagrârunt. Quo ferè tempore in Haradasola præ duodecim aliarum tribuum virgis, Aaronis virga germen in florem prorumpens edidit, & amygdala protulit: quare sedatior populus visus.

1494. Quadragesimo anno ducatus Moysis venerunt filij Israel in desertum Sin, castrametatiq; sunt primo mēse in Cades, vbi Maria mortua ac sepulta fuit: populusq; ad ingenium rediit, seditionem ciendo, ob aquæ penuriam: quæ abunde, Moyse, Dei iussu, percutiente petram, ex ea fluere cœpit.

*Num.* 20.

*Aaron moritur secundum Iosephum, 1. die mensis 4. prima tempe luna post solstitiū æstiuū. Ioseph 4.4. Ioan. 3.*

Deinde Rege Edom negante ipsis transitū, mouerunt castra versus Hor montem, in quo Aaron, spoliatus vestibus suis, mortuus est, populo ipsum 30. dies plangente. Post hæc fastidientes Manna, post deuictum Arad regem Chananęum & interfectum, ab ignitis serpentibus occiduntur: donec erecto serpente æneo per Moysen, a morsu eorum sanantur, illum intuendo: qui exaltandum figurate referebat ipsum, per quem à perditione liberati, vitam consequimur æternam, credentes in eum.

*Deut.* 3.

*Asina cōspecto Angelo à via declinans fuste cæditur, & aperiente Domino os eius multis verbis ratiocinatur cum possessore suo. Num. 22. Propheta malus, licet tamen verax.*

Cum Sehon Amorrhæorum Rege victo Moyses Esebom cum viculis suis cepisset; etiam internecione deleuit Og regē Basan, qui vnus de stirpe Gigantum cæteris ab Lothi posteris interemptis, supererat, vastitate corporis admirabili: quandoquidem ferreo incubaret lecto, latitudine quatuor, & longitudine nouē cubitorū virilium: qui prodigij instar, à posteris Ammon peregrinis ostendebatur in Rabbath, quæ Philadelphiæ cognomen à Ptolomæo accepit. Videns autem Balac Moabitarum Rex prosperum hunc successum populi Israelitici; adscitis sibi præcipuis Madianitarum senioribus, euocauit Balaam Ariolum Ammonitam, vt infausta precaretur populo: quod tantum abfuit, vt fecerit; vti etiam illum triplici benedictione prosecutus sit, vaticinando quoque complura de Christo: Assyriorum Romanorumque Monarchis post Hebræorum deuastationes perituris. Morabatur tum populus in Sethim, non procul à Iordane, fornicandoque cum filiabus Moab, & sacrificando Beelphegor, abominabiles ac suspendio digni facti sunt coram Domino: cum Zelus alacritasque Phinees ipsi placerent: qui Zamri filium Salu, in lupanari, vna cum meretrice Cozbi, Zur nobilissimi Principis Madianitarū filia, pugione confodit per genitalia.

*Num.* 25. *Osea* 9. 2. *Mach.* 2.

Beelphegor seu Beelzebub, *idolum erat Moabitarū ac Ammonitarū idē* *quod Hebræis* Mephizeth *&* *Gentibus* Priapus *dicebatur.*

Quare

Quare accepit testamentum sacerdotii, & expiauit scelus filiorum Israel, plaga cessante. qua occisa erant viginti quatuor millia hominum. Deinde pater eius Aleazar cum patruo Moyse renumcrant populum, cui diuidenda erat terra: qui recensitus est 601730. inter quos nulli erant ex iis, quos Moyses & Aaron numerauerant in deserto Sinai præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun. Numerati quoque Leui posteri viginti tria millia. Descriptique omnes à Moyse & Eleazaro, qui Aaronis loco sacerdotio summo fungebatur. Qui numerus etiam diuisibilis per 2 4 8. in successione Leuitici sacerdotii etiam ordines Synagogæ Geometrica proportione permansisse, cum augmento 1000 testatur. Nam cum Deus vnus sit: secundo loco rite locatur summus sacerdos: quarto loco sacerdotes ceteri: octauo Leuitæ, secundum officia sua. Itidem & Christus summus sacerdos secundum ordinem Melchisedech ratione humanitatis secundus erat: Apostoli quaternario numero: septuaginta vero discipuli octonario censebantur in Ecclesiæ Hierarchia. Quod si Leuitarum illos numeros inæquali numero, nempe quinque diuidas; in numero proueniente, qui diuidi non poterit, statim Anarchiam percipies: vti & in numero 22273. puerorum, quo plebs significatur. Sic in his numeris libri numerorum, continentur summa mysteria: vti in Leuitico totus ordo Leuiticus, varia sacrificia, & vestes sacerdotales spirant cœlestia sacramenta.

ANNI MVNDI.

Num. 26.

Deut. 6.

Ceterum, ad se vlciscendum de Madianitis, ante mortem hortatur Deus Moysen: qui missis duodecim millibus cum Phinees Eleazari filio omnes trucidandos, præter virgines, procurat. Inter quos fuere quinque Principes gentis: sed & Balaam Ariolus filius Beor gladio interfectus est; quod ille suggesserat mulieribus, vt deciperent filios Israel. Præda erat ouium 675000. boum 72000. asinorum 61000. virginum 32000. Præter quinquagesimam prædæ partem, obtulerunt tribuni & centuriones, in donariis Domini, 16750. siclos auri in diuersis speciebus, gratitudinis ergo: quod ne vnus quidem militum perierat. Num. 31.

Filiis Ruben, Gad & dimidiæ tribui Manasse sua portio trans Iordanem datur: ea conditione, vt fratres suos armati præcedentes introducerent ad loca sua in terra Chanaan.

*Iosue Moysi* substituto, terra descripta, designatisque decem, qui cum Eleazaro & Iosue eam diuisuri essent, ac quadraginta octo vrbes Leuitis constituturi; primo die vndecimi mensis cœpit Moyses explanare legem, & conscribere Deuteronomium, quasi legem secundam, ac præfigurationem legis Euangelicæ. Hunc librum iussit poni in arcæ latere, & describi ac legi semper

a futuris

ANNI MVNDI.

à futuris Regibus. Initiis quoq; Sabbatorum, terræ, & septimo mense, festo tabernaculorum recitari populo: vt discant timere Deum. Legem obseruantibus benedictiones, & non seruantibus maledictiones replicauit. In monte quoq; Garizim, postquam transierint Iordanem, iussit stare Simeon, Leui, Iuda, Issachar, Ioseph & Beniamin ad benedicendum Domino in Hebal: qui adeo propinquus est, vt in ambobus stantes se inuicem audire possent, Ruben, Gad, Aser, Zabulon, Dan, & Nephtali ad maledicendum: pronunciantibus Leuitis maledictiones excelsa voce, & confirmante eas populo, dicendo *Amen:* Scripsit quoque canticum & docuit illud filios Israel, quo Dei beneficia refert, & populi ingratitudinem ab ipso sæpius castigatam. Principio parat attentionem, deinde inuocat ac proponit: comparatione Dei magnificentiam quoq; extollit: vtitur interrogatione, similibus, metaphoris, comparationibus aliisq; figuris. Deinde benedicit singulis tribubus, præterquã Simeon; qué, cur præ aliis Ioseph quoq; in vincula coniecerit, me ignorare fateor: nisi quod in eo mystice Iudas Iscariotes, à duodecim Apostolorum numero excludi, ab Interpretibus Scripturæ refertur.

*Hieron. epist. ad Fabiolam de 42. mansionibus.*

*Deut. 4.*

Porro Moyses adscendit in verticem montis Nebo, viditque terram promissam vndique: mortuusq; est in terra Moab, cum vixisset centum & viginti annos: ita firma valetudine fruendo: vt nec oculi eius caligauerint, nec dentes moti sint. Exsequias eius cum planctu triginta diebus celebrarunt filii Israel: cum nescirent sepulchrum eius, quod erat in valle Moab contra Phogor; de quo, cum diabolus aliquando disceptaret, dixit ipsi Michael Archangelus: *Imperet tibi Dominus.*

*Iud. 1.*

**Levi progenies.**

- *Gerson*
  - *Lebni*: Iahel, Zethan, Ioel
  - *Semei*: Salemith, Hosiel, Serari
- *Caath*
  - *Amram*
    - Aaron
      - Eleazar: Phinees, Abisue, Bocci, Ozi, Zaraiã, Meraioth, Amarias, Achitob, Sadoc, Achimas, Azarias, Iohannan, Amarias, Achitob, Sadoc, Sellum, Helcias, Azarias, Samias, Samias, Iosedec, Esdras, Iesus, Ioachim, Eliaseb, Ioiada, Ioathan, Iaddua, Onias, Simon, Eleazarus, Manasses, Simon, Onias
      - Ithamar: Heli
    - Moyses
      - Gerson: Ionathan, Subuel, Iehedeia
      - Eliezer: Iohabia, Isaias, Iorã, Zechei, Selemith, super thesauris manubiarum, quæ consecrabantur ad instaurationem templi & supellectilis eius, custodes vestibulorum Tabernaculi.
    - Maria
  - *Iesaar*
    - Core: Aser, Elcana, Abiasaph — Core, Sellum cum fratribus suis Coritis Asir, Thahath, Vriel, Ozias, Ioel, Elcana, Amasui, Mathath, Elcana, Suph, Thohu, Eliu, Teroham, Elcana, Samuel (Ioel, Abia), Heman — Bocciau, Mathamau, Oziel, Subuel, Ierimoth, Hananias, Hanau, Eliatha, Geddelthi, Romenthiezer, Iesbaccassa, Mellothi, Othir, Mahazioth.
    - Nepheg
    - Zechri
  - *Hebron*: Ieriau, Amarias, Iahaziel, Iermaan
  - *Oziel*: Mizael, Elisaphan, Sechri
- *Merari*
  - *Moholi*: Eleazar non habuit filios, sed filias, quas duxerunt filij Cis. Cis, Ierameel
  - *Musi*
    - Moholi, Somor, Boni, Amasai, Helcias, Amasias, Hasabias, Maloch, Abdi, Cusi, Ethan seu Idithan.
      - Idithun: Godolias, Iesaias, Hasabias, Mathathias
    - Eder
    - Ierimoth

ANNI MVNDI.

# EXTERNA TEMPORA MOYSIS.

## *Monarchia Assyriorum.*

AMYNTES Rex decimus octauus regnat annos quadraginta quinque.

## *Regnum Atheniensium.*

PER hæc tempora sunt Diis falsis sacra à Græciæ Regibus instituta, quæ memoriam diluuij, & ab eo liberationis hominum sollemni celebritate reuocarunt. Dicta *Lupercalia*, quod lupi ad Parnassia iuga primum confugerint, viam quasi hominibus, vt sequerentur se monstrantes. Immolabant Luperci canem, quod hoc animal maxime inimicum sit lupis, & inter cicures ferocissimum.

*Erichthonius* Atheniensium quartus Rex instituit, vt serui ex Tauro monte venas argenti exscinderent, atque tum in Attica regione, tum in Lycia primus nummum signauit.

Qui aut bello aut seditione ex reliqua Græcia exciderant, ad Athenienses tanquam ad asylum potentissimi quique se receperunt.

Eius regni anno decimo *Dardanus* Cambablasconis & Electræ Atlantis filiæ filius, Dardaniam condidit, atque ibi regnauit annis 64.

2485. *Crotopus* octauus Rex Argiuorum regnat annis viginti & vno.

2486. Anno ad summum quinquagesimo post diluuium, quod sub Deucalione in Græcia accidit, Clymenus Cardij filius genere Herculis Idei natus, ex Creta profectus, certamen in Olympia posuit: & Curetibus, tum aliis, tum Herculi generis auctori ará exstruxit, Herculemque παραστάτην, id est, *adiutorem* cognominauit.

## IOSVE MOYSI SVFFICITVR.

[illegible]

POST mortem Moysis, *Osee* vel *Iosue* aut *Iesus* administrationem principatus inijt, confortante eum Domino ac dicente: *Tu sorte diuides populo huic terram, quam, intercedente iuramento promisi patribus eorum, vt darem ipsis: sicut fui cum Moyse ero tecum, non dimittam nec derelinquam te.* Hic itaq; non modo in gestis, sed etiam in nomine typum Saluatoris præferebat. Sicuti Caleb, qui, instar fidissimi canis, ipsum sedulo absque formidine cordis comitabatur, populum illum mysticè significabat, qui tollendo crucem suam, cum fide & caritate, de corde puro, in spe participatio-

[illegible] Osee [illegible] nis [illegible] nisi- [illegible] vero [illegible] ymũ [illegible] rem [illegible] si- [illegible] tat. [illegible] so- [illegible] tem, participationem & adhæsionem *interpreantur Hebræi.*

pationis Hebron, alacriter secuturus esset illum, qui deuictis atrocissimis hostibus, Mundo Morte ac Diabolo, ad cælestem promissionis terrã ipsum esset deducturus. Et quemadmodum Eleazar, qui adiutorium Dei interpretatur, semper adfuit Iosue; ita numquam defuit Caleb: nec defuturus erit ijs, qui, instar canicularum, de micis ex mensa Domini cadentibus, pasci ex corde desiderant. ANNI MVNDI.

Post initium principatus, statim mittit Iosue exploratores: qui benigne excepti, callide seruati, ac emissi fuere à Rachab, sibi suisque optime consulente. His post diem tertium reuersis, populum de Sethim ad Iordanem duxit, triduoque peracto monet eos per præcones, vt postridie sacerdotes arcam fœderis portantes sequantur. Quibus Iordanem ingressis, steterunt aquæ superiores instar montis tumescentes, inferioribus decurrentibus in mare mortuum, donec omnino deficerent. Singulare organum Dei, amnis ille amœnus; qui ex Ior & Dan fontibus ortus, in bituminosum Asphaltitem lacum defluit: vbi occultis cuniculis creditur condi. Per quem, cùm decimo die mensis Nisan transirent; iussit Dominus duodecim viros de singulis tribubus, ex alueo eius duodecim durissimos lapides tollere, & in signum huius miraculi poni vbi castramerarentur in Galgalis: duodecim etiam in medio fluminis mergi. Latet porro sacramentum in hocce duodenario numero: quandoquidem (cum tribus Leui pars hereditatis Domini sit; tribus Ioseph à Iacob in duas stirpes fuit deducta: quod Patriarcha eo numero posteritatem suam voluerit finiri, quo diuisus fuerat orbis) eligendi forent Euangelii nuntiandi præcones, & sedes iudiciariæ essent constituendæ, quando vniuersi mortales sub nomine duodecim tribuum fuerint iudicandi. Hic quippe numerus cõstat ex primo perfecto senario bis numerato: constat quoque ex primo quadrato & cubito numeris, diuisibilis per imparem, parem impariter parem, pariterque parem numeros: atque sic constituendo semisses trientes, quadrantes, sextantes. Ex partibus quoque eius proportiones Arithmeticæ, Geometricæ, atque etiam Musicæ, formari possint. Quin & impariter diuisus in septem & quinq;, hoc peculiare habet; quod si vnitatem parti minori abstractam maiori addideris, illa duplex erit. sin è contra maiori vnitatem ablatam minori adiunxeris, ambo æquales erunt. Iosue 2.3.

Castris in campestribus Iericho positis, circumcisus fuit populus; celebratumque tertium Phase, decimoquarto die. Postridie comederunt de frugibus terræ panes Azymos, & polentam; defecitq; Manna, vestesq; consumi cœpere, quæ per quadraginta annos non erant attritæ in deserto: sicut & calceamenta pedum ipsorum non fuerant vetustate consumpta. Quo tempo-

ANNI MVNDI.

tempore Angelus Dux exercitus Domini, districtum habens gladium in manu sua, iussit per sex dies azymorum, semel; & septimo, septies circuiri cum arca fœderis ciuitatem: clangentibus sacerdotibus buccinis, ordine primi pilari præcedente, ceterisque subsequentibus arcam. Quo facto muri ac turres conciderunt, opidumque captum, direptum & incensum fuit, trucidatique ciues, præter Raab cum suis: quæ postea Salmoni nupsit filio Nahassonis. Præda auri, argenti, æris ac ferri, ærario Domini consecrata fuit. Lapidatusque est Achan tribus Iuda, quod de anathemate pallium coccineum, ducentos siclos argenti, quinquaginta auri clam sibi reseruauerat. Expugnatur deinde Hai, captaque fuit stratagemate, locatis enim quinque mille expeditis viris ad Occidentis vrbis partem in insidiis, ipsum Iosue fugam simulantem dum Rex Haiensis persequitur, ab ijs, qui in insidiis fuerant, opidum capitur: & Iosue reuersus cædit duodecim mille ciues vrbis Hai, regemque suspendit ad occasum Solis patibulo; præda populo concessa. Tuncque ædificauit Iosue altare Deo in monte Hebal ex lapidibus integris: oblatisque hostiis gratulatorijs, scripsit super lapides Deuteronomium legis Moysis, quod ille digesserat coram filiis Israel. Deinde populo diuiso ad montes Garizim & Hebal, benedictiones ac maledictiones lectæ sunt ex volumine legis.

Porro cum fœdere inito, magni maris accolæ, quique ad Libanum, montesque alios & campestria incolebant, se ad bellum præpararent; Gabaonitæ astutia quadam vsi, legatos [illegible] longinqua de regione, cum mandatis de pace concilianda [illegible]tunt, quam per fallaciam impetrarunt: sed detectis [illegible] perpetuo famulitio adstricti fuerunt. Ob horum de[illegible] Rex Ierusalem ira excandescens metuque perculsus, [illegible] tuor Regibus, obsedit Gabaon: cui, vt succurreret, vocatus [illegible], inopinantibus superuenit: cæsaque, ad internecionem [illegible]ene, complura sunt hostium millia. Et cum dies deficere cæd[illegible]tibus videretur, noxque futura victis præsidio; merito fidei Dux Israeliticus noctem auertens, diem perseuerare fecit, ita, vt nullum effugium hostibus esset: de quo miraculo scriptum est in libro iustorum: Quod Sol steterit in medio cæli & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. Nam continuo vicinæ quoque vrbes deuictæ sunt: populus & Reges eorum, triginta & vnus numero, perempti: Quorum terra ceteris tribubus ab Eleazar & Iosue sorte distributa est: nulla portione data Leuitis, quo liberius seruirent Deo. Caleb octoginta

*Ios. 10.*

*Hic topographia ostenditur antiquitas: cum acceptis, Iuda & Ioseph, suis partibus emensi Geometræ reliquum terræ deformarunt in volumine, & in septem partes diuiserunt 450. anni à nato Isaac fluxere Act. 13. ad [illegible]que hanc distributionem terræ exactæ: & non error in numeris, sed in distinctione orationis potius, ait.*

ginta quinq; annis natus accepit in possessione Hebron: cum il- ANNI MVNDI. 2501.
li daret Dominus fortitudinem, & vsq; in senectute permaneret
in ipso virtus ac alacritas. Nam tres Gigantes de stirpe Enac de-
leuit in Hebron: & Axam filiam suam dedit, ex promisso, in v-
xorem Othoniel filio Cenez fratris sui; eo quod ceperat Dabir
dictam ciuitatem literarum.

Diuiso per tribus solo (quod 39000. milliarium Germanicorũ quadratorum æstimatur) pace Israelitæ perfruebãtur, multis victoriis nobiles, nemine audẽte ipsos tentare armis. Eoq; tractu temporis, Iosue mortuus est: anno ætatis centesimo decimo, sepultusq; in finibus possessionis suæ, in Thamnatsare montis Ephraim. Ossa quoq; Ioseph sepelierunt in Sichem: vbi & ceteri Patriarchæ translati, & positi sunt in sepulchro, quod prius argenteis emerat Abraham: & longa cessione alienatum recuperauerat centum agnis Iacob. Eleazar quoq; mortuum sepelierunt in Gabaath colle, qui datus erat in Ephraim filio eius Phinees, qui ipsi in sacerdotio successit.

*Hac æstimatio facta per Iac. Zeigler summum Geographum & Mathematicum in cuius calculatione irrepsit menda calcographi vitio 4000. loco 4000. constituentis. Act. 7.*

Quanto tempore Iosue præfuit populo, non narratur: cum eius typus fuerit, cuius regni non erit finis. Eo mortuo populus agebat sine duce: oraculoq; Dei accepto, trib. Iuda cum Simeone. post deuictos Chananæum & Pheresæum, cõprehenderunt Adonibezec: cuius manuum ac pedum digitos resecuerunt: cũ is septuaginta Reges hoc supplicii genere affecisset: qui mortuus est in Ierusalem, quam captam, occisis incolis, Iudas quoq; succendit. Quo cum migrasset Beniamin, permisit Iebusæos habitare secum: quod & aliæ tribus etiam fecere, parcentes deuictis Gentibus, quas Deus internecione deleri præceperat His igitur imperarunt in suam perniciem; cum relicto vero Deo, idola eorum quoq; colerent. Quamobrem destituti diuino auxilio, iudicibus suis obedire recusarunt: & matrimonia cum Gentibus terræ contrahere cœperunt. Traditos vero à Domino in manus Chusancasathaim Regis Syriæ, ipsiq; octo annis seruientes, liberauit Othoniel filius Cenez de tribu Iuda; in quo erat spiritus Domini. Deuicto enim Chusancasathaim, iudicauit ille Israel, fruentem eam quiete per annos 40. donec moreretur.

## EXTERNA TEMPORA IOSVE.

### *Monarchia Assyriorum.*

Ephigenes docet, apud Babylonios, obseruationes siderum 720. annorum, coctilibus laterculis inscriptas fuisse: grauis inprimis, vt Plinius testatur, auctor. Quod à Beli, qui Astronomiæ peritus erat, tempore fieri cœpisse mihi persuadeo: sicuti &

ANNI MVNDI. altare in monte Hebal ex lapide fissili, qui in laminas finditur, factum fuisse existimo: eo argumento, quod foci ex ramentis eius exstructi, igni quam optime resistant, & quasi perennes sint: & ei non incommode vel graphio ex argento (cui proxima ferro durities) vel cote, qua præputia præcidebãtur, inscribi liber Deuteronomii potuerit. Fuit huius generis lapis ingens quondam mihi, quo vtebar pro mensa: multaque inscribebantur illi, stilo.

## Regnum Atheniensium.

*Cherax* regnat triginta annis.

*Erichthonius* Rex Dardaniæ quadraginta sex annis.

*Ephyra* conditur à Sisypho, (quæ & Corinthus dicitur) sita in Peloponnesi Isthmo, duos portus Cenchrem & Lechæum habens: vrbs deliciis dedita ac scortationi à Paulo Apostolice ideo increpita. Ad montis altissimi Acrocorinthi radices, Pirene fons est poëtis celebris

2506. *Stenelus* regnat vndecim annis.

*Cadmus* ex Phœnicia profectus in Thessaliam litteras sexdecim numero in Græcia ostendisse narratur.

2517. *Danaus*, pulso Gelanore, regnat Argis quinquaginta annis.

*Epopeus* regnat 35. annis.

Arcadia & ciuitatum & hominum numero creuit. Nyctinus Lycaonis maximus natu filius, totius regni potentiam consecutus est. Reliqui filij varias vrbes condiderunt. Pallas Pallantium, Oresteus Oresthasium, Thuocus Thuociam, Acacus Acacesiũ, Trapezus Trapezum, ab Helissonte, tum vrbs tum fluuius Helisson est appellatus. Orchomenus Methydrij conditor fuit & Orchomiorum: quos diuites re pecuaria Homerus appellat: alij quoque alias condiderunt vrbes.

*Athenas* vero ἑλλάδος ἑλλάδα, hoc est Græciæ Græciam, atque Græciæ Musæum quoque nominabant. Vocati quoque fuere Athenienses *Autochthones*, quod terram primi colere adorti sint. Pueros statim erudiebant, vt nandi vsum, propter naualia bella, & litteras condiscerent.

2524. *Pandion* regnauit Athenis quinquaginta annis.

2564. *Erichteus* regnat Athenis 50. annis.

2593. *Tiros*, Dardaniæ seu Troianorum Rex regnat annis viginti-nouem.

## Monarchia Assyriorum.

2544. Belochus secundus regnat annis viginti quinque.

2549. Primus annus Iubilæus.

Belo-

AN. M.

Belopares regnat triginta annis.
Lamprides regnat annis triginta duobus. 2556.
Sobares regnat viginti annis. 2586.
Lampares rex Assyriorum regnat triginta annis. 2618.

## SALMON.

*Salmon* genuit Boos ex Rahab.

Rursus corrupti longę pacis malo Israëlitæ, ab Eglon Rege 2537. Moab subiugantur: cui annis octodecim seruierunt. Hunc, instinctu Dei, Adon ambidexter de tribu Beniamin interemit, sicâ vsque in ventrem eius impacta, vt adeps ipsam concluderet. Collecto tumultuario exercitu, percussit Adon quoque circiter 10000 Moabitarum: Ac quieuit sub eo iudice terra octoginta 2551. annis.

Post quem fuit Samgar filius Anath, qui percussit sexcentos viros Philisthiim vomere, defendendo Israël.

Rursum sectantes Idola, Iabin Rex Chanaan subegit: ac graui dominatione viginti annos oppressit. Erat per ea tempora Debora Prophetis, vxor Lapidoth; quæ, cum parũ virtutis in viris esset, iudicat Israel sub palma, inter Rama & Bethel, in monte Ephraim. 2620. 2638. Hæc, accersito ad se Barac filio Abinoe, ex Cades vrbe in montanis Nephthali attributa Leuitis, præcepit conscribere exercitum 10000. ex tribub. Nephthali & Zabulon: venturum enim esse in eius potestatem Sisaram, qui nongentis curribus, & exercitui Iabin regis vniuerso præerat: se cum illo ituram, cũ alioquin expeditionem detrectet, promittit; ideoque non illi, sed mulieri adscribendam fore victoriam, in cuius manu Sisara tradetur. Hic ergo victus prœlio, apud Iahel latitans, ab ipsa, clauum sinistra tempori imponente, malleo caput transfigitur. Erat hæc vxor Heber, Oriundi ab Hobab, affinis Moysi: qui, cum ceteri Cinæi Iudam sequerentur, migrauerat in tribum Nephthalim: ibique iuxta Cades sedem in valle locarat. Post victoriam Debora & Barac insigne epinicium Deo cecinere: in quo Iahel debitis celebrant laudibus. Sub Debora itaque Iudice, quadraginta annis terra fruitur pace: quæ præmissa est (vt Sulpicius ait) in typum Ecclesiæ, cuius auxilio captiuitas est depulsa. *Sulpic. Saur. hist. 1.*

## TEMPORA EXTERNA.

### *Regnum Atheniensium.*

*Laomedon* regnat annis quadraginta. 2602.
*Lynceus* regnat 41. annis. 2614.
*Cecrops* regnat Athenis annis quadraginta. 2641.
*Pelops* regnauit in Peloponneso annis quinquaginta nouem.

ANNI MVNDI.

Regio ab eo dicta, quasi Pelopis insula. Hic non magis opibus & copiis, quam natorum sobole potentissimus fuit.

*Amphion Thebas* in Bæotia muro cinxit: non quod saxa lyra duxerit (neq; enim par est id ita gestum videri) sed quod suauitate sermonis, homines rupium incolas, & incultis moribus rudes, ad obsequij ciuilis pellexerit disciplinam. Vrbs hæc numinibus apud se ortis gloriatur: vt perhibent, qui sacris carminibus Herculem & Liberum celebrant.

Inter Athenienses atque Cretenses atrocissimum certamen fuit: vbi populis vtrimque infeliciter profligatis, cruentiorem victoriam exercuerunt: quod Androgeum ab ipsis dolo sublatũ ferebant. Minos igitur Rex & Taurus belli dux ea tributa illis imposuerunt; vt nono quoque anno septem pueros darent, qui ibi seruituti traditi senescebant: nec poterant inde, cum insula esset, effugere. Vnde Tragici pulpito & scena, plurimam sæuitię & crudelitatis famam de Minoë & Tauro dissiparunt: cum Minoëm tamen dignissimum regno fuisse, Hesiodus; & Iouis discipulum & familiarem, Homerus asseuerant. Minos maximam partem maris, quod Græcum dicitur, tenuit: & insularum Cycladum Dominus, primus in earum plerisque colonias posuit. Caribus quoque (qui cum Phœnicibus latrocinabantur) eiectis, filios suos ibi constituit Principes.

Thu. 16.4.

## OBED NASCITVR.

PER hæc tempora Boozi natus est Obed ex Ruth, quæ mortuo marito Mahalon, ex terra Moab secuta socrum Noemi orbatam marito filiis, alteraque nuru Orpha; cum ea in Bethlehem morabatur: sedulo etiam ipsi victum procurans; dum colligendo post messores spicas ad vesperam, easque virga excutiens, inuenit Ephi hordei, tres nempe modios seu sata. Qua eius delectatus diligentia Booz affinis iussit ipsam cum melioribus suis vesci polenta, panemque intingere aceto. Quibus saturata tulit quoque reliquias, & ex more spicas collegit. Quin & liberior facta, socrus consilio, sub noctem se ad pedes dormientis senis grandævi proiecit, deposcens pallium suum super se vt expandat iure propinquitatis. Ille alium affinitatis propinquiorem esse respondens, donatam sex hordei Ephi ad socrum remisit. Interim in porta (ibi enim apud Hebræos antiquitus iudicia fiebant) conuocatis decem viris, alteri ius propinquitatis defert: quo cedente suo iure (quod exuendo calceo ex more confirmabat, præsentibus decem viris testibus) Ruth in vxorem accepit: applaudentibus senioribus, ac populo fausta ipsi precantibus. Quæ & ipsi nato filio, Noemique socrui Ruth euenere, dum hæc pue-

*Sex Ephi quam proxime accedunt sesquioctonario Delphico; quod iustum onus erat mulieris.*

puerum in sinu ponens, & nutricis & gerulæ fungitur officijs: ille progeniem ex se reliquerit regali successione insignem, ex qua & ortus est Christus. Porro hæc Ruth Moabitis paupercula, allegoricῶs, Gentes significabat; quæ scientiarum omnium ignaræ, ex frugifero agro fortis ac bellicosi Iudæ, cui cum tribu Leui arcta erat affinitas, spicas; & ex domo panis Bethlehem sacris nimirum Hebræorum litteris, reliquias ciborum (concedente hoc potente in bello domino) collegerunt: vsq; donec tandem desponsatæ, instar castæ virginis, vni fortissimo viro & antiquo dierum fuere Christo: ac genus electum & regale sacerdotium, gentemq; sanctam ipsi pepererunt. Cum interim ceruicosa Orpha reuerteretur ad populum suum & Deos suos: in typo exprimens illos, qui in cogitationibus suis euanuerunt, & quorum cor insipiens obscuratū est. Qualis videtur fuisse Heraclitus Physicus, qui mundū ex igne nasci, & rursus per vices hoc omne sæculum ignescere, & omnia in ignem resolui docet: animarum ac dæmonum plena esse omnia, ac etiam in fornace *furnario* ardente esse Deos. Quæ omnia ex Hebræorū videtur hausisse doctrina: cum Moyses dicat Deum qui creauit omnia ignem consumentem; & speciem gloriæ eius, quasi ignem ardentem: qui facit, Dauid testante, Angelos suos, spiritus; & ministros, ignem vrentem: in cuius zeli etiam igne deuorabitur omnis terra. Quæ omnia nosse poterat: cum esset Dario Hystaspis filio Persarum Monarchæ vsq; notus, quod eum accedere ad se inuitarit. Leucippus quoq; cum Democrito: qui atomos per inane ferri aiunt, ac eorum concursionem concretionem efficere rotundam; sicq; fieri terram; manentibus particulis, quæ concurrerant in medium. Forte idcirco; quod legerant in libro Iob: Deum Aquilonem extendere super vacuum seu inane, glebasq; fuisse compactas, puluere suo in terram, super nihilum ab ipso appensam. Quid, quod Pythagoras, omnia de numerorum mysterijs secreta, ex Hebraicis scriptis hausisse videatur; vt & Plato Ideas, ac Aristoteles sua principia, materiam, formam ac priuationem: cum Deus materiam & formam simul creauerit, existente priuatione, teste Moyse lucis. Non referam, Geographos, pro ratione cæli, terram describendi Cosmographicῶs ordinem hunc didicisse: nam & latitudinum ratione, lucem & tenebras per climata & parallelos terminari, luce quoq; ac æstu zonas diuidi, & meridianos ac gradus longitudinis, secundum ordinem cęli, in orbę terræ posse constitui, facile percipitur in libro Iob: cuius antiquitas vel inde colligi potest; quod primo inter nouem hagiographa statuatur loco: & ob suam auctoritatem, etiam Tobiæ secundo capite citetur: quique prosa incipit (vt Hieronymus ait) versu labitur heroico, dactylo spondeoque currente:

*Ephrata Frugifera & Bethlehem domus panis Hebraice sonant, vti Boez in fortitudine & Ruth saturitas.*

*1. Petr. 2.*

*Rom. 1.*

*Deut. 4.*

*Exod. 14.*

*Psal. 103.*

*Soph. 1.*

*Diog. Laert. Posidonius refert dogma de atomis antiquum esse Moschi sidonii, qui ante res Troianas fuerat. Strabo 16.*

*Lactant. 9.*

*Epist. ad Paulin. & præfat. in Iob*

ANNI MVNDI.

& interdũ dulci quoq; ac tinnulo rhythmo fertur, numeris pedum soluto: deniq; pedestri sermone finitur; omnes leges Dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, ac conclusione determinans: sic vt inuentorem Dialectices se esse, Zeno Eleates iure gloriari non poterit.

Hisce etiam temporibus fædum atq; execrabile in hospitem facinus *inhospitalis* gentis Gabaæ perpetratum fuisse apparet: cum, quod Phinees Eleazari filius etiam tum fungeretur sacerdotio, arca Domini exsistente in Silo: & non verisimile sit, sub Adon Iudice talia contigisse. Forte vir Leuites ex Bethlehẽ profectus, volens intrare Iebus seu Ierusalem (quæ expulsis Beniamitis à Iebusæis habitabatur) diuerterat in Gabaa, sub noctem, cum familia & sarcinis: quem non solum Gabaonitæ hospitio excipere recusarunt; sed etiam, quo peiora euitaret, ipsis vxorem illudendam tradere coegerunt: qua tam inhumaniter abusi fuerunt; vt mulier diluculo expansis manibus, moribunda ante fores hospitii corruerit atq; exspirarit. Hanc mortuam maritus cernens dum prodiret; acceptum cadauer in duodecim partes dissectum transmisit in cunctos terminos Israel: singulis præ admiratione vociferantibus, nunquam tale piaculum factum esse in Israel. Itaq; congregantur a Dan ac Bersabee, extremis terræ Israeliticæ terminis, 400000. peditum aptorũ bello, in Maspha ciuitate Iuda: expostulantes sibi tradi à Beniamitis eos, qui hocce flagitium perpetrarant, vt de illis sumpto supplicio auerteretur plaga, quæ alioquin eueniret Israel. Verum tribus Beniamin fastu turgens, contemptis mandatis, fratrum auxilium 25000. virorum misit incolis Gabaæ: qui ipsi numero septingenti erãt exercitatissimi fundis iacere lapides; vt vel capillum capitis ferire possent non aberrando. Accepto igitur oraculo Dei in Silo, quo Iuda præcedere iubebatur, bis infeliciter prælium cõmisere; sic vt 38000. ab ipsis desiderati sint. Tertio cõfortati oraculo vicerunt, cæsis 25100. Beniamitis, sexcentis fuga elapsis, qui se continuerunt in petra Remmon tribus suæ, menses quatuor: dũ interea Israel regionem omnem vastando, homines iumentaq; occidit, flammisq; ædificia passim consumit: donec iam sedata ira, de tribu restauranda consilium ineunt, quod iurauerant de filiabus suis nullam ipsis nuptui se esse daturos. Occisis ergo viris Iabes Galaad, quod domi manserant cum mulieribus & paruulis; quadringentas virgines eorum elocarunt Beniamitis: & ducentas de suis permiserunt ipsos rapere, dum ducerent choros in Silo. Hæc itaq; tribus, & reprobationis merito, & gratia diuinæ electionis, postmodum fuit percelebris: cum Saul Regũ primus Israel, ex hac tribu ortus fuerit, qui reprobatus & prostratus clade bellica est, stirpe eius reiecta, ne inde Reges deinceps

ceps orirentur. Et Paulus Apostolus ex hac etiam tribu origi- ANNI MVNDI.
nem trahens; ex persecutore Ecclesiæ, vas electionis factus est, 2. Corint.
atq; segregatus in Euangelium Christi: in quo plus ceteris omnibus gratia Dei laborauit, coronamque gloriæ sibi repositam recepit.

## TEMPORA EXTERNA.

### *Monarchia Atheniensium.*

Pittheus vrbem Troëzeniorum incolens, omnibus sapientia & prudentia, eloquentiaq; præstare putabatur. Ex eius sententiis hanc fuisse memorant: *Esto satis comitis, merces, promissa laboris.* Hic Pelopis filius duxit vxorem, ex qua Æthram sustulit, quæ compressa ab Ægeo genuit Theseum. Qui apud auum maternum Pittheum educatus, pædagogum habebat Connidam, cui Athenis vno die ante Thesei arietem immolabant ad Traiani vsq; tempora. Theseus iam natu grandior, ab auo discit genus paternum: & excitatur oratione ad virtutem.

*Linus Thebanus*, Græcorum Poeta primus, traditam per manus Iapeti doctrinam de mundi generatione, Solis Lunæq; cursibus, & fructuum atq; animalium generationib. carmine complexus est, hunc in modum exorsus:

*Tempus erat, quo cuncta simul sunt condita quondam.*

Fertur in Euboea occubuisse, & hoc fuisse honestatus Epitaphio:

*Candida purpureis redimitum tempora sertis*
*Thebanum Vrania continet vrna Linum.*

*Musæus* Eumolphi filius Atheniensis asseritur dixisse: Ex vno fieri, atque in idem resolui omnia; primusque generationem Deorum tradidisse; atque inuenisse Sphæram. Hunc Phaleris sepultum tradunt, inscriptumque esse ipsius tumulo hoc Epigramma.

*Eumolphi exanimem Musæum terra Phalera*
*Claudis in hoc tumulo, pignora cara patris.*

*Orpheus* vero Thrax (quem, Laomedonte regnante, cum Argonautis ad Iliensium litus accessisse refert Lactantius Firmianus) sacra Liberi patris primum in Græciam induxisse narratur; eaque celebrasse Thebis Bœotiæ. Qui cum cithara cantu frequenter personaret, Citheron quoque appellatus fuit.

GEDEON

Anni Mvndi.

## GEDEON POPVLO PRÆFICITVR.

1671. RVRSVM ob peccata, Madianitarum imperio subiiciuntur septem annis Hebræi; humiliatique implorant Dei auxilium: quod precibus facile (vt misericors Dominus est) impetrarunt, prius correpti per quemdam Prophetam. Erat in tribu Manasse, *Gedeon* cognomento Hierobaal, filius Ioas, quem salutatum iussit Angelus Domini liberare populum; excusantique se, quod impar tanto oneri esset; respondit Dominus: *Ego ero tecum, percutiesque Madian quasi virum vnum.* Quare domum ingressus, præparauit hædum & placentas infermentatas de Epha farinæ: ponensque carnes in canistro, & ius earum in olla; obtulit ea Angelo sub quercu, iubenti ea poni supra petram, iureque perfundi. Quo facto, tetigit extremitate baculi, quem manu tene-

1676. bat, Angelus carnes ac placentas azymas; adscendensque ignis de petra, ea consumptit, euanescente Angelo de oculis eius. Timore itaque perculso dicit Dominus: *Pax tecum, ne timeas: non morieris* Quare confortatus, assumptis decem viris succidit nocte lucum, atque aram Baal; quam Madianitæ sacrauerant; offerens taurum super struem lignorum, quam de luco succiderat. Congregato exercitu 32000. accepit signum victoriæ in vellere: quod, tellure siccata, primo rore maduit; secundo siccum erat, terra perfusa rore.

Iussit quoque Deus, vt volentibus castra discedere daretur commeatus: sicque discedentibus viginti duobus millibus, ex decem millibus qui remanserant trecentos, qui aquam, manu ad os admota, lamberant, media vigilia ad hostium castra deduxit, clangentes buccinis, & lampades sinistris manibus gestantes, vociferando: *Gladius Domini & Gedeonis*; ita vt Amalec & Madian perturbati, in se inuicem cædibus sæuirent; fugientesque turpiter, passim trucidarentur; interfectis quoque Oreb & Zob, quos apprehenderant viuos. Hac pugna cæsi sunt 120000. & postmodum capti 15000 Quæ victoria tanta fuit: vt & ea pueri nascitu i Emanuel triumphos designare non dubitauerit Propheta Euangelicus. Nam præter delectas Madianitici exercitus reliquias, etiam eorum Reges Zebee & Salmana (hi fratres eius in Thabor occiderent) comprehensos necauit: atque etiam eos, qui, cum ludibrio, exercitui annonam negauerant, supplicio affecit. Tanta interim moderatione animi vsus, vt & Principatum sibi vltro delatum aspernaretur, atque communi cum ciuibus iure viuere maluerit, quam præesse suis, dicens: *Dominetur vobis Dominus.* Sed cum præda opima auri, argenti, textilium, camelorum, ac iumentorum potitus esset exercitus; a singulis inaurem auream (his enim Ismaelitæ vtebantur)

bantur) ex præda sibi dari postulauit. Ex quibus (pendebant namque mille septingentos auri siclos) fecit Ephod, quod reposuit in ciuitate sua Ophra: quodque scortantibus Israelitis in loco illo, ipsi Gedeoni & familiæ eius ad ruinam fuit. Cum ergo ius dicendo, finiendisque litibus per annos quadraginta occupatus fuisset; in senecta mortuus est, atque sepultus in patria apud Ephram, relinquens septuaginta filios ex pluribus vxoribus. ANNI MVNDI. *Ephod & Sacerdotale & Regium erat indumentum.*

Erat ipsi & nothus, ex concubina quam habebat in Sichem, natus nomine Abimelech: qui adiutus a cognatis maternis, occupata tyrannide omnia pro libitu gerebat. Nam acceptis è fano Baalberith septuaginta argenteis, conduxit perditos & vagos homines: qui ipsi operam præstabant in interimendo fratres super lapidem vnum: præter, natu minimum, Ioatham latenter fugientem. Hic eleganti paradigmate, ex monte Garizim Sichimitas ingratitudinis arguit, quod non oliuam, vitem, ficumve Regem sibi constituerint, sed Rhamnum rubi genus, aculeis rectis scilicet, quibus & ipsi forent lædendi. Hæcque locutus recessit, per triennium latitans in Bera præ metu. Mox ergo euenere, quæ prędixerat Ionathas: nam dissidiis ciuilibus obortis bello Sichimitæ oppressi sunt, dirutaque ipsorum vrbe, salem in ea seuit Abimelech. Qui Thebes deinde expugnare aggressus, dum igne portam accendere conatur; fragmento lapidis molaris, a muliere è turri eiecto, grauissime ictus in cerebro, ab armigero suo interfectus fuit: sortitus mortis genus tyranno dignum, dum per tres annos tyrannidem exercuisset. 2711. *Iud. 9.* *Baalberith Idolum fœderis seu pacti Hebraice sonat.* ** Rhamnus fruticat in sepibus, ramos ferens rectos, & aculeos in acutæ spinæ modum foliis paruis oblongis, subpinguibus, teneris* Diosc. l. 11. c. 11. *Rhamni speciem quoque putant rubum illum bacculis sub æstatem in cibis expetitas, quas vnus crispas nominant: aculei sunt ipsi quadrangulares, multum pungentes, & lignum nulli rei, nisi incendio aptum.* Clem. Strom. I.

## TEMPORA EXTERNA.

### *Monarchia Assyriorum.*

TYrus conditur, ducentis quadraginta annis, antequam exstrueretur templum Domini à Salomone: ciuitas in mari sita, quam instar armatæ triremis describit Ezech. 27. Munita est, hac etiamnum ætate, firmissimis muris: intus spectabilis antiquis operibus, stuporem mole & artificio facientibus intuenti. 2691.

### *Regnum Athenienfium.*

MInoe re nautica potito, liberius vltro citroque nauigatum est; sublatis ab eo insularum prædonibus; in earum plerasque 2711.

ANNI MVNDI.

plerasque deductis ab eodem colonijs; maritimi homines iam magis conficiendæ pecuniæ dediti tutius habitauerunt; & inter eos quidam, vt ditiores effecti, muris ciuitates circumdederunt. Etenim cupiditate lucrandi, & qui tenuiores erant, sustinuerunt seruire potentioribus: & qui potentiores, cum facultates haberent, minores ciuitate obsequentiores sibi reddiderunt.

*Iason Thessalus* prædator insignis, fratrem Myrionem opulentum ac valde diuitem habuit: quem, cum ipsi natus esset filius, inter alios Thessaliæ Principes, vt infanti nomen imponeret, etiam vocauit. Interim ille, quasi venatum exiens ad Pegasas, vbi fratris ædes erant, profectus cum aliquot militibus vim dispensatoribus fratris intulit, atque viginti talenta argenti auferens, reuersus est ad cœnam: & fratri litationum principatum concedens, dedit ipsi potestatem indendi puero nomen. Qui resciscens domum suam spoliatam, nomen infanti imposuit *Porthaon*, quod est, vastator.

His fere temporibus, contigit celebris illa nauigatio Argonautarum duce Iasone in Colchos: collectis ex omni Græcia summæ virtutis ac nobilitatis viris, quo vellus arietes aureum, gentibus vbique memorabile, inde reportarent. Quo & potiti sunt, indicante illud Medeâ: quam cum vellere, amore sui captam Iason auexit. Iasonem longâ naue primum vectum fuisse, auctor est Philostephanus.

2714. *Hercules* triginta annis, antequam in Deos cum Æsculapio referretur, regnauit Argis.

2718. *Erytheus* regnauit Athenis annis sexaginta octo.

2727. *Inachus* regnauit quadraginta duobus annis.

*Theseus* regnauit annis triginta, vir bellicosus & manu strenuus: quique Athenas nouis colonis impleuit: nam ex omni Attica in vrbem eos migrare compulit: atq; vnum Prytaneum & vnum Senatum eis constituit: depositoque regno Rempublicam stabiliuit; omnes ad eamdem vitæ æqualitatem vocans: constituens primum nobiles, secundo agricolas, tertio artifices. Nummum statuit, in eoque bouem incidit: ab eo dicitur δεκάβοιον, quod decem; & ἑκατόμβοιον, quod centum boum est, nomen traxerunt.

Cum Megarensium agrum Atticæ adiunxisset, in Isthmo columnam posuit, cui inscripsit duobus trimetris: ad Orientem, *Hac non Peloponnesus, sed Ionia*: & ad Occidentem: *Hac Peloponnesus & non Ionia.*

Palæstricam artem Theseus primus inuenit: & ab eo tempore, luctæ disciplina est exculta. Conflauit ei inuidiam apud populares Mnestheus Petensis; cum diceret eis vmbram libertatis

tis adeptos, sed renera orbatos patria. A Tyndaridis quoq; bel- ANNI
lum illatum illi: & a Lycomede Rege Scyriorum, præcipitatum MVNDI.
fuisse è saxis atq; interemptum, referunt.

## ABIMILECH THOLA SVFFICITVR.

### *Monarchia Assyriorum.*

POST Abimelech surrexit *Thola*, ex tribu Issachar, stirpis 2730.
Phua, Filius Dodo, Dux ad seruandum Israel, habitans in Samir montis Ephraim: vbi & sepultus est, postquam iudicasset Israelem viginti & tribus annis.

Huic successit *Iair* Galaadites de tribu Manasses, vir felix 2737.
prole numerosa. Nam triginta filios habuit, equites egregios, & principes triginta ciuitatum in terra Galaad, quæ est tribus Manasse trans Iordanem; vbi Iair mortuus est ac sepultus in Camon, postquam obtinuisset principatum annos viginti duos. Quo tempore populus noua peccata iungens veteribus neglecto Dei cultu, Diis seruiuit Syriæ, aliarumque vicinarum gentium. Ob id oppressi sunt, per annos duodeviginti, ab Ammonitis: qui etiam transmisso Iordane vastabant Iudam, Beniamin, & Ephraim. Inuocantibus quoque Dominum responsum datum est ab eo: Simulacra potius inuocarent, se non vltra ingratis misericordiam præstiturum. Quare illi flentes culpam fateri, veniam precari, abiicere idola, ac Dei auxilium implorare cœperunt; sicque negatam licet misericordiam impetrauerunt. Ammonitis namque castra metantibus in Galaad; Princi- Iud 19.10.
pes Galaad euocauerunt Iephte de terra Tob (illo enim, cum à fratribus quasi spurius sperneretur, fugerat) vt ipsis auxilio esset cum iis, qui inopes & latrocinantes eum quasi Principem sequebantur. Cuius imperio & Galaadites ceteri cum parerent; missis legatis ad Ammonitas, vt finibus illis excedant, mandat. Non parentibus ipsis, inconsiderate ac imprudenter vouit si prospere pugnauerit; eum, qui sibi primus domum redeunti obuius futurus sit, hostiam Deo dandam.

Victis itaque hostibus, ac captis viginti ciuitatibus eorum, 2740.
victori occurrit vnigenita filia, cum tympanis & choris victoriam patri gratulatura. Consternatus ergo Iephte animo, scissis quoque præ dolore vestibus, indicat filiæ voti necessitatem. Quæ viraginea constantia mori non recusans, spatium vitę duorum mensium tantum petit, quo plangat cum sodalibus virginitatem

ANNI MVNDI. tatem suam. Peractis itaque duobus mensibus, vltro ad patrem rediit, qui virginem filiam offert, sicut vouerat. Ephrataeos deinde domum eius incendere volentes praelio vicit; fugientesque, qui *Scibboleth* vocem proferre nequiuent, iugulari mandauit: 2760. sic vt ex ipsis perierint quadraginta duo millia. Iephte vero, cum principatum sex annis tenuisset, mortuus est: & sepultus in ciuitate sua Galaad.

## TEMPORA EXTERNA.

### *Regnum Atheniensium.*

2740. *Atreus* sacrum ludosq; in Olympo instituisse fertur, in quibus Hercules victor exstitit.

2744. *Hercules* excedit è vita.

Virg. Æneid. 3. *Peleus* pater Achillis.

*Sybillas*, diuino vsas vaticinio mulieres, atque futura praedicentes, complures fuisse memorant: Quarum Delphicam ante Troiana bella vaticinatam Boethus perhibet. cuius plurimos versus operi suo Homerum inseruisse manifestat. Haec multa Priamo & Hecubae, caeterisq; Troianorum principibus, super Paridis Helenaeque coniugio praedixit veraciter. Troadae hanc sepultam fuisse constans fama fuit.

2766. *Agamemnon* Rex Mycenorum regnat annis octodecim.

*Mnestheus* regnat Athenis vigintiquatuor annis.

2769. *Phestus* Rex Sicyoniorum regnat annis viginti duobus.

2777. *Adrastus* annis quatuor.

2781. *Polyphides* annis vno & triginta.

## ABESAN PRÆFICITVR.

2765. Successit Iephte *Abesan* de Bethlehem, cui triginta filij & totidem filiae erant, quas elocauit: filijs quoque vxores accepit, introducens eas in domum suam. Iudicauit hic Israel septem annis. & vitâ defunctus sepelitur in Bethlehem.

2772. Post illum *Ahialon Zabulonites* iudicauit Israel decem annis, mortuusque est, ac sepultus in Zabulon.

2782. Deinceps *Abdon* iudex fuit de tribu Ephraim, qui habebat quadraginta filios, & triginta ex ijs nepotes egregios equites: qui cum octo annis Iudicis esset functus officio, mortuus conditur in Parathon terrae Ephraim, in monte Amalec: cum interea filij Israel, ob peccata sua, traditi sunt quadraginta annis in
2790. manus Philisthinorũ. Quo ferè tempore natus fuerat Sampson: qui, post Abdon, viginti annos populo Iudex fuit, mirabilibus prio-

ANNI MVNDI.

priorum Iudicum gestis mirabiliora perpetrando. Fuit genere ex tribu Dan: qui cum solo filio Husim venisset in Ægyptum, vnaque sola stirpe censeretur; in tantũ eius progenies aucta fuit, vt ex nulla tribu, præter Iuda & Ioseph, plures intrauerint in terram Chanaan. Nam cum aliæ tribus numero in deserto minuerentur; illa ad 2900. excreuerat, quamuis vltima sorte sua posita sit: cum sexcenti viri cepissent Laim vrbem, quam Dan vocarunt; in ea statuentes sculptile vi ablatum è domo Michæ, atque sacerdotem Ionathan, nepotem Moysis ex filio Gersan, & filios eius. Tantum auita pietas declinauerat: vt sicut populus, sic esset & sacerdos. Mansitque inter eos idolum hocce Michæ omni tempore, quo fuit Domus Domini in Silo. Porro Manue patri Sampsonis erat vxor sterilis: cui angelus se reddens conspicuũ, dixit, vt abstineret vino, sicera, omniq; immundo; quoniam pariturа esset filium Nazaræum, ex matris vtero, liberatorem Israelis, de manu Philistim, ex parte futurum. Offerente itaque gratitudinis ergo hædum Manue Domino, facienti mirabilia & libamenta; cum flamma altaris adscendit simul Angelus in cœlum.

Nato puero nomen inditum *Sampson*: cui adulto tantæ vires erant, quod solus & sine armis dilacerauerit leonem, atque in frusta, quasi hædũ, discerpserit in vineis Thamnæ propinquis, irruente in eum spiritu Domini: quando parentes eius ipsi connubium procurabant puellæ, quam ardenter amabat. Ad cuius nuptias dum proficiscitur; declinans paululum de via, in cadauere leonis inuenit examen apum, cum fauo mellis. Qui ab ipso comestus, parentibusque impartitus, occasionem dedit triginta sodalibus (quibus ex more sponsus comitabatur) ænigma proponendi tale: * *Ex voraci* (inquiens) *cibus prodiit, & de forti dulcedo.* Quod cum ille sponsæ declarasset, ab eaque sodales minis interpretationem extorsissent: neque Leone inquiunt, quidquã fortius, neque melle gustanti dulcius quidquam repereris. Neq; muliere, addit ille, quidquam dolosius, quæ vobis meam quæstionem aperuit. itaque irruente in eum spiritu Domini. Ascalonem contendit: vbi occisis triginta Philisthinis, vestes ipsorum (triginta enim vestibus certauerant) interpretibus ænigmatis dedit: itaq; feruescens reuersus est ad ædes paternas: quando interea vxor eius nuberet alteri marito. Qua de caussa, perniciem, fretus Domino & viribus, genti Philisthim molitus fuit, per trecentas vulpes, ardentes faces caudis trahentes, segetes eorũ incendens. Quare Philisthini caussam cognoscentes, vxorem & socerum eius Thamnathæum occiderunt. Vinctus deinde,

G cum

*Iud.* 18.

Incipiet *dixit Angelus* Iud. 13. *cum David iugum Philistini tandem ab Humeris Israelis deiecit, & frenum tributi sustulit.* 2. Reg. 8.

*Antiquissimus mos proponendi ænigmata inter iuuenes. Memini & me excogitasse hocce cum bombycis naturam admirarer.* Ex ouo prodiẽs vltro implumis Prothea supero mutando formam Lazarum æquo duplici morte. Atalum æmulor relinquendo mei studiosis pulcram ac diuitem hereditatem. Hoc habens peculiare p̃ illis, quod ẽt spem relinquam posteritatis ter quotannis transformandæ, bisque victuræ visq; morituræ. * *Iud.* 14. 14.

ANNI MVNDI.

cum à tribus millibus ex Iuda Philisthinis tradendus esset, ruptis nouis funibus, irruit in occurrentes cum clamore hostes; ac mille ex ijs asinæ mandibula prostrauit: & aqua ex molari dente maxillæ profluente, sitim restinxit: cum clamasset ad Dominum. Abiit deinde Gazam: vbi cum ingressus ad meretricem, ab excubijs vndique dispositis occidendus certo credebatur: apprehensas concubia nocte fores portæ, cum postibus & sera, humeris sustulit in verticem montis, qui respicit Hebron: typo ostendens illum, qui portas æreas esset confracturus; & introgressus, captiuam inde deducturus captiuitatem. Ceterum amauit quoque Dalilam, quæ variis modis experta eius fortitudinem, tandem ei comam intonsam (in qua vis omnis latebat) abradi curauit; atque ita captus, oculisque priuatus, ac vinctus catenis, Gazam ductus fuit: ac pistrino, vt moleret, traditus. Iam capilli renascebantur in capite, cum epulantibus Gazaitis in templo Dagon, ad illudendũ exhiberetur. quare, inuocato Deo, columnas, quibus templum innitebatur, disiecit: multoq; plures ruina oppressus interfecit, quam antea viuus occiderat. In quo facto, vt Augustinus ait, cum sibi ipsi caussa mortis fuerit, non aliter excusatur, nisi quia Spiritus latentur hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat. Sic ergo duodecimus Israelitici populi Iudex mortuus, à fratribus & vniuersa cognatione sepultus fuit in monumento patris sui Manue, quod situm erat inter Saraa & Esthao.

*Hucusque extenduntur libri Iudicum & Ruth secundum ordinem temporum.*

## TEMPORA EXTERNA.

PER hæc tempora, bellum memorabile gestum inter Thebanos & Argiuos hac occasione. Oedipus patrem Laium, qui illum, pedibus ferro traiectis, in solitudines amandarat, obuiam factus cum ignoraret; interfecit: insciusque Iocastam matrem in vxorem duxit: ex qua ipsi nati Eteocles atque Polynices: qui mortuo patre, de alterna regni administratione consenserunt. Eteocles vero, anno exacto Polynicen non admisit. Hic ergo profugus Argos, simul & Tydeus, Adrasto generi fiunt. Missus Thebas Tydeus, frustra, vt & Polynices regnet, rogat. Igitur Adrastus idipsum armis tentat: sicque Proceribus Peloponnesium & Bœotiorum inter se commissis, ad partium internecionem atrocissime & acerbissime dimicatum fuit: vt inde prouerbium natum dicant esse, *Cadmæa victoria*, de ijs, qui cum pernicie vincunt.

*Archias* Syracusas condidit: cũ adnauigasset, quando vrbem ædificare constituebant.

*Alexander* Priami filius, Paris dictus à patre, Antandrum missus,

sus, omni scientia & eruditione Græca, ad trigesimum ætatis annum vsque eruditus, cum ingenio acuto esset, orationem scripsit in laudem veneris; eam asserens, Minerua ac Iunone esse maiorem: sicque voluptatem prudentia atque diuitiis præferens. Hinc nata fabula de tribus deabus: & Veneri pomum, hoc est, victoriam dedisse. ANNI MVNDI.

*Demopohoon* Rex Atheniensium regnat annis triginta tribus.

*Troia*, duodecimo die mensis Tergellionis, memorabili capta fuit bello, hac de caussa exorto. Priamus Rex, cũ Hesionam sororẽ non reddi à Telamone cerneret; Alexandrum filium, qui & Paris dictus, vlciscendæ iniuriæ caussa, in Græciam misit. Qui Helenam Menelai regis Spartani vxorem speciosissimam rapuit, auexit, ac reddere recusauit. Græciæ ergo totius proceres, parata classe plusquam mille & centum nauium, eam repetitum Troiam nauigauerunt, Agamemnone Duce. Primum infestis animis in litore pugnatum est, Troianis in vrbem pulsis. Iam Hector fortissimus, Paris, & Æneas; Græcis, Agamemnoni, Achilli, Diomedi & Menelao oppositi, multis diebus acerbe conflixerunt. Hector strenue dimicans, ab Achille interficitur. Orta deinde in castris Græcorum seditione, pro Agamemnone Palamedes exercitui præficitur, breuique moritur. Achilles visam Polypenam Priami & Hecubæ filiam adamans, difficulter ad prœlium trahitur. Sed dum Troilum interficit, à Paride per insidias occisus est. Penthesilea, quæ cum Amazonibus Priamo auxilio venerat, viriliter pugnando saucia quoque occubuit. Ilium itaq; decennio obsessum fraude tandem capitur: trucidatis Priamo ac Troianis, præter Antenorem & Æneam, qui Helenam reddendam esse semper suaserant. 1784.

*Troia* in accliui collis sita, secundum mare extenditur, & è mari facile perspicitur: supersunt eius muri & complura rudera, quæ se etiamnum vidisse circa annum Domini 1550. Petrus Bellonius refert.

Mirum Dionem Prusiensem argutari Troiam non fuisse captam: cum non Græci & Latini modo, sed & Barbari tempora, à Troia capta, numerent: & inde statuant initium illustre, quod Ptolomeus & Theon aera vocant, vulgo *datum* dictum. Non mirandum, si illud bellum Homerus composuit; vt Paterculus ait: cum illo, vt hominum, ita sæculorum notaretur differentia.

Corinnum Iliensem Poëtam Palamedis discipulum, narrant Iliadem in Græcorum castris scriptitasse lingua & literis Doricis: quas Palamedes à se excogitatas hac figura expresserat: Θ Ξ. Φ. X. 1791.

*Vlysses* errore decennali multa passus, multorumq; hominum

ANNI MVNDI. mores videns, & vrbes, vſu prudentiam atque ſapientiam collegiſſe ſcribitur: & ſic Ithacam tandem perueniſſe ignotus, ad Penelopem vxorem.

*Pyliorum* exercitus, tempeſtate diſtractus à Neſtore ſuo duce, Metapontum condidit.

*Teucer* non receptus à patre Telamone, ob ſegnitiem nõ vindicatæ fratris Aiacis iniuriæ, Cyprum appulſus, cognominem patriæ ſuæ Salamina conſtituit.

*Pyrrhus* Achillis filius Epirum occupauit, Philippus Ephyram in Theſprotia.

*Agamemnon* tempeſtate in Cretam reiectus, tres ibi vrbes ſtatuit: duas à patriæ nomine, vnam à victoriæ memoria: Mycenas, Tegæam, Pergamum.

*Mothenem* Peloponneſi vrbem, Pedaſum Troianis temporibus appellatam, hoc nomen reperiſſe ab Oenei filia Mothene narrant: quam, eo loci cum Diomede ab Ilio rediens Oeneus Parthaonis filius, ex pellice ibi ſuſcepit.

## ITALIA.

ABorigines *genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum habitat in Italia.*

Tiburtas *quoque originem multo ante vrbem Romam habent. Apud eos extant ilices tres, etiam Tiburto conditore eorum vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur. Fuiſſe autem eum tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit vna ætate ante Iliacum bellum.*

2788. *Æneas ſocero Latino mortuo fit Rex Latinorum.*

Antenor & Æneas *euerſa Troia, inſtructis claſſibus nouas ſedes quærunt. Ille ad dexteram, in maris Adriatici ſinu, Patauium condidit, gentemque Venetam appellauit. Sed Æneas ad maiora rerum initia ducentibus fatis, in Thraciam; inde in Siciliam peruenit: vbi Anchiſen patrem amiſit. Media æſtate anni ſubſequentis, venit Laurentum, ac Lauinium condidit, atque Latino fit gener: quo mortuo, ſuccedit ipſi in regno; quod triennium rexit, ſuccedente filio Aſcanio, qui triginta octo annis præeſt.*

*Quidam Troianorum, dum fugiunt Achiuos, nauibus in Siciliam applicuerunt, & collocatis ſedibus in finibus Sicanorum, vniuerſi ſunt Elymi appellati. Vrbes eorum Eryx & Egeſta. His accolæ acceſſerunt nonnulli Phocenſes, eorum qui è Troia, tunc in Lybiam, tempeſtate delati, primum; deinde ex Lybia, in Siciliam tranſmiſere.*

Diomedes *à Troiana expeditione rediens, à ſuis non receptus, in Samnitibus Argyrippam ſeu Maleuentum condidit, poſtea Beneuentum dictum.*

Monarchia

ANNI MVNDI.

*Monarchia Assyriorum.*

*Tenteus* regnat annis quadraginta. 2791.

## HELI SACERDOS IVDEX.

POsthæc Heli sacerdos generis Ithamar iudicauit populum quadraginta annos: summum quoque sacerdotium, decernente Domino, post Ozi, administrauit: cum Elcana, vna cum duabus suis vxoribus, sacrificaturus Domino exercituum, adscenderat in Silo: exq; immolata hostia, Phenennæ vxori, cunctisque filijs ac filiabus suis daret partes: & Annæ, quam diligebat, quoque partem vnam. Quæ cum nullam haberet prolem; exprobrabat ei etiam sterilitatem Phenenna. Quare flens largiter, vouit; si quando ipsi puer nasceretur, cum sacraret Domino. Itaq; enixum Samuelem, Heli sacerdoti tradidit: atq; Domino in gratiarum actionem carmen cecinit. Samuel vero puer, cum esset Leuites, indutus Ephod lineo, ministrabat ante faciem Domini. Qui Annæ pro remuneratione oblati pueri, tres filios & duas filias concessit: magnificauit quoq; Samuelem: qui proficiendo adolescebat placens tam Deo, quam hominibus. Cum vir Dei accedens Heli, iram Dei denuntiat, ob vitam filiorum Ophni & Phinees, qui sacerdotium patris in quęstum verterant, munera a sacrificantibus exigentes, quos pater leuiore obiurgatione subinde increparat, sed nequaquam satisfaciens disciplinæ. Igitur Philisthinis in Iudæam irruentibus, cæduntur quatuor millia Israelitarum. Communi itaque seniorum decreto, effertur arca Domini de Silo, portantibus eam filijs Heli; cum ipse annos natus nonaginta octo, & oculis cæcutiens, officio satisfacere nequiret. Instaurata acie, arcaq; in conspectum hostium deductâ; hostes præsentis Dei quasi Maiestate territi, fugam parabant. Sed non sine Domino mutatis animis assumptaque constantia, rursum totis viribus concurrerunt; cæsisque Israelitis, cum Heli filijs arca capitur. Heli, delato ad se tanti mali nuntio, consternatus animo, de sella cadens retrorsum, fractâ ceruice exspirauit. Vxor quoque Phinees audiens arcam captam, socerum quoque ac virum mortuos, ex partu interijt; puerum vocans Ichabod, atq; dicens: *Translata est gloria ab Israel, eo quod capta est arca Dei.*

*Ioseph. 6.12.*

*Ephod bad, superhumerale est lineum: qui habitus proprie Leuitarum est & minorum ordinum. Nec nominatur inter sacerdotes Samuel, sed inter eos qui inuocant nomen Domini.*

Sed & Philisthinis hæc victoria non diu læta fuit: nam arcâ locatâ Azoti in fano Dagonis, idolum Dæmoni consecratum corruit, quod cum in loco suo restituissent, postridie discerptum fuit. Azotij quoque dysenteriâ laborantes, magno cruciatu mo-

*Hieron. contra Iouin.*

ANNI MVNDI. tu moriebātur:& ager eorum muribus adeo ſcatebat, vt ſegetes fructuſq; omnes ab illis manderentur. Hæ calamitates etiam ad ceteras vrbes, cum arca, ſpatio ſeptem menſium translatæ ſunt, cum illa quaſi circumferretur in triumphum. Aduocatis igitur in concilium gentis primoribus; viſum illis fuit arcā remittere Iudæis: ſuadentibus ſacerdotibus & ariolis; ne vacuam muneribus illam remittant, ſed in capſula, ad latus eius poſita, imponant aurea vaſa, mures aureos, & ſimilitudines anorū aureorū; eaq; imponant plauſtro, tradantque vaccis trahenda, quibus inſolens erat ferre iugum. Illud dignū admiratione: quod, cum inconſueto oneri boues feminas ſubieciſſent, vituloſque earum retinuiſſent; iter, nullo duce, pecudes in Iudæā direxerint, non reuocante ipſas affectu ſugentis fetus, domi relicti. Cuius rei miraculo, Satrapæ Philiſthim vſq; Bethſames arcam ſecuti, religioſum officium præſtiterunt. Bethſamitæ in agris metentes triticum, cum arcam referri viderunt, grates Domino referre: offerentes vaccas in holocauſtum. At cum prophani in arcam conſpexiſſent; Dei nutu ſeptuaginta optimates, & quinquaginta mille ex plebe percuſſi fuerunt: populo lugente ob tantā cladem. Arca iccirco translata fuit in Gabaa, in domum Abinadab: conſecratuſque fuit filius eius Eleazar, qui eam viginti annis cuſtodiuit.

2850. 1. Reg. 7. Eadem tempeſtate Samuel ſacerdos Iſraeli præerat: & quietis à bello rebus populus degebat in otio: cumq; illum iudicaret in Maſphath, pax irruptione Philiſthinorum turbata fuit. Trepidantibus omnibus metu ob peccati conſcientiam, Samuel fretus Domino, cæſaq; ipſi hoſtia, prœlium cōmitti permittit: primo impetu, cum Dominus ingenti fragore intonaret, fugientibus hoſtibus, qui ab inſequentib. Iſraelitis cæſi fuere loco, cui, erecto lapide, nomen *Lapis adiutoris* Samuel indidit. Qui ſingulis annis circumiens iudicabat ſtatis diebus in Bethel, Galgala, & Maſphath: in Ramatha quoque, vbi morabatur, altareq; Domino conſtruxerat, ius quoq; dixit.

2861. At cum iam ſenex filios Ioël & Abian etiā iudices conſtituiſſet in Berſabee; illique, acceptis munerib. ius peruerterent: populus Regem deſiderabat, planeq; , non ſine exemplo amentiæ, præoptabat libertatem ſeruitio mutare. Itaq; circumſiſtunt Samuelem, vt quia iam ipſe conſenuiſſet, Regem ipſis conſtitueret, poſtulantes. Verum ille placida oratione ab inſana voluntate populum auertere, leges regias ac ſuperba imperia exponere. deteſtari ſeruitutem, libertatem extollere: poſtremo diuinam indignationem eis denuntiare; ſiquidem homines mente corrupti, Deum habentes Regem, Regem ſibi inſuper ex hominibus flagitarent. His & huiuſmodi ſermonibus fruſtra recitatis,

tatis, cum populus in sententia perseueraret; Dominum consuluit. qui permotus insanæ gentis vecordia, nil aduersum se petentibus negandum respondit: missurum etiam se esse virum designata hora Beniamitim, quem esset vncturus in Regem.

Igitur *Saul* quærens asinas patris sui, cum præmio quartæ partis stateris seu sicli argenti, sciscitatum de asinis venit Videntem seu Prophetam, cui Dominus reuelarat, quod ille esset, qui esset dominaturus populo. Refectum itaque sollemnibus epulis (apposuerat enim cocus Saul, in triclinio primo loco recumbenti, armum ouillum) vnguento perfudit, Regemque constituit Samuel. 2449. Erat porro Saul Cis fortis viri filius stirpis Iemini, modestus animo, statura proceriore cuncto populo, formaque excellenti; ita vt dignitas corporis, Regiæ dignitati conueniret: Prophetico etiam donatus spiritu, dum à Samuele reuerteretur domum. Vbi inuentus cum esset à populo; acclamatum ei fuit: *Viuat Rex*. Samuel quoq; leges regni populo indicauit: inscriptasque libro reposuit coram Domino.

Mense post initum regnum elapso, aduersus Naas Ammonitem, obsidentem Iabes Galaad, Saul exercitum 330000. duxit: partitusque copias, sub auroram hostium castra ingressus, hostes fudit atque fugauit: qui eruere dexteros oculos Iabeitarum constituerant, in opprobrium Israelis. Tum Saul in Galgala à populo vniuerso declaratus fuit, deposcente hoc Samuele: qui etiam Israelem ingratitudinis erga se arguebat: ita vt pæniteret eos, constituisse sibi Regem. Attamen pro ipsis rogare Dominum, & docere eos viam bonam ac rectam, se non destiturum, affirmat.

*Officia sacerdotum: intercedere apud Deum pro populo, ipsumque docere legem Dei.*

Porro Saul erat quasi puer vnius anni, sicque regnauit duobus annis super Israel, habens penes se in Machmas & Bethel bis mille viros, & attribuens Ionathæ filio natu maiori mille in Gabaa: ceteris domum ire iussis. Percusserat Ionathas ergo stationem Philisthim, quæ erat in Gabaa. Vnde bellum atrox exortum fuit: Philisthinis congregantibus triginta millia curruum, sex mille equites, & multitudinem instar arenæ innumerabilem, ac castra metantibus in Maspha Machma; sic vt Israelitæ se abscondérint speluncis: perterrito quoque exercitu, qui erat apud Saul. Et quoniam ad diem præstitutum non venerat Samuel; populo paullatim se subtrahente, obtulit Saul ipsus holocaustum, illicita præsumptione: multumque à Propheta increpitus, peccatum sera pænitentia fatebatur. Ex peccato Regis metus in populo proueniens, vsque exercitum infirmum constituerat, vt nisi sexcenti viri manserint apud Saul & Ionatham: quorum nullus armis erat instructus. Nam Philisthini cum tributa

ANNI MVNDI.

populo imponerent, præcauebant ne esset ipsis ferri copia, aut fabri ferrarii. Et si quis indigebat instrumento rustico, id eum à Philisthinis mercari oportebat. Igitur Ionathas audaci consilio hostium castra, solo armigero comite, ingressus viginti quasi viros occidit, castrisque talem incussit terrorem; vt in fugam versi sint, se inuicem cædentes. Quos Saul insecutus fugientes, insigni victoria potitus est, cum edixisset, ne quis cibum caperet antequam deleti essent hostes. At Ionathas interdictionis inscius, reperto fauo spiculo tincto mel gustauerat. Id vbi Regi ex ira Domini compertum fuit, morte filium affecisset: nî populi auxilio vindicatus fuisset ab exitio.

Exinde Samuel monitus à Domino Regem adit, verbis Domini nuntians, vti genti Amalech bellum inferat, totamque cum rebus omnibus suis perdat: quod olim ex Ægypto venientes Hebræos transitu prohibuerat. Paret edicto Saul, exercitumque ducit contra Amalech; quem, post abitum Cinæi populi, percussit ab Henila ad vsque Sur, quæ est è regione Ægypti, Rege Agag capto: cui dum parcit, præcepti Domini immemor, ac præstantiórem prædam reseruat sibi; offendit Deum: qui Samueli dicit se pænitere, quod Saul Regem constituerit. Quæ verba figurata locutione dicta putandum est: cum pænitentia non cadat in Deum: cuius est de rebus omnibus tam fixa sententia, quam certa præscientia Samuel vero Saul se excusantem, seroque pænitentem obiurgat dicens: *Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis Rex.* Quod futurum, & olim Balaam vaticinatus fuerat his verbis: *Tolletur propter Agag Rex Israelis, & auferetur regnum illius.* Ceterum Samuel oblatum sibi Agag trementem dissecuit in frusta, coram Domino in Galgalis: lugentem vero Saúl alloquitur Dominus, vt impleat cornu suum oleo, quo vncturus sit nouum Regem. Profectus itaque Bethlehem minimum natu Isaï, rufum & aspectu pulcrum, è pascuis (pascebat enim Dauid oues patris) euocatum, vnxit coram fratribus suis in Regem. Quæ vnctio mystice intelligenda est: magnum quippe sacramentum erat vngi quemquam chrismate, vnde diceretur *Christus.* Quod Dauid tenebroso postmodum occultatus in antro tanti fecit; vt extimuerit, vel oram pallij, necessitati naturæ satisfacientis, persecutoris sui Saul, abscidisse: tantum abest, vt ipse inferret manus: *Christus enim Domini est,* inquit. Erat enim vmbra futuri, hæc vnctio: cui, non propter ipsam, sed propter illud quod præfigurabat, tanta veneratio exhibebatur.

*August. de Ciuit. Dei, l. 14. 11. & 15. 25.*

*Num. 24. Vaticinium Balaam de Agag & Saul.*

*1. Reg. 24. August. de Ciuit. 17. c. 6.*

Porro discessit Saul Ramatha, recedenteque Spiritu Domini à Saul, exagitabat illum spiritus malignus, qui Dauide pulsante manu sua citharam recedebat ab eo. Ideo dilexit Saul Dauidem,

ANNI MVNDI.

dem, armigerumque suum eum creauit. Amor at hic versus fuit in odium hacce occasione. Philisthini & Israelitæ cum sic ex aduerso sibi inuicem castra haberent, vt ea vallis media separaret; in hac se mane & vesperi, per quadraginta dies ostentans Goliath, cum probris Israelitas ad duellum prouocabat, terrore consternatos: erat enim magni roboris, ac proceritatis admirandæ. Altitudo eius erat sex cubitorum & palmi, palmo superans excellsitatem gigantis: galea ænea erat in capite eius, & lorica ęnea quinque mille siclorum squamata induebatur: ocreas habebat æneas, & clypeum æneum tegentem humeros eius: hastile eius erat instar licitatorii textorum, cui cuspis ferrea esset sex centorum siclorum. Saul Rex, magna præmia & filiæ nuptias desponderat ei, qui prouocantis ad singulare certamen spolia retulisset. Forte in castris erat Dauid, cum hæc fierent, missus à patre, vt fratribus Eliab, Abinadab, & Samma ferret annonam, Epha tosti frumenti cum decem panibus, & decem caseos Tribuno militum. Hic se pugnæ obtulit: reiectisque armis, quibus grauabatur nondum iusta ætas, baculo tantum & quinque lapidibus sumptis in prælium processit: & misso funda lapide, primo ictu gigantem perculit atque prostrauit. Deinde in iacentem prosiliens, educto eius gladio caput ipsi abscidit, spolijsque potitus est. Quamobrem Philisthinos fuga dilapsos, viri Israel & Iuda insecuti ad portas Accaron vsque, magnam stragem in eis edidere. Dauid reuertentem è prœlio, & caput Philisthæi manu portantem duxit Abner militiæ princeps ad Saul: cum Ionathas eum arctissima amicitia prosequeretur, & Saul ipsum præficeret militibus, & cunctus populus ei faueret. Sed hoc animum Saul pupugit: quod mulieres Dauidi gratulantes in tympanis, choris & citharis, præcinerent, Saul mille prostrauisse, Dauidem vero decem millia. Igitur malo agitatus spiritu, cum Dauidem, errante lancea, frustra tentasset transfodere; sub specie honoris, illum periculis obiectare statuit. Nam Merob filiam, vt fortiter pugnaret, prius ipsi se in vxorem daturum dixit: quam tamen alteri, Hadrieli nempe Molathitæ, nuptui dabat. Cumque perspiceret, Dauid adamare Michol alteram suam filiam, ipsi despondit eam in vxorem; si reportauerit sibi centum præputia Philisthinorum; sperans, iuuenem audacem amoreque flagrantem, sic periturum. At cum ille cæsis ducentis hostibus, eorum præputia ipsi attulisset, ex pacto, eius filiam in matrimonium accepit, quare quasi Regis gener vbique celebrabatur.

*Non dubium scripturam siclos designare publici minoris talenti ferri velaru.*

*Circa hoc tempus, tribus, Ruben deuicit Agarenos, atq; interfectis illis habitauit etiam in tabernaculis ipsorum, 1. Paral. 5.*

Cum iam vitæ eius Saul insidiaretur; à filio Ionatha increpitus, cruentum imperium repressit. Sed cum spiritu erroris rursum affligeretur, eique adsistens Dauid dolorem, cithara ludendo, de-

ANNI MVNDI.

do, deliniret: lancea iterum ferire conatus est. sicque non ergo vltra Dauid socero Regi credidit, fugiens industria vxoris Michol: cum illa sub auroram occidendum demisisset per fenestram, deponens statuam in lecto eius. Fugit ergo Dauid ad Samuelem: inde se contulit ad Abimelech sacerdotem in Nobe: vbi fame compulsus comedit panes sanctificatos, sublatos à facie Domini, vt ponerentur calidi; vidente hoc Doeg Idumæo. Inde accepto gladio Goliath, se contulit in Geth: vbi agnitus, extimescens Regem Achio, se furiosum esse simulauit. Vnde profugiens venit ad Regem Moab: ibique relictis parentibus, qui eo etiam concesserant; monente Gad propheta, reuertitur in terram Iuda, stipatus quadringentis viris, quos pauperies, & æs alienum premebant. Interim Saül, Abimelech, per Doeg Idumæum, omnesq; sacerdotes Nobe, præter aufugientem Abiathar, interimi procurat. Post hæc, Dauid desertum petiit: quem illuc quoque Saül persecutus est, Domino ipsum protegente. Poterat Dauid infestum sibi, in spelunca illic occidisse: sed à cęde abstinuit, eo quod sacratus esset in Regem Israel.

*Carmelus mons tribus Iuda, alius à Carmelo, qui est in Galilaa tribus Aser.*

Interim moritur Samuel: quem sepultum in Ramatha, vniuersus populus planxit. Consurgens quoque Dauid descendit in desertum Pharan: vbi, cum negato victu, irasceretur Nabal, habitanti in monte Carmelo, tribus Iudæ; ab Abigail eius vxore placatus fuit: quam viduam, in vxorem quoque accepit; Achinoam quoque Israelitidem: sic vt duas haberet vxores loco Michol: quam pater tradiderat alteri viro Phalti, filio Lais, de Gallim.

*Necromantia.*

Stipatus sexcentis viris, vrbem Siceleg ab Achi recepit: inde prædas agere solitus de Amalechitis, persuadebat Achi eas auferri ex terra Israel. Cum ergo Philisthini inferrent bellum Israeli, Saul sibi metuens, frustraque Deum non respondentem consulens, ad Pythonissam mutato habitu venit in Endor: quę ipsi Samuelem euocat: qui dicit, cum postero die cum filiis in prælio casuros. Itaque postridie commisso prœlio, filii regis cædun-tur: Saul quoque vulneratus irruit (ne viuus in potestatem hostium veniret) in gladium suum; idem faciente armigero eius. Cuius cladis nuntio accepto Dauid in Siceleg, miro pietatis exemplo, cum viris qui secum erant fleuit, ac ieiunauit ad vesperam: iuuenemque, sibi coronam & armillam Saul adferentem, interfici mandauit: eo quod is dixerat, se illum interemisse.

*Epicedium in laudem defunctorum decantatum, 2. Reg. 1.*

Planxit quoque defunctos vita insigni lugubri carmine, imprecatus etiam monti Gelboe, vbi cæsi erant, sterilitatem, poetico more.

TEM-

# TEMPORA EXTERNA.

## I T A L I A.

ACHIVI *Crotonem condidere, cum Troianæ mulieres nauigationis comites, Achiuis loca exploratum nauibus egressis, classem incendissent. Vrbs rei bellicæ olim peritissima, & exercendis Athletis dedita. In vno namq; olympico certamine, septem Crotoniatæ ceteros viribus superarunt. Vnde natum prouerbium*: Qui Crotoniatarum postremus, is Græcorum primus est. *Accessit ad ciuitatis gloriam ingens ibidem Pythagoreorum cœtus.*

Naricij *quoque, Euanthe ductore, posuerunt mœnia Locri. Locrenses primos legibus scriptis vsos fuisse in Italia, opinio est; & plurimum temporis Rempublicam optimis rexisse institutis: donec à Syracusanis in seruitutem bello redigerentur. Zaleucus ipsorum legislator, illud nouum induxit: vt singulis delictis pœnam per leges ipsas terminaret.*

Solymon *vrbem, paullatim attrito nomine Sulmonem dictam, à Solymo Phrygio Æneæ comite fundatam ferunt. Incredibile dictu; gentes dispari genere, dissimili lingua, diuersoq; modo viuentes, in Latio aliisq; Italiæ partibus tam facile coaluisse: vt ciuibus, moribus, agris ac potentia plurimum pollerent.*

Ascanius *anno trigesimo post Lauinium, nouam coloniam Albam* 2816.
*longam duxit.*

A Tyriis *Vtica conditur: in cuius memorabili Apollinis templo Numeditarum cedrorum trabes plus annis* 1188. *durauere.*

## Monarchia Atheniensium.

*Podalirium* in Cariam appulsum, referunt Syrnam Damæthi filiam, ab excelso tecti fastigio delapsam, cum aliis medicamentis, tum incisa ex vtroque brachio vena, emisso sanguine curasse: Damæthum ipsi puellam in matrimonium dedisse, dotisque nomine, Chersonesum tradidisse: vbi ciuitatem Syrnam de vxoris nomine, construxerit.

*Bæotij*, qui nunc sunt sexagesimo ab euersione Ilij anno ex Ar- 2844.
na eiecti à Thessalis, incoluerunt terram, quæ nunc Bœotia, prius Cadmeia vocabatur, in qua pars eorum quondam fuerat, vnde profecti fuere in Ilium cum exercitu.

*Dores* quoque 70. & ipsi anno Peloponnesum tenuerunt.

*Alethes* primus Rex Corinthiorum. 2865.

*Tisamenus & Penthilus* regnant post Orestem patrem, tribus 2864.
annis

ANNI MVNDI. annis Mycænis: tum exclusi regno ab Heraclidis, iactatique variis casibus, decimoquinto anno sedem cepere circa Lesbum insulam.

*Aristodemus* primus ex Heraclidis regnat annis septem apud Lacedæmonios: totamq; Peloponnesum occupauit.

2870. *Corinthus* ampliata & firmata est ab *Alethe* Hipponis filio, qui ibi triginta quinque annis regnauit: nongentis & quinquaginta duobus, antequam à L. Mummio destrueretur.

2875. Regnante Codro viginti & vno annis Athenis, Peloponnesii contra Athenienses mouerunt: nullo ibi præclaro facinore edito recesserunt: & captam Megarensium ciuitatem, quæ Atheniensibus parebat, Corinthiis & aliis sociis habitandam tradiderunt. Megarenses, sic institutis & lingua commutatis, facti sunt Dorienses.

Hactenus breuiter incomto stilo, tres mundi ætates conscripsimus. Quarum prima infantiæ, fati nesciæ, non male comparatur: cum cuncta peracta eo sæculo, obliuione (nec enim infantes reminiscuntur) quasi diluuio periissent; ni ea Moyses, consulendo posteritati, conscripsisset; vti vel à maioribus acceperat, vel diuinitus ipsi reuelata fuerant. In quibus vt rerum gestarum veritas elucet; sic & allegoricis significationibus abundant. Ætas secunda adsimilatur recte pueritiæ: cum illa ætate loquelam iam edocti, artib. degendæ vitæ necessariis etiam instituamur. Quarum præcipuæ sunt legendi, scribendiq; scientia, ac recta ratio numerandi: ambæ aditus ad omnes artes ceteras patefacientes. Cumque Iaphet in Thessalia vixisse commemoretur, eiusque longæuitas atque genus audax celebrata sint apud scriptores prophanos: verisimile non est, eius posteros tandem à Phœnicibus & litteras & numerare didicisse: cum & diuersis à Phœnicum litterarum numerorumq; figuris, diuersimodeq; procedentibus vtantur: & in eadem posteritate pro diuersitate quatuor præcipuarum linguarum, inter se multum differentes, quadrifariam potissimum distincti fuerint. Nã Sarmaticæ, quibus Moscoui ac Roxelani nunc vtuntur, ex Græcis & Gothicis, aliisque relictis mistæ sunt. Temporis longo quoque successu, scriptorum arte luxuriante, quid mirum, si tot diuersi typi prouenere: cum etiamnum vix inueniantur vsquam indifferenter scribentes? Quod & in linguis antiquis accidit; cum deductis coloniis, aut gentibus armis deuictis, vernaculæ confunderentur, atq; alienam quasi imitarentur in faciem. Etenim (vt de notis loquamur) Germanicam multo latius olim fuisse

*Luc. in dialog. vice proverb.* Iapeto antiquior *dixit.* *Horat. in Odu mortales,* genus Iapeti *nominat.*

fuisse vsitatam, ex hoc liquet: quod Hieronymus referat, Galatas Asiæ minoris populos, ad quos D. Paullus scripsit, suo tempore eadem lingua fuisse locutos, qua Treuiri Galliæ populi vtebantur. Fuisse Gallis eamdem cum Germanis olim loquelam, complura vocabula ostendunt, ab auctoribus diuersis Gallica appellata: vt sunt à Suetonio Kalf pro præpingui instar vituli: Becca pro rostro: à Plinio Ganza pro ansere: Marga pro adipe: Pleuchraden / pro aratris, quibus rotæ sunt: Plance pro tabulis: Pale pro terminis: Marce pro equis apud Festum, Ammianum & Pausaniam. Vt interim taceam, quàm multa hæreant in corrupta illa Romana lingua, qua nunc Galli vtuntur, mera Germanica. Sicuti & in Germanica hærent complura, quæ Ascheues (quem Germanorum auctorem ferunt) exceperit à proauo Noe, auo Iaphet, & patre Gomer, præsertim in rebus ad vitam sustentandam atque conseruandam necessariis. Vt sunt צור Vr / ignis: בור Born / aqua: ארע Ert / terra: סרן Schild / scutum: שק Sack / saccus: βρῶσις Broot / panis: ῥαχὸς Rock / vestimentum: ἄθμος Athem / spiritus: βέλος Piel / telum: *sal*, Salt: *oleum*, Olie: *vinum*, Wijn: *fundamentum*, Fondament: *fenestra*, Venster: θύρα Duer / ostium. Quin & complura Græca, in Germanicam linguam translata, indicio esse possent, ea ab auo didicisse Aschenem: qualia sunt κυσεῖν Kussen / osculari: λαλεῖν, Lallen / loqui: σπεῖν Speien / exspuere: ἀθμίζειν Achmen / spirare: ῥαςεῖν Rusten / quiescere: χαφεῖν Grauen / sculpere. Et quoniam coloniæ deducebantur præcipue nauibus; remansere & nautica in sermone nostro vernaculo: λυσεῖν Lossen / soluere: βλύζειν Fluien / fluere: ὁλκάς Hulck / nauis: ἄγκυρα Ancker / anchora: ἀβαρὸς Auarie / iactus: *ventus*, Wint: tum georgica, ἀμέλγειν Melcken / mulgere: *arare*, Eren: *culter*, Couter: *sagena*, Segen: præterea, *sacra offerre*, Offeren: *altare*, Aultair: *hostia*, Hostie / Offerhande: *sacrificium*, Sacrifìcie / & complura alia. Itaque videmus, iam ab initio linguas fuisse confusas: nec vllum idioma mansisse sincerum. Quod si non deterrerer religione; quoniam hebræa, Græca, & Latina lingua, titulo Dominicæ Crucis sacratæ sint: auderem profiteri, idioma Theutonum, omnium sane esse antiquissimum, & nullum aliud magis purum putum permansisse, inter tot bella, deductas colonias, ac barbarorum commigrationes, causidicorum aulicorumque effictas exoticas voces. idque propterea: quod præter aliorum idiomatum morem, omnium artium principia, omnesque fere res incorporeas corporeasue, simplices seu compositas, qualitates, quantitates, temporum partes, locorumque situs, relatiua, & si quæ sunt alia, etiam corporis humani partes, vocabulis monosyllabis exprimat; & pleraque verba alias-

ANNI MVNDI. ba, aliasque orationis partes. Itaque nec corrumpi se, aut etiã ab alienigenis facile addisci se, patitur; suis dialectis diues & contenta. Quod si scribendo fuisset exculta: potuisset & sua elegantia cum quauis de primatu decertare. Quantum aliæ linguæ sint corruptæ, quamque barbariem inuexerint postmodum Gothi, Hunni, Vandali, Slaui, Normanni, Saraceni, Turcæ, aliæque feræ nationes; non est tempus nunc referre.

Porro tertia ætas apte comparatur hominis adolescentiæ, quem liberius viuendi genus sequentem, disciplina coercere, atque pœnis propositis, à maleficio deterrere, & præmiis ad virtutem excitare oportet. Sicque ergo hoc æuo, & circumcisio Abrahæ est præcepta, lexque etiam data fuit per Moysen: quarum loco, post duas subsequentes generationes, baptismus & gratia successerunt, per promissum semen Abrahæ Christum. Gen. 10. 23. Ceterum hocce sæculo ostenditur primum vsus ac probatio valoris pecuniæ, & ratio mensurarum ac ponderum: quibus calculandi scientia præcipue inseruit. Horum cognitio necessaria sustentando corpori, illi, qui deinceps suo more sit victurus. Aliis quoque inseruit artibus variis, quibus colitur animus, atque etiam victus comparatur *Numeri ratio* (inquit Augustinus) *contemnenda non est: quæ in multis sanctarum scripturarum locis, quanti æstimanda sit, elucet diligenter intuentibus: nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti.* Quin & Auenzoar Babylonius, omnia nosse eum exactius affirmat, qui numerorum scientiam teneat.

Ceterum hac tertia ætate, literarum quoque vsus adolescere quasi, ac vigere cœpisse videtur: idque potissimum in vetustatis memoria literis commendanda: citra cuius cognitionem, quasi pueri vitam, tacite labentibus temporum numeris, traduceremus, consumerenturque sine gloria viri virtute præstantes: quorum in historia, quasi in speculo, omnis vitæ actio posteris conspicienda exhibetur: vt sic eorum exemplo ad virtutis studium cum delectatione summa, etiam excitentur legentes. Vis namque narrationis historicæ tanta est: vt etiam ficticiis fabulis re- L. Viues 5. de disciplinis. creemur, finemque iis adhibere videamur. Sunt qui scribunt, Abrahamum primum historiam reliquisse, vnde origines cœli Num. 21. & terræ descripserit Moyses: qui etiam ex libro bellorum Dei, Iosu. 10. citat locum, qui in canonicis scripturis non inuenitur: sicut nec liber iustorum vsquam apparet, quem conscriptum fuisse certum est, antequam conscriberetur liber Iosue. Qui fuerint auctores librorum Iudicum, Ruth, Samuelis, certo scire non po- 1. Paral. 29. tui: sicuti nec etiam scitur, vbi remanserint libri Samuelis, Nathan, & Gad: in quibus non modo commemorabantur, quæ

accide-

accideranc circa hæc tempora in Israel; sed etiam in cunctis regnis terrarum. Fuerant illi multis conseruati sæculis; sed eos traditos, cum aliis multis, igni fuisse ab Antiocho Eupatore, vereor. Quo fere tempore, Arius Lacedæmoniorum Rex significauerat Oniæ summo sacerdoti per literas: repertum esse in monumentis scriptorum, Lacones ex Abrahami genere esse oriundos; adeoque Iudæis fratres esse. Quemadmodum, etiamnum Æthiopum Reges ad eum genealogiam suam referunt per Meilech Dauid filium Salomonis ex Maqueda nigra, sed formosa natum, Regina nempe Sabæ: & per Azariam sacerdotem filium Sadoch, ad matrem vt regnaret pro ea, reductum, atque ab illo fuisse legem Domini edoctum: idque ex vetusta plane historia, quæ religiose conseruata, Æthiopibus magni æstimatur, fideque dignissima habetur. Cum autem Iosephus Iudæos Æthiopes in Africa statuat: & hi etiamnum circumcidantur: & Azarias non nepos Sadoc, sed abnepos, in domo Domini ministrasse memoretur 1. *Paralip.* 6. eunuchus quoque Reginæ Candaces, venerat instar Iudæi adorare in Ierusalem, legebatque Isaiam Prophetam: denique Reges Æthiopiæ, mascula progenie huc vsque prouenientes, se filios Dauid & Salomon nominent: non videtur historia fide omnino indigna.

ANNI MVNDI. 1. *Mach.* 1. 1. *Mach.* 12.

Porro Poeseos origo ad hoc sæculum refertur quoque. nam versus heroici, primum ad laudes Dei celebrandas, hominumque animos excitandos, tunc decantati descriptique fuere. Quos Lyrica subsecuta sunt carmina, mira numerorum suauitate composita: quæ etiam ad mæstos exhilarandos, musicis instrumentis, præcipue cithara, decantabantur. Inerat enim citharæ musicæ modis occulta quædam vis: qua non modo tristitia animo, sed etiam maligni spiritus, dolorem corpori inferentes, expellebantur. Tradita sunt insuper hoc æuo leges, vitæ instituta, omnisque colendi Dei ratio, simplici doctrinæ ratione illa, quam *quod sit*, Aristoteles appellat. Militaris quoque disciplina apud Hebræos initium sumpsit. Variæ quoque artes mæchanicæ excultæ fuerunt. Diuersæ etiam quæstiones Physices à Deo propositæ: vt eæ à futuri sæculi sapientiæ studiosis expenderentur. De rerum nempe principiis, cœlo, elementis, meteoris, homine, anima rationali, natura animalium ac etiam dæmonis. Hæc omnia itaque comprehensa & exposita viginti duarum literarum numero sunt. Qui numerus appellatus *compositus* est: & ex tali numero composito constat etiam multitudo triginta trium patrum, ab Adam vsque ad Dauid. At ab Adam ad Abraham vsque, vicenarius patrum numerus vocatur *digitus*: vti ab Adam

1. *Reg.* 16.
*Arist.* 1. *ethi* 2. *πολ.*
*Gen* 14.
*Exod.* 16.
*Iob* 38. 39. 40. & 41.
*Num.* 22. *literarum copiam* [...] *re vete-ris legis libros testatur Hieron. præf. in lib. Reg.*

ANNI MVNDI. Adam ad Noë, denarius numerus dicitur *articulus*. Illud vero hac ætate præcipuum: quod hospitalis Abraham tres viros sibi
*Gen.* 18. apparentes adorando, sub vnius Domini nomine appellarit:
*Exod.* 6. quodque Moyses exceperit, literisque consignarit quatuor nomen Domini, quod non indicauerat Dominus, nec Abraham,
*Hieron. sup.* nec Isaac, nec Iacob, cum eis appareret in Deo omnipotente. Quod nomen antiquis expressum literis Hebræorum, etiamnum ætate Hieronymi, in quibusdam Græcis inueniebatur voluminibus.

*LIBRI PRIMI FINIS.*



OPE-



# OPERIS CHRONOGRAPHICI ORBIS VNIVERSI

## LIBER SECVNDVS.



Vod felix faustumque sit, quartam generationem scribere aggrediemur, adiuti auxilio illius, cuius nomen Adonai ineffabile, ab omnibus nationibus fere quaternis signatur litteris, non sine gentium cunctarum consensu, nam Hebræi sic illud אדני *Adin* scribunt: nec pluribus, in signando *Theut*, Ægyptij; Θεὸς, Græci; *Deus*, Latini; *Tais*, Sinarum populus; *Alla*, Arabes; *Syre*, Persæ; *Orsi*, Magi; *Dios*, Hispani; *Dieu*, Galli; *Thor*, Gothi; Gocd / Germani antiqui, à bonitate desumpto vocabulo, vsi fuerunt. Vocabant vero quaternarium numerum & Pythagorici omnem: quod ex eo eiusque partium progressione proueniret numerus denarius: quodque egregie in ætates hasce quadrat, in vnitate exordium statuebant; in dualitate audaciam ac litem ex disparibus voluntatibus nascentem; in triade vero iustitiam, quæ inter excessum seu iniuriæ illationem, atque defectum siue perpessionem inserta, iustum ad æqualitatem retrahere solita sit. estque internario numero principium, medium, ac finis. ANNI MVNDI.

Ceterum postquam Dauid, Saul, & amicum Ionatham, cum omni exercitu cæso, planctu prosecutus fuerat; admonitus Dei oraculo petiit Hebron: vbi illitus regali vnguento, Rex Iuda declaratus fuit, cum natus esset triginta annos. Isboseth autem 2891.

ANNI MVNDI. filium Saul, quadraginta annos natum, procurante illud Abner principe exercitus, constituerunt sibi Regem ceteræ vndecim tribus Israel. Cumq; Abner duceret exercitum Isboseth in Gabaon; castra quoque eo mouit Ioab, præfectus militiæ Dauid. Cumque hinc inde duodecim de tribu Beniamin, & duodecim de tribu Iuda prœliarentur; se inuicem gladiis omnes confoderunt: sicque pugnæ locus deinceps *Ager robustorum* fuit nomi-
2. Reg. 3. natus. Tum acies commissæ: Abnerque sibi fuga consulens, pernicissimum Asaël se persequentem pertinaciter, auersa hasta in inguine peremit. Desiderati, præter eum, nouemdecim milites Dauid: & de exercitu Isboseth, trecenti & sexaginta.

2892. *Abner* contumelia affectus à Rege patruele, confugit ad Dauid: cui & vxorem Michol, & regnum Israëlis procurare satagens, interficitur à Ioab, in vindictam occisi fratris Asaël, non sine dolore Dauidis, cuius fidem labe sanguinis commaculauerat.

2896. Quin & Dauid percussores Isboseth, abscissis manibus ac pedibus, suspendi curauit: caputque Regis ad se delatum sepeliri fecit in sepulcro Abner in Hebron: vbi nati sunt Dauid sex filii, cum ibi septem annos & sex menses domicilium haberet.

Genea-

## Genealogia Dauid.




Mortuo Isboseth Dauid à ceteris tribubus quoque vnctus est in Regem Israel: sexto à quo tempore anno, expugnatis Iebusæis, cepit arcem Sion: vocauitque eam ciuitatem Dauid, ædificans eam à Mello per gyrum, committensq; reliqua vrbis exstruere Ioab, cui principatum commiserat: quod is primus Iebusæum percusserat. Itaque potitus Dauid Ierusalem, accepit ab Hira Tyri Rege, ligna cedrina, fabros quoque lignarios, latomos, atque murarios fabros, qui construxerunt ipsi domum ad habitandam. Hæc illa multifarie nominata ciuitas, omnium vrbium orientis celeberrima, loco petroso, partim in terminis Iudæ, partim in Beniamin sita, collibus duobus insignis: quorum eminentior, Sion nomine, vrbem ambit australi plaga, descendensque cliuo septentrionem versus, intercedente profunda valle ab humiliore secernebatur, Moria dicto: qui & ob Abrahami, ibi filiū Isaac oblaturi, memoriā: & ob memorabile ac di- Gen. 22.

ANNI MVNDI.

2. Par. 5. uinum opus templi à Salomone constructi, multo celeberrimus fuit. Ciuitas quadrate erat constructa: duodecim portis, muris altissimis, compluribus quoque turribus ac propugnaculis maxime munita. Quorum principem locum obtinebat
Cant. 4. armamentarium, seu turris Dauid, rupi angulari, à Iebusæis ineptæ ad superstruendum iudicatæ, inædificata. Extra portam Charsit, id est, fictilem, erat Gehennon vallis: quæ fontibus Siloë irrigata, hortorum & arborum nemorositate magnas spe-
Ierem. 19. ctantibus præbebat delicias: & postmodum, ob enormia ibidem perpetrata peccata, sordibus & immunditiis, ac cadaueri-
Matth. 5. 18. 22. Mar. 9. Luc. 12. bus exequiarum honore priuatis deputata fuit: atque etiam æterni ignis suppliciis comparata fuit. Formam vrbis, non ex vago peregrinantium sermone, sed ex certissimis sacræ scripturæ locis effictam exhibet Christianus Adrichomius Delfensis.

2898. Postquam Philisthini intellexerant, Dauidem Regem esse declaratum; in regnum eius irruerunt: at ille, accepto Dei oraculo, secundis prœliis eos confestim abegit. Deinde inito cum Principibus, Tribunis & Centurionibus consilio; arcam Domini impositam nouo plaustro, de colle Cariathiarim deferri procurat. Quam dum paullulum inclinantem, Oza manu sua sustentare nititur: illico à Domino percussus moritur loco: cui iccirco *Diuisio Ozæ* nomen datum fuit, quod inibi Dominus animam Ozæ à corpore separauerit. Relictam vero per tres menses in domo Obededom, tulerunt Leuitæ in iubilo & sonis variorum instrumentorum; Dauid induto Ephod, & etiam saltante atque ludente: quem cum irrideret Michol superbiens; fecunditate à Domino priuata fuit. Arca constituta in Sion, super collem Gabaon; oblata sunt Domino holocausta ac pacifica: diuisitque Dauid singulis vtriusque sexus hominibus tortam panis, partem carnis assatæ, & similam frixam oleo: Asaph & fratribus eius sacerdotibus confitentibus Domino, & inuo-
1. Par. 17. cantibus nomen eius. Cogitanti deinde Dauid de ædificanda domo Domino filius promittitur, qui eam sit ædificaturus: pro-
*Promissio de Christo & Ecclesia.* mittitur ei etiam semen de filiis suis, cui Deus erit in patrem, & ipse Deo in filium: cuius solium firmissimum, in domo & regno Dei erit in æternum. Quare extollendo gratiam Dei, precatur, vt promissio illa præstetur sibi. Dauid itaq; rite Deum coluit adoratione, sacrificio & hymnis.

Ordo

Ordo Sacerdotum ac Leuitarum, tabernaculo inseruientium in Gabaon.

*Sadoc*
*Abiathar* } *sacerdotes*

| | |
|---|---|
| *Vriel praerat* | 120. *Caathitis,* |
| *Asaia* | 220. *Meraritis,* |
| *Ioël* | 130. *Gersonitis,* |
| *Semea* | 200. *Elisapanitis,* |
| *Eliel* | 80. *Hebronitis,* |
| *Aminadab* | 112. *Ozielitis.* |

*Chomenias, Princeps Leuitarum, Prophetiae praerat ad praecinendam Melodiam.*

*Heman, Asaph, Ethan* } *cantores in cymbalis aneis concrepantes.*

*Zacharias, Oziel, Semiramoth, Iahiel, Ani, Eliab, Maasias* } *in nablis arcana cantantes.*

*Mathathias, Eliphalu, Macemas, Obededom, Iehiel, Ozazias* } *in citharis* pro octaua *canentes Epinicion.*

*Sebemas, Iosaphat, Nathanaël, Amosai, Zacharias, Banaias, Eliezer* } *sacerdotes clangentes tubis coram arca,*

*Barachias, Obededom, Elcana, Obededom fil., Idithum, Iebias, Hosa* } *ianitores arcae.*

*Filij Idithum, portarij.*

ANNI MVNDI.

*Semeias filius Nathanael scriba.*
*Subael præpositus thesauris.*
*Selemith cum fratribus, super thesauros ex manubiis bellorum consecratos.*

2899. 2. Reg. 8. Post hæc Dauid bello domuit Philisthinos; subiugauit Moabitas; Syros quoq; subegit; ac Damasco præsidium imponens, tributa Syris imperauit. Auri ergo, argenti, ærisque immensum modum ex præda conferens, Domino consecrabat. Erat quoq; iusti æquique tenax, faciens iudicium & iustitiam omni populo 1. Par. 27. suo. Filiolos quoque iurisprudentiam doceri procurauit: Ionathan patruum suum ac consiliarium, virum prudentem ac literatum, atque Iahielem filium Hachamoni apud ipsos constituens. Videbatur itaq; populus omnino felix tali statu regni: in quo vt vigebant vera religio, iustitia, ac militaris gloria: ita & publica munia, ratione adhibita, geometrica proportione dis- 1. Par. 27. tribuebantur: & quisque, pro meritis, à Rege afficiebatur honoribus. In prolis quoq; regiæ optima institutione, ingens spes diuturnæ huiusce felicitatis esse videbatur. Sed contrarium plane euenit, ob Regis enorme peccatum. Dum enim legatos eius iniuria, contra omnem humanitatem, affecissent Ammonitæ; atque sibi metuentes, contractis quinque Regum Syriæ copiis, bellum pararent: Dauid exercitum aduersus eos misit, & Ioab Principi militiæ summam rerum committens, remanebat ipse in Ierusalem, à bello longe remotus. Vbi cum forte post meridianum somnum deambularet super tectum domus regiæ, conspexit mulierem forma admodum venusta, se lauantem: captusque amore eius, illico iussit eam ad se adduci: atque constupratam, grauidam domum remisit. Obsidebat tum Ioab Rabba oppidum Ammon tarum: & vt Dauid celaret adulterium, Vriam 2. Reg. 11. Hethæum, vt ad se mittat Ioab, per nuntium significat. Erat V- 1. Par. 11. rias vir magni nominis, fortissimisque exercitus annumerabatur: qui cum Dauidem de Ioab, populo, bellique successu certiorem fecisset, dimissus, domum non intrauit, sed sub dio ante palatium Regis, inter excubias dormiuit. Quod Rex intelligens, per literas, ipsi ad perferendum traditas, mandat Ioab, vt extremo eum, vt interficiatur, exponat periculo. Sicque mulierem viro orbatam numero vxorum adiunxit: quæ & filium ipsi peperit.

[illegible]uit Domino immane scelus, missoque Propheta Nathan [illegible] parabola eum in seipsum sententiam ferre cogit. [illegible]tas à Propheta, animo compungitur; agnoscit er-r[illegible] atque confitetur; sicque licet dimissa culpa, castigatio-

nem

nem Domini tamen non effugit. Nam infans die septimo mortuus est, multaque execranda mala in domum familiamque eius acciderunt. Et licet, victoria potitus, diadema talenti auri cum gemmis pretiosissimis Regis Rabbath imposuerit capiti suo; & iniuriam legatis illatam diro Ammonitarum cruciatu vltus sit; ipsi quoque natus fuerit Salomon *amabilis Domino* vocatus à Nathan: tamen ea omnia non sunt conferenda cum iis, quod Ammon filius incestuose corruperit sororem suam Thamar, ideoque fraude fratris Absalon trucidatus fuerit inter conuiuandum.

Absalon exsulantem triennium apud Regem Gessur Ioab, 2913.
sollertia mulieris Thecuitæ, inde reuocari curat in Ierusalem: vbi nati sunt ipsi filii tres, & filiola elegantis formæ, nomine Thamar. Erat quippe & ipse vir omnium pulcherrimus, sic vt à planta pedis ad verticem capitis vsque nihil esset in eo, quod reprehendi posset. Tanta eius erat cæsaries; vt singulis annis, ad pondus ducentorum siclorum ponderis publici, resecti capilli rursum excrescerent: nam sub finem anni tondebatur. Cum iam, intercedente pro eo Ioab. (cuius segetes, quando ab eo negligeretur, incendi procurauerat) esset reconciliatus patri Regi: ad tyrannidem technis adspirauit: *quadraginta*, inquiens, *iam decimæ annorum sunt* (hoc est, quatuor anni) *ex quo voui Domino me sacrificaturum in Hebron.* Vbi, annuente patre cum peruenisset, impia arma, parentem regno depellere cupiens, sumpsit; vsus consilio Achitopel, qui Dauidi à consiliis fuerat. Cæsus certe fuisset Dauid, ni amicus eius Chusai, quem in vrbem remiserat, ipsi vt fugeret per Achimaam & Ionathan, Sadoc & Abiathar sacerdotum filios, significasset. Sicque malum consilium Achitopelis fuit consultori pessimum, quando ipsus sibi manus inferret. Interim Dauid tam pius erat in filium, vt Ioab cum illo acie conflicturum admonuerit, vt victo parceret. At is, spreto imperio, parricidam ex quercu pendentem tribus lanceis transfodit: atque Regi victoriam luctuosam comparauit.

*Diuidebant & Iudæi annum in decē menses singulis quinque hebdomadas attribuentes: eaq. dicebatur annus minor Tales annos hic numerat Absalon, quare & Iosephus quatuor annos, hac narrando posuit.*

Vix parricidale hocce bellum extinctum erat: cum rursum ciuile excitatur à Seba filio Bochri: quo capite plexo, Ioab profectus fuit Ierusalem, relicta Abela, quam obsederat. Quo cum exercitum duceret, Amasa amitinus eius à Rege missus, ipsi obuians, traditorie gladio percussus in latere, effudit moribundus intestina in terram. Oborta quoque fames, hac tempestate, per tres annos in Israel Quare Dauid compulsus fuit tradere Gabaonitis posteritatem Saul, præter Miphiboseth claudum filiū

ANNI MVNDI.

*2. Reg. 21. Cruciarios nominat Seneca eos, qui in crucē tolluntur: quorum aliis brachia patibulo explicabantur: alij capite in terrā suspendebantur: & per aliorum obscena stipes agebatur.*

*a 1. Reg. 18.*
*b 2. Reg. 6.*
*c 2. Reg. 3.*

Ionathæ: cui, ob iusiurandum patri præstitum, benefecerat cum Mich filio, atque etiam mensa regia dignatus fuerat. Gabaonitæ erant illi Amorrhæi, quos Iosue se non deleturos spoponderat: & præter promissum, ipsos Saul internecione delere præsumserat. Hi ergo, in vindictam, septem de posteritate Saul crucibus affigendos postulabant. Traditi itaque filij duo Saul, ex Respha concubina nati, Armoni & Miphiboseth: quinq; quoq; Hadrielis filij Berzellai Molathitæ, cui nupserat *a* Merob filia maior natu Saul. Mirum, transscribentium Hebræorum incuriâ, loco huius inueniri nomen Michol: quando *b* Michol non sit natus filius vsq; ad diem mortis suæ: nec alios habuerit viros, quam Dauid, & Phaltiel filium Lais. Porro Resphæ eximia pietas erga suspensa cadauera excitauit *c* Dauid, vt Saul, Ionathæ, suspensorumq; ossa sepeliri curaret in terra Beniamin, in sepulchro Cis patris Saul.

*2. Reg. 21.*

Deinde præliando Dauid contra Philisthinos, percutere eum nitebatur Iesbibenob, de genere Arapha, cuius hastæ ferrum trecentas vncias appendebat: sed protectus fuit ab Abisai, sororis Seruiæ filio, qui gigantem interfecit. Quo periculo eius commotus exercitus, noluit vlterius, vt etiam prodiret ad bellum: ne forte extingueretur lucerna Israelis. Subsecuta deinceps tria sunt prælia, quorū vno percussit Sobochai de Husathi Saph gigantem: alio percussus fuit Goliath Gethæus, cuius hastile erat quasi licitatorium textorū, trucidante ipsum Sobochai de Husathai. Postremâ pugnâ Ionathan, filius Samaa fratris Dauid, interemit portentum hominis ingens: cui singulis manibus ac pedibus sex digiti erant, omnes nempe simul viginti quatuor.

*Carmen solemne Psal. 17. 2. Reg. 21.*

*Eccli 47.*

*Ioann. Camp. in præfat. paraphras. in Psalm.*

*Hieron. epist. ad Paul.*

Porro erat Dauidi peculiare carmen, quod recitare solitus fuerat in gratiarum actionem Domino, quando liberatus fuerat ab inimicis suis. Erat enim insignis poeta lyricus: quando quidē Spiritus Domini loquebatur per ipsum, illiusque sermo erat in lingua eius; dicente ei Deo: *Fortis Israel locutus est, dominator hominum, iustus dominator in timore Dei.* Quin & modos seu tonos fecit (vt erat Musices peritissimus) in cantu: qui per vices cantorum, ante altare decantabatur. Hosce modos significari titulis, qui psalmis præfiguntur, affirmāt Hebræi. Qui Psalmi vario carminū genere cōpositi refertiq; omni ornatu, decorati quoq; diuersis veteris memoriæ flosculis, & aromatib. propheticę multifarijs conditi, nil nisi diuinas laudes spirant: adeo vt nullus liber vniuersæ S. Scripturæ sit, qui tot scriptores excitauerit ad se cōmentarijs illustrandum, quam liber Psalmorum. Nil tam humile in eo, quin diligentius intuenti, etiam mysterium aliquod exhibeat intuendum. Hieronymus etiam in arithmetica progressione quindecim graduum numerum inueniri affirmat vtriusque

sexus

ſexus hominum, qui primi die Pentecoſtes ſimul Spiritum S. re- ANNI
ceperunt. Quantâ, putas, ſuauitate ij affecerint diuinas ſitientes MVNDI.
aquas, ex ipſo limpidiſſimo fonte hauſti; cum etiam in riuos deducti, mirabile ex ſe præbeant delectamentum? Quantâ quoq; dulcedine impleuerint aures audiendi verba Domini capaces, ab Aſaph, Heman, Idithum, cæterisq; ſacerdotib. religioſe decantatu, cum ſono diuerſorum inſtrumētorum, varijs diſparilis materiæ formis efficторum: cum & Pſaltriam, ad tibiam Deum Hebræorum originesq; mundi decantantem, auſcultans in nuptijs Apoſtolus Thomas, iuſſerit carmen illud repeti: delectatus (vt narrant) diuinis laudibus, ab ethnicâ licet puellâ cantu recitatis. Huic ergo ſtudio ſe totum dabat Dauid, florentiſſimumque regnum in pace poſſidebat, exercitum 288000. ſub duodecim ducibus paratum, ſi opus foret, habens: ita vt ſingulis menſibus 24000. ipſi ſeruitio eſſent. At cum imperij vires populi multitudine conſtare, populumq; cenſere decreuiſſet; iram Dei ſibi conciliauit. Erāt ab Ioab militię pręfecto iam dinumerata 1030000 ciuium, cum eum facti pœniteret, quod magis ex numeroſitate ſubditorum, quā diuino fauore potentiam regni ſui æſtimaſſet. Miſſus itaq; ad eum Gad Propheta trinam ipſi pœnam denuntians, dat arbitrium vnam eligendi: fugam trium menſium, hoſtibus ipſum perſequentibus; famem quoq; ſeptennalem deuaſtatus; peſtilentiam trium dierum in terra ſua elegit. Iam ſeptuaginta millia Angelus Domini euaginato gladio proſtrauerat, 2. Reg. 24.
cum Dauid videns Angelum cædentem clamaret ad Dominum: 1. Par. 21.
*Ego ſum qui peccaui & inſanè feci: iſti, qui inſtar ouium ſunt, quid fecerunt? vertatur, obſecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Miſit Dominus Gad, miſertus populi, ad Regem, dicendo: quod inædificaret areæ Areunæ Iebuſæi altare. Comparauit itaq; aream Dauid 50. mna ſanctuarij ac perſoluit ſexcentis auri puriſſimi didragmalibus, hoc eſt, ter mille libris Hollandicis: exſtructoq; altari, obtulit holocauſta & pacifica, & inuocauit Dominum, qui exaudiuit eum, in igne de cœlo ſuper altare holocauſti. Sedatâ iam peſte ac reſtituto regni ſtatu; Dauid, ad præparanda templo ædificando neceſſaria, animum appulit: vocatoq; Salomone filio, indicat ipſi, Dominum eum elegiſſe præ fratribus, qui regnaturus ſit poſt ſe, atque exſtructurus domum Domini. Ad cuius ſtructuram impenſas præparauerat auri talenta 100000 & argenti 1000000. æris quoque ac ferri tantum ponderis, vt numerari nequeat: prætereà ligna ac lapides, & omnis generis artifices. Principibus quoque ac Ducibus tribuum, Tribunis, ac Centurionibus, filiiſque ſuis eadem inſinuat. Qui, ipſo, præter paratas impenſas domus Domini, offerente 3000. talenta auri Ophirici, & 7000. talenta argenti

*Siclos 50. habet textus argēti quos ſingulos mna valuiſſe conſtat ex ſolutione aureorum.*

1. Par. 22.

*2343750. pondo auri; 46875000. pondo argenti, ponderis Colonieſi.*

ANNI MVNDI.

probatissimi; obtulerunt auri talenta 5009, solidorum 10000; argenti talenta 10000, æris 18000, & ferri 100000. Quapropter lætatus est populus, & Dauid quoque ingenti repletus gaudio benedixit Domino.

Verum cum, fractus plurimo labore ac morbo confectus, viribus destitueretur: quæsita Abisag Sunamitides calore fouebat ipsum. Quod perspiciens Adonias, patri quoque carus; ad regnum, paratis epulis, sibi viam præparabat. Sed Dauid promissi à Betsabee ac Nathan monitus, Salomonem successorem regni declarans, ab Sadoc sacerdote, Nathan propheta, & Banaia præfecto militum in Gihon ipsum vngi in Regem procurat: populo in tantum lætante, vt insonuerit terra à clamore eorum. Tradit itaque filio exemplar templi Domini, omnisque eius supellectilis, descriptum manu Dei: ac mandat, vt gratiam reddat Berzellai Galaitidis filiis, vt comedant in mensa eius: vindictam quoque sumat de Ioab, qui Abner & Amasa nequiter trucidauerat: atque etiam morte afficiat Semei, qui ipsum maledictione ac conuiciis affecerat. Sicq; mortuus est in senectute bona, plenus dierum, ac diuitiis, & gloria abundans: sepultusque est in Sion; illatis etiam in monumentum eius maximis diuitiis, addito tali Epitaphio:

*Ioseph. 6.10.*

REGI FORTI DAVIDI POS:

## FORMA STATVS REGNI DAVIDICI.

*Princeps exercitus Regis* —— *Ioab.* 2. Reg. 8.
*A secretis belli consiliis* —— *Achitopel; & post eum, Banaias filius Ioiada, & Abiashar.*
*Amicus Regis* — *Chusai Arachites.* 2. Reg. 16.

*Tres præcipui Heroes.*
- *Iesboam filius Hachamoni*
- *Eleazar Abohites*
- *Semna filius Age de Arari.*

*Tres subsequentes Heroes.*
- *Abisai*
- *Banaias*
- *Asael, & post eum Elchanan.*

A consiliis priuatis erant.
*Ionathas patruus Dauid*
*Iahiel filius Hachamoni*
*Chusai amicus Regis*
*Ioada filius Banaiæ*
*Abiathar.*
*Iosaphat à commentariis.*
*Saraias & Susa scriba.*
*Dauidi erant ad manum etiam filij Sacerdotes, seu Iudices.*

Post

*Post hos erant viginti quatuor nobiliores, sic vt semper haberet triginta numero, quorum opera ac consilio in bello potissimum vtebatur.*

*Erant quoq; duodecim Principes familiarum, qui cū tribunis centurionibus, ac decurionibus suis; & militibus 24000 numero, singulis mensibus Regi ministrabant: cum omnis exercitus constaret 288000.*

1. *Mense Iosboam fil. Zabdiel. de filiis Phares.*
2. *Dudia Aho. post eum Macelloth.*
3. *Banaias, cuius filius Amizadab post eum.*
4. *Asael, & filius Zabadias post ipsum.*
5. *Samaoth Iezerites.*
6. *Hira Thecuites.*
7. *Helles Phallonites, de filiis Ephraim.*
8. *Sobochas Husathites, de stirpe Zarahi.*
9. *Abiezer Anathothites, de filiis Iemini.*
10. *Marai Netophathites, de stirpe Zarahi.*
11. *Banaias Pharathonites, de filiis Ephraim.*
12. *Holdai Netophatites, de stirpe Gothoniel.*

Duodecim tribubus præerant

1. *Rubenitis* —— *Dux Eliezer, filius Zechri.*
2. *Simeonitis* —— *Dux Saphatias, fil. Maacha.*
3. *Leuitis* —— *Hasabias, filius Camuel.*
   *Aaronitis* —— *Sadoc.*
4. *Iuda* —— *Elius frater Dauid.*
5. *Issacharitis* —— *Amri filius Michael*
6. *Zabulonitis* —— *Iesmaias filius Abdia.*
7. *Nephthalitibus* —— *Ierimoth filius Ozriel.*
8. *Ephraimitis* —— *Osee filius Ozaziau.*
9. *Dimidia tribui Manasse* —— *Ioel, filius Phadaia:*
   *Alteri dimidia tribui* —— *Iaddo, filius Zacharia.*
10. *Beniamitis* —— *Asiel, filius Abner.*
11. *Danitis* —— *Ezrihel, filius Ieroham.*
12. *Gad, & Aser* ——

Principes substantiæ Regiæ.

*Azimoth à thesauris Regis.*
*Ionathan filius Ozia à thesauris vrbium, vicorum & turrium.*
*Ezri præerat colentibus agros, ac operi rustico:*
*Semei, vinearum cultoribus:*
*Balanan, oliuetis ac ficetis:*
*Setrai, armentis in Saron:*
*Saphat, bubus in vallibus:*
*Vbil Ismaelites, camelis:*
*Iadias, asinis:*
*Iazir Agarenus, ouibus:*
*Zabdias, cellis vinariis:*
*Ioas, apothecis olei:*

SALO-

ANNI MVNDI. 2931. 2934. SALOMON patri successit, qui, eo etiam viuente, secundario vnctus erat in Regem, cum Sadoc vngeretur in Pontificem: atq; sic sacerdotium rursum rediret ad stirpem Eleazari. Porro Salomon bonis initiis orsus, mandata patris prosequitur, occidendo Ioab, ac Semei; Adoniam quoque fratrem, Abisag postulantem in vxorem, è medio sustulit; & Abiathar sacerdotio priuatum rus ablegauit in Anathet. Tum oblatis Deo in Gabaon mille hostiis in holocaustum, ab ipso sapientiam sibi tribui prece pura rogauit. Quam Dominus tantam ipsi, simul & scientiam, ac diuitias & gloriam dedit: vti nullus in Regibus, nec ante nec

2. Reg. 3. post fuerit similis ipsius. Cuius singulare illico specimen, in altercatione duarum mulierum, vbi testis aberat, ex materno affectu caussam iudicando, dedit. Summa quoque prudentia v-

Ioseph. 8. 1. 2. sus; eadem opera atque impensis, & muniendo vrbem, & templum simul ædificando. Nam lapis excidebatur fossa mœnium

153600. proselytæ operarij Regii. vrbis, quo muri templi educebantur, vsus lapicidis 80000. & baiulis 70000. quibus tres mille & sexcenti præpositi erãt. Cum ligna cedrina & abiegna ipsi mitterentur ab Hira Tyriorum Rege, amico paterno; illi in annonam operariorum, singulis annis, 20000. coros tritici, totidem & hordei, olei quoque ac vini 20000. bathos mittebat. mittendo quoque singulis mensibus 10000 Iudæos (30000. enim ipsi operam suam præstabant) qui Hiræ seruis, in cædendis lignis ac præparandis, auxilio essent.

Cœpit ergo annos natus triginta, quarto regni sui anno, quadringentesimo octogesimo nempe anno ab egressione ex Ægypto, mense Zio, ædificare domũ Domini, in monte Moria, hacce ordinatione. Longitudo erat sexaginta, latitudo viginti, & excelsitas triginta cubitorum primæ mensuræ. Ante ædem, porticus exstruebatur viginti in longum, & decem in latum extensa, altitudine viginti cubitos continens, nempe centum & viginti cubitos mensuræ æqualis Cellaria, cenacula, cubiculaque in adytis, & domum propitiationis, cum duobus ostiolis viginti cubitorum in longum, latum atq; altum, construebat in ea. In hac statuendi namq; erant duo Cherubim, alti decem cubitis, in eamdem longitudinem alas suas extendentes, ita vt se inuicem, & vtrimq; muros tangerent Sanctuarii: sub quorum alis constitueretur arca fœderis Domini. In circuitu, ambitus ædificabantur, trabibus sic dispositis, vt non hærerent muris templi: sed potius illud sustentarent. In his atria erant ac gazophilacia numero triginta, longitudine, latitudine atque altitudine pari, nempe viginti quinque cubitorum, adscendebantque triplici ordine ad cubitos septuaginta quinque, vsque superius sese magis extendentes. Fenestræ erant obliquæ, vt sic

aeris intemperiei magis resisterent: & abundantius reciperent admiuistrarentq; lumen. ANNI MVNDI.

Sanctuarium obducebatur sexcentis talentis auri obrysi. Téplum quoque plurimo ornabatur auro. Lapides vsque ad normam secti fuere, lignaq; tam exacte præparata; vti nec malleus, nec securis, vllumve aliud chalybeum aut ferreum instrumentum exaudiretur omni tempore, quo fabricata fuit ædes. Coch'eam, qua adscendebatur ad medium ac tertium cenaculum, sic erat commentus, vt crassitudini murorum esset inclusus. Tecta fuit domus tabulis abiegnis & cedrinis. firmissima est enim ad tectum abies, & cedrus æterna putatur, rimam fissuramque non capit sponte. Muri incrustrati, atq; postes ex lignis oliuarum positi. nam ex ligno oleæ durissimo (Plinio teste) cardines forium diutius immoti manent: nec cariem vetustatemq; sentiunt. Sicq; rite cuncta aptata fuere, secundum cuiusq; materiæ qualitatem: & pleraq; lamina aurea clauis aureis quinquaginta siclorum affixa tegebat. Stratum erat fundamētum pretiosissimo marmore, decore multo. Miserat Salomoni Rex Tyri artificem præstantissimum, Turam nomine, patre quidem Tyrio, sed matre, quæ vidua erat, Iudæa, ex ciuitate Dan, tribus Nephthalim, natum. Is ærea vasa fudit, inter Socoth & Saredatha trans Iordanem, in tribu Gad; quod inibi terra esset argillosa. Ex illis fuere; vas illud, quod, ob enormem capacitatem, *mare* appellarunt. altum cubitis quinque, quodque chorda triginta cubitorum (lilii enim more, ore repando erat) cingere posses, continens ter mille metretas, hoc est, quater mille & quingentos quartarios, seu quingenta & octoginta duo & semis vasa cereuisiaria, imponendum duodecim bubus æneis, ad quatuor mundi cardines collocandis: adeo vt mirandum sit, quomodo ærea vasa, altare, & columnæ, vecta fuerint à Sochot vsque Ierusalem. Plin. 40. 42. 43.

Altare quoque, triginta cubitos longum ac latum, & decem altum. Columnæ denique octodecim cubitos altæ, habentes circumferentiam duodecim cubitorum, & crassitiem digitorũ quatuor. Omne æs tulerat Dauid à Bete & Beroth, cum percussisset Adarezer Regem Syriæ Soba, ad læuam Euphratis sitæ. Hæ columnæ intrantes templum admonebant, peccatis fœtentes se ad expiationem debere præparare sacrificio pro peccato. & in Deo, qui fortitudo in se sperantibus est, firmitatem consistere. Nam vni nomen *Boos*, alteri *Iachin* Rex indiderat. Nullis porro parcebat sumptibus Salomon, vbique ostendens summ[am] munificentiam. Nam altare aureum, & mensam auream, in qua panes propositionis ponebantur, decem candelabra aurea, lucernas, forcipes, hydrias, fuscinulas, phialas, mortariola & acerras Ierem. 51. 1. Reg. 8.

ex pu-

ANNI MVNDI. ex puriſſimo auro fieri curauit. Quorum numerus fidem excedit: ſicut ea recenſet Ioſephus enumerans cantharos vinarios octoginta mille: menſuras hin ſeu aſſarones ex auro, decem mille; ex argento vero, viginti mille: lances ad offerendam ſimilam maceratam ad altare, ex auro octoginta mille; ex argento autem, centum & ſexaginta mille: crateras, in quibus ſimilam oleo ſubigebant, ex auro, ſexaginta mille; ex argento, centum & viginti mille: phialas ac pateras ex auro triginta mille; ex argento, ſexaginta mille: thuribula, quibus odoramenta imponebantur, viginti mille: acerras, quib. ignis deferebatur, quinquaginta mille: veſtes ſacerdotales, in vſum Pontificum, cum talaribus & ephodis, circiter mille: ſtolas ex byſſo, cum zonis purpureis, decem mille: ſtolas byſſinas cantorum, viginti mille: tubas octingentas: inſtrumenta muſica ex electro (eſt autem electrum aurum, cui quinta argenti pars ineſt) numero quadraginta mille.

2938. Dum hæc parat omnia, etiam ſibi regiam fabricari procurat: quam tredecim annis ad perfectionem perduxit: cum domum
2943. Domini & vniuerſa eius vtenſilia, ſeptem annis, & ſex menſibus abſoluiſſet. Cuius dedicationem, octauo de menſis Bethanim ſeu Tiſri, inceperunt: intuleruntq; ſacerdotes arcam fœderis in templum; Rege & vniuerſo cœtu Iſrael, omnibuſque, qui congregati fuerant, præcedentibus eam. Poſita arca ſub alis Cherubim in ſanctuario; tam Leuitæ, quam cantores, qui ſub Aſaph Heman & Idithun erant, veſtiti ſtolis byſſinis, cymbalis, pſalteriis, & citharis concrepabant, ſtantes ad orientalem plagam altaris, centum viginti ſacerdotibus clangentibus tubis: concinentibus diuerſi generis muſicis, & vocem in ſublime tollentibus; vt a longe ſonitus exaudiretur. Cumq; laudantes dicere cœpiſſent: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum miſericordia eius*: nebula impleuit templum, vt non poſſent ſtando fungi officio ſacerdotes, propter caliginem gloriæ Domini. Tum habita oratione ad populum, Salomon, precibuſque dein fuſis ad Dominum, mactauit viginti duo millia boum, centum & viginti millia arietum: ita quod altare æneum non poterat holocauſta, & ſacrificia, atque adipes capere, cogerenturque in medio atrii ante templum partem collocare. Quæ omnia ignis de cœlo deſcendens, vidente populo, deuorauit. Sicque celebrantes, poſt ſeptem dies dedicationis, ſeptem diebus ſolemnitatem feſti tabernaculorum, & octauo die collectam, dimiſit vigeſimo primo die menſis ſeptimi cunctos, vt reuerterentur domũ. Porro Salomon, qui *pacificus* interpretatur, ipſum redemptorem noſtrum typice deſignabat: templum vero, quod
Ven. Beda. ædificauit, Catholica eius Eccleſia eſt: quam de vniuerſis per orbem

orbem credentibus, quasi de viuis lapidibus, in vnam suæ fidei & charitatis compagem aggregauit. ANNI MVNDI.

Erat autem Rex plurimum magnificus, præcipue in curando ritus templi; deinde rem militarem; tum domesticos faciendo sumtus. Erat Ahiasin, filius Nathan, præfectus aulæ, cui duodecim Principes per singulos menses vicissim annonam procurabant: cum Regi opus essent, omni die, triginta cori similæ, sexaginta cori farinæ, decem boues saginati, viginti boues pascuales, centum arietes, præter ceruos, capreas, ibices, saginata, & altilia.

Hos inter duodecim Principes duo etiam erant, quibus Rex filias suas nuptui dedit. Erat ipsorum quoque officium, paleas ac hordeum prouidere equis ac iumentis: cum Regi essent mille quadringenti currus, dispositi per vrbes munitas, & cum Rege in Ierusalem. Habebat enim quadraginta mille septa equorum ad rem suam curulem, atque duodecim mille equites cataphractos: quibus præfectus erat Banaias, vir fortissimus, qui duos Principes Moab percusserat; & leonem in fouea occiderat; & baculo percutiens Ægyptium, dignum spectaculo virum, eripuit ipsi hastam, qua eum feriit. Porro hic ordo erat etiam ministrorum templi, ac palatij.

## Ordo ministrorum templi.

*SAdoc & Abiathar sacerdotes summi; & sub iis decem mille, qui vicibus suis ministrabant, hoc ordine:*

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Ioiarib* | 1. | | | *Zachur* | 3. |
| *Ieder* | 2. | | | *Ioseph* | 1. |
| *Harin* | 3. | | *Asaph* | *Nathania.* | 5. |
| *Sarrim* | 4. | | | *Asarela* | 11. |
| *Melchia* | 5. | *4000. cantores Leuitæ, quibus præerant 288. erudientes cantica Domini, duodecim singulis vicibus, sub* | | *Godolias* | 2. |
| *Maiman* | 6. | | | *Iori* | 4. |
| *Ace* | 7. | | *Idithun* | *Iesesias* | 4. |
| *Abia* | 8. | | | *Hasabias* | 12. |
| *Iesua* | 9. | | | *Mathathias* | 14. |
| *Secheme* | 10. | | | *Sumeia* | 4. |
| *Eliasib* | 11. | | | *Bornan* | 6. |
| *Iacim* | 12. | | | *Mathanias* | 9. |
| *Hoppa* | 13. | | | *Oziel* | 7. |
| *Isbaab* | 14. | | | *Subael* | 13. |
| *Belga* | 15. | | | *Ierimoth* | 15. |
| *Immer* | 16. | | *Heman* | *Hananias* | 16. |
| *Hezir* | 17. | | | *Hanani* | 18. |

*Aphses*

ANNI MVNDI.

*Aphses* 18.
*Pheleia* 19.
*Hezechiel* 20.
*Iachim* 21.
*Chamul* 22.
*Dalaiau* 23.
*Maaziau* 24.

*Eliatha* 20.
*Geddelthi* 22.
*Romenthiezer* 24.
*Iesbaccassa* 17.
*Mellothi* 19.
*Othir* 21.
*Mahazioth* 23.

*Subaël, Zathan, Ioël, & Achias erant super thesauros & vasa domus Domini.*

*Et Selemuth super manubias consecratas templo.*

*Quater mille ianitores Leuitæ: ex quibus viginti quatuor singulis diebus erant in portis & cellulis sub*

*Selemia in Orientali* } *portis*
*Obedom in Austrina*
*Sephim & Hosa in Occidentali*
*Zacharia in Septemtrionali*

Ordo palatio inseruientium.

*AZarias Præses præerat Consiliariis.*
*Zabud amicus Regis seu Cancellarius.*
*Azarias filius Zadoc* } *scribæ.*
*Elioreph*
*Iosaphat à commentariis.*
*Adoniras super tributa.*
*Sex mille Iudices Leuitæ, quibus præerat*
*Chonenias ad docendum & iudicandum cis Iordanem, &*
*Hasabias vltra Iordanem.*

## TEMPORA EXTERNA.

### ÆGYPTVS.

2907. SVB Chabreo rege Orientalium ac Ægyptiorum sapientia etiam apud Hebræos celebris fuit 3. *Reg.* 4.

### GRÆCIA.

*Argis*, tertius Lacedæmoniorum Rex, regnat anno vno.

*Archestratus*, quartus Rex Lacedæmoniorum, regnat triginta quinque annis.

*Agastus*, Archon secundus Atheniensis, regnat triginta sex annis.

2917. *Lesbos* opidatim habitari cœpit.

2924. *Androdus* Codri filius, Rex declaratur: qui Ephesum deducta colonia, eiectisque ex vrbe Lydis, ibidem Iones collocauit.

*Agylaus*

*Agylaus* tertius Rex Corinthiorum, regnat annis triginta septem. AN.M. 2935.

*Labotes* quartus Rex Lacedæmoniorum regnat annis triginta septem. 2949.

*Archippus* 3. Archon regnat Athenis annis nouemdecim.

## ITALIA.

*Alba Syluius*, sextus Rex Latinorum, regnat annis triginta nouem. 2939.

## TEMPORA EXTERNA.

## GRÆCIA.

*Codrus* Rex Atheniensium, Spartanis cum Atticis belligerantibus, accepto responso Apollinis, eum populum victoria potiturum, cuius Rex occumberet; rustico amictu in tantum Lacedæmonios irritauit, vt ipsum occiderent. Cuius obitu & modo mortis intellecto, exercitus Peloponnesiorum pauore consternatus, Attica discessit.

Successit Codro Medon filius, primus Archon Atheniensium viginti annis: primus quoque eorum, quos mors finiit.

Peloponnesii digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque vrbem, condidere.

## *Monarchia Assyriorum.*

*Eupates* regnauit triginta octo annis. 2901.

*Hiram* Rex Tyri regnat annis triginta quatuor. 2923.

*Laosthenes* trigesimus secundus Rex Assyriorum, regnat annis quadraginta quinque. 2939.

## SALOMON.

CONSTRVXIT quoque Salomon domum filiæ Vaphris Pharaonis Ægypti, vxori suæ; quo eam traduxit ex Sion: & domum quoque saltus Libani, omni admiratione dignam. Interim se quoque occupabat studiis variis, cum omni eruditione excelleret. Nam conscripserat tres mille parabolas, odas quoque ac carmina quinquies mille. Differebat insuper de natura stirpium, cunctorum quoque animantium exacte. Non erant vero carmina eius ornata fabulis, quarum finis voluptas ac stupor est: sed potius referta omni veritate, doctrina ac mysteriis allegoricis. Quod facile perspici potest ex carmine eius bucoli-

*Fuit hæc filia Vaphris Regis eius ad Salomonē & Salomonis ad ipsum exstare literas testantur Clem. Strom. 1 & Euseb. de præpar. Euang. 9. 4.*

ANNI MVNDI.

co: quod ob summam excellentiam *Cantica canticorum* nominari promeruit; licet id iuuenili conscripserit ætate. Nam sub amicæ nomine, populum Israeliticum, ac Palæstinam à Libano monte quasi descendentem, vbertate soli, abundantia gregum ac pecorum maiorum, belli gloria religionisque cultu claram, designari, facile intelligit is, cui regionis situs cognitus est. Nam prominentem Carmelum montem, in vertice a Prophetis habitatum, apte capiti comparari; collum ventremque, Samariam inter Galilæam ac Iudæam fertilissimas partes, quasi duo vbera sitam, vocari non dubitabit. Lacum Genezareth, seu mare Tiberiadis, latum triginta stadia, & centum quinquaginta quattuor in longum extensum, vmbilicum quasi craterem poculis non indigentem; & iuncturas femorum, regna Basian & Amorrhæorum, à tribubus Ruben, Gad, semique tribu Manasse sub lacu habitata, ipsum significare voluisse quis dubitet? Regio quoque omnis, Libano atque Antilibano, Hermim, Abacim, & Seir montibus, marique, instar horti vndique concluditur. Hæc ergo, quasi humano coniugio, cum variis agitata fuerat bellis, Salomoni Principi subdi exoptat: & de se humiliter sentiens, ipsum prosequitur multa commendatione; inuitans quoque ad sui nuptias. At ille mutuum quoque declarans amorem, ipsam miris quasi admirari se ostendit modis: dum peregrinationem exercitus terribilis per desertum, nube interdiu quasi fumo aromatum tecti, omnibus deliciis affluentis, in memoriam reducit. Se quoque ab affabilitate, potentia, magnificentia & gloriæ splendore commendat: egregia allusione vtens, cum nomen *Christi* seu vncti *oleum effusum* nominat: aptissima quoque similitudine, dum lilio inter spinas gens Hebræa, fragrantiam manifestatæ sibi doctrinæ inter reliquias impiarum bellicosarũ gentium spirans, comparatur. Hortatur & ipsam vt bono animo sit; iam bellorum tempestates pertransiisse, apparere fructus vernales pacis. Aquilonis nomine bella, & Austri pacem intelligit, & fructus pacis comparat aromatibus odoriferis: miris illam & laudibus extollens, similitudinibus pastoriciis plerumque vsus, nisi vbi paullo maiora canit. Quid! quod sub nomine montis myrrhæ & collis thuris, Sion & Moria montes Ierosolymæ; per oblata Deo sacrificia, odorem suauitatis instar florentis vineæ reddentia; atque sacerdotum ac Prophetarum gemitus, & cantus hymnorum leuitarum turturum vocibus ac columbarum designare videtur. Vltimo capite, sub nomine sororis, cui vbera, nempe legis tabulæ, non erant, intelliguntur gentes Palæsthinæ: quas, si robustæ sunt, tributis onerandas; sin imbecilles, seruituti dedendas, censere se declarat: quod
1. Reg. 9. & opere impleuit. Quod si allegoricãs sapientiam, amicam intelli-

telligas: venuste scripturam, hortum comprehendes vocari nucum. nam sicuti qui è nuce nucleum vult esse, vt nucem frangat oportet: ita & qui abditos vult cognoscere Scripturarum sensus, vt iis insudet necesse est. Vtitur vero, in hoc pastoricio carmine, variis figuris ac tropis; intercalari quoque carmine quater repetito, ad astum amoris vehementius exprimendum: omniaque ita sunt composita, vt & ad sapientiam, sapientiæque studiosum eleganter per allegorias possint referri. Maluit hoc potius *Epithalamium sacrarum nuptiarum* vocare B. Hieronymus, quod Christum quasi iungat & Ecclesiam: quæ ex Iudæis & Gentibus, Græcis, ac Barbaris est collecta. Porro vti Christus in Bethlehem natus, atque in Nazareth educatus, vtrobique ad Virginis matris vbera suxerat: ita & in Iudæa ac Galilæa, lacte diuini verbi repuerascentes quasi Iudæos pauit. Qui renati ex aqua & Spiritu, non per Moysen aut Prophetas, sed per ipsum sponsum expetebant osculari; ab ipso quoque trahi in cellaria, quo cognitionem & amorem sui ipsis per gratiam impertiret. Accessere, eius ergo, & Bethlehem Magi Orientis quærentes Regem, non fauore populi creatum, sed diuinitus natum, atque oleo lætitiæ præ cæteris Regibus vnctum; in cuius nomine flectenda forent genua cælestium, terrestrium ac inferorum. Vt hunc quoque contemplarentur Gentiles, forma præ filiis hominum speciosum, accessere ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ. Quibus, quasi sorori paruulæ, cum vbera nempe tabulæ legis, non essent; ita cedrinis fidei charitatisque tabulis per gratiam compingi contigit cum iis, qui sub lege erant, vt vna videretur esse virgo desponsanda Christo. Quæ cum sibi ob nigredinem peccati displiceret; pulcherrima inuenta est in oculis creatoris, qui eam moderata membrorum proportione formauit, maculas eluit, atque in sponsam sibi præparauit. Itaque illa de se sollicita rogat, vbi pascet ac cubiturus sit meridie: cum tribulatio scilicet ipsam, non minus quam sol meridianus oues, sit afflictura. Igitur docet ipsam, vestigiis patrum insistendum atque iuxta tabernacula procerum Ecclesiæ esse pascendum: seque ipsi tunc eam fortitudinem præstaturum quam exercuit equitatu suo, in submergendo Pharaone cum curribus suis. Interim illa humilitatem suam agnoscens, serosæ campi, ac lilio loco depresso enascenti breui perituris comparat: illum vero malo pomiferæ atque excelsæ arbori; cuius poma vt gratissimi odoris, sic & gustus, & saporis sunt suauissimi. Ille postremo Iudæis in memoriam reducens transgressiones, quas perpetrarant, acceptis legum tabulis, sub ipso constituti, proficiscentes per desertum; monet, ne gentes, quibus lex non erat, graui legis pondere onerent, sed leui fortes, & imbecilles suaui

ANNI MVNDI.

*Matth.2.*

*Ioan.12.*

*Sic Apostoli tantum mandant fratrib. vt abstineant ab immolatis simulacrorũ, sanguine, & suffocato: & gratia vin. molo Gentes Iudaeis connectũnt.* *Act 15.*

ANNI MVNDI.

ſuo iugo ſibi aſſociarent firmiter. Quin hoc carmen tam apte allegoriis expoſitum eſt: vt inde ſumpſerit Eccleſia præcipua præconia, quibus Dei Patris ſponſam Spiritu ſancto imprægnatam, ac partu Filii Dei fecundam, potiſſimum celebrat cantu. Exſtat & alterum carmen per quam venuſtum, quo fortem efformat mulierem; hocce viginti duarum litterarum hebraicarum numero ac ſupputatione perficiendo: mira enim vis atque energia eſt in litteris Hebraicis: cum א. doctrinam, ב. domum, ע abundantiam, &c. ſignificent. De quibus vide Euſebium de præparatione euangelica.

Porro cum eſſet Salomoni magna cum Rege Hiram familiaritas; miſit ipſi ſubinde ænigmata ſoluenda per litteras: in quibus ſoluendis vtebatur Rex Tyrius dexteritate ingenii Abdemonis iuuenis: qui etiam Salomoni ænigmata proponenda excogitabat: certant b. Regibus, vt pecunia is, qui ſoluere neſciret mulctaretur. Ænigmatum venuſtas in phyſicis præcipue elucet contemplationibus, cum ſoluturus ea nunc huc nunc illuc dubius animum intendit. Exempli ergo loco, ſubiiciam aliquot primoque illud de ſale quondam à nobis propoſitum: *Ex humore prouenio, nil ſum niſi aridus humor, in humorem quoque reſoluar. In me creando operati ſunt homines & ſol ſeu calor: noxam, a quibus conſeruor, confero, & conſeruandis aliis conſumor: expetor itaque, & auerſor.*

Et alterum de cryſtallo ad ſphæræ modum formata: *Sum humor materia; formam, frigus, homoque præbuere: vires tales tantaq́ mihi ſunt, vt mea opera ſidus aliquod poſſit, etiam cogi, vel ipſam incendere terram.*

Tertium addam de igne & fumo: Ex *duro prouenio arido; prouenio quoque ex fragili humido: producor deſidi quiete; producor etiã celeri motu: elicior quoque & è cœlo: his commodo, ſolatio & voluptati ſum; illis damnum, angorem & dolorem confero. Fortiter ago, agre reſiſto: cumque variis paſcor, amara à me ſemper procul repello.*

Addam quartum ænigma hoc de æſtu maris: *Incorporeus, inſeruiendo magno corpori, magna in magno corpore exerceo; dum numquam otiari permittor. Quid ſim acturus, vbi, & quando, à longiſſimo tempore nuntior: quæ vt vera ſint, præſto. Vbi ſol lunaque verſantur, nuntio: & tempori diuidendo quoque continuo operam do. Eodem tempore à diuerſis diuerſimode inæqualiterq; excipior: & ab eiſdẽ modo æqualiter, modo inæqualiter certo aduentare exſpector: nec quemquam ſua exſpectatione fruſtror, Vt ergo nullum mei gnarum ac ſtrenuum decipio: ita ignauis meique ignaris ſæpe reſiſto. Mutor & idem maneo.*

2951. Templo regiaque æde conſtructis, Salomon viginti ciuitatibus Hiram, pro ope ſibi præſtita, remunerare voluit: ſed Hiram illis

ANNI MVNDI.

illis lustratis, cum sibi non placerent, eas Salomoni restituit: regioque inde etiamnum dicta *Galilaa gentium*. Misit insuper illi centum viginti talenta auri: quæ Salomon variis ædificiis impendit. Cumque Pharao Gazar, à se captam, filiæ vxori Salomonis in dotem dedisset: parauit hic classem in Asiongaber portu maris rubri: quæ nautis cum suis, tum Tyriis instructa, reportauit ex Ophir, aurea nempe Chersoneso, aurum quadringentorum & viginti talentorum. Fama ergo eius sapientiæ longe lateque per orbem diuagante, venit Regina Austri ex Saba in finibus terræ, multo comitatu, vt exploraret sapientiam eius per proposita ænigmata, thesauris atque variis aromatibus (talia visa non fuere) onerata: quæ Regi, cum omnia, quæ proposuerat, exposuisset ac perspicua fecisset, dono dedit, talenta nempe centum & viginti. Qui eam omnibus, quæ postulauerat, renumeratam, permisit cum seruis suis reuerti in terram suam. Erat enim Salomon ditissimus, cum ei singulis annis afferrentur sexcenta sexaginta sex talenta auri: excepta ea summa, quam etiam apportare consueuerant legati diuersarum gentium, & negotiatores. & omnes Reges Arabum, & Satrapæ terrarum. Fecit itaque ducentas hastas, in quarum singulis sexcenti aurei expendebantur: trecenta quoque scuta trecentorum aureorum: quę imposuit armamentario consito nemore. Construi quoque fecit solium eburneum auro vestitum. Omnia quoque vasa mensæ Regis, ac domus saltus Libani erant ex auro. argentum enim vili tunc pendebatur. Nauigabant omni triennio naues eius in Tharsis cum nauclerijs Hiram, deferentes inde aurum, argentum, ebur, simias quoque, ac pauones. Exercebat & imperium super Reges ab Euphrate vsq; ad Ægyptum.

*Tharsim non Ciliciæ vrbem, sed locũ longe remotiorem fuisse existimant: cũ quod triennio nauigatio cõpleretur; tũ ob mercium pretiosarum multitudinẽ. Haito consinem regno Cathay esse scribit c. 2. Non desunt qui Peruuiã designari arbitrentur, Ben. Arias Montanus, & Gaspar Varerius Lusit. singulari libello.*

Cum ergo esset ditissimus ab opibus (qui semper ordo rerum est) in luxum & vitia delapsus, * dedit maculam in gloria sua. Nam septingentas vxores & trecentas concubinas cum ex diuersis gentibus sibi comparasset; dementatus per eas, idola ritu gentium coluit, fanaque ijs constituens, offendit Deum. Qui suscitauit Adad Idumæum, & Razon profugum Regis Soba, constitutum à latronibus Regem Damasci, qui ipsi bella mouerent. Obiurgatum quoque vehementer monet Deus, vt ab idololatria desistat: immorigero quoque denuntiat, regnum maiore ex parte filio ademptum, seruo ipsius tradendum fore. Cui hoc Ahias Propheta indicauit, tradens illi decem scissæ tunicæ partes, duas sibi reseruans. Quare cum Salomon eum interficere moliretur, fugit in Ægyptum. Mortuus itaque est Salomon, postquam regno præfuisset quadraginta annis: sepultusq; in Sion, tali Epitaphio:

* *Eccl. 47.*

ANNI MVNDI.

REGI SAPIENTI SALOMONI DD.

Nullos liberos eius, præter Taphet & Basemath filias, atque Roboam natum ex Naama Ammonitide, ante quam regno potiretur, commemorat scriptura. Vitam eius cõscripsere Nathan, Ahia, & Addo Prophetæ.

Post mortem Salomonis, Israele congregato in Sichem ad constituendum Roboam Regem, venit eo quoq; Ieroboam reuersus ex Ægypto. Cumque contempto seniorum consilio, Roboam, instinctu iuniorum durius ad populũ loqueretur; offensa verbis eius maior pars ab ipso discedit, sibiq; Ieroboã constituit Regem Israel: manente apud Roboã tribu Iuda, vna cum Beniamin: sicq; regnum florentissimum fuit dispartitum, ac discordia exitio expositum.

## *Regnum Israel.*

Ieroboam I *Rex Israel.* * 2971.

IEROBOAM * tribus Ephraim, præfectus decem tribubus, Rex, regnauit annos viginti duos. Ædificauit vero Sichem, atque ibi habitauit: cumque vereretur, quod si populus sacrificaturus ex more adscenderet Ierusalem, se regno tandem pellendum fore: excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, quorum vnum in Bethel, alterum in Dan posuit. Constituens quoque sacerdotes de fæce populi, qui de Leui progenie non erant; statuit sollemnitatem decima quinta die mensis octaui filiis Israel: quo tempore & ipse ascendit altare, vt adoleret incensum in Bethel. Et ecce vir Dei venit de Iuda dicens: *Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.* Regis quoque manus extensa contra eum exaruit: sic vt ad se retrahere eam non posset: quam, orando Dominum, Propheta sanauit. Qui tamen, quod cibum, deceptus sermone senis, in Bethel contra mandatum Domini sumserat, à leone occisus est: cum interim cadaueri, & asino eius non noceret. His miraculis non commotus fuit Ieroboam, sed ad pessima declinauit, pretio vendens impia sacerdotia. Quare Abia filius eius moritur, ac sepulcro conditur: vti Ahias propheta prædixerat consulenti vxori; cum iam dixisset, eos, qui morituri essent de domo Ieroboam, deuorandos à canibus aut volucribus cæli. Vita defunctus ergo reliquit regnum filio Nadab.

2. Paral. 12.

TEM-

ANNI MVNDI

## TEMPORA EXTERNA.

### *Monarchia Assyriorum.*

*Baleastartus* Rex Tyri regnat annis septemdecim.
*Senior* filius nutricis Abdastarti, Rex Tyri, regnat annis duodecim. 2957. 2983.

*Pyrithiades* regnat annis triginta.

*Astartus* filius Baleastarti, Rex Tyri, regnat annis duodecim.
*Astavinus* Astarti frater regnat annis vndecim.
*Ophrateus* regnat annis viginti. 2988.
*Phellites* regnat octo menses. 3014.
*Ithobalus* triginta & vno annis.

## ÆGYPTVS.

*Osochor* seu Sesac regnat sex annis, dictus & Asychis ac Sauchnis, secundus legislator AEgyptiorum. 2972.

*Spinaces* Rex AEgypti regnat annis nouem.
*Perusennes* Rex regnat annis triginta quinque. 2978.
*Senseris* seu Sesostris, tertius legislator Ægyptiorum, regnat annis viginti & vno. Hunc, Athenodorus dicit, genus ab Osiride ducere. 2987. 3021.

## GRÆCIA.

*Priminas* Rex Corinthi regnat annis triginta quinque.
*Bacis* Rex Corynthiorum regnat annis quinque & viginti.
*Phorbas* Archon quintus Atheniensis regnat annis triginta & vno.
*Doristus* Rex Lacedæmoniorum, regnat annis nouem & viginti.
*Agesilaus* Rex Lacedæmoniorum regnat annis quadraginta & quatruor.

## ITALIA.

Capetus Siluius *regnat annis viginti sex.* 2978.
Capis Syluius *regnat annis viginti octo.*

## GRÆCIA.

*Midas* opibus pollens conductis aliquot Phrygibus, illos,

enses occulte gestantes, iussit cum tibiis, tympanis ac cymbalis nocte per opidum vagari; & egressos ædibus ad spectandum ciues trucidare, eorumque domos spoliare: sicque inuasit tyrannidem. Cum ergo ineptus regno esset, & contempta honestate, diuitiis tantum inhiaret; asininas aures habere vulgo dicebatur, quasi nulla ornati sermonis cantusve suauitate delectatus. Quod & epitaphium inscriptum eius tumulo, statua ærea ornato, satis testatur:

*Ænea virgo Midæ Regis sum imposta sepulcro.*
*Dumque fluunt fontes, arbos dum celsa virescit;*
*Æternum durans lugubre insisto monumentum:*
*Atque Midam viatori narro hic esse sepultum.*

3035. *Polydectus* frater Lycurgi regnauit annis quadraginta duobus.

*Agelaus* Rex Corinthi regnauit sex annis.

*Mecades* Archon Atheniis præest annis triginta.

## ITALIA.

Capetus Siluius *regnat annis tredecim.*

Tiberinus Siluius *regnat annis octo.*

## *Regnum Israel.*

2994. Nadab II. *Rex Israel.* 3. *Reg.* 15. Baasa III. *Rex Israel.*

*Nadab*, suis parentumque meritis æque inuisus Domino, nõ vltra biennium Regno potitus est. Nam Baasa filius Ahiæ, tribus Issachar, eum in obsidione vrbis Gebbethon interfecit, atq; loco eius regnauit viginti tribus annis, vniuersam interficiens posteritatem Ieroboam, vt non remanserit vllus. Verum illum ambulantem in peccatis Ieroboam, Iehu filius Hanani vaticinatur verbis Domini, cum omni posteritate quoque esse delendum. Mortuo itaque ac sepulto in Thersa successit filius Ela.

3018. Ela IV. *Rex Israel.* 3. *Reg.* 16.

*Ela* regnauit in Thersa duobus annis: vbi cum ab Arsa vrbis præfecto exceptus conuiuio, temulentus esset; à præfecto equitum *Zambri* interficitur.

Zambri V. *Rex Israel.*

Hic, cum occupato regno, vniuersam stirpem Baasæ interemisset; obsessus ab Amri & exercitu Israelitico, accensa regia domo, combustus fuit.

Amri VI. *Rex Israel.*

Facta dissensione populi, his Thebni illis Amri militiæ Principem sequentibus, præualuit *Amri*, atq; sex annis regnauit in Thersa: deinde, emto a Semei monte duobus talentis argenti, ædifi-

ædificauit vrbem Samariam: vbi etiam ſex regnauit annis, atq; ſepultus eſt. ANNI MVNDI.

Succeſſit illi *Achab* filius, ſupra omnes præceſſores in Deum impius. Accepta namque in vxorem Iezabel, filia Eisbaal Regis Sidoniorum; idolo Baal templum, aram, lucoſque, ac ſacerdotes conſtituit: & Prophetas Domini interemit. Eius impietatem deteſtatus Elias Thesbites de terra Galaad, oratione cælum concluſit, ne daret pluuiam aut rorem terræ per tres annos & menſes ſex: cum ipſe apud torrentem Carith à coruis, mane ac veſperi, pane ac carne paſceretur, ac de torrente biberet, non vſque procul à Iericho: quam Hiel Bethelithes dum reſtaurat, filiis orbatur ſuis, iuxta execrationem Ioſue. Achab VII. *Rex Iſrael.* *3. Reg. 17. Luc. 4. Iac. 5.*

Torrente arefacto, à Domino admonitus, Sareptam Sidoniorum proficiſcitur, à viduaque ſibi credente ſuſtentatur: cuius hydria farinæ & rechytus olei non minuebatur. Filium quoque viduæ mortuum, reuertente in corpus anima, ad vitam reduxit. quod à nullo antea factum fuiſſe legitur.

Iuſſus à Domino ſe oſtendere Achab, obuius fit Abdiæ diſpenſatori domus regiæ, quærenti gramina equis ac iumentis Regis: ac ſe Eliam eſſe procumbenti in faciem dixit: iubetque id nuntiet Achab, cui in occurſum ſit venturus. Hic ille Abdias, qui centum Prophetas, clam in ſpeluncis duabus, pane & aqua pauit, cum interficeret Prophetas Domini Iezabel. Quãobrem eum gratia prophetali donatum fuiſſe narrant Hebræi. Sic qui paſtuam quærebat brutis, nunc toto orbe paſcit diuino verbo Chriſti populum, ſepultus in ciuitate Samaria. Elias Regi exprobrans cultum Baal, periculum fieri iubet, vtrum ipſius hoſtiam, an ſacerdotum Baal, ignis cœleſtis abſumpturus ſit in monte Carmeli. Fruſtra ſacerdotibus Baal inuocantibus; & ad eius precem, igne deuorante holocauſtum, ligna, lapides & aquam: octingenti & quinquaginta Prophetæ Baal apprehenſi, & ad torrentem Ciſon interfecti ſunt. Deinde nubes ventuſque pluuiam grandem demiſerunt in terram: præcurrente Elia currum Achab, donec ille veniret in Iezrael. Iam necem Prophetarum narrauerat Rex vxori Iezabel, quæ vitæ Eliæ inſidiabatur. Quare is timore perculſus, tranſiens Berſabee Iuda, perrexit ſolus in deſertum, mori deſiderans. Vbi cum ſub iunipero obdormiret, excitatus ab Angelo Domini bis, ac toties comedens panem ſubcinericium, ac bibens aquam ex vaſe appoſito, ambulauit in virtute cibi illius quadraginta dies ac noctes, ad montem Dei Horeb ſeu Sinai. Vbi cum occultatus in ſpelunca ſe putaret ſolum immunem ab idolorum cultu in Iſrael: audiuit à Domino, ſeptem millia virorum relicta in Iſrael, quorum genua non ſunt curuata ante Baal, neque ora ipſorum exoſculata *Hieron. præfat. in Abdiam.*

ANNI MVNDI. lata sunt, manus idoli. Cumq; iussus esset vngere Hazael in Regem Syriæ, & Iehu in Regem Israelis, & Elisæum in Prophetam:
3045. hunc inueniens arantem iniecto pallio suo, vt, relictis bobus ac valedictis parentibus, se sequeretur, effecit.

3048. Benadab vero Rex Syriæ, cum triginta duobus Regibus, obsidebat Samariam: dans condiciones tradendæ vrbis; vt aurum, argentum, mulieres ac filii nobiliores sibi tradantur, parciturus vitæ Regis ac ciuium. At à pedissequis Principum ducentis triginta duobus, & septem mille viris fugatur: atque Syri percutiuntur plaga magna.

Anno subsequente, centum millia Syrorum cæsa, & duo mille septingenti oppressi, muro cadente ciuitatis Alphe in sorte Aser, atque Benadab captus fuit. Quem dum Achab icto fœdere dimisisset, similitudine quadam à Propheta Domini increpitus fuit. Quare iratus, cum venisset Samariam, euocato *Naboth* Iezraelite, vineam eius emtione aut permutatione sibi acquirere
1. Reg. 8. voluit: vt eam in hortum olerũ permutaret. Non inscius Naboth ius Regis esse, populo etiam auferre agros ac vineas, & dare seruis suis: tamen ne Rex illa sua vinea abuteretur ad Priapi vel Adonidis cultũ, ipsam illi concedere vltro noluit, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem tibi hereditatem patrum meorum.* nec enim licitum cuiquam est, insanienti telum tradere, quo seipsum sit læsurus. sicq; negatio vineæ non rusticitati Naboth, sed potius pietati erat adscribenda. Qui vir innocens, astutiis Iezabel interemtus est. Itaque Achab, properanti ad possidẽdam vineam, dira Elias ob homicidium hocce denuntiat: nempe quod canes lincturi essent ipsius sanguinem; & comesturi Iezabel, in agro Iezrael, vbi vinea Naboth sita erat; omnis quoque eius posteritas esset occidenda. Quare ille scindẽs vestes, carnemque operiens cilicio ac ieiunans, & sacco indormiens, incedebat demisse: & hoc à domino impetrauit, vt pœna ipsius mitigaretur atque prolongata sit.

Triennio à bello cessauerãt Syri, cum Achab iunctus fœdere Iosaphat Regi Iuda, pseudoprophetarum impulsu in prœlium descenderet; spreto Michea Propheta, atque in vincula coniecto, modico pane ac aqua nutriendo; quo ipsum affligeret: eo quod dixerat se vidisse dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli adsistentem ei à dextris & sinistris, & spiritũ egressum, qui decepturus erat Achab, vt adscenderet ac caderet in Ramoth Galaad. Præualuit certe spiritus ille, vsus, quasi instrumento, Sedecia filio Chanaana, qui sibi ferrea cor-
3. Reg. 22. nua fecerat, dicens Regi: *His ventilabis Syriam, donec deleas eam, percutiens etiam Micheam in maxillam.* Progressus ergo in prœlium, à sagitta in incertum iaculata inter ceruicẽ ac scapulas vulneratus,

neratus, sole occidēte mortuus est, atque sepultus in Samaria: ANNI
vbi & canes (dum currus lauatur) sanguinem eius linxerunt. MVNDI.

### Regnum Iuda.

ROBOAM ergo quadraginta & vnum annos natus, lapidato Roboam I.
Adura, qui tributis præerat fugit in Ierusalem, vbi regna- *Rex Iuda.*
uit annis septemdecim. Atque conuocatis centum octoginta
millibus electorum militum, quo dimicaret pro imperio Israel;
à domino, per Semeiam hominem Dei, prohibitus est. Cumque
stabiliisset regnum tribus annis, quibus etiamnum Israelitæ
ambulauerunt in viis Dauid, immolantes victimas suas coram
domino in Ierusalem; dereliquit Rex legem Dei. & omnis Israel 2974.
cum eo. Quamobrem quinto anno adscendit Sesac Rex Ægypti,
cum mille ducentis curribus & sexaginta millibus equitum:
captisque munitissimis ciuitatibus Iuda, abstulit thesauros do-
mus Domini, & domus Regis, & clypeos aureos, quos fieri cu-
rauerat Salomon: quorum loco Roboam æreos parari curauit. 2984.
Seruauit Ierusalem Dominus: siquidem bona opera etiamnum 2986.
in Iuda inuenta sunt: & Dominus vrbem elegerat, vt confirma-
ret nomen suum ibi.

*Nathan* filio Dauid fuerunt tres filij; Azarias, Zabud, & Ahi-
sar: quem Lucas vocat Matthatha, quique erat præpositus aulæ
Salomonis, & si defecisset posteritas Salomonis, ipse eiusve stir-
pis filius successurus erat in regnum. Hinc dictus Ahiasir, quasi
frater Principis. Huic natus fuit filius, nomine Menna. Mennæ
vero filius nomine Melcha.

Roboam octodecim vxores duxerat, & sexaginta concubi- 2986.
nas: ex quibus nati sunt ipsi viginti octo filii, & sexaginta filiæ. *2. Paral. 12.*
Vna ex vxoribus erat Mahalath filia Ierimoth patrui sui: alia Abi *Filiorum no-*
hail, propatrui filia Eliab, quæ peperit ipsi Ieus, Somoriam & Zo- *mine, nepotes*
am. Post quas habuit Maacham neptem Absalonis, ex filio Vrie- *omnesq́ descē-*
le: quam super omnes amauit: quæ & genuit Abiam, Ethai, Zi- *dentes intelli-*
zan, & Solomith. *guntur in iu-*

*Caius I. C. parentū nomine maiores omnes accipi tradit. Hac quoq́ ratione scriptura* *re ciuili: & sub nomine fi-*
*liorum etiam neptes comprehendit. Nam filia Absalonis vocata fuit Thamar: &* *mater eius fi-*
*lia regis Gessur Maacha, à qua nomen illud mansisse puto in familia.*

*Abiam* vt sapientiorem ac potentiorem ceteris prętulit: qui Abia II.
mortuo ac sepulto patre in Sion, in regnum successit, regnauit- *Rex Iuda.*
que tribus annis. Nam quāuis quadragies mille viris, pugnando *3. Reg. 15.*
cōtra Ieroboam cum octogies mille ad quinquagies mille pro-
strauisset, adiuuante eum Domino: tamen ambulauit in pec-
catis idololatræ patris sui. Sed propter Dauid dedit Deus ei lu-
cernam in Ierusalem, suscitans filium eius ASA III.
*Asa*: qui mortuo ipso ac sepulto in Sion, regnauit quadragin- *Rex Iuda.*
ta & vnum annos in Ierusalem, faciens rectum coram Domino 2991.
Deo. Abstulit enim effeminatos de terra, & sordes idolorum: 2992.

Ma-

ANNI MVNDI. Maacham quoque matrem (erat & hæc ex Abſolon oriunda) amouit, ne princeps eſſet in ſacris Priapi, in luco, quem in pura mulier idolo eius conſecrauerat: ſubuertit ſpecum, & ſimulacrum turpiſſimum combuſſit ad torrentem Cedron. Attamen cum non liceret ſacrificare, niſi in templo Domini: excelſa tamen manere permiſit. Triplex peccatum ei etiam adſcribitur: vnum quod ſocietati Regis Syriæ Benadad, (cui reliquum argenti & auri, quod in domo Domini, & domo regia remanſerat, dono dederat) nimium confiſus ſit. Aliud, quod Hanani Prophetam Domini in neruum mitti iuſſerat: iccirco, quod ipſum obiurgauerat, dicendo, multo plures fuiſſe Æthiopes ac Lybies, (nempe 1000000. cũ trecentis curribus, quos dominus in manus eius tradiderat) quam exercitus Regis Syriæ, quem ad auxiliandum ſibi, muneribus magnis inuitauerat. Tertium, quod ægrotans vehementiſſimo cruciatu pedum, in medicorum arte magis, quam in Domino confiſus ſit. Mortuus eſt igitur anno quadrageſimo primo regni ſui, ac poſitus in ſepulchro, quod ſibi in Sion exciderat, ſuper lecticam aromatibus ac peregrinis vnguentis, arte pigmentariorum confectis, impletam, buſtum facientes, admodum magna combuſtione ſuper eum.

*Fabulantur Ægyptii, Typhonem Oſiridis fratris virilia abſciſſa proiecisse in Nilum; quæ cũ non reperiſſet adſimile lignum paraſſe locauiſſeq; quod coli, & dum feſtum Pamyliorum agunt circumgeſtari inſtituit, in honorem Mephæſæt, hoc eſt, Priapi.* 2. *Paral.* 16.

3032.

3033. Regnauit porro poſt Aſa, filius eius *Ioſaphat:* qui inualuit cõtra Iſrael, & conſtituit militem in vrbibus Iudæ, & ciuitatibus Ephraim, quas ceperat Aſa pater eius. Confirmauit Dominus regnum in manu eius, per diuitias infinitas & multam gloriam: cum excelſa & lucos de Iuda auferret, atque tertio regni ſui anno mitteret Principes, Leuitas, & Sacerdotes cum libro Legis

Ioſaphat IV *Rex Iuda.* 3. *Reg.* 22.

3036. per Iudæam, vt docerent populum timere Deum. Vnde factum eſt, vt omnes gentes per circuitum timerent ipſum. Philiſthæi namque deferebant ipſi tributa argenti ac munera. Arabes quoque adducebant ſepties mille ſexcentos arietes, & totidem hircos. Habebat exercitum inſignem, præter præſidiarios milites, qui à quinque Principibus moderabatur. Habebant ſub ſe autem Ednas Dux 300000 robuſtiſſimorum virorum: Iohannam Princeps 200000. virorum fortium: Amaſias conſecratus Domino 200000. ſagittariorum: Iozabad 180000. expeditorum militum.

Ceterũ Ioſaphat affinitate coniunctus eſt Achab Regi Iſrael. nam Ioram filius eius duxerat Athaliam filiam Achab, ac neptem Amri, quæ cauſſa interitus domus eius fuit. Hoc quoque ipſi vitio datur, quod cum excelſa idolis conſecrata auferret, reliquerit excelſa Dei cultui antiquitus dedicata: cum & illa, templo ædificato, tollere è medio debuiſſet.

Ioſaphat elapſus prœlio, ac reuerſus in Ieruſalem, audit ab

Iehu

Iehu filio Hanani Vidente, quod iram Domini meritus esset, ANNI
veniendo auxilio impio Achab, ac cum eius familia amicitiam MVNDI.
fouendo: sed quod ob bona eius opera, quodque præparauerit
cor suum ad Dominum Deum patrum suorum, non puniretur.
Itaque omnem populum Iudæ rursum reuocauit ad Deum, cō- 2.Par.19.
stituens Iudices, Leuitas, & Sacerdotes, ac Principes Populi, qui
iudicia exercerent in timore Domini & corde perfecto, dicens:
*Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester præsidebit in his quæ ad Deum pertinent: Zabadias vero filius Isaabel, qui est Dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent: habebitisque magistros Leuitas coram vobis. Confortamini & agite diligenter, & erit Dominus vobiscum in bonis.*

Insurgentibus vero aduersus Iudam Ammonitis, Moabitis & Idumæis, confugit Iosaphat ad preces, ieiunia ac laudes Dei. Itaque, iuxta vaticinium Iahaziel, hostes se inuicem interemerunt. Egressus autem Rex cum suis, potitus est opimis spoliis. Deinde cum classem cum Ochosia instruxisset in Tharsis nauigaturam: contrita est illa secundum verbum Eliezer prophetæ. Confractæ quoque decem illæ naues sunt, quas solus voluerat 3.Reg.22.
mittere in Ophir, de Asiongaber. Cum vero nauigatio illa in Tharsis triennio soleat compleri; ad dimidium orbis terrarum nauigari verisimile est: ideo quod nauis Victoria dicta, emissa auspiciis Caroli V. Imperatoris ad perquirendas Molucas, triēnio mundum circumnauigauerit anno 1522. & annis duobus & decem mensibus, auspiciis Elisabethæ Reginæ Angliæ, Franciscus Draco.

Iosaphat filium Ioram regni socium sibi assumit. Cum Iosa- 3049.
phat, cum Ioram Rege Israel, atque Rege Edom, aduersus Moab 3051.
Ioræ rebellem profectus esset, exercitusque præ aquæ penuria, siti necari videretur: Elisæus, quod aquam fundere Eliæ loturo manus dicebatur, accersitus, respectu Iosaphat vocari iussit Psalten: quo canente, prophetauit, fossas diductas sine vento ac pluuia implendas fore, delendosque esse hostes. Quod & accidit: sic vt Rex Moab obsessus, desperans de salute sua, primogenitum filium suum obtulerit holocaustum super murum antequam inde recederet Israel.

Iosaphat an natus sexaginta obiit, sepultusq; est in Sion Res 2.Par.21.
gestas eius conscripsit ac digessit Iehu filius Hanani in libros Regum Israel.

*Ioram* primogenitus eius, natus annos triginta duos, regna- Ioram V. Rex Iuda. 4.Reg.8.
uit post eum octo annis. Qui cum malum etiam fecerat, non voluit Dominus perdere Iudam propter Dauid seruum suum; sicuti promiserat ei, vt daret illi lucernam & cunctis filiis eius cunctis diebus. Ioram fuere fratres Azarias, Iahiel, Zacharias, alter 2.Par.21.
Azarias,

ANNI MVNDI. Azarias, Michael & Saphatia: quibus pater Iosaphat dederat argenti & auri munera, & pensationes, ac ciuitates aliquot munitissimas in Iuda. Hos frater Rex, Regno stabilito, interemit, cum quibusdam Principibus Israelis. Quare rebellauit Edom, sibi Regem constituens. Quem quamvis prœlio deuicerit, subiugare rursum tamen non potuit. Suscitauit quoque Dominus Philisthinos, & Arabes confines Æthiopibus, vastantes terram Iuda. Diripuerunt quoq; omnē substantiam, quæ erat in domo Regis; filios insuper & vxores eius. nec remansit ei filius, nisi Ioa-
3061. chas, qui minimus erat natu, & vocabatur ēt Ochozias. Laborauit deinde biennio alui profluuio, sic vt egereret intestina: licet hoc futurum esse, per litteras Elias ipsi significauerat. Mortuum nullo exequiarum aut sepulcri regii honore populus prosecu-
2. Par. 22. tus est, sed tantum sepelierunt in Sion. Cumque interfecissent
Ochozias 6 Rex Iuda. Arabes eius filios natu maiores; constituerunt habitatores Ierusalem *Ioachin*, natu minimum adolescentem, regem. Hic vlti-
3063. mus stirpis Salomonis, etiam Ochozias atque Ozias dictus est.
*Strabus Fuldensis auctor Glossæ, quam etiā D. Thomas citat, 1. Mat. cum errat in persona Zorobabel (tres enim fuere) & se ex errore nequeat extricare:* Scimus *ait*, multa in Paralipomenon, vitio describtorum, deprauata. Regnat vero vno tantum anno. Porro quadraginta duos annos natus esse non poterat, cum pater non vltra quadraginta annos vixisset. Non mirum, si tam longinqui temporis spatio, numeri menda irrepserit annalium libris. Sed huiusmodi, vt monere decet etiam priuatum quemque: sic corrigere, tantum spectat ad publicam Ecclesiæ auctoritatem. nam si id priuati concessum esset arbitrio, multo plures suborirentur errores. * At vero si vigesimo secundo ætatis anno inauguratus est, oportet patrem vixdum ex ephebis egressum, liberis procreandis operam dedisse.

Porro mater Ochoziæ erat Athalia filia Achab, ac neptis Amri, quæ impulit eum, vt male faceret. Cumq; cum auunculo Ioram infeliciter pugnasset contra Hazael Regem Syriæ, atq; vulneratum Ioram inuiseret: contigit vt Iehu vnctus in Regem Israel deleret domum Achab: atque occideret Principes Iuda
*14. Reg. 8.
*Vide Christi. Massenni lib. 6.* aliquot, & filios fratrum Ochosiæ, nimirum quadraginta duos viros consanguinitate ipsi coniunctos: cum fratres liberos habuisse, qui ipsi ministrarent, nequaquam verisimile videatur, si ad ætatem *Ioram* patris eius respiciamus. Insecuti fugientem O-
*2. Par. 4. Reg. 10.* chosiam ministri Iehu, percusserunt in curru suo: qui mortu-
*Sic & in Euangelio fratres Domini dicuntur ipsius cognati more Hebræorum.* us, in sepulcro cum patribus suis sepultus est, in ciuitate Dauid.

Mater eius Athalia inuadens regnum per tyrannidem, interfecit posteritatem regiam, omneque semen Dauid, præter Simeonem, qui & Ioas dictus est, & ortus erat de stirpe Nathan. Quem infantulum cum nutrice surripiens Iosaba cognata, vxor
3064. Ioiadæ Sacerdotis, abscondit in cubiculo lectulorum: sicque puer

puer clam enutritus est sex annis, in domo Dei; quibus regnabat Athalia super Iudam. Athaliam vero auiam Ioas non fuisse constat: quod mater eius Sebia erat de Bersabee, & pater Iuda filius Ioseph; nepos Ionæ, pronepos Eliacim, abnepos Melchæ, adnepos Mennæ, trinepos vero Ahiasit seu Mathatha filij Nathan, q filius fuerat Regis Dauid. Ex eadẽ stirpe fuisse videtur & Iosaba; quodque ratione cognationis vocata sit soror Ochoſiæ, & filia Ioram. Nam qui tenera puellula, ac Regis filia, nuptui data esset sacerdoti decrepito, ac vltra octoginta annos nato, non video. Huiusmodi rerum certiorem cognitionem haberemus, si exstarent libri sermonum Regum Iuda: quos Herodes Rex alienigena, vt ordo Regiæ stirpis confunderetur, fertur combussisse. Vix dubium, quin cerneremus etiam Ioiada dictum fuisse Barachiam: diuersa quoque nomina Regum ac Ducum Iuda: quorum pauca recenset Philo in aureo illo suo libello: sicque non tanta fuisset difficultas, Matthæi generationis Christi librũ concordare cum genealogia eius, quæ enumeratur à Luca: quibus impii soliti sunt negotium facessere Orthodoxis.

ANNI MVNDI. *Luc. 3. Sulpit. Seuer. 1. Athaliam auiam Ioas fuisse, nepotique regnum ademisse refert. quod verisimile non videtur, ratione ætatum Ochosiæ & Ioiadæ. Matth. 1. Matth. 23.*

## *Regnum Israel.*

In locum Achab successit *Ochozias* filius, mali corui malum ouum. nam seruiuit Baal, & adorauit eum irritans Dominum Deum Israel. Defecit ergo Moab ab Israel; & ipse cecidit per cãcellos cenaculi sui in Samaria. Iosephus 9.2. refert, eum de solario descendentem, per gradus delapsum fuisse. Cumq; ægre haberet, misit nuntios Accaron interrogatum Beelzebub, num esset conualiturus. Quibus, ab Angelo monitus, obuians Elias pilosus, ac zona pellicea accinctus lumbis, dixit Regem moriturum. Cumque iccirco Rex bis quinquaginta viros ad eum capiendum misisset cum Ducibus; ad eius imprecationem, ignis de cælo descendens deuorauit eos. Tertius vero cum quinquaginta suis veniens, curuans genua precatus est Prophetam, vt misereretur animæ suæ. Itaq;, Angelo monente, ad Regem ingressus, ipsum morte moriendum esse dixit, quod & factum fuit. Cumque non haberet filium, regnauit post eum *Ioram* frater ipsius annis duodecim.

3049. Ochozias 8 *Rex Israel. 4. Reg. 1.*

*4. Reg. 1.* Ioram 9. *Rex Israel. 4. Reg. 1.*

Quo tempore exierũt Elias & Elisæus de Galgalis in Bethel; vbi filii Prophetarum prædicebant Elisæo, illo die Dominũ ablaturum esse ab ipso Eliam: quod & comitanti eũtem in Iericho, filii quoque Prophetarum nuntiarunt. Discedentes ergo ad Iordanem, quinquaginta ex ipsis à longe secuti sunt. Tulit tũ Elias pallium suum, & inuoluens illud percussit eo flumen: & aquis sic diuisis, transierunt ambo per siccum. Tum Elias: *Postula*, inquit,

ANNI MVNDI.

inquit, *quod vis, vt faciam tibi antequàm tollar à te.* Obsecranti vt duplex eius spiritus, nempe prophetiæ ac miraculorum, veniret in se: *rem difficilem,* respondit, *postulasti: sed si videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petisti; sin non, non erit.*

4. Reg. 2. Pergentibus ergo illis ac sermocinantibus, venere currus & equi ignei vtrumque diuidentes. Ascendens vero Elias currum, in turbine vectus est in cælum: vnde mittetur, ante quam veniet Mal. 4. dies Domini, magnus & horribilis, ad pacandam iram iudicij diuini, & conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. Quàm vero sollicitus sit de populo Israelitico, vel inde apparet: quod post decennium circiter, litteræ ab illo allatæ sint 2. Par. 21. Ioram Regi Iuda, in quibus scriptum erat: *Hæc dicit Dominus Deus patris tui. Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui & in viis Asa Regis Iuda: sed incessisti periter Regum Israel, & fornicari fecisti Iudam, & habitatores Ierusalem, imitatus fornicationem domus Achab: insuper & fratres tuos domum patris tui occidisti, meliores te: ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis ex vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua. Tu autem ægrotabis pessimo languore vteri tui, donec egrediantur vitalia tua paullatim per singulos dies.* Has litteras non fuisse prophetico spiritu ab Elia conscriptas, ante quam hinc migraret, inde apparet; quod narratione historica, fratricidia iam perpetrata commemorent, & cultum idolorum Regis Ioram enarrent. Porro vt eorum opinio, qui Diuos hinc emigratos terrena nescire aiunt, & rerum terrestrium nulla tangi cura, multum hac epistola enervatur: ita quoque Vadiani sententia, qua ille Palæsthinam Paradisum initio fuisse adstruit, facile conuincitur: cum nemo Orthodoxus, non persuasum habeat, viuos Eliam & Enoch, in terrestri illo voluptatis loco versari, vnde Adam cũ vxore, quasi exsules, in nostram terram eiecti sunt: quoque Christi † anima, ac latronis die Parasceues migrauit: & * Paullus quoq; secundario raptus sit, quando arcana illa audiret verba. quæ eloqui homini non licet. Id non fuisse sub torrida zona, atque adeo æquinoctiali, differentibus vt facile assentior; ita rationes complures illum mouisse existimo, qui in excelsi montis vertice, in illa orbis parte, cuius oram, Orientem versus, Lusitani anno à Christo nato 1500. legerunt; & Occidentem versus, Magellanus cum suis anno 1520. ad Moluccas insulas nauigantes, conspexere sinistrorsum; Paradisum situm esse arbitratus est. Hæc enim quinta quasi mundi pars vndique Oceano circumvoluitur, Austrum pro vertice habens, sita ad medium quasi alterius habitabilis zonę, felici nempe tractu illius climatis. quod

contra-

*Ioach. Vadia. in Pomp. Mel.*
*Eccl. 44.*
*Gen. 3.*
*† Luc. 23.*
*2. Cor. 12.*

** D. Paulus primo in tertium cælum, secundo in Paradisum raptus fuit; adeo monui, ne quis tertiũ cælum existimet Paradisum cum Origene. Albertus Magnus, Ioannes Scotus, Auicenna, aliiq; sub æquinoctiali Paradisum situm existimant. Regiones huius climatis sunt, Betica, Italia, Græcia, Asia minor ac Armenia: ficus, malogranata, ac diuersos alios fructus ferentes, Paradisi fructibus non dissimiles.*

contrarium est ei, cui apud nos subiacent temperatissimæ ac fertilissimę insignes pręcipue regiones: vbi nimirum maximus dies est, horarum circiter quindecim. Ex monte excelso, ibi cum impetu delapsum in quatuor capita, fluuium subter mare ferri cuniculis cæcis, ac prosilire tandem quattuor diuersis locis, credibile est. Cumque fluuii hi quatuor suo officio functi, ad Oceanum delati sunt, ad flumen illud Paradisi eos redire (licet modo nobis incognito) ex scriptura discimus: sicque Oceanum non redundare aquis. Quod paulo lucidius declarat paraphrasis Chaldæa hunc in modum habens. *Omnia flumina & scaturgines aquarum vadunt & fluunt in mare Oceanum, quod circuit mundum, & Oceanus non impletur: & ad eundem locum, quo flumina vadunt & fluunt, ipsa redeunt vt vadans per meatus abyssi.* Quo spectare & illud Psalm. 135. videtur: *Firmauit terram super aquas.* Porro hanc opinionem de hocce Paradisi situ nuper natam non esse, testatur satis Ephraim Syrus, cuius sublimis ingenii acumē Hieronymus quoque laudat, Paradisum dicens positum esse vltra Oceanum, atque totum terrarum orbem ab omni circumdare regione, sicuti circulus Lunam ambit. Cum igitur transoceanica illa mundi pars, quasi alter orbis, nobis aduersetur, habet & illa suum Orientem, quo, orantes, oculos nostros vertamus. Nec est quod quis caussetur distantiam illius orbis à Iudæa, vt inde adferri litteræ difficulter possint: cum nuntius ille ex numero, sine dubio, fuerit illorum, quorum vnus & Habacuc prophetam cum pulte subito ex Iudæa Babylonem vsque portauerit, atque confestim restituerit in loco suo. Vbi terrarum commodius Paradisus constitui potuerit, non video. Nec est enim hortus aliquot iugerum, sed potius amplissima regio, quam interfluit fluuius tam ingens, vt quattuor orbis nostri maxima flumina inde effundantur. Quin etiam cum ibi non pluat, ros exhalatus locum abunde satis irrigat: qui cum spatiosus, gratus, & ad vsum & habitationem commodus sit; arbores omnis generis in eo sint, plurima varietate admirandæ, atque nostris excelsiores & fertiliores (*nec enim maledixit Deus terræ illi, vt proferret tribulos & spinas*) quæ cibum vitæ conseruandæ salubrem affatim suppeditēt: vt vita ibidem viuatur beata, oportet: a qua procul absint mærores, gemitus ac lachrymæ; adsint gaudium, lætitia, ac iubilatio mentis: quæ ex temperantia, meditatione ac contemplatione rerum diuinarum atque à Deo conditarum, & præcipue vitæ sanctitate, qua Ænoch & Elias excelluere, proueniunt. Porro cum Oceani aquæ nostram omnem inundarent terram, vt ab illa parte orbis recesserint, vero dissimile non est. Quod & significare voluisse videtur Moyses, cum aquas ait altiores fuisse quindecim cubitis super montes, quos operuerant;

*Eccl. 1.*

*Basil. Mag. & Greger. Nyss. opinio non aduersatur omnino nostra hoc modo.*

*Idem de illatione & emissione Adami & Euæ è Paradiso, cogitandum.*

*Plato in Phædro locum instar Paradisi, describit.*

*Gen. 2.*

*Gen. 3.*

*Gen. 7. 8.*

*Æstus maris descriptio.*

K & eun-

ANNI MVNDI.

& eundo ac redeundo reuersas fuisse scribit. Nam si quindecim cubitis super omnes montes stetissent aquæ : procul dubio , si altiore aggere non fuisset cinctus , obrutus & aquis foret hortus ille voluptatis : simulque Enoch , quem in Paradisum sublatum esse testatur scriptura , fuisset submersus. Quin nec eundo nec redeundo potuissent reuerti , quando vbique eiusdem fuissent altitudinis. Præterea, quod si paradisus situs esset in nostro orbe, iamdudum locus ille, tanto tẽporis spatio proditus fuisset ab accolis, aut iis qui variis peregrinationibus orbem cisoceanicũ perlustrarunt. Nam si non potest abscondi ciuitas supra montem posita , multo minus amplissima regio. Non audiendi, qui cum Mahometho Paradisum in aere constituunt; cum terrestris nominetur: aut qui diluuio dissipatum arguunt, contra apertam Scripturam : multo minus ii , qui flumina , arbores , ipsumque adeo Paradisum allegorice tantummodo interpretantur. Maior namque est veritas sacræ historiæ, quam omnis ingenii humani capacitas ; quæ vmbras & imagines tantum rerum, neglecta veritate, quærit. Veritas certe, instar fundamenti, primum statuenda: tum allegoriæ superstruendæ erunt variæ, quasi ad ædificii ornatum. A prænarrata opinione non dissensisse Ægyptios illos arbitror, qui Nilum ab Oceano fluere, & ipsum Oceanum orbi terrarum circumfluere aiunt. Græci Oceanum etiam ab ortu solis incipientem terram circumfluere existimabant, in ipso Elysios illos suos constituentes campos, sedes nempe beatorum; sic forsan edocti à Iapeto. Syros & Aramitas olim quoque sensisse, vltra Oceanum situm esse Paradisum , constat ex antiquo ipsorum scriptore Mose Bar cepha. Erat & eadem persuasio Essæorum, teste Iosepho.

*Matth. 5.*

*Eccl. 44.*

*Varias ac peruersas allegorias de Paradiso recenset Aug. de Ciuit. Dei, 13. 0.*

*Herod. 2. 4. Astapu.n, Nilum indigenæ vocant, sonat aquã e tenebris promanantem. Solin. 34. Moses Bar-Cepha 1. 14. Ioseph. 2 7. bell. Iudaic.*

## TEMPORA EXTERNA.

## ÆGYPTVS.

*Sesostris* exercitum duxit ad portum Mossylites vsque , vbi cinnamomum deuehitur: tam superbus; vt prodatur, annis quibusque, sorte, Reges singulos è subiectis iungere ad currum solitus, sicque triumphare. Obeliscus centum & sexdecim pedum & dodrantis ab ipso excisus fuerat , qui erat Romæ in campo Martio: inscriptus, rerum naturæ interpretationem , Ægyptiorum opera Philosophiæ continens. Nam prisci Ægyptii sic scriptitare: vt singulæ litteræ nominatæ hieroglyphicæ integros sensus significarent: sicque *boue*, terram; *apo*, regem; *oculo*, iustitiam; *sceptro*, solem; si quid cito factum, *accipitre* , quod auium omnium velocissima sit, signabant.

*De his exstat Horapollinis Niliaci liber Græce.*

Qui vt Ægyptios deprimeret , eorum mores mutauit : officia virorum mulieribus; mulierum, viris, lege lata, mandauit.

*Ofiri*

*Osorthon* regnauit quindecim annis. Quem Pheronem Seso- AN. MVN.
stris filium fuisse aiunt. sub quo, vento fluctus agente, Nilum o- 3042.
ctodecim cubitos rura transcendisse refert Herodotus in Euterpe: & nullam expeditionem ob cæcitatem suscepisse. Narrat Plinius secundus l.36.c.10. quod Nuncoreus, Sesostridis filius, cum obeliscum fecerit: quem, Romam deportatum, in Vaticano *Sixtus Quintus Pontifex Maximus* admirādis machinis transponi curauit. Eiusdem Nuncorei etat alius, centum cubitorum: quem, post cæcitatem, recepto visu, Soli sacrauit.

Per hæc tempora Homerus excessit è viuis anno post captum 3057.
Ilium ducentesimo septuagesimo secundo, & ante conditam *Tolin. 43.*
vrbem Romam centesimo & sexagesimo: cuius clarissimum in- *Gell. 17. 21.*
genium illuxit sine exemplo maximum: vt qui magnitudine operis & fulgore carminum solus appellari Poeta, inter Iapeti posteros, meruerit. In quo hoc maximū est: quod neq; ante illum, *Vell. 1.* quem ipse imitaretur, neq; post illum, qui eum imitari possit, inuentus sit. Neque quemquam alium, qui primus auctor in suo opere fuerit perfectissimus, præter Homerum, & Archilochum eius coætaneū reperiemus. Qui Homerum cæcū genitum putat (inquit Paterculus) omnibus sensibus orbus est. Neq; id immerito. Quo pacto enim cęcus natus, atque durissima paupertate oppressus, in tanta caligine veræ doctrinæ, tantam sibi parare posset scientiam cælestium, terrestrium, bellicarum ac ciuilium rerum, omniumque tam liberalium quam mechanicarum artium: eaque vniuersa summa eloquentia atque venustissimo carmine comprehensa, instar historiæ, venustissimis ac maxime expositis philosophicis allegoriis fabulis adornatæ, posteritati descripta relinquere? Sic vt primus doctrinarum & antiquitatum parens nominari meruerit. posterique vniuersi fere eius Poesim, *Plin. 25. 1.* sapientiæ studium esse atque Philosophiam æstimauerint. Phi- *Hor. epist. 2.* *Strabo 1.* dias etiam, cum Ioue̅ Olympium fingeret, interrogatus de quo exemplo imitaretur diuinam effigiem, respondit: se archetypum Iouis in tribus versibus Homeri inuenisse. Vtinam vir ille ad *Marc. Sat.* miraculum doctus, etiam Solymis sibi non ignotis, vsus fuisset *5. 14.* Dauide præceptore, & in tabernaculis Sion, in lege Domini me- *Iliad. 1.* *Psal. 1.* ditatus fuisset die ac nocte. Non enim, ob pugnas & scortationes Deorum fictilium, exclusus fuisset à Socrate è Republi- *Plato in Lyside & Thadro.* ca Platonis: sed potius laudes Dei veri heroumque facunde celebrando, & optime adolescentiam ad virtutem instituendo, præ aliis ciuitate donatus, principem locum in ea occupasset. Præcipue dum idem Socrates, afflatu diuiniore poetas ait fieri, ipsosque Deorū esse interpretes: & non hominum inuenta esse præclara poemata, sed munera cælestia. Quod & carmina

ANNI MVNDI.

Homeri expendentes fateri oportet: nam licet indaginis & inuentionis multæ, vastæque memoriæ ille fuerit; non potuisset tamen, sine peculiari dono illius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, peruenisse cum tanto splendore ad rerum singularium fastigium, idque ea dicendi facultate venustateque inaffectata, vt vix vlla affectatio eam consequi valuerit: adeo vt etiam Virgilius, quæ in versibus eius imperite reprehenduntur, imitari comperiatur. Quæ obseruatio decori in singulis personis! quæ expressio affectuum naturalium! quæ locorum descriptio, multo diuersissimorm! vt Hipparchus tradiderit, illum primum esse auctorem Geographiæ. Quod & Strabo, compluribus in medium productis eius scriptis, ostendere satagit; significans etiam ipsum Astronomiam calluisse, sicuti & Hydrographiam: cum Oceanum, maria, flumina, ventos, æstus, scopulos, syrtes, & breuia, insulas ac portus exacte decantet. Militaris artis peritiam illam scriptis suis expressit; vt Messenii inde stratagema, quo Lacedæmoniis fauētes Eleos opido expulerint, didicisse ferantur. Sunt & alia eius stratagemata, quæ recenset Pausanias. Quin etiam Magiam naturalem calluisse ac naturæ secreta, liquet. Niceas Atheniensis pinxerat Necromantiā Homeri, teste Plinio, quam Attalo Regi vendere noluit sexaginta talentis; eam, abundans opibus, patriæ suæ donans. Sed & animorum immortalitatem, pœnas, præmiaq; recte ac secus factorum. Præterea Plinius secundus claritatem vinorum, gloriam herbarum ac florum, atque auri æstimationem, rerumque permutationem ex ipsius scriptis recenset. Quod & idem de permutatione facit Imperator Iustinianus: atque etiam Theophilus Antecessor: qui præterea & donationem mortis caussa ex ipsius carmine docet, quod ille Telemachum Piræo huiusmodi donationem facientem introducit. Contemplatiuæ Medicæ & practicæ partes variis locis recenset abunde. Fulgor vero eius doctrinæ talis est, vt instar Solis lumen ceteris quoque scriptoribus feneret. Porro hoc admiratione dignum: quod, cum Homerus viuens, propter Fortunæ iniuriam, in Regum amicitias admissus non fuerit, mortuus, summas delicias præbuerit maximo orbis Monarchæ Alexandro, prædicanti Achillem felicem fuisse, quod eius carmine celebratus sit. Et cum nullo honore dignatus fuerit patriam: de ipso mortuo, quod ciuis ipsorum esset, certauerint septem ciuitates. Denique quod mendicare coactus sit, cum scriberet atque decantaret sua poemata, quasi ignotus: quando post mortem ipsius, ex interpretatione eorumdem atque transscriptione, complures victum luculentum cum gloria sibi comparauerint.

Macrob. Sat. 5. 14. Strabo. 1. Plin. 2. 6. Pausan. 4. Plin. 39. 11. Pausf. 1. Cicer. pro Arch.

Ceterum mortuus fuit Homerus in Io insula, morbo nō perplexi-

Herod. in vita Hom.

plexitate ænigmatis (vt quidam ferunt) extinctus, quod ipsi à piscatoribus propositum huiusmodi erat: *Quæcumque cepimus, reliquimus: quæ vero non cepimus, nobiscū portamus:* intelligentes, cum in vado consedissent, nec piscari possent, se pediculis venandis fuisse intentos. Fuitque in litore ibidem honorifice sepultus. Statua ænea etiam ipsi fuit posita Delphis, cum hocce oraculo, quod ipsi redditum ferunt: *Pauſ. 10.*

*O miser & felix, cum sis ad vtrumque creatus,*
*Inquiris patriam: tibi matria, patria non est.*
*Insula Ios matris patria est, quæ lumine cassum*
*Te capiet: sed tu puerorum ænigma memento.*

Ipsam vero Homeri imaginem fictam fuisse ab antiquis, scribit Plinius. Et Asinius Pollio, cum veram Homeri effigiem habere non posset, fictam posuisse refertur: sicuti etiam fecisse traditur Ælianus in villæ suæ bibliotheca, quam via Ostiensi Romæ struxerat. Est vero Romæ terminus sine capite, inscriptus titulo ΟΜΗΡΟΣ, inuentus in Mausolæo Augusti extra portam Trigeminā, in suburbio ad III. Fontes: vbi Æliani, qui de varia historia scripsit, bibliotheca fuit. Additumq; erat ei Græcum Epigramma: quod eleganter Iustus Lipsius in Auctario Inscriptionum veterum Latine vertit: *Plin. 35. 2.*

α.

Ἡρώων κήρυκ᾽ ἀρετῆς, μακάρων τε προφήτην,
Ἑλλήνων ζωῆς δεύτερον ἀέλιον.
Μουσῶν φέγγος Ὅμηρον ἀγήραον στόμα κόσμου
Παντὸς ὁρᾷς τοῦτον δαίδαλον ἀρχέτυπον.

β.

Οὐκ ἔστιν ἐμοὶ φράζειν γένος οὐδ᾽ ὄνομ᾽ αὐτοῦ,
Νῦν δ᾽ ἕνεκ᾽ Αἰλιανοῦ παῖδα σαφῶς ἐρέω.
Πατρὶς ἐμοὶ χθὼν πᾶσα, τὸ δ᾽ οὔνομά φασιν Ὅμηρον,
Ἐστι δ᾽ μουσάων, οὐκ ἐμὸν οὐδὲν ἔπος.

γ.

Εἰ μὲν θνητὸς ἔφυς, πῶς ἀθάνατόν σ᾽ ἐποίησαν
Μοῦσαι, καὶ μοιρῶν νῆμ᾽ ἀπέκλωσαν ἄναξ;
Εἰ δ᾽ ἦσθ᾽ ἀθάνατος, πῶς ἐν θνητοῖς σ᾽ ἀριθμοῦσιν;
Οἱ μέν σε ταῦτ᾽ ἐχρῆν σεμνὲ ποιητὰ φρονεῖν.
Ἀλλ᾽ ἔγνων τι ἀληθές, ἐπεὶ τὸ σαφὲς διαφεύγει,
Ἄνθρωποι φασὶ θεῖον Ὅμηρον πέλειν.

*Præconem Heroum celebrem, & vatem virtutis,*
*Priscorum solem, & lampada Graiugenum,*

 *Musa-*

ANNI MVNDI.

*Musarum decus, immensi vocem orbis Homerum,*
*Hic tibi fas vera cernere in effigie.*

*Non mihi mos genus effari, aut edicere nomen:*
*Nec caussa Æliani cuncta tibi expediam.*
*Patria mi terra omnis, & aiunt nomen Homerum*
*Carmina, Musarum carmina, non mea, sunt.*

*Si mortalis eras, qui te fecere perennem*
*Musæ, & ruperunt stamina fatidica?*
*Siue perennis eras, cur nobis te annumerarunt?*
*Non decuit: Genium iuro, poeta, tuum.*
*Verum ego sed vidi: nam res quia liquida non est,*
*Dicunt mortalem, dic, te, Homere, hominem.*

## ELISEVS.

### *Seu Regnum Israel.*

*Elizæus*, qui ablato à se magistro, per Iordanem pallio Eli percussum redierat in Iericho; & aquas pessimas ibi sale inie sanauerat; ad cuius maledictionem duo vrsi quadraginta du pueros ipsi illudentes lacerauerant, iam clarus esse cœper quod tribus exercitibus aquæ abunde, eius opera, præbitæ sent. accedentem ad se viduam Propheta, ære alieno oppressa iussit vasa à vicinis sumere mutuo: sicque paullulo olei immo dicis incrementis augescente, solutum est mariti debitum; & remansit mulieri substantia, vnde cũ filiis posset viuere. Hospi tæ Sunamitidis quoq; filium mortuum resuscitauit: & pult coloquintidis ex agro collectis amarissimam iniecta farina, commodam effecit. Pauit insuper centum viros viginti pan hordeaceis primitiarum, ita vt remanerent & reliquiæ.

Scindente Rege Ioram vestes suas præ indignatione, Naam Syrus ipsius iussu septies se in Iordane lauans à lepra mund est. Quæ adhæsit Giezi puero eius: ideo quod fraude, duo ta ra argenti, sibi à Naaman acquisierat. Ferrum in Iordane nat fecit: obsessusq; in Dothain, quod insidias Syrorum Ioram in casset, exercitum excæcatum duxit in Samariam: vbi & vi psis restituit, atque in patriã remisit. Porro cũ Benadab obsi ret Samariam, tantaq; fame obsessi premerentur, vt non m caput asini octoginta argenteis, quarta pars stercoris colu ni quinq; argenteis venderetur; sed & mulieres natos suos c ederent, atque iccirco litigarent: Elisæus, quem Rex obtrunc mandauerat, prædixit in crastinum talem annonæ abundan

tiam.

vt modius similæ statere: duo hordei eodem pretio venderentur in porta Samariæ. Non credulo quoque Duci Regis primario mortem prædixit: ita quamuis illud visurus esset, non comederet tamen inde. Quod & accidit; dum nũciantibus quatuor leprosis Syros fugisse, ille à turba conculcatur in porta. Deinde cum... prædicit Hazaeli, se, loco Benadab, morituro, regnaturũ. Iehu quoque, filium Iosaphat filii Namsi, procurat vngi in Regem Israel. Qui vt sibi iniunctum fuit à Domino, Ioram, sagitta volante per cor eius, interemit, ac mitti iussit in agro Naboth. Præcipitari quoq; mandauit Iezabel ab eunuchis suis: quã canes ab equis conculcatam deuorarunt, vt nihil remanserit ex ea præter caluariã, pedes, & summas man⁹; sicut prædixerat Dominus per Eliam, quod canes carnes eius essent comesturi, illæque forent in superficie terræ Iezrael, sicut stercus: alludens ad nomen Iezabel, quod *insulam sterquilinij* significat. ANNI MVNDI. 4. Reg. 9.

*Iehu*, occupato regno, septuaginta filios totamque progeniẽ interfecit. Omnes quoque sacerdotes Baal callide conuocatos occidit: statuam etiam combussit Baal: & templum eius conuertit in publicam latrinam. Attamen ab idololatria Ieroboam nõ recessit, nec dereliquit vitulos aureos, qui erãt in Bethel & Dan. Et quia tamen exsecutus fuerat quæ Dominus decreuerat super familiam ac domum Achab; dixit Dominus, ad quartam generationem posteros ipsius esse regnaturos. Tædebat vero Dominum peccatorum Israelis, ita vt Hazael vastaret omnem regionem trans Iordanem. Iehu vero, cum regnasset viginti octo annis, obiit, atque sepultus est in Samaria. Iehu X. Rex Israel. 4. Reg. 10. 4. Reg. 15.

*Ioachas* filius Iehu regnauit septemdecim annis in Samaria: & ipso faciente malum coram Domino, Israel traditus est in manu Hazael & Benadab filii eius; vsque dum precatus Dominum, ipsis pacem concessit. Attritus vero adeo fuerat Israel, vt Regi non remanserint nisi quinquaginta equites, decem currus, & decem millia peditum: nam reliquos interfecerat Syrus. 3092. Ioachas XI. Rex Israel. 4. Reg. 13.

*Ioas* filius eius regnauit post ipsum in Samaria sexdecim annis. Qui cum visitaret Elisæum ægrotantem, iussus est à Propheta iaculare Orientem versus: quod cum ter quaterve fecisset, iratus Elisæus dixit: *Si percussisses terram quinquies aut vltra consummasses Syriam; nunc autem tribus tantum vicibus vinces.* Mortuus deinde est Elisæus, atque sepultus in Carmelo monte. Quo cum prædatum venirent eodem anno Moabitæ, terrore perculsi vespilliones, mortuum efferentes, proiecerunt cadauer in sepulcrũ Elisæi: quod cum tangeret ossa Prophetæ, reuixit homo, & stetit super pedes suos. Sic ergo vt fecerat miracula Elisæus in vita, ita & in morte mirabilia operatus est. Eius ossa nunc quiescere aiunt Rauennæ, eo translata. Ioas 12. Rex Israel. 4. Reg. 13.

ANNI MVNDI.

## Regnum Iuda.

3070. Joas VIII. Rex Iuda. ANNO septimo, cum sex annos iam Athalia tyrãnide oppressisset Iudam; Ioiada sacerdos, inito fœdere cum quinque
3072. præcipuis Centurionibus Leuitis, produxit Ioas, puerum septe-
3073. nalem, cinctum Leuitis armatis lanceis, clypeis ac peltis, quæ Dauid in domo Domini consecrauerat: atque inaugurauit cærimoniis in Regem, imponens capiti eius diadema: & tradens in testimonium, librum Deuteronomium exscriptum in manu eius, atq; constituens Regem, vnxit illum ipse Pontifex, & filij eius, beneprecantes ei, atque dicentes, *Viuat Rex.* Idque ingenti applausu populi, cum clangore tubarum ac sonitu instrumentorum musicorum: ita vt Athalia templum ingressa videns Regem super tribunal, vt mos est, stantem, proclamauerit: *Coniuratio, coniuratio.* Quæ templo educta, in porta, per quam equi palatium introire solent, gladio percussa fuit.

Pepigit vero Pontifex cum Rege & populo, vt Domino soli seruirent. Quare destructa æde Baal, atque confractis aris ac simulacris, Mathan quoque sacerdote eius occiso, introiuit Rex Ioas in domum regiam; vbi in solio regali collocatus, regnauit quadraginta annis: fecitque bonum coram Domino, quamdiu Ioiada vixit. qui cum adoleuisset, accepit ei duas vxores, ex quibus filios & filias procreauit. Templum quoque, ex oblata in arcam pecunia, restaurari atque vtensilibus repleri, cum Ioiada,
2. Par. 24. Rex procurauit. Offerebantur holocausta iugiter, quamdiu Io-
3096. iada vixit. Qui annos natus centum & triginta, mortuus est, ac
3100. sepult⁹, honoris ergo, in Sion inter Reges. Tum, seductus à Principibus Iuda Rex, permisit populum, derelicto templo, seruire lucis ac simulacris. Cumque præter alios Prophetas, Zacharias quoque sacerdos, filius Ioiadæ, verbis Domini cum populo expostularet in atrio domus Domini; lapidibus interfectus est, voluntate Ioas, non recordantis misericordiæ, qua Ioiadas ipsum prosecutus fuerat. Cumque moriens Martyr dixisset: *Videat Do-*
3107. *minus ac requirat*; insequenti anno exercitus Syrię venit contra Iudam, & capta Geth opido, interfecit cunctos Principes populi, & Regem adegit tradere thesauros templi ac palatii, Hazaeli existenti Damasci, antequàm discederet Ierosolyma. Hoc demum præmii tulit pro occiso sacerdote iusto, quod à propriis seruis occisus sit, atque sepultus in Sion.

3109. *Amasias* filius eius, qui & Leui nominatus erat, successit in re-
Amasias IX. gno, annos natus viginti quinq;: regnauitq; annis viginti no-
Rex Iuda. uem in Ierusalem. Seruiuit Domino, sed non in corde perfecto.
4 Reg. 14. Confirmato regno suo, sumsit supplicium de interfectorib⁹ pa-
Luc. 3. Eccl. 48. tris sui, sed pepercit filiis eorũ, secundum legẽ Moysis. Conscri-

pserat

pserat exercitum triginta millium de Iuda ac Beniamin, & conduxerat ex Israel centum millia, centum talentis argenti. Sed monitus à Domino per virum Dei dimisit eos: qui palantes per Iudæam, tribus millibus interfectis, diripuerunt magnam prædam. Consideret tamen circumspectus lector, num menda irrepserit in numero 100000. mercenariorum: cum Israel tantum attritus fuerat sub Ioacha, vt tantum remanserint 10000. peditum; & ex 100. talentis argenti, singulis non possit numerari, nisi sesquisiclus argenti. Non referam, quanto se exposuisset periculo; cum mercenariorum numerus plus tertia parte esset suis militibus maior.

ANNI MVNDI.

Cum ille cæderet decem millia Idumæorum, & decies mille captos præcipites daret de rupe excelsa: ea victoria superbiens, idola hostium adorauit: atque Ioam Regem Israel ad bellum prouocauit, suo magno malo. Nam captus fuit in prælio, & adductus Ierusalem. vrbis murus, à porta Ephraim ad portam anguli vsque, etiã fuit dirutus: quod spatium est quadringentorum cubitorum. Omne aurum atque argentum, & vniuersa vasa, quę erant ab Ioa inuenta in domo Dei apud Obededom, & thesauros domus regiæ, ac filios obsidum deduxerunt in Samariam. Mortuo Ioa supervixit Amasias quindecim annis: cumq; intelligeret sibi strui in Ierusalẽ insidias, fugit Lachim: vbi interfectus est, atque vectus equis in Sion, inter maiores suos sepultus fuit.

Vniuersus populus illico constituit loco patris *Azariam*, qui & Ozias ac Mathat dictus est, in Regem, cum esset annorũ sexdecim; quandoquidem ille fugerat: regnauitque eo viuente vndecim annis. & post mortem eius, quadraginta & vno; simul nempe, annis quinquaginta duobus.

3138. Azarias 10. *Rex Iuda.* 4. *Reg.* 15.

Locus hic postulare videtur memorare de genealogia Christi, quam Lucas, cum sacerdotem describens Gentibus, recto tramite per notа cognomina deducit per Nathanaitas ad Dauid, & deinceps ad Adam vsque. At Matthæus scribens Hebræis, atque regalem stirpem volens ostendere, satis putauit esse, enumerasse Reges stirpis Salomonis vsque Ochosiam seu Oziam filium Ioram: deinde prætereundo Ioam ac Amasiam, rursum ab Ozia filio Amasiæ, generationes prosequi apud Iudæos; quibus omnis historia Regum notissima erat, tamquam Nathanaitæ: cum ipsi propositum esset tantum, ostendere, per Ioseph Christũ processisse ex Regibus de stirpe Iuda: & in tribus tesseradecadibus velle monstrare varia mysteria, quæ in inuolucris illorum numerorum latent. Nam vt in priore tesseradecade apparet, cũ sub Iudicibus peracta sit, patrem omne iudicium dedisse filio; in secunda, quæ regibus regnantibus floruit, regnum designatur, cuius non erit finis: sic in tertia, quando sub regimine Pon-

ANNI MVNDI

tificum ac sacerdotum agebant Iudæi, æternú sacerdotium cō-summatum obumbratur, in quo Pontifex, impollutus ac sanctus, seipsum in victimam obtulit pro populi peccatis.

## *Regnum Israel.*

3123. Ioram XIII. *Rex Israel.* 4.*Reg.*14. *Ieroboam* filius Ioas regnauit quadraginta & vno annis, faciens malum coram Domino. Qui videns afflictionem Israelis amaram nimis, cum omnes fere essent consumti; ne deleretur nomen Israelis, saluauit populum per Ieroboam, restituentem eis terminos ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis: sicut ipsi prædixerat Ionas Propheta.

*Hieron. prolog. in Sopho.* Hoc tempore cœpere prophetare, ac verba Domini committere litteris sancti Prophetæ: qui singuli habent proprietates suas. Quorum primus videtur fuisse Osee, filius Beeri Prophetæ. Hebræi enim auos ac patres, qui in titulis ponuntur, Prophetas fuisse tradunt. Hic vxorem fornicariam, non elocati corporis meretricem, sed gentilem, quæ se simulacrorum cultui subiecerat, iussus accipere: genuit ex ea duos filios & filiam: sub quorum nominibus Israeli & Iudæ mala adfutura designantur. Quæ & Israeli futura annuntiat, per Assyrios aliasque nationes.

Ioel vero filius Phatuelis, Iudam, quattuor plagis adfuturas indicans, hortatur ad pænitentiam: per quam ad Dominum cōuersis pollicetur misericordiam ac liberationem. Prædicit quoque prosperitatem ac doctorem iustitiæ, spiritumque super omnem carnem venturum, cunctosque, qui nomen Domini inuocauerint, saluos futuros: Dominum quoque in valle Iosaphat Gentes iudicaturum.

Hunc sequitur Amos pastor Thecnaus (est enim Thecne oppidum Iudææ, sex millibus a Bethlehem, loco vberrimis pascuis abundante, à Roboam constructum) humili sermone, sed non scientia: vaticinatus biennio post terræmotum, quo Iudæa fuerat misere cōcussa. Hic cum Damasco, Philistim, Tyro, Idumæis & Ammonitis super quatuor sceleribus non conuersis extrema prædixisset; decem tribubus, præcipue in Samaria, aduenturas calamitates nuntiauit. Quare ab Amasia sacerdote Bethel fugere in Iudæam, ibique prophetare iubetur: rebellionis quoque apud Regem Ieroboam accusatur: atque ab Osia, filio sacerdotis Amasiæ, vecte per tempora transfigitur.

*Amos* 1. *Zach.*14. *Amos* 7.

Fuit eius synchoronos Isaias, alterius Amos Prophetæ filius: qui supremo Oziæ anno vidit Dominum sedentem in solio excelso & edito; & Seraphim sex alas habentes, clamando: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius*: sic vt præ clamore commouerentur postes cum liminibus.

*Filium Dei fuisse, quem vidit Isaias, ex Ioan 12. clare intelligitur.*

liminibus, & impleretur tēplum fumo. Cuius labia prima forcipe excepta cum Seraphim tetigisset, & eius peccata à Domino essent ablata; se iturum, quo Deus mitteret, dixit. Prophetauit vir nobilis præcipue in Ierusalem ac Iudæa, versando in palatiis Regū. vsus facūdia singulari & stylo graui, & tropis figurisq; quā maxime ornato, sic vt vbiq; & affectus moueat, & instar torrētis limpidi, verborum copia fluat. Quanta vehementia accendit hominum animos, atque attentionem auditorum parat! dum orbes cælestes, ac terræ brutum elementum alloquitur, atque testes inuocat de iis, quæ Dominus locutus sit, hocce vsus exordio: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Heu genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. Dereliquerunt Dominū, blasphemauerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum. Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem? Omne caput languidum & omne cor mærens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus & liuor, & plaga tumens: non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ sunt igni. Regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur, sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerum horto, & sicut ciuitas, quæ vastatur. Nisi Dominus exercituum nobis reliquisset semen; quasi Sodoma essemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Quis, quæso, Oratorum, efficaciore ornatioreve vmquam exortus fuit sermone? Narratio vero non solum rerum gestarum, sed & futurarum, tantæ perspicuitatis est; vt legendo, rem ipsam quasi ob oculos spectare videaris. Mos est enim Prophetarum, spiritu Prophetico transire de littera ad spiritum, & recitare historiam rerum tam præsentium quam gestarum, velut vmbram, typum seu figuram earum, quæ futuræ sunt. Namque non voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti homines, quandoquidem omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Quam aperte vaticinatur de conceptione, natiuitate, doctrina, passione, resurrectione, & adscensione Christi in cælū, de missione Spiritus sancti, Præcursore, Apostolisque Domini, Ecclesiæ quoque exordio, eiusque per Gentium vocationem fecundo progressu ac gloria, extremaque retributione: vt potius ipsum Euangelistam, quam Prophetam, dixeris. Afflictionibus gentium variarum futuris enarratis, tam dilucide captiuitatem Babylonicam, atque reditum populi in Iudæam vaticinatur; vt etiam Cyrum pastorem suum nominet

ANNI MVNDI.

*Hebræi Isaiā Amasiæ Regis ex fratre nepotē fuisse affirmant.*

*Hieron. sub cæli nomine ac sensum, eos à Prophetis designari ait, qui corde percipiunt, & spiritualiter intelligūt verba Domini: terræ vero ac habitatorum eius nomine, eos, qui sonum tantū verborum auditu excipiunt. Prolo in Isai.*

*Isai. 44. 45.*

ANNI MVNDI.

nominet in eius scriptis Dominus: qui captiuitatem dimittet non in pretio; neque in muneribus; sed vt habitetur Ierusalem, & templum fundetur Legamus Xenophontis, inquit Hieronymus, octo librorum Cyri maioris historiam; & prophetiam Isaię cernemus impletam. Refert quoque Iosephus, post ducentos & decem annos hanc de se prophetiam legentem Cyrum, admiratum fuisse vatis oraculum; atque correptum cupiditate exsequēdi, quæ scripta legerat. Sententiæ vero atque eloquentiæ vires tales prophetiæ ipsius insunt; vt illę alterius scriptis immissæ emineant, suumque auctorem illico sua claritate prodant. Memini me aliquando Martyrum legisse historiolā, sane perquam eleganter descriptam: in qua, dum auctor quemdam iurisperitia clarum, ob fidei orthodoxæ professionem, quasi agnum a lupis, ad supplicium raptum describeret, non in feliciter Liuium (dum is Decium Magiū, ab Hannibale Capuæ, iniectis catenis, ante lictorē ad castra ductum depingit) imitatus: hæc verba præ aliis excellere mihi videbantur: *Et erat iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctoriū renum ipsius*; ex hoc Propheta apte desumpta. Nam cum honestatem vitæ, innocentiam atque æquitatem viri semel promissi tenacis, ac fidei meritis clari, pluribus ornasset verbis: eadem omnia, hocce baltheo in epitomen quasi contraxisse mihi videbatur. Quid? quod non modo litteris & Actis Apostolicis illæ insertæ ornamēto sunt, sed etiā Euangelia, quasi lilia rosas, decorant. Quanto compendio omnem œconomiam vitæque rationem Christi sic describit, vt nihil desit, nihilq. supersit? hisce verbis: *Spiritus Domini super me; propter quod vnxit me: Euangelizare pauperib. misit me: sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.* Quod & Christus ipse testabatur complicato libro. Itaque & copiosum & breue dicendi genus in hoc Propheta inuenimus. modo quoque graui ac maturo, modo rursum ardenti & infenso vtitur stilo: vt agnoscas in eo summum oratorem, & eloquentiam multa varietate distinctam. Quem qui velit intelligere, oportet ipsum Euangelia, atque progressum nouisse Ecclesiæ, ac varias Gentium historias.

*Ioseph. Ant. 11.1.*

*Liu. 3. 2.*

*Fides stoicis, promissorum dicitur veritas etiam: nobis, assensio verbis diuinis ac credulitas.*

*Isa. 61. Luc. 4.*

Hac tempestate quoque *Ionam*, Prophetam de Geth, quæ est in Opher tribus Manasse, vixisse, liber quartus Regum testatur; filium nempe Amathi Prophetæ: quem Hebræi fuisse puerum illum affirmant, qui mortuus, ab Elia erat reuocatus ad vitam, atque matri viduæ restitutus, dum diuersatur apud ipsam in Sarepta. Hunc ergo Ionam iussit Dominus proficisci Niniuē metropolim Assyriorum, abundantem vitiis ciuitatem, cum ibi regnasset Sardanapalus homo effeminat⁹, & populus sequeretur mores

*4. Reg. 14.*

mores Regis; atque denuntiare vrbi excidiũ, quod malitia eius adscenderat vsque in cælum. Verum propheta ministerium talis prædicationis detrectabat, nõ contumatia, sed præscientia, qua videbat Dominum pænitentia populi placandum, & sic se non vera esse denunciaturum. Ascendit ergo, dans naulum, nauem in Ioppe nauigaturam Tharsen Ciliciæ, quo fugeret à facie domini, diuerso itinere. Vbi vero in altum peruenisset nauis, tempestasque insurgeret, ac iactum facerent nautæ sæuitia maris compulsi; quisnam tanti mali esset caussa, sorte explorabant: quæ super Ionam decidit: qui tamquam piaculum tempestatis, proiectus est in profundum maris, atque exceptus à cete grandi: in cuius ventre tribus diebus ac noctibus latitans, carmine elegiaco lugubri ac querulo à se composito orauit Deum. Hoc autem carminis genus, vt & omnis historia, apte conuenit auctoris nomini: cum *Ionas* significet columbam, auem multiuagã, cui plenum querela guttur, sæuique rostro ictus: qua & internũtia per cælum eunte, litteris eius pedibus annexis, in magnis rebus vsos fuisse bello Mutinensi Romanos rerum dominos, constat. inest quoque volucri quidam gloriæ intellectus. Patriam quoque nonnullæ nobilitauere: origines nobilitatemque singularum narrant. Imitatus est hoc Prophetæ carmen Ezechias, cum febri ardente, annos natus triginta nouem, correptus, lecto decumberet, quasi iam moriturus. In quo carmine Hebraice decantato si legatur: *sicut pullus hirundinis clamabo, meditabor vt iona*; mira oportet vt se ostendat venustas in amphibologia vocis: cum historia illa notissima nobis, etiam Regi pio non poterat non esse cognita: quando etiam futuri Messiæ mortem in typo ostenderet; & periculum vitæ Regis, subitamque sanitatem eius quam optime similitudine exprimeret.

*Plin.* 10. 34. 36. 37.

*Isa.* 38.

*Matth.* 12. *Luc.* 11.

Ceterum exauditum à Domino prophetam euomuit bellua marina in litus: & cum secundario eum Dominus iussisset Niniuen concedere, profectus illico mandata exposuit; nempe post quadraginta dies, ob peccata populi, ciuitatẽ esse subuertendã. Verum Rex Arbaces, qui Assyrijs dominabatur, indicto triũ dierum ieiunio, non solum omnis ætatis hominibus, sed etiam iumentis ac brutis, pænitendo ac fide Domini iram auertit, veniamq; delictorum a Deo misericorde impetrauit: dolente Iona, quod fides non adfuisset dictis suis. Nam cum sibi tugurium fecisset, in quo exspectaret euentum suæ prædicationis, quod hedera, qua poeseos initiati coronantur, obumbraret: illa læsa à verme, atque Euro flante arescente, indignabatur iccirco. Cui Dominus: *Siccine irasceris super hedera, sine tua cura enata; & ego non parcam ciuitati pænitenti, in qua sunt supra duodecim myriades hominum innocentium, & præterea iumenta multa?*

*Ion.* 4.

ANNI MVNDI. Circa hæc tempora fuerunt Ruben, Gad, & dimidia tribus
1.Par.5. Manasse, vltra Iordanem, numerati quatuor mille quadringenti & septuaginta sex viri, apti gerendo bello: qui fidentes Deo, cumque inuocantes vicerunt Agarenos & auxiliares eorum copias omnes: interfectisque compluribus (erat enim bellum Domini) quinque millia camelorum, centum quinquaginta millia ouium, duo millia asinorum, centum millia vtriusque sexus hominum ipsis in prædam cessere: omnemque regionem eorum possederunt, vsque ad transmigrationem Israelis.

## TEMPORA EXTERNA.

### *Monarchia Assyriorum.*

3034. *Ophratanes* regnat annis quinquaginta.
*Mettinus* filius Badosori Rex Tyri regnat annis decem.
3071. *Pygmalion* Rex Tyri regnat annis quadraginta.
3078. *Chartago* conditur a Didone, vt Iosephus refert.
3084. *Ascrasapes* seu *Anacyndarapes* Rex regnat annis quadraginta & vno.

## ÆGYPTVS.

3058. *Tachelotis*, qui Græca lingua dicebatur *Protheus*, regnauit annis tredecim.
Hic Memphis sedem locauerat.

## ITALIA.

*In Latio regnauit* Agrippa Siluius *annis quadraginta & vno.*

## GRÆCIA.

*Archelaus* Rex VII. Lacedæmoniorum regnat annis sexaginta.

## ÆGYPTVS.

*Petubastis* regnat annis viginti quinque.
3095. *Osorthon* cognatus Herculis, regnat annis nouem.
*Psammus* regnat annis decem.
3115. *Bocchoris* annis quadraginta quatuor, dictus *Vecchores*, quartus legum conditor. Memorant Bocchori patrem Technatim, in expeditione Arabica, cum morarentur impedimenta, haud grau-

Diodor.l.3. Iust.Orat.in Gentes. Plut. de Iside & Osiride.

grauatim sumtis communibus cibariis contentum fuisse. Inde cum itidem in militari thoro dormitasset, amplexum fuisse frugalitatem. Tumque comprobantibus sacerdotibus, execratum fuisse in caput Minij & execrationem in pila esse consignatam; quæ in fano Thebis sit posita: iccirco quod Princeps, Ægyptios, ex frugali & angusta tenuique viuendi ratione, in laxiorem traduxerat.

## GRÆCIA.

*Eudemus* Rex Corinthi regnat annis viginti quinque.

*Diogenetus* Archon Atheniensis præest annis viginti octo.

*Lycurgus* regnat octo menses, ante quam Charillus fratris 3077.
posthumus nasceretur, & octodecim annis pro Charillo administrauit regnum Lacedæmoniorum. Hic cum leges ferret, iussit eas Delphos portari, rogatum an vtiles forent: respondente Sacerdote (quæ pecunia corrupta erat) vtiles esse; Lacones, metu Dei, legibus, tamquam oraculis, obedientiam præstiterunt. Erant vero leges Lycurgi seuerissimæ ac iustissimæ, & disciplinæ conuenientissimæ: quas quamdiu Sparta obseruauit, excellentissime floruit, & à Græcis sola terræ, ac maris imperium adepta est. Vetabat Lycurgus lege, ne Lacones crebro bellum aduersus eosdem gererent: ne hostes bellandi peritiam vsumque docerent. Hostes quoque fugientes noluit trucidari: ne potius ducerent manere, quam fugere.

*Aristomedes* Rex Corinthiorum regnat annis triginta quinque.

*Phereclus* Archon Atheniensis præest annis nouendecim.

*Telestus* Rex Lacedæmoniorum regnat annis quadraginta.

*Ariphron* Archon Athenis præest viginti annis.

## Regnum Iuda.

Porro Osias exquisiuit Dominum, in diebus Zachariæ videntis & intelligentis Deum. Belligerando ergo contra Phili- 3144.
sthin deiecit muros Geth, Iabniæ & Azoti; atque ædificauit oppida in regione Philisthiim. Adiuuit eum etiam Dominus con- 3147.
tra Arabes & Ammonitas; sic vt diuulgaretur nomen eius ad
Ægyptum vsque. Ædificauit quoque turres in Ierusalem, iuxta 3148.
portas Anguli & Vallis, & in latere muri, firmando eas. Nam
parauit machinas, quibus emittebant sagittas & saxa gran- 3150.
dia: quas collocauit in turribus & angulis murorum. Præparauit quoque clypeos, hastas, galeas, loricas, arcus ac fundas ad lapides iaciendos, exercitui; qui erat 307500. virorum.

Hi rege-

ANNI MVNDI. Hi regebantur à bis mille & sexcentis Principibus: qui suberant Iehieli scribæ & Maasiæ præfecto ac Hananiæ, ducibus Regis: cum Rex ipse esset agriculturæ plane deditus.

Ceterum ob crebras victorias superbiens, ingressus templum Domini, incensum voluit adolere super altare thymiamatis. Sed obstitit illi Azarias sacerdos, & cum eo octoginta sacerdotes, viri fortissimi, dicentes: *Non est tui officii, Ozia, sed sacerdotum filiorum Aaron, qui consecrati sunt, ad huiusmodi ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi ad gloriam hoc à Domino Deo.* Iratus Rex, tenens in manu thuribulum, minabatur sacerdotibus: & subito prouenit lepra in fronte eius. Quod cernens Azarias Pontifex & reliqui sacerdotes, confestim expulerunt eum, accelerantem etiam præ terrore egredi, cum sensisset illico plagam Domini. Fuit vero leprosus vsque ad
3177. diem obitus sui, habitans in domo separatim ab aliis. Rexit au-
*Amos 11.* tem palatium Ionathan filius eius, dicebatque ius populo ter-
*Zach. 14.* ræ. Erat ipsius tempore terræmotus magnus in terra Iuda. Dormiuit Ozias cum patribus suis: & sepelierunt eum in agro regalium sepulcrorum, eo quod fuerat leprosus. Vitam eius conscripsit Isaias, filius Amos, Propheta.

3191. *Ioatham*, qui & Iorim vocatus fuit, natus annos viginti quin-
Ionathā 11. que, regnauit sexdecim annis. Hunc Ierusa filia Sadoc pepererat
*Rex Iuda.* Oziæ. Fecit quod placitum erat Domino, & construxit portam
*4. Reg. 15.* altissimam domus Domini, atque multa in muro Ophel. Bel-
3195. lum gessit quoque cum Ammonitis: qui deuicti tribuerunt ipsi primo anno centum talenta argenti, decies mille coros tritici,
3196. & totidem hordei. Similiter quoque secundo ac tertio fecerunt annis. Sub mortem eius, cœpit Dominus in Iudam mittere Rasin Regem Syriæ & Phaceæ, filium Romeliæ. Cumque obdormisset, sepultus est in ciuitate Dauid.

3207. *Achaz*, Eliezer etiam dictus, cum viginti annos esset natus,
Achaz 12. patri successit, atq; regnauit sexdecim annis. Nihil hic boni fe-
*Rex Iuda.* cisse commemoratur, nisi quod commoditati publicæ constitui
*4. Reg. 16.* procurarit horologium Sciothericum: quod ante ipsum factum fuisse vsquam, à nullo est proditum. res certe digna memoratu: per quam etiam Deus firmitatem verbi sui demonstrauit, licet
*Luc. 12.* ab impio foret etiam posita. Porro cum Iudæi partirentur no-
*Matth. 14.* ctem in quatuor vigilias; & diem in duodecim horas inæqua-
*Mar. 6.* les; atque etiam semihora nominetur in scripturis: illorum
*Ioan. 11.* persuasio verior videtur, qui honorologium hocce per semi
*Tob. 11.* horas, id est, viginti quatuor gradus distinctum fuisse scribunt: nam etsi fuisset, vt apparet, meridies; non potuerat vmbra aut
*2. Reg. 20.* progredi aut retrocedere aliter (vt Regi optio dabatur Ezechiæ) decem gradus; quando vniuersum in duodecim tantum partes diui-

diuisum fuisset. Certe vero non æstimandum, hoc opus fuisse, ANNI MVNDI.
secundum eleuationem poli, iuxta æquinoctialis circuli modum ad gnomonis æqualium horarum vmbras descriptum: cum æstate Solymis dies longissimus sit quatuordecim huiusmodi horarum, & bruma decem: quem etiam in duodecim partes moris erat antiquitus diuidere: & siue tale horologium in pariete, siue in planitie fuerit formatum; non descendunt in eo vmbræ per gradus, sed vertuntur in gyrum. Erat opus sane regium, & Achaz Regis nomine commendatum. Quare sic efformatum fuisse arbitror, vt simul ad horarum differentias, & dierum ac noctium quoque magnitudines deprehendendas inseruiret. Quod fieri poterat, erecto obelisco, in cuius vertice globus esset positus, qui collectam vmbram iacularet in aream, sic vario lapide stratam, vt per inclusas ex ære lineas seu gradus paulatim singulis diebus horarum spatia, & decrescētes ac rursus augescentes horas indicaret, atque eas semper diuideret ex æquo. Cum descensum ergo vmbræ refert scriptura, verisimile est fuisse positum ante Regis palatium. Posuerat etiam Augustus in Campo Martio Romæ Sesostris obeliscum aduectum ex Ægypto: cui Manilius Mathematicus ac Poeta pilam auratam imposuerat; vt esset pro indice crescentium ac decrescentium dierum.

*Pallad. lib. de re Rust. vmbrarum diuersas ad gnomonem proportiones per singulos menses recenset in singulas horas.*

*Plin. 36. 9. 10.*

## TEMPORA EXTERNA.

## ITALIA.

Auentinus Siluius *praeest triginta septem Annis.* 3114.

### *Monarchia Assyriorum.*

*Tonosconcoleros*, qui & *Sardanapalus*, regnat annis viginti. Hic vir fuit omnino effeminatus, vt qui muliebri habitu consideret inter scortorum suorum greges, eis pensa partiendo, atque etiam purpura colo nendo. Ad quem cum ingressus fuisset Arbaces Medorum præfectus, tam impuro homini inseruire indecorum putauit, atque ab eo desciuit. Fuitque Sardanapalus Assyriorum simul & Babyloniorum stirpis regiæ postremus. Monumentum eius Anchiatæ visebatur, atque etiam statua, quæ digitis dextræ manus complodebat. Aiunt hocce epitaphium Assyriis literis monumento inscriptum: SARDANAPALVS ANACYNDARAXIS FILIVS, ANCHIATAM ET TARSVM VNA DIE CONDIDIT: ET TV HOSPES EDE, BIBE, LVDE. *Strab. l. 14.*

ANNI MVNDI.

*Cum te mortalem noris, præsentibus exple*
*Delicijs animum: post mortem nulla voluptas.*
*Namque ego sum puluis: qui nuper tanta tenebam,*
*Hac habeo quæ edi, quæq; exsaturata libido*
*Hausit: at illa manent multa & præclara relicta.*
*Hoc sapiens vitæ mortalibus est documentum.*

A Nembroth & principio regni Babylonici, vsque ad initium regni Medorum, ex Ctesiæ calculo, numerandos annos mille trecentos & sexaginta esse, plerique censent.

3155. *Carthago* secundario condita, vel potius munita.
*Teglaphulassar* Rex Babyloniæ regnat annis viginti quinque.

## *Lydorum Regnum.*

3174. *Ardisus* primus Rex Lydorum, regnat annis triginta sex.

## ITALIA.

Procas Siluius *regnat annis viginti tribus.*
Amulius Siluius, *pulso maiore fratre Numitore, fit decimus quintus Rex Latinorum, annis quadraginta duobus.*

## GRÆCIA.

3155. *Alexander* regnat annis viginti quinque.
*Caranus* seu *Gramaus*, primus Rex Macedonum, regnat annis viginti tribus.
3187. Anno ante Romam conditam trigesimo, Peloponnensium Atheniensiumq; bellum commissum fuit, totis viribus animisque. In quo mutuis cædibus ad hoc coacti sunt; vt velut victi se ab alterutro subtraherent, bellumque desererent.
Anno vigesimo ante Vrbem conditam, Lacedæmonii contra Messenios per annos viginti bellantes, furore indefesso, ruinæ suæ totas Græciæ vires implicuerunt. Lacedæmonii virgines suas, solemni festo, à Messeniis stupratas narrãt; & Regem suum Telectum, vt id prohibere vellet, fuisse occisum: Messeniis contra referentibus, imberbes iuuenes sub vestibus tela occultantes fuisse, qui cum eo, ob proditionem fuerunt interfecti.
3159. Successit vero Telecto *Alcamenes* eius filius, & alter Nicandro Theopompus: & apud Messenios regnarunt *Antiochus* & *Andracles*, quando mutuum inter Lacedæmonios & Messenios odium exarsit.

Huius

ANNI MVNDI.

Huius temporis *Hesiodus* fuit, vir elegantis ingenii & mollissima dulcedine carminum memorabilis. Qui in Bœotia Helladis scribens, in primis cultum agrorum docendum arbitratus, præcepta agricolis pandere orsus fuit; tanta felicitate; vt princeps omnium, qui de agricultura præceperunt, semper habitus sit. Et licet vaticinandi artem ab Acarnanibus edoctus, fatidica carmina conscripserit, ac Theogoniam quoque, & Chironis adhortationem, docendi Achillis caussa institutam: tamen Bœoti, qui Heliconem accolunt, nullum eius poëma maiori fuisse gloria exceptum perhibebant, quam in quo opera & dies describit: plumbum etiam ostendentes, cui inscripta erant opera, temporis diuturnitate multum obscurata. Quæ Aristoteles de anima agente, animaque patiente disserit, ex eius hocce poemate mutuasse putant dum tria hominum describit genera: quorum quidam per se sapiunt; alii sapientes auscultant, eorumque consilia sequentes, recte vitam instituunt; tertii vero per se non sapientes, nec consiliis sapientum obtemperantes, ignaue atque improbe vitam traducunt. Fuit Hesiodus otij atq; quietis cupidissimus: quodque in Regum non fuerit admissus amicitias, rusticitati morum atque fortunæ iniuriæ adscribunt. Refert ipsemet patrē suum, relicta Æolica, Cumā in Bœotiam migrasse: vbi inopem coluit villam, quæ iuncta Heliconi nec per frigus erat cuiquam opportuna, nec per æstum. Vitauit, ait Velleius, ne in id, quod Homerus, incideret; patriamq; & parentes testatus est: sed patriam (quia multatus ab ea esset) contumeliosissime. Solinus ipsum obiisse narrat auspiciis Olympiadis primæ: quodque inter ipsum & Homerum interfuerint anni centum triginta octo. Translata eius ossa Orchomencam, ob oraculum, ex antri secessu, aiunt; vbi monumento hæc Elegiaca carmina sunt inscripta:

*Agentem animam intelligunt Aristotelici, eum, qui quidquam ex se percipit ac inuenit: patientem vero, illum, qui inuenta ac excogitata intelligit, iisque assentitur.*

*Pausa. Strab. 13. Vell. 1.*

*Pausa. 9.*

## GRÆCIA.

Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος
  ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει
Ἡσιόδου, τοῦ πλεῖστον ἐν ἀνθρώποις κλέος ἐστὶν,
  Ἀνδρῶν κρινομένων ἐν βασάνῳ σοφίης.

*Ascra mihi patria est, gelidis Heliconis in oris:*
  *Sed me nunc Minyis subdita terra tegit*
*Hesiodum: Graias celebrat quem fama per vrbes,*
  *Non contemnendæ iudicio Sophiæ.*

Porro dum cogito eruditionem huius sæculi quarti, video illam tantam fuisse; vt vel versiculi huiusmodi Poetarum, atque

ANNI MVNDI.

ſententiæ etiam Sophorum intermiſtæ ſcriptis ſequentium Philoſophorum, atque Oratorum, non minus ea ornent, quam adamantes aut berylli aliiue lapilli pretioſi aurum. Homerum vero vt poſſis comparare Oceano, ſic Heſiodum mari Mediterraneo, quod tantis æſtibus non agitatur. Illud, vt fecundis ingeniis perſcrutatu dignum, arbitratus ſum; quod Heſiodus negauerit oleæ ſatorem, fructum ex ea percepiſſe quemquam: cum Plinius ſua ætate in plantariis eas ſeri, translatarumque altero anno decerpi baccas ſcribat. An forte, quod oleam Palladi ſapientiæ Deæ ſacram Poeſim putauit? vnde nec Homero viuo, nec ipſi vllus dignus quæſtus prouenerit: ſed ille qui ipſum, Homerumque imitatus ſit feliciter, poſſederit centies, principibus placendo etiam viris. Ceterum *ſpecus* nomine, vt locus; ſic & *olea*, tempus intelligi etiã poterit: cum ea vere germinet, æſtate floreat, autumno baccas proferat, & hyeme torpeat, quaſi ætate confecta: rurſumque ad priſtinam redeat germinationem. Id abſurdum ei non videtur, qui ſcit ipſum canere, horas præfectas fuiſſe cælo, tamquam regiæ aulæ cuſtodes.

*Plin. 15. 1.*

*Virgilius poſſedit 234775. ducatos Hungaricos.*

3192. Clariſſimum ludicrum certamen *Olympiorum* reſtauratorem habuit Iphitum Ilium: qui reſtituit hos ludos ad excitandam corporis animique virtutem: & mercatum quoque ibidem inſtituit, quinto anno celebrandum, menſe Hecatombeo. Vnde & Græci tempora numerare deinceps cœpere exactius. Coronabantur ibi victores oleaſtro: quod arborem illam eo importaſſe Hercules ex Hyperboreis credebatur. Curulia certamina ab initio fuerant inſtituta: deinde varia alia ſucceſſere. Erat vero, vt hoc moneam, ſtadium Olympicum ſexaginta paſſuum. Impia religio quoque loco erat, cum Phidias ibi poſuiſſet Iouem ex auro & marmore: quod ſimulacrum annumeratur miraculis mundi. Erant & variæ victorum ſtatuæ ibi, præcipue Euthymi Locrenſis: qui ſemper victor, ſemel tantum victus eſt.

*Vell. 1. Pauſ. 5. Plin. 7. 47.*

*Tyrimas* Rex Macedonum regnat annis triginta octo.

*Theopompus* Nicandri filius regnauit triginta octo annis. Hic Ephoros inſtituit Lacædemone: qui numero quinq; erant, ex plebe omnes deſumti, habentes maximarum rerum poteſtatem. Et licet molliter viuerent, & nequaquam conuenienter moribus ciuitatis: tamen poteſtate tyrannica corrigebant alios Magiſtratus omnes: & à Rege licebat prouocare ad ipſos. Ab his etiam Reges eiecti fuerunt, & interempti. Perſimilis illis fere poteſtas, qualis Trib. plebis Romæ. Deſignant Ephori Eponymum, à quo faſti inſcribuntur: quique imperabat, poſt regium imperium repudiatum, Senatus, ipſis Geruſia dictus, eſt apud Lacedæmonios maximæ auctoritatis. Quinque quoque erant

*Ariſt. de Rep. 2. 7.*

*Plat. de legibus. 4.*

xant Bidiæi: qui adolescentum certamina soliti sunt instituere. erant & Nomophylaces: reliqui erant Principes. ANNI MVNDI.

Archilochus Parius, poeta quem proprio rabies armauit Iambo, Hycambem socerum suum, quod filiam ille suam Neobolon alii locauerat, petulantibus suis Iambis ad laqueum cōpulit. Eius libros, ob obscenitatem, Lacedæmonii tolli iusserũt: ipsum quoque poetam miserunt in exsulium. Summa in Archilocho vis elocutionis, sententiæ validæ; breues, vibrantesque. quod quidem venerei inest eius libris, materiæ esse, non ingenii vitium, quibusdam videtur.

## ITALIA.

Romulus & Remus *Amulium propatruum per insidias aggressi trucidarunt. Numitor pater huius conscius, Amulium, hostibus vrbe prodita, fugisse aiebat: vtque armati in forum prodeant, suadet. Cæde peracta, Romulus Remusque arce exsilientes, qui sint, quove pacto aui iniuriam sint vlti, commemorant. Populus factum collaudans, Numitori regnum tradidit.*

Romulus & Remus *vrbem Romam fundarunt adiuti à militibus aui Numitoris, festis Palilibus, nempe vndecimo Kalendas Maii. Quoque solus dominaretur Romulus, occidit fratrem Remum, quod muros transcendere voluerit: atque regnauit triginta septem annis.* 3216.

Vrbs Roma *apte cupresso comparata, ab exiguis initiis, quasi semine, in eam excelsitatem excreuit, vt caput mundi etiam diceretur. Ferunt Saturnum ex Creta pulsum, in Capitolino, permittente Iano, sedes locasse, & imperasse Aboriginibus ab Vmbris oriundis: montemq; vocatum fuisse Saturnium: deinde opidulum* Valentiam *dictum, Euandrum* Romen *nominasse: cuius matrem habitasse ad infimam montis partem constat.* Romulus *opidum primus muro cinxit: vocatumque, ab eius nomine atque forma,* Roma quadrata: *cui quatuor ad plurimum fuere tunc portæ. Accessione creuit sub Regibus: & sub Imperatoribus ad summum fastigium peruenit: quod gens ex Albanis, Tuscis, ac Sabinis congregata, armis & æquitate legum floreret. Ter tantum pace gauisa ciuitas est, Iani, cui pacis & belli claues, templo clauso: semel à Numa Rege; secundo à T. Manlio, & C. Attilio Coss.; tertio post Actiacam victoriam, sub Augusto Imperatore: quando veræ pacis auctor natus est* Christus, *& vrbs Roma maxime floreret, & abundaret ingeniis.* Natus anno mundi 3198. Rex 3216. Obiit 3253. dum regnasset annis 37.

Romulus *porro Asylum primum aperuit; quo sine discrimine, omnis generis homines conuenere: deinde centum creans Senatores, ab honore* Patres *dictos, quorum progenies* Patricii *appellati sunt. Negatis coniugiis, virgines vicinarum gentium, ludis Neptuni Consuali-*

ANNI MVNDI.

*sualibus, rapi procurauit. Vnde bellum ortum, in quo deuictis Ceninensibus, Acroni duci detracta spolia Ioui Pheretrio opima in Capitolio consecrauit. T. Tatius cum Sabinis in arcem à Tarpeia prodita inuasit, atque in foro cum Romulo pugnam conseruit: vbi raptæ inter viros ac parentes pacem conciliarũt, receptis Sabinis cum Tatio in vrbem, à quo Tatienses, vt à suo nomine* Rhamnenses, *& à Lucumone* Luceres, *centuriæ equitũ tres institutæ, nominatæ sunt. Plebs quoq; in triginta decurias distributa, à raptis nomina habebat. Annum in decem menses distinxit, vt sex triginta dierũ essent, & quatuor trecenis & singulis constarent. omnes simul trecentorum & quatuor dierũ erãt, initium sumentes à Martio. quo mẽse ingrediente primo eius die nouum ignem Vestæ aris accendebant. Narrant Vestam Iani vxorem, puellas, inter cetera œconomiæ præcepta, ignem quoque sub cineribus conseruare docuisse; atque hinc ortam superstitionem, virginesq; custodiendo igni perpetuo deputatas. nam grande putabant piaculum, illum extingui ignem qui virginum curæ esset commissus. Principio* Macrob. Satur. 1. 12. Solin. *quoque eiusdem mensis, tam in Regia curijsque, quam Flaminum domibus, laureæ veteres nouis mutabantur. Comitia auspicabantur, vectigalia locabant, & discipuli mercedes soluebãt magistris, cenasq; apponebant serui matronæ, quo eos ad promptum obsequium inuitarent.*

Romulus *vero bello quoque Fidenates vicit atque Veientes. Trecentos Celeres, corporis sui custodes, habuit. Cumq;, populo diuiso, altera parte tueretur armis Rempublicam, altera consilio vteretur: leges etiam promulgauit, quas tabulæ æreæ inscriptas in Capitolio fixit, hæc continentes:*

Ne quid inaugurato faciunto.
Patres, sacra magistratusque soli peragunto, ineuntoq;.
Plebei agros colunto.
Sacrorum omnium potestas sub Regibus esto.
Sacra Patres custodiunto.
Populus Magistratus creanto.
Leges sciunto.
Bella decernunto.
Deorum fabulas ne credunto.
Deos peregrinos, præter Faunum, ne colunto.
Nocturnas in templo vigilias ne habento.
Parricidas omnes capite puniunto.
Ne quis, præsentibus feminis, obscena verba facito.
Quisquis demissam ad talos togam in vrbe habeto.
Monstruosos partus quisquis sine fraude cædito.
Ne quis nisi per portas vrbẽ ingreditor, neue egreditor.

Mœnia

Mœnia sacra sunto. ANNI
Mulier viro legitime coniuncta, fortunarum & sacrorum socia illi esto: vt dominusq; ille, ita hæc domina. MVNDI.
Filia vti patri, ita defuncto viro heres esto.
Adulterii conuictam vir & cognati, vti volent, necanto.
Si vinum biberit domi, vti adulteram puniunto.
Parentum, liberos, omne ius esto relegandi, vendendi & occidendi.

*Hæ ergo leges erant vrbis, cuius*

Fraterno primi maduerunt sanguine muri: *multum differentes ab ijs, quibus non occidi præcipitur: cum hæ & in sociam tori ob caussam leuem, & in dulcia pignora extrema perpetrare permittant, immo Legislator vxoricidij reum absoluit crimine, cum is animam vxoris vinum fatuisse allegasset. Non vero dissona itaq; eorum omnino videtur fuisse opinio, qui illum, ob asperius ingenium, à Senatu discerptum aiunt: quodq; placando populũ, ipsum iusserint, sub nomine Quirini, pro numine coli: sicuti etiam Hersilia eius coniux fuit* Horta *dicta, & etiam* Hora *prouidentiæ Dea: cuius ædes numquam claudebatur: quod ipsam semper aliquid præclari fieri, hortari, & non pati negligentes ac vecordes esse persuasum haberent. Ennius inducit populum Romanum his verbis lamentantem.* Lucan. 1.

O Romule, Romule dic.
Qualem te patriæ custodem Dî genuerunt!
Tu produxisti nos intra luminis oras.
O pater, ô genitor, ô sanguine Dîs oriunde!

*Porro de vrbe Romana aliisq; maximis ciuitatibus sentiendũ, eas pulcre munitas fore, si incolæ bene sint morati: perfidia, & peculatus, atq; auaritia inde exulent; quarta inuidia; quinta ambitio; sexta obtrectatio; septima periurium; octaua indiligentia; nona iniuria; decima, quod pessimum aggressu, scelus. hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus parum est.* & nisi Dominus custodierit ciuitatẽ, frustra vigilant, qui custodiunt eã. *Sunt itaq; hæc Romani primordia Regni,* Plaut. in Persa.

Parua quidem, sed quæ totum post sparsa per orbem,
Solis & occasus miretur, Solis & ortus.

*Fuit sub Regibus Tribunus Celerum, qui cum præesset equitibus, secundum locum, à Rege obtinebat.*

## *Regnum Iuda.*

CEterum procurauit Achaz quoq; fundi statuas Baalim, adolebatque incensum in valle Ben-ennon, lustrans etiam filios suos in igne, ritu gentium Philistim. Adscendente vero Ierusalem Rasin Rege Syriæ, cum Phacee Rege Israel, vt obsiderẽt illã; obuius fit Isaias cum Iasub filio suo, missus à Domino Regi,

 certio-

ANNI MVNDI.

certiori facto de aduentu hostium in via agri fullonis: ipsumque vt bono animo sit, adhortatur; proferens etiam oraculum Prophetæ cuiusdam tunc vulgo notum, quo vates prædixerat, adhuc restare sexaginta quinque annos, & Ephraim desiturum esse populum: à quo tempore iam quadraginta quinque plus minus anni effluxerant. non adhibenti verbis fidem, peti signum aliquod iubetur, quod cũ recusat Rex, in incredulitate persistẽs: conuertit Propheta ad populum Iuda sermonem, prophetans de nascituro ex virgine Emanuele. prædicit quoque vastationem regni per Assyrios, & populi per Ægyptios futuram. Itaque Syrus potitus præda, abiit cum ea Damascum. Phacee etiam occidit vno die 120000. militares viros Iuda. Zechri vir potens Ephraimita occidit Maasiam filiũ Regis, Ezricam pręfectum aulæ, & Elcanam secundum à Rege. Ceperunt Israelitæ captiuos ex fratribus suis, ducenta millia mulierum, puerorum ac puellarum, insuper infinitam prædam: quæ omnia pertulerunt in Samariam. Achab vndique ab Idumeis, Philistim, aliisque hostib. oppressus, colligens quidquid auri argentive in domo Domini ac palatio regio esset, misit Theglathphalasar Regi Assyriorum, qui eius caussa obsedit atque vicit Damascum: quo cum Achaz, gratulaturus ipsi victoriam, venisset; videns ibi altare, misit descriptam formam Vriæ sacerdoti, vt curaret fieri tale sub aduentum suum. Super quod obtulere sacrificia, remoto altari æneo è loco suo, quod fuerat ante templum, boues æreos, qui sustentabant mare, aliaq; vtensilia abstulit è templo. Obiit annos natus triginta sex: & sepultus est in ciuitate Dauid, sed non in sepulcris Regum.

3223. Ezechias XIII. *Rex Iuda*, 4. *Reg.* 8. *Philo.* 2. *Luc.* 3.

*Ezechias* inauguratus est regno Iuda, tertio anno Oseæ, nominatus quoque Iesu. Hunc Achaz genuerat ex Abi filia Zachariæ. Quot annorum fuerit, mihi certo non constat: sed quod viginti nouem annis regnauerit, nullum est dubium. vitio transscribentium accidisse arbitror, quod eum viginti quinque annos natum legimus; cum patri succederet in regno. nec enim rationi naturæve consentaneum, patrem decennem operam procreandis liberis dedisse, idque decem annis antequam adiret regnum. Forte quindecim annos scribæ mutauerunt in viginti quinq;. Ea ætas quippe non male conuenit propheticæ figuratæ descriptioni paruuli, atque carmini Regis, in quo conqueritur se iuuenili ætate, quæ vitæ media est, esse moriturum, nimirum vigesimo nono ætatis anno. Mirum, id non animaduertisse Iosephum, qui illum quinquaginta quatuor annos vixisse etiam narrat. quæ secutus est exemplaria, videntur quoque jam tum fuisse in hacce numeratione corrupta: alioquin non tot numerasset annos.

Cere-

Cæterum primo anno, primoq; mense aperuit valuas domus Domini, & refecit eas: cōgregansq; Sacerdotes & Leuitas in platea orientali, iussit ipsos auferre omnem immunditiam è sanctuario, atque fungi quemque suo officio in cultu diuino. Qui octo diebus expiarunt templum, & octo porticum eius: obtuleruntque holocausta & victimas atque hircos pro peccato, & cōpleuerunt cultum domus Domini. Ipse Rex dissipauit excelsa, contriuit statuas, succidit lucos, atque etiā serpentem confregit æneum, quē Moyses fecerat in deserto, non ꝙ serpens malus esset, eiusque legitimus vsus: sed abutebantur eo Hebræi, dum non in ipsum, quem serpens exaltatus designabat, sed ad signū tantum respiciebant, illi diuinitatis nescio quid adscribentes. Sic quoq; qui imagini huic, vel ob vetustatem, pulcritudinem, aut deformitatem diuinitatē attribuunt, plus quam alteri idololatriam cōmittere, scribunt Ecclesiæ Doctores. Quin etiam hic Rex decimus quartus ex progenie Dauid per Nathan, vt nomine Iesu, sic & typo præfigurabat eum, quo veniente, quasi veritate, cessarent figuræ, non aliter quam adueniente Solis luce fugiunt vmbræ: quique esset contriturus caput vmbræ. Sicque serpentis contractio non suo mysterio carebat: cum ab eo facta sit, qui fuerat maxime inter Dauid & Iosiam medius Rex laudatus Iuda: & alii omnes reliquerint legem Altissimi, & contempserint timorem Dei; ille impietatem expulerit, superstitionem represserit, atque veram reseruauerit religionem.

ANNI MVNDI.

*4. Reg. 18.*

*Eccl. 48.*

Rebellabat contra Regem Assyriorum, iugum oneris eius atque virgam excutiens humeris suis. Deuicit quoque Philisthæos. Cumq; non possent suo tēpore, celebrarunt Phase mense secundo. Ad quod venere etiā, vocati per litteras, quidam ex Israel: sicque grādis celebritas fuit in Ierusalem, qualis à diebus Salomonis non fuerat in ea. Cumque Rex operā daret iuri, iussit Leuitis tribui decimas: vt possent vacare legi Domini ac Theologiæ. Erat vero Azarias stirpis Sadoc, Pontifex Domus Dei: sub quo erant Sacerdotes, qui diuidebant ceteris Leuitis partes suas.

Anno decimo quarto regni eius, venit Sennacherib Assyrius cum ingenti exercitu in terram Iuda, & cepit opida complura. Cumque obsideret Lachis, misit Ezechias ad ipsum indicta trecenta talenta argenti, & triginta auri, ferens etiam laminas auri, quas fixerat in templo. Sed Assyrius his non satiatus, misit è castris Rabsacen, cum parte exercitus, Ierosolymam, vt deditionem vrbis imperaret. Hic ergo veniēs ad agrū fullonis, sub muros Sionis Regem ad colloquium euocauit. qui obstructis foris fontibus, murisq; refectis, se ab hostili vi tuendum Dei auxilio

ANNI MVNDI. ſperabat. Miſit tamen Eliachim præfectum palatii, cum Sobna ſcriba & Ioahe à commentariis, percontatū quid vellet. Ille, Ezechiam fruſtra Deo confidere; Sennacherib victorem omnium gentium, euerſorem Samariæ, deditionem imperare; effugere non poſſe, ni matura ſibimet deditione conſulant Hebræi, vt ciuium diſcordiam excitaret, proximus muris proclamabat. Hæc nuntiantes Regi, ſe, pœnitentiam agentium more, ſacco veſtienti, & ipſi ſaccis operti ad Iſaiam mittuntur, relaturi quid impius poſtulauerit; vtque ille orationem velit fundere ad Deum, pro reliquiis populi. Quibus Propheta reſpondit, Aſſyrium
3236. diſceſſurum, mittente Domino Tharaca Æthiopiæ Regem, inuadentem regnum eius. quare non ſit ingreſſurus vrbem, quam Dominus proteget propter ſe, & propter Dauid ſeruum ſuum.
4. Reg. 18. Venit ergo Angelus Domini eadem nocte, & percuſſit in caſtris
Iſai. 37. Aſſyriorum centū & octoginta quinque millia. Sennacherib di-
3237. luculo conſpicatus cadauera paſſim iacentia, fugit Niniue: vbi in templo Neſroch, ab Adramelech & Saraſar filiis ſuis cæſus
2. Con. Nic. 7. fuit, fugientibus in Armeniam. Hanc tam inſignem victoriam venuſte depictam in cubiculo ſuo, ſumma cum voluptate ſolitus erat contemplari frequentius Chryſoſtomus.

Paullo deinceps afflictus eſt Ezechias morbo letali: Iſaiaſque introiens ad ipſum, annuntiat finem ipſi adeſſe vitæ. Quare conuerſus facie ad parietem orauit Dominum, ac fleuit fletu amaro: non quod moriturus eſſet; ſed quod nullos ex ſe relinqueret liberos, ex quibus poſſet naſci *Chriſtus*; quem ex Dauidis ſemine naſciturum nouerat. Nondum atrium egreſſus erat Propheta, cum à Domino remittitur, nuntiaturus quod Dominus ad preces & lacrimas eius reſpiciens, ipſum cōfeſtim eſſet ſanaturus, quod & die tertio ad templum eſſet adſcenſurus, & deinceps quindecim annos eſſet victurus (qui numerus in Muſicis δὶς διὰ πασῶν ſeu quindecim chordas comprehendit) ſicque exacta virili ætate nullo ſenectutis tædio afficeretur ante mortem. Cuius vlceri (peſtilentia laboraſſe videtur)
4. Reg. 20. Iſai. 38. cum conſilio Iſaiæ emplaſtrum ficorum appoſuiſſent, ſanatus fuit. Quod vt fieret, retrogreſſione vmbræ per decem gradus miraculoſe oſtenſum fuit. Compoſuit itaque Rex iam ſanitati reſtitutus elegans carmen, in extremū vitæ ſuę periculum, vim febris ardentis ſanitatem a Deo ſibi reſtitutam: & laudes, eam ob cauſſam, ipſi in templo continuo decantandas, ſumma venuſtate refert.

Audierat vero Merodach filius Baladam Babyloniorum Rex, quod Ezechias ægrotaſſet ac conualuiſſet. miſit itaque litteras ac munera, atque legatos principes viros Babylonis, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram. Quamobrem

cicia-

eleuatum est cor eius (*dereliquit eum Deus, vt tentaretur*) ostendit que legatis omnes thesauros suos: sicque Isaias prædicit captiuitatem Babylonicam, & seruitutem posterorum eius, dicente Regi: *Bonus sermo Domini, quem locutus es: sit pax & veritas in diebus meis.* ANNI MVNDI. 4. Reg. 20.

Tertio deinde anno natus est Regi filius Manasses. Auertit quoque fontem aquarum superiorem Gihon, ad Occidentem vrbis Dauid, perfodiens rupem ferro. Dormiuit Ezechias, cum patribus suis, & sepelierunt eum in insignioribus sepulcris filiorum Dauid. celebrarunt exequias eius vniuersus populus Iuda, & ciues Ierosolymitani.

Successit optimo patri pessimus filius *Manasses*, *Her* quoque dictus, natus ex Haphsiba. Duodecimus erat, & regnauit quinquaginta quinque annis in Ierusalem. Restaurauit excelsa, quæ demolitus fuerat pater eius. erexit quoque aras Baal, & fecit lucos: altaria quoque in atriis templi exstruxit vniuersæ militiæ cæli, quam coluit. Soli quippe currus & equos constituit, & Lunæ, ac duodecim signis Zodiaci, atque planetis, ceterisque astris adoleuit incensum. Traduxit quoque filium suum per ignem: vacauit insuper arti ariolandi, & auguriis: instituit Pythones & Diuinos: atque ingentia mala perpetrauit: non veritus etiã idolum luci posuisse in templo, quod sibi Dominus elegerat. Refertur & Isaiam Prophetam iussisse secari in duas partes. 3252. Manasses XIV. *Rex Iuda.* 4. Reg. 21. *Luca* 1. *Philo.* 2.

## *Regnum Israel.*

ERat in Samaria Propheta Obed, qui captiuos reducendos esse suadebat. Cui adsistebant Azarias, Barachias, Ezechias & Amazias, principes viri filiorum Ephraim. Dimittentibus ergo prædam militibus, hi vestitos ac calceatos captiuos, omniq; humanitate prosequentes reduxerunt Iericho.

*Osee* filius Ela regnauit in Samaria nouem annis. Osee vltimus *Rex Israel.*

Micheas vici Morasthi Propheta prædicit exitium nunc Samariæ, & deuastationem templi atque ciuitatis Ierusalem; reductionem quoque populi illuc; nasciturum quoque Christum in Bethlehem Iuda, & congregationem Ecclesiæ, eiusque concordiam & pacem. Luget insuper super iniquorum multitudine, docens in solo Deo Saluatore esse confidendum. Indicat præterea Dominum requirere, vt populus faciat iudicium, diligat misericordiam, & ambulet sollicitus cum Deo; comprehendens his leges iudiciales, morales, atque cærimoniales omnes. Prophetat quoque Nahum de excidio ciuitatis Niniue, quę post pœnitentiam ad scelera redierat, quasi ad vomitum canis. Porro cũ Niniue ὡραῖος græce sonet, & Latine *speciosa*; nõ inepte, quid-

ANNI MVNDI.

quidquid aduersus Niniuen dicitur, ad mundum figurate referri posse putatur. Porro hic mos erat apud Iudæos vetus, vt Prophetæ diuinitus afflati prædicerent illis, quæ imminerent, siue bona essent siue mala: auctoritate licet pari, voto tamen & consilio longe diuerso: bona quidem vt eueniant; mala vero, ut auertantur. Nam sic & Christus ipse gehennam minatur, ne gehennam inferat. *Quare & nos*, inquit Chrysostomus, *verba terreant prolata, sed rerum non contristet austeritas.*

*Chrysost. Hom. de Iona Propheta. Isa. 9. Isa. 38.*

## TEMPORA EXTERNA.

### *Monarchia Assyriorum Babyloniorum.*

*Tob. 1.* *Sennacherib* reuersus in Assyriam, occidit multos filios Israelis: quorum corpora sepeliebat Tobias. Hunc ergo spoliatum bonis volebat etiam necare: sed ille latuit cum vxore & filio quadraginta quinque diebus. occiso vero Rege, domum reuersus recepit facultates suas.

*Gyges*, occiso *Candaule*, fit rex Lydorum.

*Ardys* Rex Lydorum Prienenses subegit, & Miletum oppugnauit: atque regnauit annos quadraginta nouem.

## GRÆCIA.

His temporibus stetit opidum *Tænaron*, nobili vetustate: cuius promontorium *Tænaron* aduersum est Africæ. in quo fanum est Methymnæi Arionis; quem Delphino eo vectum, imago testis est ærea, ad effigiem casus & veri operis expressa: prætereà tempore signato Olympiade vndetrigesima, qua, in certamine Siculo, idem Arion victor scribitur, id ipsum gestum probatur. *Methon* Athenis floret.

## ÆGYPTVS.

3283. *Psammeticus* Rex, primus vinum adhibuit regalibus mensis. Hinc iam à Regibus Ægypti illud potari cœptum: quod tamen mensura quadam ex sacris ipsorum litteris præfiniretur. Opus eius Labyrinthus, domos mille & regias duodecim perpetuo parietis ambitu complexus; marmore exstructus ac tectus: vnũ in se descensum habet: intus pæne innumerabiles viæ, multis ambagibus huc & illuc remeantibus, sed continuo anfractu & sæpe reuocatis porticibus ancipites: quib. subinde alium super alios orbem agentibus, & subinde tantũ redeunte flexu quantũ processerat, magno tamen & inexplicabili errore perplexus est.

Trans-

Transfugæ, quibus nomen Asmach, hoc est, sinistræ Regis adsistentes, ducenties & octogies mille à Psammetico in Æthiopiam profecti, sese Regi Æthiopum tradiderunt. qui sibi aduersantium terras illis colendas concessit. Æthiopes vero, his colonis apud ipsos collocatis, facti sunt mansuetiores, moribus Ægyptiacis imbuti.

ANNI MVNDI.

# ITALIA.

NVma Pompilius *Curibus Sabinus agens, expetitur ad suscipiendum regnum: in quo annos quadraginta tres regnauit. opinione enim religionis habebatur inclytus, atque populum bellis assuetum imbuit varia superstitione.*

Instituit *tres Flamines: quorum Dialis Ioui sacra faciebat, vtebaturque galero albo: Martialis Marti, bellorum Deo: Quirinalis conditori vrbis Romulo libamina offerebat, proprio quisque cultu. Sacra quoque instituit, & leges quasdam condidisse fertur. Et cum vrbem Romam putasset falsorum Deorum numerositate muniendam, in eamdem turbam referri mortuus non meruit. ita enim, ait Augustinus putatus est cœlum multitudine numinum constipasse, vt locum ibi reperire non posset. Construxit templum Vestæ, in quo virgines semper alerent ignem. Quin vt in duodecim menses annum, ita & in dies quemque mensem distribuit: diesque omnes in* festos, *Diis dicatos;* profestos, *hominibus, ad res priuatas publicasque administrandas, concessos; &* intercisos, *Deorum hominumque communes.*

Lib. de Ciuit. 15. c. 24.

*Croton vrbs nunc fundatur.*

## *Monarchia Assyriorum.*

CIrca hoc tempus *Tobias*, annos natus quinquaginta sex, patria exsul, visu priuatur, in obdormientis oculos stercore cadēte calido ex nido hirundinum. Quæ auiculæ herbam Chelidoniam inuenere, singulare remedium contra caligines oculorum: sicque quæ cæcutientibus aliis profuerant, (quo posteris & alterum à Iob consummatæ esset exemplar patientiæ) clarum videnti, disponente sic Domino, obfuerunt. Hic ergo cum orasset Deum, vt liberaret ipsum mortali corpore, moralem, œconomicamq; Philosophiam paucis & accurate edocuit: atq; iussit quærere sibi itineris ducem, cum quo pergeret Ragam Mediæ ciuitatem; vbi morabatur Gabelus: cui à longo tempore decem talenta argenti commodatum dederat, recepta antapocha, qua ea repetere posset.

Egredienti ædibus filio apparuit vnus ipsi ex septem angelis, qui adstant ante Deum quiq; obtulerat preces patris ad Deum,

ANNI MVNDI.

cui bina erant nomina; Raphael, & Azarias. illud, *medicina Dei*, hoc, *Domini auxilium* significat. medicina enim ab Altissimo creata, auxilium confertur ægris. Non desunt, qui putant hunc Angelum fuisse illum, qui secundum tempus descendebat in piscinam Bethsaida olim, cum mota aqua, qui prior in illam descenderat sanabatur ab infirmitate sua. Ceterum cum naturæ Angelorum sit non videri, (neque enim vt sunt, hominibus patesiunt) transfigurati voluntate Dei, induti que corporibus, non solum conspiciendos, sed & tangendos se exhibere solent. Hæc autem corpora aeria esse, diuinarum rerum interpretes opinantur. In aere certe varias sæpiuscule conspicimus formas; dum ille diuersas cogitur in nubes. Quorum opinioni vt consensum præbeam, facit responsum Angeli huius, Tobiæ datum: Quod filius esset magni Ananiæ: quod vocabulum *nubem Domini* sonat. si enim corpus huiusmodi pars aeris concreta est, non male dicitur nube prognatus. Quod vero Angelus illud mouere potens sit, facile intelligitur: cum & ventus, qui ex se videri, instar spiritus nequeat, etiam nubem, cui inhæret, quamque conspicimus, agat secum, quo pergit ferens, donec dissipetur atque euanescat.

Ioan. 5.

Iter ingressos sequitur canis, fidele præstaturus obsequium, animal inter mansueta ferocissimum; quodque nomen nouit, atque itinera memoria retinet, amicisque mire abblanditur, & hostes latratu prodit, & morsu prosequitur lædere conantes.

Ad Tigrim cum ventum est, edit Raphael singulare specimen suæ artis, iubens capti piscis seruari fel, sedandæ caligini oculorum; & cor & hepar, ad profligandos dæmones: docens & vsum eorum inesse rebus creatis, & occultam vim, cuius rationem homo non percipiat, manifestum est. Sic & Salomon radicis speciem indicauit, ad cuius olfactum, per nasum extrahebantur arrepticiorum dæmonia. Quod se vidisse fieri, præsentibus Vespasiano eiusque filiis, scribit Iosephus. Quod si tanta inest potentia rebus terrenis, ac brutorum visceribus: quid de orationibus erit censendum, atque verbis sacris? Esse genus dæmoniorũ testatur *Christus*, quod nõ expellitur nisi in oratione & ieiunio. Cui si adiuncta fuerit eleemosyna, quæ à morte liberat, ambæ pro alis erunt, quib. oratio, sua virtute præpotens, etiam cælum poterit penetrare. Itaque cum Tobias hoc intelligens venisset Ecbatanam, atq; consilio Raphaelis ipsi filiam in vxorem (chartæ inscriptis matrimonii condicionibus) tradidisset Raguel, nõ solum illicietur imponit carbonibus viuis, sed etiam, cum Sara vxore per triduum, ad precandum Deum conuertitur. Quapropter Asmodæus dæmon, qui septem sponsos Saræ occiderat, apprensus ab Angelo fugiens, vinculis constrictus fuit in superiore

C

riore deserto Ægypti. Quæcumque vero huiusmodi miracula per Angelos fiunt, ea ab eis, vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemque diligunt, ipso Deo in illis operante, fieri credendum est. nam a Deo, nihil horum quæ agimus ignorante, atque etiam præstare omnia sine vllis Angelis potente, mittuntur iis, qui salutem hereditabunt, Angeli; quasi humana infirmitate, ad rogandum & promerendum spiritualis intercessionis ministerio indigente. Gaudent vero illi, vt permanendi æternitate, cognoscendique facilitate; ita & requiescendi felicitate. quare sine difficultate laboreque nos adiuuant; vtentes motib. spiritualibus, puris ac liberis. Gloriã eius, à quo mittuntur nũtii, quærunt: eosque, ad quos mittuntur, ad illius amorem, cultum, contemplationemque rapere & inflammare student; non se, sed illum ipsis annuntiantes, quæque ille iusserit; vmbris alarum immateriatæ naturæ suæ custodientes atque protegentes ipsos, ad quos missi fuere. Ceterũ quod Angeli etiam misereantur hominum ob peccata sua afflictorum, ostendit satis ille, qui aiebat: *Domine exercituum vsquequo non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es?* non enim carent misericordia; neq; sunt, qualis ille sapiens Stoicus qui non vult misereri. Nõ vero misereri, proprium est dæmonum: qui etiam pios affligere non cessarent, si ipsis diuina bonitas concederet: quæ electos, supra id quod ferre possint, tentari non permittit. Sunt dæmones natura æterni, ad decipiendum astuti, odio turbulenti, condicione miseri, quoque alios se miseriores reddant, volentes adorari: quibus omne bonum, pulchrum, honestum, suaue fastidio ac tormento est; & locus omnis carcer, siue desertus is fuerit, siue quam pulcherrime cultus. Et quemadmodum Deus per Angelos, veluti ministros, exsequitur iustas vindictas: ita frenat Dæmonum potestates, maxime super terram, ne quantum possint ac velint, noceant. alioquin hominesque bestiasque interimerent: regiones vrbesque vastarent, venena cibis poculisque diffunderent: & clades damnaque innumerabilia orbi inferrent: & quo cuncta redigerent ad nihilum, nec ipsis vllo modo parcerent, quorum nefariæ curiositatis carminibus, atque illicitis artibus parent.

ANNI MVNDI.

*August. de Ciuit. Dei,* 10. 11. 12. & 13.

*Hilar. in Psal* 129.

*August. in Psalm.* 96.

*Zachar.* 1. 12.

Porro recepta pecunia, nuptiisque læte celebratis, Tobias cum vxore ac dote reuertens ad parentes, ex consilio Angeli, mẽdia via, nempe Charæ, vxorem cum comitatu, vt placide subsequantur, reliquit: quo possint magnis itineribus, exspecta peruenire domum, atq; patris Tobiæ cæcitati mederi. Cuius oculis cũ filius fel reseruatũ illinisset; albugo ex oculis eius, instar membranæ oui, egressa est: sicque sexagenarius recepit visum. Quare post nurus Saræ aduentũ, læti epulati fuere septẽ diebus, cum

ANNI MVNDI.

cum Achior & Nabath consobrinis : qui gratulaturi Tobiæ de tot bonis, illuc accesserant. Post hæc omnia, Raphael ablatus ab oculis eorum, ad Deum, à quo missus fuerat, reuersus est: nec vlterius ab ipsis conspici potuit. Laudabat ergo Tobias Deum, & cunctos ad confitendum Domino hortatus, prophetabat de restitutione atque futura felicitate Ierosolymæ, deque euersione Niniue. Cuius quidem subuersio, quam Ionas prædixerat, dilata quidem fuerat ob pœnitentiam ; sed verba tamen Prophetæ non erant dicta incassum, quandoquidem iniquitas populi parabat interitum vrbi : quæ post euersos Syros ab Astyage Assuero quoque deleta fuit. Igitur cum, centum & duos annos natus, nepotes vidisset Tobias, mortuus est, atq; honorifice sepultus in Niniue. Vnde post obitum matris profectus Ecbatanis filius, conuixit socero : cuius hereditate etiam auctus, produxit ætatem ad annos nonaginta nouem, videns natos natorum suorum, in quintam vsque generationem, in sancta conuersatione viuentes.

## *Regnum Iuda.*

CVM tantum innocentis sanguinis funderetur in Ierusalem, superinduxit dominus Assyrios: qui captum, ac catenis compedibusq; vinctum, duxerunt Babylonem : vbi pressus angustiis squaloreque carceris, ad mentem rediens pænituit, atq; dominum oratione humili deprecatus est. Qui ipsum restituit in regnum : vbi extra ciuitatem Dauid ædificauit in valle Gihon, qua itur ad portam piscium, murum, & circum Ophel. Abstulit quoque idolum, de domo Domini, & Deos alienos : atq; instaurauit altare Domini, præcipiens Iudæ, vt seruiret Domino Deo Israel. Mortuus vero, sepultus est in horto domus suæ. Oratio eius exstat ad Deum, qua precatur delictorum veniam; ne perdatur cum iniquitatibus suis, & damnetur in infima terræ loca. Vbi & à Philosophis etiam constituitur infernus. Exauditionem precis atque peccata conscripserat quoque Hosai Propheta.

Amon XV. *Rex Iuda.* *4. Reg. 21.*

Successit ipsi filius *Amon*, viginti duos annos natus, vocatus quoque *Elmadan:* cui mater erat Messameleth, filia Harus de Ietaba. Hic decimo sexto ætatis anno auctus fuit filio Iosia: fecitque malum in conspectu Domini: & deliquit multo maiora, quam pater eius Manasses. Coniurantes ergo in ipsum serui trucidarunt eum in domo sua, cum regnasset annis duobus: sepultusque est in horto Oza.

Suppli-

ANNI MVNDI. Iosias 16. Rex Iuda. 4. Reg 22. 2. Paral. 34.

Supplicio sumpto de percussoribus ac coniuratis, constituit populus sibi Regem *Iosiam* filium eius, dictum etiam *Cosan*, matrem habentem Idida, filiam Hadaia de Besecath, cum esset octo annorum. Hic fecit quod erat rectum in conspectu Domini, & ambulauit in viis David. Nam sexdecim annos natus cœpit quęrere Dominum: & vigesimo ætatis anno, mundauit Iudam & Ierusalem, succidens lucos: sculptilia quoque cōminuit, atque dispersit fragmenta eorum super tumulos, qui iis immolare consueuerant. ossa præterea sacerdotum combussit super altaria idolorum. Quod cum faceret in Bethel, à Prophetæ illius sepulcro abstinuit, qui multis sæculis id ipsum facturum esse, Ieroboamo prædixerat; & alterius ꝓphetæ, qui venerat de Samaria. Tantæ vero auctoritatis erat, vt interficeret multos sacerdotes excelsorum; delubra, lucos ac sculptilia demoliretur in terra Israel; atq; reuerteretur in Ierusalē Hoc facto misit anno regni sui decimo octauo Saphan, Maasiam principes ciuitatis, & Ioha à commentariis, vt instaurarent domum Domini. qui acceptam ab Helcia Sacerdote magno pecuniam illatam in domū Domini, & congregatam à Leuitis ac Ianitoribus ex Israel & Iuda, exponi curauerunt in ligna ac lapides: quibus reparabantur, quæ destruxerant Reges Iuda. Porro dum effertur illata pecunia, inuenit Helcias librum legis Domini per manum Moysis. qui traditus Saphan à Pontifice, lectusque ab eo, redditus fuit Regi, scindenti vestes suas, quod peccata & ignorantiæ tales fuerint in Iuda; vt libri etiam Legis latuerint, atque ignoti fuissent Pontifici, Sacerdotibus, & Regibus: cū his, & exscribere, & illis in iis meditari die ac nocte, præceptum esset. Conuocato itaque populo, Rex ipse librum ex loco altiore prælegit: missisque Helcia & aliis sciscitatum verbum Domini, ab Olda Prophetissa vxore Sellum habitante in secunda parte vrbis, hoc oraculum recepit: Dominum immissurum Iudæ omnia mala comminata, sed post obitum eius. Celebrauit vero hoc memorabili decimo octauo sui regni anno (vnde & Propheta Ezechiel numerat annum suæ visionis) Phase: dans populo de substantia sua triginta mille agnos, hædos & oues, cū tr mille bobus. Cui numero addiderunt Helcias, Zacharias, & Iahiel Sacerdotes, duo millia sexcenta minora pecora & trecentos boues: Principes quoque Leuitarum, quinque mille pecora, & quingentos boues: Duces præterea, quod sponte vouerant, obtulerunt tam in populi, quam in Sacerdotum ac Leuitarum vsus. Itaque immolatum est Phase: adsperseruntq; Sacerdotes manu sua sanguinem, & Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum. Sacerdotes quoque assauerunt Phase igne, & pacificas hostias coxerunt lebetibus & ollis: & festinantes distribuerūt vniuersę plebi. erant-

M que

ANNI MVNDI.

que in holocaustis & adipibus offerendis ad noctem vsq; occupati: cantoribus & ianitoribus rite suis fungentib. officiis; ita vt nocte primū comederent omnes. Fecerunt itaque filii Israel, qui reperti fuerant, Phase, & solemnitatem Azymorum, septem diebus. Non fuerat celebratum tale Phase à tempore Iudicum & Samuelis.

Post hæc atque templi instaurationem, cum Pharao Nechao Rex AEgypti expeditionem moliretur in Assyrios, tendereque vellet ad Euphratem in Charcamis; occurrit ei, vt itinere prohiberet, Iosias in campo Mageddo: vbi sagitta vulneratus, dum curru vehitur Ierusalem versus, moritur in itinere: sepultusque est in Mausoleo patrum suorum. Luxerunt eum Iuda, ciuesque Ierusalem, & præcipue Ieremias: qui etiam carmen lugubre (in quo genere excelluit) composuit: quod cecinerunt omnes cantores & cantatrices: deinceps, ex more, in lamentationibus suis refricantes memoriam omnium optimi Regis instar misturæ odoramenti artificio vnguentarii concinnatæ, spirantem. sicque carmen, quasi mel, dulce erat cantorum gutturibus, & auscultantibus delectabile: vt musica in conuiuio vini.

Non abs re fuerit, hoc loco Iosiæ progeniem adscribere: non fuco aut errore, (vtrumque factum inuenimus) sed veraci ac simplici demonstratione, quaque facile poterunt calumniæ impiorum Porphyrii ac Iuliani apostatæ de *genealogÿs Christi* refelli.

*Iosu,*

* Matthæus, ſicut in Oſia fecerat, ſic & in Iechonia permanet in nomine diuerſarum perſonarum, & obſeruat numerum. 14. in myſterio poſitum.

*Ioſiæ, dicto Lucæ 3. Coſam, filio Amon Helmada, Regi Iuda, filij fuerunt quatuor, nempe:*

*Iohãnã, quem teneræ ætate mortuum non vult lugeri Ieremias 22.*

*Ioachas, qui &* Sellum *Ierem. 22. dicitur: captiuus ductus eſt in Ægyptum:*

Eliacim, *à Pharaone Nechao* Ioacim *dictus; à * Matth.* Iechonias; *& Luc. 3.* Addi: *huic fuere filij,*

*Matthama, à Nabuchodonoſore Se*decias *nominatus: cuius fil. interfecti fuerunt, cum ipſi oculi effoderentur.*

1. Par. 3.
2. Eſdr. 3.
Luc. 3.
Philo. 2.

*Ioachin,* Iechonias *Ierem. 22. dictus, &* Melchi *Luc. 3: huic fuere filij,*

*Sedecias* 1. *par.* 3.

*Aſer, Iechonias Salatiel, etiam dictus Math. 1, &* Neri *Luc. 3, 1. Par. 3.* Mezebezel *dictus: &* Salathiel 1 *Eſd.* 2. *Barachias, idem Zorobabel, qui populum reduxit 1. Eſdr. 2.*

*Melchira, Phadaia, Sẽneſer, Ieremia, Sama, Nadab.*

*Zorobabel*

*Moſellan, Hananias,* (*Phaltias. Ieſora. Raphaia. Azuan. Obdia Sechonias. Semeia.*) *Selemith, ſoror eorum, & Haſabam, & Ohel, & Barachias, & Haſadias.*

*Hattus, Iegaal, Baria, Naria, Saphat, Soſa.*

*Elionai, Ezechias, Ezricam.*

*Odaia, Eliaſub, Theleia, Accub, Iohannan, Dalaia, Anam.*

†
*Reſa Moſella. Luc. 3*
*Iohanna Ben Reſa.*
*Iudas Hyrcanus.*
*Ioſeph priſcus.*
*Semei Abner.*
*Mathathias Helih.*
*Maath Aſer.*
*Naggé.*
*Eſli Agai.*
*Naum Masloth.*
*Amos Straat.*
*Mathath Silia.*
*Ioſeph Arſes.*
*Ianne.*
*Melchi.*
*Leui.*
*Mathath.*
*Helih Ioachim.*
*Maria.*
IESVS *Chriſtus.*

*Abiud. Matt. 1:*
*Eliachim.*
*Azer.*
*Sador.*
*Achim.*
*Eliud.*
*Eleazar.*
*Mathan.*
*Iacob.*
*Ioſeph vir Mariæ, gener Helih, cuius filius putabatur* IESVS, *cum eſſet annorum quaſi triginta*

*Ex hac ſerie progeniei colligi poteſt ætas ferme auctoris Paralipomenon, qui liber 9. locum inter hagiographa tenet.*

## ÆGYPTVS.

*Nechao* ſeu *Nechepſus* Pſammetici filius, regnans annos ſeptẽ, foſſam ex Nilo ad Rubrum mare fodere aggreſſus eſt: quam Darius Perſarum Rex poſtmodum perfecit. Initium fodiendi ſumtum eſt à planitie Ægypti Arabiam verſus, & vltra mille ſtadia foſſa perducta eſt. in qua fodienda, ſub Nechao viginti millia AEgyptiorum periiſſe narrat Herodotus. Superſedens itaque à fodienda foſſa, ad parandas militũ copias ſe conuertit Nechao. Claſſibus paratis, ijs & in Rubro mari, & in mari AEgyptiaco *Herod. 2.*

 eſt vſus.

ANNI MVNDI. est vſus. Terreſtri autem acie congreſſus cum Syrisin Magdolo, victoria potitus eſt: & poſt prælium, Cadyſi, magna Syriæ vrbe.

## GRÆCIA.

3348. *Dracon* Athenienſis leges ſenex Athenienſibus tulit, Olympiade trigeſima nona. Cumque in Æginæ theatro, propter latas leges, lætis acclamationibus celebraretur; petaſis, tunicis & veſtibus capiti iniectis, ſuffocatus eſt: in ipſo theatro ſepultus. Scripſerat degendæ vitæ præcepta, verſuum, plus minus tria millia.

## ITALIA.

Tullus Hoſtilius, *tertius Rex Romanorum, creatur anno V.C.* LXXXII. *Regnauit annos* XXXII: *Albanos Romam tranſire iuſſit: curiam Hoſtiliam conſtituit: montem Cælium Vrbi addidit: & dum Numam Pompilium ſacrificiis imitatur, Ioui Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagrauit.*

*Scriptor de Viris illuſt. cap.4.*

Ancus Martius, *quartus Rex Romanorum, creatur anno V.C.* CXIV. *regnatque an.* XXIV. *Latinos bello domuit: Auentinum & Ianiculum montes Vrbi addidit: noua mœnia opido circumdedit: ſiluas ad vſum nauium publicauit: ſalinarum vectigal inſtituit: carcerem primus ædificauit: Oſtiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in oſtia Tiberis deduxit. His rebus intra paucos dies confectis, immatura morte præreptus, non potuit præſtare qualem promiſerat Regem.*

*Scriptor de Viris illuſt. c.5.*

Tarquinius priſcus *ex Corintho oriundus, regnum vltro petens, accipit: atque adminiſtrat triginta octo annis. Senatum tribus centuriis auxit: atque duodecim Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde ortum quod aureo curru quatuor equis triumphatur: omnia quoque decora & inſignia, quibus dignitas imperij eminet, vt faſces, trabeæ, annuli, paludamenta, prætexta, toga picta, tunica palata, ac phaleræ.*

Genea-

Genealogia Tarquiniorum.

*Demoratus Corinthius filios habuit*

*L. Tarquinium Priscum, qui ante dictus* Lucius *erat; cuius liberi, secundum Liuium,*

*L. Tarquinius Superbus: cuius filii fuerunt*

*Titus. Sextus: qui stupravit Lucretiam. Aruns*

*Aruns, vir minoris Tulliæ.*

*Tarquinia, ex qua natus fuit Brutus, I. Consul,*

*Aruntem, ex quo natus*

*Egerius genuit, secundum Liuium.*

*Collatinū, maritū Lucretiæ, filiæ Sp. Lucretij Tricipitini.*

*Dionysius Halicarnassæus,* Egerium *Aruntis nepotem, &* Tarquinum superbum *nepotem Tarquinij Prisci fuisse asserit.*

## Regnum Iudæ.

ANNI MVNDI.

Reliquerat *Iosias* moriens tres filios: nempe Eliacim, agentem vicesimum quintum ætatis annum, ex Zebida filia Phadaia de Ruma; & Ioachas, viginti tres annos natum; ac Matthaniā, decem annorum: ambos genitos ex Amital, filia Ieremiæ de Lobua. Et licet Dauid, orta lite inter filios suos ex Bersebea natos de successione, constituerat à iunioribus inchoari: tamen populus præterito Matthama, quasi impari sustentando tanto oneri, vnxit & constituit sibi Regem *Ioachas*, qui & *Sellum* dictus erat. Ioachas 16. *Rex Iuda.* Nam erant reges, ab Ioas vsque, semper binomini trinominive: *4. Reg. 23.* vt etiam testatur Philo, eadem iisdem nomina aliquot tribuēs: *Philo 2.* quibus quasi diuersis vti videntur imperitis Matthæus & Lucas in genealogia Christi; dum hic *Her* & *Iesum* vocat, quos ille *Manassen* & *Ezechiam* nominat: vtrisque nominibus Philo eosdem. Porro fecit malum coram Domino Ioachas, dum regnat tribus tantum mensibus. Vinxit ergo eum Pharao Nechao Reblatæ, quæ ciuitas postmodum Antiochia dicta fuit; & adducens eum Ierosolymam, amouit regno ac tulit in Ægyptum: vbi mortuus, sicut prædixerat Ieremias. Imposuit & Ægyptius *Ierem. 22.* Iudæ tributum centum talentorū argenti, & talenti auri. Quod colligens Eliacim, ipsi dedit. Hunc enim in fratris locum substituerat, mutato ipsius nomine in *Ioacim*, quem & Matthæus *Iechoniam*, & Lucas etiam *Melchi* appellant. Regnauitq; hic annis vndecim. 3339. Ioacim 17. *Rex Iuda.*

Quarto regni sui anno, reuocauit Ieremias populum ad pænitentiam, prædicēs deuastationem Ierusalem ac Iudææ: & post *4. Reg. 23.* septuaginta annos, quibus Iudæi seruituri essent, destructionē *Ierem. 25.* etiam regni Babylonis ac Chaldæorum, variorum quoque re-

ANNI MVNDI.

gnorum terræ ac diuersarum ciuitatum. Cumque stans in atrio domus Domini, prædiceret deuastationē templi futuram, quēadmodum dum caperetur arca in Silo; comprehenditur à Sacerdotibus ac Prophetis: sed ne interficiatur à populo, liberatus est per Ahiram filium Saphan.

Adscēdit ergo Nabuchodonosor, & fecit sibi Ioacim tributariū tribus annis: rebellantem deinde vinxit catenis, atque transtulit Babylonem, cum multis vasibus domus Domini. Huc videntur etiam translati fuisse hoc tempore Daniel, Ananias, Misael & Azarias, atque alii pueri formosi, nobiles, ac de stirpe regia & magnatum. Ioacim interfectus, bestiis insepultus proiectus fuit: & regnauit Ioacin, *Iechonias* Ieremiæ, & *Melchi* Lucæ dictus, annos natus octodecim, quem Ioacimo pepererat Nehesta filia Eluathan de Ierusalem, tribus mensibus & decē diebus: tunc enim obsessus se dedidit cum matre, principibus & seruis suis. Quos Nabuchodonosor transtulit Babylonē: quo & Principes populi, viros militares, atque artifices, inclusoresq; transmigrare coegit, ad numerum trium millium & viginti tres. Hæc ergo transmigratio fuit Babylonica: quam desolatio, post annos vndecim, insecuta est; præcipue ob innocentem fusum sanguinem, aliaque peccata sub Manasse perpetrata.

*Ierem. 22.*

*Ierem. 26.*

Iechonias XVIII. *Rex Iuda.* *4. Reg. 24.* *Luca 3.*

Ceterum pro Ioacim statuit Nabuchodonosor *Matthata* eius patruum in Regem, sacramento se obligantem, quod cum fide seruiret Chaldæis. Cuius vt memor esset, voluit Babylonius ipsum vocari *Sedeciam*, quæ vox iustitiam Domini significat. Regnauit vero Sedecias annis vndecim. Quorum primo videt Ieremias ante templum Domini duos calathos ficorum, quarum aliæ bonæ, aliæ vero pessimæ erant: quibus discrimen transmigrationis factæ iā, & captiuitatis Iuda futuræ designabatur.

Contigit & hoc tempore, per puerum Danielem detegi memorabilem illam impurorum presbyterorum calumniam, qui cum ab amici viri vxore Susanna ad stuprum non admitterentur, eam adulterii accusarant; quæ & lapidata fuisset, ni illam Deus conseruasset, testis & iudex cum mulieris pudicitiæ, tum ipsorum falsitatis, atque impuritiæ sceleratæ. Legit Ecclesia historiam prolixius descriptam ex translatione Theodotionis: sed eam, in epistola ad transmigratos Babylonem, veridice refert Ieremias paucis adscribens etiam palam ipsorum nomina & mortis genus, quo fuerunt interfecti, cum populus eos afficere vellet pœna talionis, hisce verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel, ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant in vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, & percutiet eos in oculis vestris: & assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Deus sicut Sedeciam &*

*chab, quos frixit Rex Babylonis igne, pro eo quod fecerunt stul-* ANNI
*in Israel, & mœchati sunt in vxores amicorum suorum, &* MVNDI
*sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui*
*o sum iudex & testis, dicit Dominus.*
terum fecit malum Sedecias coram Domino: sicque trige- 3355.
anno, à celebratione Phase, sub Osia, hoc est, quinto anno
iæ, quinto die mensis quarti Tamaz, cœpit prophetare E-
el: annos natus triginta, Babyloniæ: quo traductus erat cū
hin. Præcepit huic Dominus lateri insculpere vrbem Ieru- Ezech. 4.
, & formā arctissimæ obsidionis eius: ponereque ferream
ginem, quasi murum, inter se & vrbem: quo quasi diuinum
uderet auxiliū. quod pro signo ac formula esset futuræ ob-
nis filiis Israel. Iubetur quoq;, tercentis & nonaginta nocti- 3356.
in sinistrū; & quadraginta in dextrū latus dormire; portans
uitatē ciuitatis ac Iuda, diem numerando pro anno. Quib⁹
eris significabat tempus annorū, qui fuerant à diebus, qui
expresserat primum nomina Ieroboam & Manasse, ob quo-
n peccata firmata tum erat sententia præcedentiū commina-
num, vsque ad vltimam sententiæ eius consummationem:
pe quando Israeliticus populus, cuius reliquiæ adhuc in ter-
erant, & populus Iuda funditus auferrētur de regionib. suis.
que si ab octauo anno Ieroboam (quando ipsi dixit Agia: *Per-*
*tiet Dominus Israelem, sicut moueri solet arundo in aqua, & euel-*
*de terra propter peccata Ieroboam*) numeraueris ad vsque quar-
m annum desolationis, quando extremæ reliquiæ Israelis cū
da emigrarunt; reperies exacte tercentos & nonaginta annos:
cuti ab anno decimo octauo Iosiæ, quādo Manassis nomē pri-
num nominatū fuit, ob cuius peccata auferretur à facie sua Iu-
a, ad eundē quartum annū (qui Nabuchodonosoris est vicesi-
nus tertius) inuenies annos quadraginta: quando fugerunt ti-
nentes Chaldæos, ob necem Godoliæ, oēs in Ægyptum. Quin
ambo numeri coniuncti, æquales erant diebus quib. vltimo ob-
sidebatur ciuitas: exiguitateq; potus ac cibi fimo boū illiti, de-
monstrabatur famem ac fœdam afflictionem futuram habitan-
tibus in Ierusalem. Itaque verbis testabatur, & opere figurabat
vrbis desolationem aduenturam.

Anno sequenti 5. die 6. mensis, Ezechiel eleuatus inter terram
& cœlū à Spiritu, & adductus in Ierusalē, in visione Dei vidit ab-
ominationes varias idololatriæ: dū ab Aquilonis parte domus
Domini, vidit idolū Zeli; ad ostium atrii, depictas similitudines
reptiliū, atq; animaliū, quib. turificabāt Iezonias cū septuaginta
senioribus Israel; & alibi, sedentes mulieres, plangentes Adoni-
dem; inter vestibulū quoq; & altare, 25. viros adorantes Solē ex-
orientē, dorsaq; opponentes templo: vt mirū non sit, si non mi-
sereatur illorū & exaudiat eos Dominus. M 4 *Regnum*

ANNI MVNDI.

## Regnum Israel.

*Ieremias*, filius Helciæ, Sacerdos Anathothites, anno decimo tertio Iosiæ, audiens à Domino, quod ab ipso in vtero materno fuisset sanctificatus, Prophetaque mittendus esset in Gentibus, excusat se ob pueritiam. quare tale robur se illi præstaturum esse dicit Dominus, vt pro munita ciuitate, columna ferrea, æneoque muro esse poterit Regibus, Principibus ac Sacerdotibus Iudæ, cunctoque populo terræ Quos omnes, si ipsi bellum inferant, non esse aduersus eum præualituros.

*Hieron.in Prologo.* Prophetauit tempore Iosiæ *Sophonias*, gloriosa maiorum stirpe ortus: in quorum nominibus latentia mysteria perscrutatur D.Hieronymus: nempe Prophetam in specula constitutum, cui arcana Domini commissa sunt, ex humilitate nasci, quæ prouenit ex cognitione magnitudinis Domini, quam verbum seu sertum Domini prodit, quod protulit Domini fortitudo. Nam atauí Prophetæ nomen Ezechias, fortitudinem Domini; proaui nomen Amarias, sermonem Domini; aui nomen Godolias, magnitudinem Domini; & nomen patris Chusi. humilitatem significat. ipsius Prophetę nomē alii speculam, alii arcanum Domini interpretati sunt. nec enim altum sapere, sed humilitatem requirit Dominus in seruis suis Prophetis. nam & ille, qui se non dignum esse dixerat, vt solueret corrigias calceorum Christi, & non Prophetam, sed vocem clamantis esse in deserto, hoc elogio laudatus fuit, vt plus quam Propheta, & Angelus Dñi vocaretur ab eo, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod in nomine eius oportet nos saluos fieri. Itaque Sophonias modeste de se sentiens, Regum filios, & aulicos peregrino cultu superbientes, aliosque argento se ornantes, hostias quodammodo futuros, sic vt à porta pisciū clamor; ab altera parte quam Ezechias ædificauerat vrbis vlulatus; & à Moria Sioneque collibus contritio magna exaudiantur, Domino vaticinatur. in propinquo enim esse diem, quando fortes etiam turpiter eiulabunt, & diuitibus nihil proderunt thesauri ipsorum. *dies enim ira Domini*, ait, *dies calamitatis, angustia, miseria, tribulationis, caliginis, nebula ac turbinis, cum in igne zeli Domini deuorabitur omnis terra.* Hortatur itaque populum, vt ad Deum conuertatur: priusquam ira Domini ipsi superueniat.

In Principio regni Ioacim, iubente Domino imposuit vincula ac catenas collo suo Ieremias, emisitque eas ad varias ac diuersas gentes, suadens vt se vltro subiiciant Babyloniis. At Ananias collo Prophetæ eas detrahens, fausta ominabatur: quem ob mendaciū moriturū prædixit Ieremias: sicq; vita functus est
*Ierem.28.* mense secundo.

*Vrias*

*Vrias* filius Semer, Propheta, cum post Ierosolymæ excidium denuntiatum fugisset in Ægyptum, inde reductus à Ioacim gladio percutitur, ac cadauer eius proiicitur in sepulcretis ignobilis vulgi. Combussit quoque Ioacim librum comminationum Ieremiæ, quem Baruch filius Neriæ, in carcere, ex ore Ieremiæ conscripserat, atque legerat in templo. ANNI MVNDI.

Anno regni secundo, cum oblitus esset Nabuchodonosor somnii sui, interfici fecit ariolos, qui ipsi illud referre ac interpretari nequibant. Itaque Daniel oratione impetrauit à Domino & somnii & interpretationis eius scientiam: introductusque per militiæ Regis principem Arioth ad Regem, ipsi mysteria somnii aperuit: referens, statuæ, quæ ei apparuerat, caput aureum designare regnum, cui ipse præesset, nempe Assyriorum; pectus & brachia argentea, significare Medorum simul ac Persarum monarchiam; vt ventrem & femora ex ære, Græcorum, quibus arma ænea erant: vti ferrea, Romanis, qui domaturi omnia, ferreis adsimilabantur pedibus: quorum quoque regnum bipartitum ac male cohærens sibi, esset interiturum; succedente regno perpetuo *Christi*, qui lapis de monte abscissus consummaturus sit omnia tandem regna, ipse permanens in æternum, ac regnaturus super gentem sanctam ac populum acquisitionis. Qua interpretatione facta, Rex adorabundus Danielem laudauit, dicens: *Deum eius Deum esse Deorum, & Dominum Regum, reuelantem mysteria*: sic vt potuerit ille aperire hocce sacramentum. donatumque muneribus constituit præfectum magistratuum: & ad eius requisitionem, Sidrach, Misach & Abdenago super opera prouinciæ Babylonicæ posuit.

## *Regnum Iuda.*

Anno nono Sedeciæ, venit Nabuchodonosor, cum exercitu Chaldæorum, obsidere Ierusalem, mensis decimi decimo die. Prædicebatque ciuitatem capiendam esse Ieremias. quare custodiæ fuerat traditus: vbi in atrio carceris, ex mandato Domini, emit à patruele suo Hanameel agrum in Anathet septem siclis & septem argenteis appensis, traditis hinc inde litteris mutuo stipulationes ac rata continentibus: quando ipsi præter cetera, dixit Dominus, venturos esse dies, in quibus germinare faceret Dauid germen iustitiæ, faciens iudiciũ & iustitiam in terra, quodque tunc saluaretur Iuda, & Ierusalem confidenter esset habitatura.

Obsessa vrbe audientes Chaldæi Ægyptios auxilio venire Iudæis, soluta obsidione, eos aduentantes abegerunt. Dimiserant quoque Iudæi seruos ac seruas tunc, libertatique restituerant: quos, discedentibus Chaldæis, ad seruitutem rursum contra

ANNI MVNDI. fas retraxerunt. Dimissus quoque custodia fuerat Ieremias: quē pergentem ad terram Beniamin, quasi profugum apprehendit in porta Beniamin Ierias, ac tradidit carceri. Vnde accersitum secreto interrogat Sedecias, quid de se futurum sit. cui cum Propheta captiuitatem prædiceret, atque, ad quid captiuus ipse detineatur, rogaret; orando impetrauit, vt in vestibulo carceris cōstitutus, torta panis, præter obsonia, singulis donaretur diebus, vsque dum omnis consumta foret annona. Porro dum prophetaret Ieremias populo extrema, dimiserunt viri Principes eum in lacum lutosum: vnde extractus fuit funibus ab Abdemelech Æthiope atque triginta viris, iussu Sedechiæ.

*Ierem.34.*

3362. Vndecimo anno Sedechiæ quinto mense ac quinto eius die rumpebant Chaldæi exteriorem murum intraueruntq; ad mediam vsque portam die nono: quando nocte fugerunt omnes viri bellatores cum Rege: qui retractus à Chaldæis atque captus fuit in solitudine Ierichuntis, ductusque Antiochiam: vbi occisi filii, eiusque oculi effossi sunt. vinctus quoq; catenis ductus est Babylonem, quam non vidit, sicut prædixerat Ezechiel. Mense vero quinto decimo die succendit Nabuzardam princeps exercitus domum Domini, cum triduo ante conflagrasset opidum, vniuersum quoq; murū in circuitu destruxit. tulit etiam omne æs q̄ fuerat in domo Domini Babylonem: Saraiam sacerdotem primum, & Sophoniam sacerdotem secundum, & tres ianitores ac plurimos viros principes Antiochiam: vbi à Nabuchodonosore interfecti sunt omnes. Cuius iussu seruatus fuit Ieremias. Qui post desolationem ciuitatis, planctum super eam fecit quadruplici carmine lugubri; vno quoque ad viginti duarum literarum Hebraicarum numerum composito. recitauit amaro animo, ac genis præ lacrymis madentibus illa sua carmina: quæ & corda saxea possent mouere. miseriam populi ac solitudinem vrbis deflet, & suam quoque calamitatem. deinde ad Deum conuersus, recitatione malorum, eum ad misericordiam, oratione perleganti mouere conatur.

*Ezech.12.*
*Ierem.52.*

Præfecerat vero Nabuchodonosor reliquiis pauperum regionis Godoliam filium Ahiran, nepotem Saphan: quem, post menses duos, occidit proditorie Ismael, filius Nathamæ, ex sanguine regio, cum suis. Quare verentes hi, qui in Iudæa remanserant, Chaldæos, fugientes pæne omnes in Ægyptum, coegerunt Ieremiam cum Baruch eo quoque proficisci. Sicque egit terra sabbatum desolationis, donec complerentur septuaginta anni: cum transtulisset animas octingentas & triginta duas Babylonem Nabuchodonosor.

Porro à templi dedicatione ad desolationem, intercesserant quadringenti & viginti anni: quibus, vt plurimum, non fuit vaca-

vacauerunt cultui diuino Iudæi. Huic ergo numero addita se-ptima parte, nempe septuaginta, proueniet numerus 490, hoc est, septies septuagies: ad cuius numeri modum remitti fratri vult in nos peccanti *Christus*. Celebris certe septenarius est numerus in scripturis sacris. vt enim septimo die vacandum erat Iudæis contemplationi diuinæ; sic & terræ concedi ab illis Sabbatum voluit Deus septimo quoque anno. Post sex quoque ætates peractas, veniet æterna illa requies: quam ornatis septem virtutibus ob septem caritatis opera proximis exhibita, iustus iudex concedet. Vtque inter numeros senarium perfectum & octauum primum cubicum, medius est septenarius; sic constat ex vtriusque parte dimidia, nempe tribus & quatuor; in quibus numeris, vti diuersi singulis ætatibus ac religionibus fere artibus quoque eminuerunt; ita & in ijsdem, in Scripturis, semper celebrantur suis elogiis: vt ætate prima, ex posteris Adam, ob sanctitatem, quatuor:

ANNI MVNDI.

*Abel*, *Enos*, *Henoch*, *Noe*.

Secunda ætate, ex posteritate Noe, ob generosæ prolis fecunditatem, tres:

*Sem*, *Heber*, *Thare*,

Tertia ætate, ob mysteria fidei, tres:

*Abraham*, *Isaac*, *Iacob*.

Ob miracula, tres:

*Moyses*, *Iosue*, *Gedeon*.

Ob Prophetiam, tres:

*Samuel*, *Nathan*, *Gad*.

Ob Sacerdotii dignitatem, quatuor:

*Melchisedech*, *Aaron*, *Eleazar*, *Phinees*.

Quarta ætate, ob pietatem, tres:

*Dauid*, *Ezechias*, *Iosias*.

Ob miracula, tres:

*Helias*, *Helisæus*, *Isaias*.

Triplici ætate, liberantes animas suas in iustitia sua, tres: *Ezech.14.*

*Noe*, *Iob*, *Daniel*.

ÆGY-

ANNI MVNDI.

## ÆGYPTVS.

*Nechao* cum decessisset decimo septimo regni sui anno, illud filio suo *Psammi* reliquit: qui in Ægypto regnauit annis sexdecim.

Huius tempore, Helii miserunt in Ægptum nuntios suos, iactantes in Olympia iustissimum ac maximum certamẽ esse propositum, seq; venisse sciscitatum, si quid Ægyptii iustius queant reperire. qui habito cõsilio, rogabãt Helios: numquid apud eos certarent & ciues? atq; respõdentibus, cuiuis Græcorum volenti certare, fas esse, dicunt; tali proposito certamine, eos ab omni iure excedere: nullo enim pacto fieri posse, vt non ciues ceteri pugnanti fauerent, & iniuriã facerent hospiti. at si vellent iustum proponere certamen, iuberent hospites certare, nullo Heliorum certare permisso.

Porro *Psammis*, facta in Æthiopiam expeditione, mox vita functus est. Eoque mortuo, *Vaphres* seu Apries filius eius accepit regnum. qui instar Psammetichi proaui sui, fortunatissimus fuit: cum regnaret annis triginta. Hic Sidoni bellum intulit, & cũ Tyro bello nauali pugnauit. At vero, cum contra Cyrenæos dimicando, misso exercitu, magnam cladem accepisset; id ei imputantes Ægyptii, & opinati se ab illo in perniciem fuisse dimissos, vt ipsis internecione deletis, securius ceteris AEgyptiis pro libito imperaret; ab eo desciuerunt, Amasim sibi in Regem, quem ad rebelles sedandos Apries miserat, eligentes. Qui mox contra Apriem exercitum mouit, atque debellatum captumque in regia honeste adseruauit in Saiun. Et tandem incusantibus Ægyptiis Amasim nõ iuste agere; quod suum & illorum inimicissimũ aleret, illis Apriem tradidit. qui eum, strangulatum, paternis in monumentis sepelierunt, in delubro Mineruæ, intranti ad læuam.

## GRÆCIA.

*Methon* Athenis, Olympiade trigesima septima floruit; atque prodidit, ducentis & triginta quinque mensibus lunaribus annos solares nouẽdecim impleri, vnde cyclus decemnoualis Athenis in foro fuit præfixus.

Circa hoc tempus *Pythagoras Samius* deprehendisse narratur naturam vagi sideris, quod *Veneris* nomine appellatur: nimirũ quod Soli præueniens, diemque mane maturans, *Luciferi* nomine notum est; idemq; post Solis occasum refulgens, lucẽq; prorogans, *Hesperus* vocatur: tantæ exsistens claritatis, vt eius radiis etiam vmbræ reddantur: tantæ quoq; potentiæ, vt exortu eius, rore terra conspersa concepta semina producat in herbam,

atque

atque ad maturitatem stimulet. Mos erat Pythagoræ, nocte cursus inspicere stellarum. quare, vt in libro de consiliis suis apud Boetium refert Cicero, cum vinolenti adolescentes tibiarum cantu, vt fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerēt; admonuisse Pythagoram, tibicinam, vt Spondæum caneret. quod cum illa fecisset, tarditate modorum & grauitate canentis illorum furentem petulantiam consedisse. Erat enim Pythagoras Musices peritissimus: atque consonantiarum proportiones hoc modo narratur indagasse: Præteriens fabrorum officinas, pulsos malleos exaudiuit ex diuersis sonis vnam quodammodo personare concinentiam; idque non viribus ferientiū (imperauerat enim fabros inter se mutare malleos) sed ponderum ratione: cum dupli ponderis mallei secundum diapason consonantiam sibi responderent: illi vero qui medii sesquitertium continebant, diatessaron sonarent: at quorum pondus sesquialterū erat, diapente referebant. Reuersus ergo domum, rationes symphoniarū varia examinatione perpendit; & diuersa pondera neruis aptans, eorumque consonantias aure diiudicans, diuersa experientia certá capiebat fidem. deinde longitudine crassitudineque chordarum idem examinare aggressus, inuenit regulam, quę firma fixaque nullum inquirentem dubio fallat iudicio.

ANNI MVNDI.

*Boetius de Musica lib. 1, 10.*

Ferunt & illum excogitasse tabulam, in qua longitudo continet continui numeri ordinem naturalem, & latitudo prodit numeros multiplicatos suis in locis quadrate, secundum gnomonem, positos: sic vt linea transuersalis ostendat tetragona.

In Geometria quoque complura demonstrauit, & primus sapientiæ studiū nominauit Philosophiam: quam eius rei notitiā ac disciplinam statuebat; quæ proprie vereq; esse diceretur. Omnem quantitatem vel continuam vel discretam esse aiebat: illam magnitudinem, hanc multitudinem vocabat. Mundum animatum, intelligibile rotundum, mediam terram continentem, quam & ipsam globosam, circumhabitari vndiq; affirmabat. Æquis etiam partibus inesse mundo lucem & tenebras, calidum & frigidum, siccum & humidum. Ex iis dum calor præualet, æstatem; dum frigus, hyemem fieri; dumq; æquis sint partibus, ver autumnumq; adesse.

*Boet. de Musica. 1.*

Ex Ægypto Samum reuersus, offendens patriam à Polycrate tyranno incubari, Crotonē Italiæ opidum petiit: vbi, post quinquagesimam Olympiadem, Philosophorū deditorumque doctrinæ studiis hominum gymnasiū instituit; vnde celebritas & splendor vrbi: cui etiā leges dedisse fertur; cum tercenti eius discipuli, ibidē Rempublicā administrarent, ita prudenter, vt merito Aristocratia seu optimatū Respublica haberetur. A discipulis solitus fuerat pacisci quinquennale silentium: ne doctrinæ eius

ru-

ANNI MVNDI.

rudes adhuc, paradoxa de animorum transmigratione, aliisque opinionibus temere effutirent, aut ipsi suis quæstiunculis inanibus molestiam adferrent. Laudabat quotidie virtutem ac frugalitatem, enumerans ciuitates quæ luxu perierant. Symbola multa ipsi erant peculiaria, quibus secretior doctrina cōtinebatur. In Theologia Hermetem Trimegistum atque Orpheum secutus, vmbram veritatis propheticæ creditur imitatus. Nam non modo in Ægyptum, sed & Babyloniam, discendi studio, concesserat. Pherecydem quoque Syrum habuit doctorem, qui haustu aquæ è puteo præsensisse ac prædixisse terræmotum fertur; atque etiam prosam orationem condere instituisse; & copia serpentium (al vermium) ex corpore eius erumpente, exspirasse. Fuit Pythagoræ amicitia quoque cum Anaximene Milesio qui rationem vmbrarum gnomicam inuenit primusque horologium quod vocant sciotericon, Lacedæmone ostendit. Vbi præceptor eius Anaximander Milesius prædixerat Spartanis, vt vrbem ac tecta conseruarent, instare enim motum terrę: cum paullo post vrbs corruit, & pars montis Taygeri abrupta, cladem insuper eam ruina pressit Qui Olympiade quinquagesima octaua, obliquitatem Zodiaci primus traditur inuenisse, ac rerum cælestium fores Græcis aperuisse. Porro Pythagoram, suspicione dominatus iniusta, viuum concrematum fuisse in fano, refert Arnobius: sicque non spōnte, sed crudelitate appetitum effudisse spiritum. Historia rerum se exercuisse supra omnes homines, refert Heraclitus: seligens namque hæc scripta, suæ sapientiæ, multæque peritiæ & artis documentum dedit. Symbola seu aurea carmina, quæ eius nomine circumferuntur, à Philolao fuere conscripta, qui etiam tres illos libros euulgauit, quos Plato centum minis sibi emi per litteras orauit. Fuit Romæ Pythagoræ in cornu comitij statua posita, quasi Græcorum sapientissimo; patribus ipsum, sapientiæ nomine, præferentibus Socrati. Ab ipso descendit Philosophorum secta Italica, hoc ordine in ea principatum obtinentibus:

*Iust. 20.*
*Minut. Felix in Octauio.*
*Plin. 2. 79. 7. 56.*
*Plin. 2. 8.*
*Arnob. aduers. Gent. 1.*
*Diogen. Laert. 8.*
*Plin. 34. 6.*

1. *Pythagoras.*
2. *Telauges eius filius.*
3. *Xenophanes Colophonius.*
4. *Parmenides Eleates.*
5. *Zeno Eleates.*
6. *Leucippus Eleates.*
7. *Democritus Abderites.*
8. *Nausiphanes.*
9. *Epicurus Athenienfis.*

Damæ quoque eius filiæ ingenium & doctrina, in exponendis paternis sententiarum inuolucris, admirationi omnib. fuerunt.

Sappho

*Sappho* Lesbia Poetria, Scamādronymi filia, Mytilenis nata, inter nouem Lyrici carminis Poetas numeratur: floruitque tēpore Alcæi & Stesichori Poetarum: habuitque Cercylam virum prædiuitem, ex Andro. Scripsit Lyricorum libros nouē: præterea Epigrammata, Elegias, Iambos, & Monodias carmine Sapphico: cuius inuentrix fuit. ANNI MVNDI

*Alcæus* aureo plectro merito donatur, quod tyrannos insectetur, multum etiam moribus conferat: in eloquendo quoque breuis, & magnificus, & diligens.

*Stesichorum*, quam fuerit ingenio validus, materiæ ostendūt, maxima bella & clarissimos canentem Duces, & Epici carminis onera lyra sustinentem. reddidit enim personis, in agendo simul loquendoque, debitam dignitatem: & si tenuisset modum, videtur æmulari proximus Homerum potuisse.

## *Regnum Babyloniorum.*

*Nabuchodonosor Magnus* regnauit quadraginta quinq; annis, & percussit Nechao in Charcamis ad flumen Euphratem: à quo dominabatur vsq; ad Nilum, non egredientibus Ægyptiis regione sua. 3343.

# GOTHIA.

PRoditum memoriæ est, ex Getarum gente quempiā nomine *Zamolxin* seruisse Pythagoræ, & cælestium rerum aliquas ab eo didicisse: cumq; ad Ægyptios vsque peregrinatus errasset, quædam etiā illorum accepisse: cumque suam reuertisset in patriam, magna in caritate ac studio apud Principes nationemque illam habitum, quid portenderent signa, præsagientem: deniq; persuasum Regem animum induxisse, vt illum in regni societatem acciperet; vt qui ad Deorum arcana annuntianda foret idoneus. & ab initio quidem, eius, quem maxime venerantur, Dei sacerdotem constitutum: postea vero, Dei appellationem comparasse. inde speluncam nactum subterraneam, ceteris inaccessibilem, eo in loco degere solitum; externis, excepto Rege eiusque ministris, colloquia raro facientem. adiurasse etiam Regē; cum homines longe magis, quam prioribus annis, cicuret, animos illi attentius adhibentes, tamquam è Deorum consilio edicta efferenti. Hic quidem mos ad sextam mundi vsque ætatem perseuerauit, vt semper aliquis huiusmodi præditus institutis reperiatur, qui Regi consiliarius adsit; & ipsos inter Getas, Dei nomen adsequatur. Sacerque relictus est mons, quem sic nominant. nomen vero est *Cogæonum*: quo vocabulo & amnem prætetlabentem vocitant. *Herodotus lib. 4. Strab. lib. 7.*

ANNI MVNDI.


Ceterum vt in priori volumine de mensuris cubicis, sic & hic, appendicis loco, de quadratis ac lineatis mensuris pauca referamus. est enim non modo earũ cognitio iucunda, sed & vtilis ad intellectum Scripturæ ac auctorum. Quotusquisq; enim legens, discipulos ambulasse ab Ierusalem vsq; Emaus, Nicopolim dictum, iter sabbati, nempe sexaginta stadia; intelligit ibi significari schœnum Ægyptium, quo etiam videntur Hebræi, in locorũ distantiis metiendis, vsi fuisse: & Lucam Græcis scribentem, stadia, quib. illi metiebantur (vt distantiam intelligerent) posuisse. Nec etiam sine ratione gigantum magnitudines designatæ sunt variis in Scripturæ locis. quæ intelligi non possunt, nec perscrutari latentia in iis mysteria (neque enim frustra tam exacte descripta sunt) ab iis, qui mensurarum rationem ignorant. Igitur vt in mensuris cubicis (quæ longitudine, latitudine ac profunditate constant) ratio habetur magnitudinis centri corporis quadrati, habentis suam proportionem ad certum pondus, ratione grauitatis ac leuitatis mercium: sic etiam linealis mẽsura habet suam proportionem pro modo pecuniarum, quæ ratione numerorum excrescunt aut minuuntur. In illis sit amphora pro exemplo sumpta: quæ & quadrantal nominatur, estq; & liquidorũ & aridorum ex æquo mensura, nempe vas pedis quadrati ex omni parte, capiens 46. libras Rom. vini: sicque sextarius cõtinet duas libras seu vncias viginti quatuor vini nã olei, quod leuius est, aliud mensuræ vas erat, (quod libra dicta) duodecim quidẽ mensurales, sed decem tantũ ponderales vncias cõtinens: ratione qua oleum à vino pondere superatur. In lineis vero mensurãdis vtuntur & Græci cubitis sex palmorum seu viginti quatuor digitorum, qui maior est cubito Romano, decima sexta parte: vt quibus nummus dragma est constans sex obolis, quorum singuli quatuor valent dichalcos. Latini aũt pedibus quatuor palmorum: cum denarius apud ipsos constet quatuor sestertiis. Diuiditur quoq; denarius decem assibus: vt pertica seu decẽpeda, decẽ pedibus. omnis quippe mẽsurę modus sumitur ab homine, eiusq; partibus. Nam mensura maxima, quã auctor Paralipomenon vocat cubitum in mensura prima, est statura gigantæa, sex nimirum cubitorum: vt hominis iusti orgyia, est cubitorũ quatuor: & nani, pedum quatuor; membris compositis secundũ cuiusque proportionẽ: sic vt vmbilicus sit loco centri: super quod si circulum trahas: vt pedis infimum, sic extremitates extensorum brachiorum tanget efficiens triangulum laterum æqualium staturæ eius. omnes quoque partes ad amussim sibi inuicem respondent: vt non immerito Pythagoras dixerit, hominem esse mensuram. nam quadrata æreæ mensura ab homine sumpta est; cũ longitudine ac latitudine figurã quadratã ostendat.

*Mel grauissimum superat vinum, quemadmodum vinum superat grauitate oleum & cum aqua pluuiali eiusdem est ponderis.*

In

In homine ſunt & ſimplices & compoſitæ menſuræ, quibus vtuntur cum propolæ, tum artifices ac geometræ. Eſt & in membris ſymmetria ſumme admirabilis: quam & contemplari & admirari merito debemus. Non exigua eſt enim dementia, hominem terraſque tractuſque maris cœlumque profundum metiri, & ſuam ignorare menſuram. Metiri ſe quemq; ſuo modulo ac pede rectum eſt.

Longitudo hominis 24. palm. ſeu 6. ped. ſeu 4. cubitor.




Veterũ ſymmetriæ corporis adulti ratio, in varias partes diſtincta.

A fronde ac imis radicib⁹ capitis ad mẽtum, $\frac{1}{10}$.

Tantumdẽ manus palma ad extremũ digitum, népe à palma ad flexuram brachii, $\frac{1}{10}$.

A flexura ad humerum, $\frac{1}{5}$.

Latitudo pectoris à frõte ad verticem, $\frac{1}{40}$.

A fronte ad ſummum pectus, $\frac{1}{8}$.

Faciei frons, $\frac{5}{3}$.

Inde ad menti extremitatem, $\frac{1}{3}$.

Pectus ad verticem, $\frac{1}{4}$.

Ad pudenda, $\frac{1}{4}$.

Ad imum poplitis, $\frac{1}{4}$.

Ad plantam. $\frac{1}{4}$.

A vertice ad . . . ceruicis, $\frac{1}{8}$.

Ad nates. $\frac{3}{8}$.

Craſſitudo per pectus, $\frac{1}{3}$.

Exactior ac verior recentiorum artificum proportionis ratio in 9. partes diſtributa.

A ſumo vertice ad imum capillitij, $\frac{1}{27}$.

Hinc ad interlicia, $\frac{1}{27}$.

Naſus, $\frac{1}{27}$.

A narib⁹ ad mentum, $\frac{1}{27}$.

Guttur, $\frac{1}{27}$.

Pectus, $\frac{3}{27}$. id eſt $\frac{1}{9}$.

A ſumo ſtomacho ad vmbilicum, $\frac{1}{9}$.

Inde ad femora, $\frac{1}{9}$.

Coxendices ad poplitem, $\frac{2}{9}$.

Hinc ad nodum, crura, $\frac{2}{9}$.

A nodis ad plantas imas, $\frac{1}{27}$.

Philippus Burgundio pro poplite ſtatuit etiam $\frac{1}{27}$. ſicque conſtat nouem partibus & triente ſtatura. ſic pudenda fierent medium.

ANNI MVNDI. est vsus. Terrestri autem acie congressus cum Syris in Magdolo, victoria potitus est: & post prælium, Cadysi, magna Syriæ vrbe.

## GRÆCIA.

3348. *Dracon* Atheniensis leges senex Atheniensibus tulit, Olympiade trigesima nona. Cumque in Æginæ theatro, propter latas leges, lætis acclamationibus celebraretur; petasis, tunicis & vestibus capiti iniectis, suffocatus est: in ipso theatro sepultus. Scripserat degendæ vitæ præcepta, versuum, plus minus tria millia.

## ITALIA.

Tullus Hostilius, *tertius Rex Romanorum, creatur anno V.C.* LXXXII. *Regnauit annos* XXXII: *Albanos Romam transire iussit: curiam Hostiliam constituit: montem Calium Vrbi addidit: & dum Numam Pompilium sacrificiis imitatur, Ioui Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagrauit.*

Scriptor de Viris illust. cap. 4.

Ancus Martius, *quartus Rex Romanorum, creatur anno V.C.* CXIV. *regnatque an.* XXIV. *Latinos bello domuit: Auentinum & Ianiculum montes Vrbi addidit: noua mœnia opido circumdedit: siluas ad vsum nauium publicauit: salinarum vectigal instituit: carcerem primus ædificauit: Ostiam coloniam, maritimis commeatibus opportunam, in ostia Tiberis deduxit. His rebus intra paucos dies confectis, immatura morte præreptus, non potuit præstare qualem promiserat Regem.*

Scriptor de Viris illust. c. 5.

Tarquinius priscus *ex Corintho oriundus, regnum vltro petens accipit: atque administrat triginta octo annis. Senatum tribus centuriis auxit: atque duodecim Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde ortum quod aureo curru quatuor equis triumphatur: omnia quoque decora & insignia, quibus dignitas imperij eminet, vt fasces, trabea, annuli, paludamenta, prætexta, toga picta, tunica palmata, ac phaleræ.*

Genealogia Tarquiniorum.

*Demoratus Corinthius filios habuit*

*arquinium Priscum, qui ante s* Lucius *erat; cuius liberi, se- dum Liuium,* | *Aruntem, ex quo natus Egerius genuit, secundum Liuium.*

*nius Super- filii fuerunt* | *Aruns, vir mi- noris Tullia.* | *Tarquinia, ex qua na- tus fuit Brutus, I. Con- sul.* | *Collatinu, maritu Lucretia, filia Sp. Lucretij Tricipitini.*

*itus.* | *Sextus: qui stupra- uit Lucre- tiam.* | *Aruns*

*Dionysius Halicarnassaus*, Egerium *Aruntis nepotem*, & Tarquinum superbum *nepotem Tarquinij Prisci fuisse asserit.*

## Regnum Iuda.

ANNI MVNDI.

querat *Iosias* moriens tres filios: nempe Eliacim, agen- esimum quintum ætatis annum, ex Zebida filia Phadaia na; & Ioachas, viginti tres annos natum; ac Matthaniã, annorum: ambos genitos ex Amital, filia Ieremiæ de Lo- t licet Dauid, orta lite inter filios suos ex Bersebea natos cessione, constituerat à iunioribus inchoari: tamen popu- æterito Matthama, quasi impari sustentando tanto oneri, & constituit sibi Regem *Ioachas*, qui & *Sellum* dictus erat. Ioachas 16. *Rex Iuda.* erant reges, ab Ioas vsque, semper binomini trinominive: *4. Reg. 23.* am testatur Philo, eadem iisdem nomina aliquot tribuẽs: *Philo 2.* us quasi diuersis vti videntur imperitis Matthæus & Lucas nealogia Christi; dum hic *Her* & *Iesum* vocat, quos ille *nassen* & *Ezechiam* nominat: vtrisque nominibus Philo tem. Porro fecit malum coram Domino Ioachas, dum re- t tribus tantum mensibus. Vinxit ergo eum Pharao Nechao blatæ, quæ ciuitas postmodum Antiochia dicta fuit; & ad- ens eum Ierosolymam, amouit regno ac tulit in Ægyptum: mortuus, sicut prædixerat Ieremias. Imposuit & Ægyptius *Ierem. 22.* dæ tributum centum talentorũ argenti, & talenti auri. Quod ligens Eliacim, ipsi dedit. Hunc enim in fratris locum sub- tuerat, mutato ipsius nomine in *Ioacim*, quem & Matthæus *thoniam*, & Lucas etiam *Melchi* appellant. Regnauitq; hic an- 3339. s vndecim. Ioacim 17. *Rex Iuda.*

Quarto regni sui anno, reuocauit Ieremias populum ad pæ- *4. Reg. 23.* itentiam, prædicẽs deuastationem Ierusalem ac Iudææ: & post *Ierem. 25.* eptuaginta annos, quibus Iudæi seruituri essent, destructionẽ tiam regni Babylonis ac Chaldæorum, variorum quoque re-

ANNI MVNDI.

gnorum terræ ac diuersarum ciuitatum. Cumque stans in atrio domus Domini, prædiceret deuastationẽ templi futuram, quemadmodum dum caperetur arca in Silo; comprehenditur à Sacerdotibus ac Prophetis: sed ne interficiatur à populo, liberatus est per Ahiram filium Saphan.

Adscẽdit ergo Nabuchodonosor, & fecit sibi Ioacim tributarium tribus annis: rebellantem deinde vinxit catenis, atque transtulit Babylonem, cum multis vasibus domus Domini. Huc videntur etiam translati fuisse hoc tempore Daniel, Ananias, Misael & Azarias, atque alii pueri formosi, nobiles, ac de stirpe regia & magnatum. Ioacim interfectus, bestiis insepultus proiectus fuit: & regnauit Ioacin, *Iechonias* Ieremiæ, & *Melchi* Lucæ dictus, annos natus octodecim, quem Ioacimo pepererat Nohesta filia Eluathan de Ierusalem, tribus mensibus & decẽ diebus: tunc enim obsessus se dedidit cum matre, principibus & seruis suis. Quos Nabuchodonosor transtulit Babylonẽ: quo & Principes populi, viros militares, atque artifices, inclusoresq; transmigrare coegit, ad numerum trium millium & viginti tres. Hæc ergo transmigratio fuit Babylonica: quam desolatio, post annos vndecim, insecuta est; præcipue ob innocentem fusum sanguinem, aliaque peccata sub Manasse perpetrata.

*Ierem. 22.* *Ierem. 26.* Iechonias XVII. *Rex Iuda.* *4. Reg. 24.* *Lucæ 3.*

Ceterum pro Ioacim statuit Nabuchodonosor *Matthata* eius patruum in Regem, sacramento se obligantem, quod cum fide seruiret Chaldæis. Cuius vt memor esset, voluit Babylonius ipsum vocari *Sedeciam*, quæ vox iustitiam Domini significat. Regnauit vero Sedecias annis vndecim. Quorum primo videt Ieremias ante templum Domini duos calathos ficorum, quarum aliæ bonæ, aliæ vero pessimæ erant: quibus discrimen transmigrationis factæ iã, & captiuitatis Iuda futuræ designabatur.

Contigit & hoc tempore, per puerum Danielem detegi memorabilem illam impurorum presbyterorum calumniam, qua, cum ab amici viri vxore Susanna ad stuprum non admitterentur, eam adulterii accusarant; quæ & lapidata fuisset, ni illam Deus conseruasset, testis & iudex cum mulieris pudicitiæ, tum ipsorum falsitatis, atque impuritiæ sceleratæ. Legit Ecclesia historiam prolixius descriptam ex translatione Theodotionis: sed eam, in epistola ad transmigratos Babylonem, vatidice refert Ieremias paucis adscribens etiam palam ipsorum nomina & mortis genus, quo fuerunt interfecti, cum populus eos afficere vellet pœna talionis, hisce verbis: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel, ad Achab filium Caliæ, & ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant in vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis, & percutiet eos in oculis vestris: & assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Deus sicut Sedeciam*

,*quos frixit Rex Babylonis igne, pro eo quod fecerunt stul-* ANNI
*rael, & mœchati sunt in vxores amicorum suorum, &* MVNDI
*verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui*
*iudex & testis, dicit Dominus.*
fecit malum Sedecias coram Domino: sicque trige- 3355.
à celebratione Phase, sub Osia, hoc est, quinto anno
uinto die mensis quarti Tamuz, cœpit prophetare E-
nos natus triginta, Babyloniæ: quo traductus erat cũ
Præcepit huic Dominus lateri insculpere vrbem Ieru- Ezech. 4.
formã arctissimæ obsidionis eius: ponereque ferream
m, quasi murum, inter se & vrbem: quo quasi diuinum
et auxiliũ. quod pro signo ac formula esset futuræ ob-
iliis Israel. Iubetur quoq; tercentis & nonaginta nocti- 3356.
nistrũ; & quadraginta in dextrũ latus dormire; portans
tẽ ciuitatis ac Iuda, diem numerando pro anno. Quib⁹
significabat tempus annorũ, qui fuerant à diebus, qui
resserat primum nomina Ieroboam & Manasse, ob quo-
ccata firmata tum erat sententia præcedentiũ commina-
n, vsque ad vltimam sententiæ eius consummationem:
uando Israeliticus populus, cuius reliquiæ adhuc in ter-
nt, & populus Iuda funditus auferrẽtur de regionib. suis.
e si ab octauo anno Ieroboam (quando ipsi dixit Agia: *Per-
Dominus Israelem, sicut moueri solet arundo in aqua, & euel-
terra propter peccata Ieroboam*) numeraueris ad vsque quar-
annum desolationis, quando extremæ reliquiæ Israelis cũ
emigrarunt: reperies exacte tercentos & nonaginta annos:
i ab anno decimo octauo Iosiæ, quãdo Manassis nomẽ pri-
n nominatũ fuit, ob cuius peccata auferretur à facie sua Iu-
ad eundẽ quartum annũ (qui Nabuchodonosoris est vicesi-
s tertius) inuenies annos quadraginta: quando fugerunt ti-
ntes Chaldæos, ob necem Godoliæ, oẽs in Ægyptum. Quin
bo numeri coniuncti, æquales erant diebus quib. vltimo ob-
ebatur ciuitas: exiguitateq; potus ac cibi fimo boũ illiti, de-
onstrabatur famem ac fœdam afflictionem futuram habitan-
bus in Ierusalem. Itaque verbis testabatur, & opere figurabat
bis desolationem aduenturam.
Anno sequenti 5. die 6. mensis, Ezechiel eleuatus inter terram
t cælũ à Spiritu, & adductus in Ierusalẽ, in visione Dei vidit ab-
ominationes varias idololatriæ: dũ ab Aquilonis parte domus
Domini, vidit idolũ Zeli; ad ostium atrii, depictas similitudines
reptiliũ, atq; animaliũ. quib. turificabãt Iezonias cũ septuaginta
senioribus Israel; & alibi, sedentes mulieres, plangentes Adoni-
dem; inter vestibulũ quoq; & altare, 25. viros adorantes Solẽ ex-
oriente, dorsa q; opponentes templo: vt mirũ non sit, si non mi-
sereatur illorũ & exaudiat eos Dominus. M 4 *Regnum*

ANNI MVNDI.

## Regnum Israel.

*Ieremias*, filius Helciæ, Sacerdos Anathothites, anno decimo tertio Iosiæ, audiens à Domino, quod ab ipso in vtero materno fuisset sanctificatus, Prophetaque mittendus esset in Gentibus, excusat se ob pueritiam. quare tale robur se illi præstaturum esse dicit Dominus, vt pro munita ciuitate, columna ferrea, æneoque muro esse poterit Regibus, Principibus ac Sacerdotibus Iudæ, cunctoque populo terræ. Quos omnes, si ipsi bellum inferant, non esse aduersus eum præualituros.

*Hieron. in Prologo.* Prophetauit tempore Iosiæ *Sophonias*, gloriosa maiorum stirpe ortus: in quorum nominibus latentia mysteria perscrutatur D. Hieronymus: nempe Prophetam in specula constitutum, cui arcana Domini commissa sunt, ex humilitate nasci, quæ procedit ex cognitione magnitudinis Domini, quam verbum seu sermonem Domini prodit, quod protulit Domini fortitudo. Nam ataui Prophetæ nomen Ezechias, fortitudinem Domini; proaui nomen Amarias, sermonem Domini; aui nomen Godolias, magnitudinem Domini; & nomen patris Chusi, humilitatem significat. ipsius Prophetę nomē alii speculam, alii arcanum Domini interpretati sunt. nec enim altum sapere, sed humilitatem requirit Dominus in seruis suis Prophetis. nam & ille, qui se non dignum esse dixerat, vt solueret corrigias calceorum Christi, & non Prophetam, sed vocem clamantis esse in deserto, hoc elogio laudatus fuit, vt plus quam Propheta, & Angelus Dñi vocaretur ab eo, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod in nomine eius oportet nos saluos fieri. Itaque Sophonias modeste de se sentiens, Regum filios, & aulicos peregrino cultu superbientes, aliosque argento se ornantes, hostias quodammodo futuros, sic vt à porta pisciũ clamor; ab altera parte quam Ezechias ædificauerat vrbis vlulatus; & à Moria Sioneque collibus contritio magna exaudiantur, Domino vaticinatur. in propinquo enim esse diem, quando fortes etiam turpiter eiulabunt, & diuitibus nihil proderunt thesauri ipsorum. *dies enim iræ Domini*, ait, *dies calamitatis, angustiæ, miseriæ, tribulationis, caliginis, nebulæ ac turbinis, cum in igne zeli Domini deuorabitur omnis terra.* Hortatur itaque populum, vt ad Deum conuertatur: priusquam ira Domini ipsi superueniat.

In Principio regni Ioacim, iubente Domino imposuit vincula ac catenas collo suo Ieremias, emisitque eas ad varias ac diuersas gentes, suadens vt se vltro subiiciant Babyloniis. At Ananias collo Prophetæ eas detrahens, fausta ominabatur: quem ob mendaciũ moriturũ prædixit Ieremias: sicq; vita functus est mense secundo. *Ierem. 28.*

Vetus

ilius Semer, Propheta, cum post Ierosolymæ excidium ANNI
itum fugisset in Ægyptum, inde reductus à Ioacim MVNDI.
rcutitur, ac cadauer eius proiicitur in sepulcretis i.
vulgi. Combussit quoque Ioacim librum comminationum
Ieremiæ, quem Baruch filius Neriæ, in carcere, ex ore
conscripserat, atque legerat in templo.

regni secundo, cum oblitus esset Nabuchodonosor so.
, interfici fecit ariolos, qui ipsi illud referre ac interpre-
quibant. Itaque Daniel oratione impetrauit à Domino
nii & interpretationis eius scientiam: introductusque per
Regis principem Arioth ad Regem, ipsi mysteria somnii
: referens, statuæ, quæ ei apparuerat, caput aureum desi-
regnum, cui ipse præesset, nempe Assyriorum; pectus &
a argentea, significare Medorum simul ac Persarum mo-
am; vt ventrem & femora ex ære, Græcorum, quibus ar-
ea erant: vti ferrea, Romanis, qui domaturi omnia, fer-
lssimilabantur pedibus: quorum quoque regnum biparti-
c male cohærens sibi, esset interiturum; succedente regno
tuo *Christi*, qui lapis de monte abscissus consummaturus
nnia tandem regna, ipse permanens in æternum, ac regna-
s super gentem sanctam ac populum acquisitionis. Qua in-
retatione facta, Rex adorabundus Danielem laudauit, di-
: *Deum eius Deum esse Deorum, & Dominum Regum, reuelan-
mysteria*: sic vt potuerit ille aperire hocce sacramentum. do-
amque muneribus constituit præfectum magistratuum: &
eius requisitionem, Sidrach, Misach & Abdenago super ope-
rouinciæ Babylonicæ posuit.

## Regnum Iuda.

Anno nono Sedeciæ, venit Nabuchodonosor, cum exercitu
haldæorum, obsidere Ierusalem, mensis decimi decimo die.
e dicebatque ciuitatem capiendam esse Ieremias, quare cu-
odiæ fuerat traditus: vbi in atrio carceris, ex mandato Domi-
, emit à patruele suo Hanameel agrum in Anathet septem si-
is & septem argenteis appensis, traditis hinc inde litteris mu-
uo stipulationes ac rata continentibus: quando ipsi præter ce-
era, dixit Dominus, venturos esse dies, in quibus germinare fa-
ceret Dauid germen iustitiæ, faciens iudiciū & iustitiam in terra,
quodque tunc saluaretur Iuda, & Ierusalem confidenter esset
habitatura.

Obsessa vrbe audientes Chaldæi Ægyptios auxilio venire Iu-
dæis, soluta obsidione, eos aduentantes abegerunt. Dimiserant
quoque Iudæi seruos ac seruas tunc, libertatique restituerant:
quos, discedentibus Chaldæis, ad seruitutem rursum contra

vacauerunt cultui diuino Iudæi. Huic ergo numero addita se- ANNI
prima parte, nempe septuaginta, proueniet numerus 490, hoc MVNDI.
est, septies septuagies: ad cuius numeri modum remitti fratri vult in nos peccanti *Christus*. Celebris certe septenarius est numerus in scripturis sacris. vt enim septimo die vacandum erat Iudæis contemplationi diuinæ; sic & terræ concedi ab illis Sabbatum voluit Deus septimo quoque anno. Post sex quoque ætates peractas, veniet æterna illa requies: quam ornatis septem virtutibus ob septem caritatis opera proximis exhibita, iustus iudex concedet. Vtque inter numeros senarium perfectum & octauum primum cubicum, medius est septenarius; sic constat ex vtriusque parte dimidia, nempe tribus & quatuor; in quibus numeris, vti diuersi singulis ætatibus ac religionibus fere artibus quoque eminuerunt; ita & in ijsdem, in Scripturis, semper celebrantur suis elogiis: vt ætate prima, ex posteris Adam, ob sanctitatem, quatuor:

*Abel, Enos, Henoch, Noe.*

Secunda ætate, ex posteritate Noe, ob generosæ prolis fecunditatem, tres:

*Sem, Heber, Thare,*

Tertia ætate, ob mysteria fidei, tres:

*Abraham, Isaac, Iacob.*

Ob miracula, tres:

*Moyses, Iosue, Gedeon.*

Ob Prophetiam, tres:

*Samuel, Nathan, Gad.*

Ob Sacerdotii dignitatem, quatuor:

*Melchisedech, Aaron, Eleazar, Phinees.*

Quarta ætate, ob pietatem, tres:

*Dauid, Ezechias, Iosias.*

Ob miracula, tres:

*Helias, Heliseus, Isaias.*

Triplici ætate, liberantes animas suas in iustitia sua, tres: Ezech.14.

*Noe, Iob, Daniel.*

ÆGY-

## ÆGYPTVS.

*Nechao* cum decessisset decimo septimo regni sui anno, illud filio suo *Psammi* reliquit: qui in Ægypto regnauit annis sexdecim.

Huius tempore, Helii miserunt in Ægptum nuntios suos, iactantes in Olympia iustissimum ac maximum certamẽ esse propositum, seq; venisse sciscitatum, si quid Ægyptii iustius queant reperire. qui habito cõsilio, rogabãt Helios: numquid apud eos certarent & ciues? atq; respõdentibus, cuiuis Grecorum volenti certare, fas esse, dicunt; tali proposito certamine, eos ab omni iure excedere: nullo enim pacto fieri posse, vt non ciues ceteri pugnanti fauerent, & iniuriã facerent hospiti. at si vellent iustum proponere certamen, iuberent hospites certare, nullo Heliorum certare permisso.

Porro *Psammis*, facta in Æthiopiam expeditione, mox vita functus est. Eoque mortuo, *Vaphres* seu Apries filius eius accepit regnum. qui instar Psammetichi proaui sui, fortunatissimus fuit: cum regnaret annis triginta. Hic Sidoni bellum intulit, & cũ Tyro bello nauali pugnauit. At vero, cum contra Cyrenæos dimicando, misso exercitu, magnam cladem accepisset; id ei imputantes Ægyptii, & opinati se ab illo in perniciem fuisse dimissos, vt ipsis internecione deletis, securius ceteris AEgyptiis pro libito imperaret; ab eo desciuerunt, Amasim sibi in Regem, quem ad rebelles sedandos Apries miserat, eligentes. Qui mox contra Apriem exercitum mouit, atque debellatum captumque in regia honeste adseruauit in Saiun. Et tandem incusantibus Ægyptiis Amasim nõ iuste agere; quod suum & illorum inimicissimũ aleret, illis Apriem tradidit. qui eum, strangulatum, paternis in monumentis sepelierunt, in delubro Mineruæ, intranti ad læuam.

## GRÆCIA.

*Methon* Athenis, Olympiade trigesima septima floruit; atque prodidit, ducentis & triginta quinque mensibus lunaribus annos solares nouẽdecim impleri, vnde cyclus decemnoualis Athenis in foro fuit præfixus.

Circa hoc tempus *Pythagoras Samius* deprehendisse narratur naturam vagi sideris, quod *Veneris* nomine appellatur: nimirũ quod Soli præueniens, diemque mane maturans, *Luciferi* nomine notum est; idemq; post Solis occasum refulgens, lucẽq; prorogans, *Hesperus* vocatur: tantæ exsistens claritatis, vt eius radiis etiam vmbræ reddantur: tantæ quoq; potentiæ, vt exortu eius, rore terra conspersa concepta semina producat in herbam, atque

atque ad maturitatem stimulet. Mos erat Pythagoræ, nocte cur- ANNI
sus inspicere stellarum. quare, vt in libro de consiliis suis apud MVNDI.
Boetium refert Cicero, cum vinolenti adolescentes tibiarum Boetius de
cantu, vt fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerēt; admonu- Musica
isse Pythagoram, tibicinam, vt Spondæum caneret. quod cum lib. 1. 10.
illa fecisset, tarditate modorum & grauitate canentis illorum furentem petulantiam consedisse. Erat enim Pythagoras Musices peritissimus: atque consonantiarum proportiones hoc modo narratur indagasse: Præteriens fabrorum officinas, pulsos malleos exaudiuit ex diuersis sonis vnam quodammodo personare concinentiam; idque non viribus ferientiū (imperauerat enim fabros inter se mutare malleos) sed ponderum ratione: cum dupli ponderis mallei secundum diapason consonantiam sibi responderent: illi vero qui medii sesquitertium continebant, diatessaron sonarent: at quorum pondus sesquialterū erat, diapente referebant. Reuersus ergo domum, rationes symphoniarū varia examinatione perpendit; & diuersa pondera neruis aptans, eorumque consonantias aure diiudicans, diuersa experientia certā capiebat fidem. deinde longitudine crassitudineque chordarum idem examinare aggressus, inuenit regulam, quę firma fixaque nullum inquirentem dubio fallat iudicio.

Ferunt & illum excogitasse tabulam, in qua longitudo continet continui numeri ordinem naturalem, & latitudo prodit numeros multiplicatos suis in locis quadrate, secundum gnomonem, positos: sic vt linea transuersalis ostendat tetragona.

In Geometria quoque complura demonstrauit, & primus sa- Boet. de Mu-
pientiæ studiū nominauit Philosophiam: quam eius rei notitiā sic. 1.
ac disciplinam statuebat; quæ proprie vereq; esse diceretur. Omnem quantitatem vel continuam vel discretam esse aiebat: illam magnitudinem, hanc multitudinem vocabat. Mundum animatum, intelligibile rotundum, mediam terram continentem, quam & ipsam globosam, circumhabitari vndiq; affirmabat. Æquis etiam partibus inesse mundo lucem & tenebras, calidum & frigidum, siccum & humidum. Ex iis dum calor præualet, æstatem; dum frigus, hyemem fieri; dumq; æquis sint partibus, ver autumnumq; adesse.

Ex Ægypto Samum reuersus, offendens patriam à Polycrate tyranno incubari, Crotonē Italiæ opidum petiit: vbi, post quinquagesimam Olympiadem, Philosophorū deditorumque doctrinæ studiis hominum gymnasiū instituit; vnde celebritas & splendor vrbi: cui etiā leges dedisse fertur; cum tercenti eius discipuli, ibidē Rempublicā administrarent, ita prudenter, vt merito Aristocratia seu optimatū Respublica haberetur. A discipulis solitus fuerat pacisci quinquennale silentium: ne doctrinæ eius ru-

ANNI MVNDI.

rudes adhuc, paradoxa de animorum transmigratione, aliisque opinionibus temere effutirent, aut ipsi suis quæstiunculis inanibus molestiam adferrent. Laudabat quotidie virtutem ac frugalitatem, enumerans ciuitates quæ luxu perierant. Symbola multa ipsi erant peculiaria, quibus secretior doctrina cõtinebatur. In Theologia Hermetem Trimegistum atque Orpheum secutus, vmbram veritatis propheticæ creditur imitatus. Nam non modo in Ægyptum, sed & Babyloniam, discendi studio, concesserat. Pherecydem quoque Syrum habuit doctorem, qui haustu aquæ è puteo præsensisse ac prædixisse terræmotum fertur; atque etiam prosam orationem condere instituisse; & copia serpentium (al vermium) ex corpore eius erumpente, exspirasse. Fuit Pythagoræ amicitia quoque cum Anaximene Milesio qui rationem vmbrarum gnomicam inuenit primusque horologium quod vocant sciotericon, Lacedæmone ostendit. Vbi præceptor eius Anaximander Milesius prædixerat Spartanis, vt vrbem ac tecta conseruarent, instare enim motum terrę: cum paullo post vrbs corruit, & pars montis Taygeti abrupta, cladem insuper eam ruina pressit Qui. Olympiade quinquagesima octaua, obliquitatem Zodiaci primus traditur inuenisse, ac rerum cælestium fores Græcis aperuisse. Porro Pythagoram, suspicione dominatus iniusta, viuum concrematum fuisse in fano, refert Arnobius: sicque non spõnte, sed crudelitate appetitum effudisse spiritum. Historia rerum se exercuisse supra omnes homines, refert Heraclitus: seligens namque hæc scripta, suæ sapientiæ, multæque peritiæ & artis documentum dedit. Symbola seu aurea carmina, quæ eius nomine circumferuntur, à Philolao fuere conscripta, qui etiam tres illos libros euulgauit, quos Plato centum minis sibi emi per litteras orauit. Fuit Romæ Pythagoræ in cornu comitij statua posita, quasi Græcorum sapientissimo; patribus ipsum, sapientiæ nomine, præferentibus Socrati. Ab ipso descendit Philosophorum secta Italica, hoc ordine in ea principatum obtinentibus:

Iust. 20.

Minut. Felix in Octauio.

Plin. 2. 79. 7. 56.

Plin. 2. 8.

Arnob. aduers. Gent. I.

Diogen. Laert. 8.

Plin. 34. 6.

1. *Pythagoras.*
2. *Telauges eius filius.*
3. *Xenophanes Colophonius.*
4. *Parmenides Eleates.*
5. *Zeno Eleates.*
6. *Leucippus Eleates.*
7. *Democritus Abderites.*
8. *Nausiphanes.*
9. *Epicurus Atheniensis.*

Damæ quoque eius filiæ ingenium & doctrina, in exponendis paternis sententiarum inuolucris, admirationi omnib. fuerunt.

*Sappho*

*Sappho* Lesbia Poetria, Scamãdronymi filia, Mytilenis nata, inter nouem Lyrici carminis Poetas numeratur: floruitque tẽpore Alcæi & Stesichori Poetarum: habuitque Cercylam virum prædiuitem, ex Andro. Scripsit Lyricorum libros nouẽ: præterea Epigrammata, Elegias, Iambos, & Monodias carmine Sapphico: cuius inuentrix fuit. ANNI MVNDI

*Alcæus* aureo plectro merito donatur, quod tyrannos insectetur, multum etiam moribus conferat: in eloquendo quoque breuis, & magnificus, & diligens.

*Stesichorum*, quam fuerit ingenio validus, materiæ ostendũt, maxima bella & clarissimos canentem Duces, & Epici carminis onera lyra sustinentem. reddidit enim personis, in agendo simul loquendoque, debitam dignitatem: & si tenuisset modum, videtur æmulari proximus Homerum potuisse.

## *Regnum Babyloniorum.*

*Nabuchodonosor Magnus* regnauit quadraginta quinq; annis, & percussit Nechao in Charcamis ad flumen Euphratem: à quo dominabatur vsq; ad Nilum, non egredientibus Ægyptiis regione sua. 3343.

## GOTHIA.

Proditum memoriæ est, ex Getarum gente quempiã nomine *Zamolxin* seruiisse Pythagoræ, & cælestium rerum aliquas ab eo didicisse: cumq; ad Ægyptios vsque peregrinatus errasset, quædam etiã illorum accepisse: cumque suam reuertisset in patriam, magna in caritate ac studio apud Principes nationemque illam habitum, quid portenderent signa, præsagientem: deniq; persuasum Regem animum induxisse, vt illum in regni societatem acciperet; vt qui ad Deorum arcana annuntianda foret idoneus. & ab initio quidem, eius, quem maxime venerantur, Dei sacerdotem constitutum: postea vero, Dei appellationem comparasse. inde speluncam nactum subterraneam, ceteris inaccessibilem, eo in loco degere solitum; externis, excepto Rege eiusque ministris, colloquia raro facientem. adiutasse etiam Regẽ; cum homines longe magis, quam prioribus annis, cicuret, animos illi attentius adhibentes, tamquam è Deorum consilio edicta efferenti. Hic quidem mos ad sextam mundi vsque ætatem perseuerauit, vt semper aliquis huiusmodi præditus institutis reperiatur, qui Regi consiliarius adsit; & ipsos inter Getas, Dei nomen adsequatur. Sacerque relictus est mons, quem sic nominant. nomen vero est *Cogaonum*: quo vocabulo & amnem præterlabentem vocitant. *Herodotus lib. 4. Strab. lib. 7.*

Cete-

ANNI MVNDI.

Ceterum vt in priori volumine de mensuris cubicis, sic & hic, appendicis loco, de quadratis ac lineatis mensuris pauca referamus. est enim non modo earũ cognitio iucunda, sed & vtilis ad intellectum Scripturæ ac auctorum. Quotusquisq; enim legens, discipulos ambulasse ab Ierusalem vsq; Emaus, Nicopolim dictum, iter sabbati, nempe sexaginta stadia; intelligit ibi significari schœnum Ægyptium, quo etiam videntur Hebræi, in locorũ distantiis metiendis, vsi fuisse: & Lucam Græcis scribentem, stadia, quib. illi metiebantur (vt distantiam intelligerent) posuisse? Nec etiam sine ratione gigantum magnitudines designatæ sunt variis in Scripturæ locis. quæ intelligi non possunt, nec perscrutari latentia in iis mysteria (neque enim frustra tam exacte descripta sunt) ab iis, qui mensurarum rationem ignorant. Igitur vt in mensuris cubicis (quæ longitudine, latitudine ac profunditate constant) ratio habetur magnitudinis centri corporis quadrati, habentis suam proportionem ad certum pondus, ratione grauitatis ac leuitatis mercium: sic etiam linealis mẽsura habet suam proportionem pro modo pecuniarum, quæ ratione numerorum excrescunt aut minuuntur. In illis sit amphora pro exemplo sumpta: quæ & quadrantal nominatur, estq; & liquidorũ & aridorum ex æquo mensura, nempe vas pedis quadrati ex omni parte, capiens 46. libras Rom. vini: sicque sextarius cõtinet duas libras seu vncias viginti quatuor vini nã olei, quod leuius est, aliud mensuræ vas erat, (quod libra dicta) duodecim quidẽ mensurales, sed decem tantũ ponderales vncias cõtinens: ratione qua oleum à vino pondere superatur. In lineis vero mensurãdis vtuntur & Græci cubitis sex palmorum seu viginti quatuor digitorum, qui maior est cubito Romano, decima sexta parte: vt quibus nummus dragma est constans sex obolis, quorum singuli quatuor valent dichalcos. Latini aũt pedibus quatuor palmorum: cum denarius apud ipsos constet quatuor sestertiis. Diuiditur quoq; denarius decem assibus: vt pertica seu decẽpeda, decẽ pedibus. omnis quippe mẽsurę modus sumitur ab homine, eiusq; partibus. Nam mensura maxima, quã auctor Paralipomenon vocat cubitum in mensura prima, est statura gigantæa, sex nimirum cubitorum: vt hominis iusti orgyia, est cubitorũ quatuor: & nani, pedum quatuor; membris compositis secundũ cuiusque proportionẽ: sic vt vmbilicus sit loco centri: super quod si circulum trahas: vt pedis infimum, sic extremitates extensorum brachiorum tanget efficiens triangulum laterum æqualium staturæ eius. omnes quoque partes ad amussim sibi inuicem respondent: vt non immerito Pythagoras dixerit, hominem esse mensuram. nam quadrata æreæ mensura ab homine sumpta est: cũ longitudine ac latitudine figurã quadratã ostendat.

*Mel grauissimum superat vinum, quemadmodum vinum superat grauitate oleum & cum aqua pluuiali eiusdem est ponderis.*

In

In homine sunt & simplices & compositæ mensuræ, quibus vtuntur cum propolæ, tum artifices ac geometræ. Est & in membris symmetria summe admirabilis: quam & contemplari & admirari merito debemus. Non exigua est enim dementia, hominem terrasque tractusque maris cœlumque profundum metiri, & suam ignorare mensuram. Metiri se quemq; suo modulo ac pede rectum est.


Veterũ symmetriæ corporis adulti ratio, in varias partes distincta.

A fronde ac imis radicib⁹ capitis ad mẽtum, $\frac{1}{10}$.

Tantumdẽ manus palma ad extremũ digitum, nẽpe a palma ad flexuram brachii, $\frac{1}{10}$.

A flexura ad humerum, $\frac{1}{5}$.

Latitudo pectoris a frõte ad verticem, $\frac{1}{46}$.




Exactior ac verior recentiorum artificum proportionis ratio in 9. partes distributa.

A summo vertice ad imum capillitij, $\frac{1}{27}$.

Hinc ad intercilia, $\frac{1}{27}$.

Nasus, $\frac{1}{27}$.

A narib⁹ ad mentum, $\frac{1}{27}$.

Guttur, $\frac{1}{27}$.

Pectus, $\frac{3}{27}$. id est $\frac{1}{9}$.

A summo stomacho ad vmbilicum, $\frac{1}{9}$.

A fronte ad summum pectus, $\frac{1}{4}$.

Faciei frons, $\frac{1}{3}$.

Inde ad menti extremitatem, $\frac{1}{3}$.

Pectus ad verticem, $\frac{1}{4}$.

Ad pudenda, $\frac{1}{4}$.

Ad imum poplitis, $\frac{1}{4}$.

Ad plantam, $\frac{1}{4}$.

A vertice ad . . . ceruicis, $\frac{1}{8}$.

Ad nates, $\frac{3}{8}$.

Crassitudo per pectus, $\frac{1}{3}$.

Inde ad femora, $\frac{1}{9}$.

Coxendices ad poplitem, $\frac{2}{9}$.

Hinc ad nodum, crura, $\frac{2}{9}$.

A nodis ad plantas imas, $\frac{1}{27}$.

Philippus Burgundio pro poplite statuit etiam $\frac{1}{27}$. sicque constat nouem partibus & triente statura. sic pudenda fierent medium.

ANNI MVNDI.

## *Mensura Propolarum.*

ORgyia hominis. longitudo quatuor cubitorum qua funes mensurantur, dicta & passus. Vlna erat duorum pedum cum semisse, diuidebaturque in decem palmos: in trientes ac quadrantes.

Pes erat duodecim pollicum: & dichas octo digitorum: & digitus quatuor continebat grana.

Agri solum metiuntur geometræ, vt perticæ in se multiplicatæ efficiant actum dimidium, nempe iugeri, æqualis 306. radus quadratis duodecim pedum.

## *Mensura Artificum.*

CVbitus primæ mensuræ sex cubitorum seu nouem pedum erat, 2. Par. 3. Cubitus seu orgyia quatuor cubitorum seu sex pedum erat cubitus sesquipes. Palmipes quinque palmos continebat apud Vitruu. Pes, quatuos palmos, sexdecim digitos, vel duodecim pollices seu vncias Pollex digitum & quadrantem: digitusque diuidebatur in quatuor partes, seu hordei grana. Minimum omnium est capilli latitudo, qui ne videretur atomos à natura, subinde diuiditur. Æmula quoque naturæ arte depictá secuit penicillo Protogenes: quam secturam quoque diuisit Apelles, omnium, sed præcipue artificum miraculo. tabula videbatur conflagrata in æde Cæsaris tamdem Romæ.

## *Mensura Geometrarum.*

DIgitus, $\frac{1}{16}$. pedis. Pollex, $\frac{1}{12}$. pedis. Pes $\frac{1}{10}$. perticæ & $\frac{1}{5}$. pars gressus geometrici. Gressus, duos pedes. Passus simplex $2\frac{1}{2}$. pedes. Passus geometricus 5. pedes, Latinis; Græcis sex. Pertica seu decempeda 10. pedes continebat. Plethrum 100. pedes. Stadiũ 125. passuum geometricorũ est. Diaulus 250. pass. Leuca 1500. pass. seu diolochos 12. stadia. Leuca Gallica 10. stadia. Leuca Hispanica 24. stadia. Rasta seu milliare Germanicũ, 4000 pass., seu 32. stadia Gothica 5000 pass., 40. stadia. Parasanga Persica 40. stadia. Et Scholmis seu signes Marmi & Ptolemæi 30. stadia, Ægyptius 60. stadiorum erant. Respondent sic 480. stadia, 60. milliaria Italica., 15. Germanica gradui æquinoctialis.

ROmani ad singula millia passuum posito ingenti lapide spatia viarum demonstrabant: qua de caussa tot lapidib. ab Vrbe locum quemque distare dicebant, quot ille millibus passuum aberat: eratque in Vrbe milliarium aureum, ad quod omnes viæ conueniebant.

Videntur

Videntur & Iudæi distantias locorum lapidum demonstrasse aceruis; quos Salomon Mercurii aceruos vocat; quod viatoribus viam demonstrent, qui illis plerumque & lapidem soliti essent adiicere.

A spinæ dorsi forma, costisque humani corporis concepta idea, fabricatũt naues etiam naupegi cum primitus ratibus, põtibus, aut arcis homines veherentur in fluminibus ac mari. Hęc nouisse proderit etiam cognitioni statuarum antiquarum atque picturæ. Quin numeri quoque quatuor digitorum docent diatessaron seu quartam in Musica: cui si pollicem addideris, qui pro tono est, habes diapente: ex quibus duobus constat diapason seu octaua. Idem videre licet in digitorum articulis: primo digiti modum ac mensuram imponunt omnibus musicis instrumentis. Per eosdem & numeros mensurare docemur; cum ad denarium numerum procedant, & reuerti protinus ad principium moneant, atque auxilio numerantibus sint. Huc respexisse Pythagoram, cum sollertissimus esset, arbitror. quamquam id ænigmatice, quod homo rerum sit mensura, prolatum quidam existiment: quodque Philosophus voluerit significare, hominẽ sensu metiri sensibilia; intellectu, intelligibilia; quæque vltra intelligibilia sint, excessu mentis attingere, ac nosse, quod intellectum excedant. Quo fit, vt in se veluti dimetiente, comperiat homo, omnia creata superiore potestate gubernari Deum quoque vt agnoscit creatorem entium realium, atque naturalium formarum, sic & se rationalium entium, atque formarum artificialium; quæ similitudinem produnt intellectus eius: quemadmodum ipse, ceteraque creata imaginem intellectus Dei ostendunt.

*Entia rationalia sunt, Sermo, orationes, Poesis, narratio historiæ, artiumque cognitio, & conceptus animi Formæ artificiales, domus, vestis, statua.*

## *Metiebantur viarum & agrorum metatores*

*Hebræi*, *Arundine* sex cubitorum perfectorum: in quo vnoquoque erat palmicubitum, id est cubitus & palmus, nempe septem cubita communia vel decem pedes cum semisse. *Ezech.* 40.

*Græci*, *Acena*, quam Plato δεκάποδα nominauit: decem pedum enim erat Græcorum *Suidas*: ἄκαινα μέτρον δεκάπουν.

*Romani*, *Pertica*, quam Cicero etiam decempeda nominauit, decem pedum Romanorum. Inde dicti Decempedatores, qui agros metiri solent.

*Persæ, funiculo.* *Ægyptii, funiculo.* *Germani radio* 12. *pedum.*

Geometræ aũt funiculo omnes metiuntur distantias locorũ.

Apud Sinarum populos maxima itineris mensura *Ithia* est 240. stadiorum, iter nimirum diei, 30000. pass. Eius pars decima dicitur *Phu*, continens viginti quatuor stadia, 3000. pass. Cuius rursum decima pars, dicta *Ly*, continet 300. passus.

*FINIS LIBRI II.*



# OPERIS
# CHRONOGRAPHICI ORBIS VNIVERSI
## LIBER TERTIUS.

ANNI MVNDI.



IBER tertius, quem auxilio Dei conscribemus, continebit ea, quæ suo tempore ac loco contigere ætate v. Dicitur vero quinarius numerus iustitia, quod denarium ex æquo secet, constetque ex primis pari imparique numeris. Sensus quinque homini esse non minus notum est omnibus, quam manui quinque digitos. Excellunt in singulis & animalia, cum aquilæ visus, anseri auditus, cani odoratus, insectis ac serpentibus tactus, Protogeusto animali Indico atque vrso quoque gustus maior ceteris vis inesse comperiatur. Quinque quoque vires ac potestates animæ esse nouimus, nempe vegetatricem, sensitricem, concupiscibilem, irascibilem, ac rationalem. Quin & viuentium quinque tantum sunt genera, principem locū sibi merito vendicante creatore, conseruatore, ac gubernatore omnium Deo; sequentibus mox spiritibus; deinde hominibus; brutis; ac postremo loco dæmonijs Mensuræ quoque numeri quinarii talis vis inest, vt si illi ternarij ac quaternarij numerorum mensuras adaptaueris, vt norma gnomonve omnibus artificijs maxime necessarius efficiatur inde, necessario oportet, constituēs angelum rectum. Quod cum circa hæc tempora percepisset Pythagoras, non dubitauit, quin à Musis eius fuisset monitus. Maximas igitur agens gratias, etiam hostias ijs immolauisse narratur. Fidem narrantibus adhi-

adhiberem, nisi Prophetam Ezechielem iisdem numerorum proportionibus assem Hebræorum diuisisse comperissem. ANNI MVNDI.

Prædixerat, quatuor mensibus ac nouem diebus ante captam vrbem, Tyrum euertendam *Ezechiel*, ciuitatem nouemdecim millia passuum circuitu rotundo prælato mari diuisam à continente. Quam tam graphice depingit ad nauis longæ formam partiumque eius, vt legendo vaticinium credideris multo tempore Prophetam nauem egisse, aut pro gubernatore nauigasse. sed & merces diuersissimas à variis gentibus illuc importari solitas tam exacte describit, vt institorem fuisse existimare posses. Ad eam ergo oppugnandam cum duceretur exercitus Chaldæorum, atque Rex se Antiochiæ contineret, factum est vt tardius captiui, famaque captæ vrbis peruenerit certo Babylonem. Nam quinto die decimi mensis Thebit anno primo desolationis venit fugitiuus de Ierusalem Babylonem, dicens Ezechieli vastatam esse ciuitatem.

3365. Ezech. 27. Ezech. 33.

Post fugam populi ob Godoliæ necem in Ægyptum, congregati rursum complures fuere vndique, dicentes: *Vnus erat Abraham, & hæreditate possedit terram: nos autem multi sumus, nobis data est terra in possessionem.* Ex his quidam fame, alii gladio perierunt. Postremo septingenti & septuaginta quinque, anno quadragesimo desolationis seu vigesimo tertio Nabuchodonosor, per Nabuzardan translati sunt Babylonem. Ad hocce tempus se extendunt dies pro annis numerandi, quibus in singula latera iussus fuerat dormire Ezechiel. 3366.

Porro Nabuchodonosor in Chaldæam reuersus rerumq; potitus, dum somnium suum ab aliis cum minis sibi indicari frustra vult, indicat Daniel, atque mutationes quatuor monarchiarum illud significare manifestat. Deinde quo potentiam atq; opes suas ostentaret, erigi curauerat Colossum aureum sexaginta cubitorum in campestri regione Babyloniæ Dura. Erat vero ille ad modulum humani corporis sic formatus, vt latera decimam partem altitudinis sua latitudine referrent, nempe sex cubitos Babylonicos. Ad cuius dedicationem omni Musices genere faciendam (voluit enim illum pro Deo coli) cum vndique Optimates ac Præfecti regionum essent euocati, Colossoque diuinos honores exhibuissent; ad Regem detulerunt, Præfectos Babylonicæ prouinciæ Ananiam, Misael & Azariam, contemtis Diis patriæ, etiam nolle adorare statuam illam auream Regis, euocatos ac dicentes se Deum Rege fortiorem colere, iussit tyrannus proijcere vinctos in caminum candentis ignis. In his ergo conseruandis ostendit Deus potentiam suam misso Angelo, qui ardorem ignis simul cum flammis excuteret fornace; quib. combusti sunt, qui in propinquo erant Chaldæi Rex vero Dan. 2. 3.



ANNI MVNDI.

videns ambulantes quos vinxerat, atque numero auctos, iussit ipsos prodire fornace, laudatosque pristino restituit statui, cognoscens Deum eorum esse fortissimum, qui misso Angelo ipsos illæsos conseruauerat in medio ignis. Deinde mox Daniel Regi interpretatus est somnium arboris succidendæ. cuius monitu cum Rex eleemosynas faceret abunde, ad menses duodecim dilata fuit ipsius superbiæ pæna: quibus completis, Rex, dementatus instar bestiç, incoluit siluas, sub dio agens, atque gramine vescens septem annis, filio eius Euilmerodach, seu Labyneto administrante regnum, qui etiam *Balthasar* à Baruch nominatur. Baruch 1.

Cum ii, qui in Ægyptum fugerant habitantes in Magdalo, Taphnis, Memphis ac terra Phatures, durius & obstinatius se cæli Machinæ suffitum velle incendere, à Ieremia correpti, respondissent; eos fame, peste ac gladio perituros prædixit Propheta: & Ægyptum deuastandam, compluresque intermedias regiones.

Cum ergo iam dudum nempe quarto anno Ioachim promisisset verbis Domini Baruch filio Neriæ, ipsum vbique locorum fore saluum; videtur is concessisse Babylonē: vbi anno quinto, septimo die mensis legit librum suum Iechoniæ filio Ioachim regis Iuda, cunctoque populo illuc traducto.

3372. Anno decimo decimi mensis die vndecimo, & vndecimo anno primo die tertii mensis vastationem Ægypti quadraginta annis duraturam, & Assyriæ etiam: anno quoque duodecimo primo die duodecimi mensis Pharaonem, quasi draconem marinum, sagena extrahendum aquis prædicit Ezechiel. Ioseph antiq. 10. 11. 3382.

Itaque Nabuchodonosor restitutus menti ac regno, laudauit ac glorificauit Deum cæli, qui vero iudicio superbientes potens est humiliare. Quem etiam Daniel docuit fraudes sacerdotum, qui Regi persuaserant simulacrum Iouis Beli æneum singulis diebus duodecim artabas similæ, quadraginta oues, ac sex viui amphoras consumere. Monstrauit Regi etiam draconem, animal solers, ac viginti subinde cubitorum, elephantem quoque vincere assuetum, non esse Deum: cum ex massa adipe, pice, pilisque mixta deuorata disrumperetur. Permisit quidem Deus Danielem proiici in lacum septem leonum, sed seruauit eum, atque cibo refecit per alterum Prophetam Habacuc, cincinno capitis ex Iudæa per angelum Babylonem vsque per aera deportatum: qui Propheta deuastationem Babylonis etiam prædixit.

Anno decimo quarto primi mensis decimo die ostenditur Ezechieli reædificatio ciuitatis ac templi: quibus mysteria Ecclesiæ figurate designantur.

Anno

Anno vicesimo desolationis, Nabuchodonosor parans expeditionem in Ægyptios, ne quis tumultus à Iudæis excitaretur, Ioachin seu Iechoniam in carcerem contra fidem datam coniecit. Pro cuius liberatione Iosedec instituit cantari psalmum octogesimum septimum. ANNI MVNDI.

Anno trigesimo septimo transmigrationis Ioachim Rex Iuda liberatur è vinculis ab Euilmeroda. h. vigesimoquinto die mēsis duodecimi positusq; est thronus eius super thronos Regum qui cum eo Babylone erant. nam Assyrius eum mensæ suæ vt amicum adhibuit, & abunde ipsum muneribus donauit, cunctis diebus vitæ suæ. Hinc cœptus cantari psalmus octogesimus octauus, & cognominatus est à populo *Neri*, id est, *Lucerna*. quod cognomen remansit quoque filio eius *Asir*.

Hoc circiter tempore Iudæos Ieremiam Prophetam in Ægypto lapidasse, narratur. at vero Ægyptii mortuum tanto affecerunt honore, vt etiam inter Regum monumenta eum sepelierint.

Anno sexagesimo quinto vidit Daniel visionem quatuor animalium: quibus quatuor Monarchæ mundi designabātur: thronum insuper positum, super quem sedebat antiquus dierum, cui assistebant innumerabiles exercitus cęlestes.

## *Monarchia Assyriorum.*

### *Medorum ac Persarum Regnum.*

*Astyages*, quem Daniel *Assuerum* vocat, regnat annis triginta octo. Hic viginti septem prouinciis cum imperaret. ob hoc commendatur, quod nullos regia mensa dignatos cogeret ad bibendum more Persarum, qui & de rebus seriis poti consultant: & quod, licet natura crudelis, ad misericordiam tamen potuerit flecti virtute ac precibus, non omnino immemor beneficii olim accepti. 3379.

Instruxerat omnibus regnorum suorum Principibus viris magnificas epulas anno regni sui tertio. Cumq;, exactis septem diebus, vino incalescens, ad ostentandā conuiuis vxoris suæ Vasthi pulcritudinem eam vocari iussisset; renuentē venire consilio septemuitum, qui præcipui ex more regni proceres erant, repudiat, regiaque expellit: atque eius loco Edessam, etiam Esther nominatam, virginem Iudæam tribus Beniamin, stirpis Iemini, forma præ aliis speciosam sibi in Reginā elegit. Hanc parentibus orbatam patruelis Mardochæus, qui cū Ioachin Rege Iuda patria discedere coactus, Susam migrauerat, in filiam adoptatam enutrierat, atque sollicite legem edocuerat Dei. Erat vero Mar-

ANNI MVNDI.

dochæus Regi ut amicus, quod coniurationem in necem eius conceptam per Esther ipsi indicauerat; sic illum extremo odio persequebatur Aman Macedo, stirpis Agag. primus à consiliis Regi quod ipsum Iudæus noll'et excelsiore, quam parerat, afficere honore. Is ergo odio indies augescente, gentem vniuersã calumniis traducit apud Regem: cuius crudelitas cum ipsi, ob expositum ex filia Mandane nepotem Cyrum, nota esset, non veritus fuit etiam illi persuadere, vt omnes vbique locorum eodem temporeè medio tollerentur Iudæi. Quod factum fuisset duodecimo Regni Assueri anno mense duodecimo, (id sorte tempus statutum erat,) ni lectis Annalibus interim Rex voluisset ob indicium conspirationis in se factum Mardochæum honorari: & Regina futuræ cædis eiulatu & Iudæorum planctu admonita, atque indicto trium dierum ieiunio, & precibus pro se fundi iussis, Assueri iram dexteritate quadam auertisset à se genteque sua, in mali machinatorem Aman: qui edicto regio suspensus fuit patibulo, quod præparauerat Mardochæo. sicque gens conseruata, in conseruationis memoriam festũ sortium seu Mardochæi, decimo quarto die mensis Adar celebrabat. Quod autem Mardochæus centum nonaginta octo annis vixerit, vt esse potest; sic tamen non conuenire omnino poterit ætati Esther, vt nuberet Artaxerxi Assuero, qui Esdram misit Ierusalem.

3387. *Amelinus* Euilmerodach filius Nabuchodonosoris regnat annis viginti tribus.

## GRÆCIA.

Plin. lib. 36. cap 4. Marmore sculpendo circa hoc tempus inclaruerunt Dipænus & Scyllis, geniti in Creta insula: quorum opera fuerunt Sicyone.

3380. *Halyattes* Rex Lydorum bellum suscepit contra Astyagem Medum.

Herod. 2. *Thales Milesius* prædicit defectum Solis maximum: qui sexto anno belli Halyattis factus est. Scribunt, hunc primum Astrologiæ secreta rimatum fuisse, plerosq; putasse: quodq; contẽplationi siderum intentus, in fossam decidens ab ancilla derisus

Plin. 2. c. 12. Arist. Polit. 1. 7. fuerit, refert Plato. sicuti & Aristoteles narrat, quod præcognita vbertate conduxerit olivueta, indeq; factus fuerit diues. Natum eum ferunt Olympiade trigesima quinta, & anno ætatis septuagesimo octauo supremum clausisse diem. Hæ eius fuere sententiæ: *Antiquissimũ omniũ quæ sunt Deus, cum sit sine initio. Pulcerrimum mundus, à Deo namq; factus est. Sapientissimũ tempus, inuenit enim omnia. Maximũ locus, capit enim omnia. Velocissimũ mens,*

nam

*nam per vniuersa discurrit. Fortissimum necessitas, quod cuncta superat. Felicem illum*, dicebat, *qui corpore sanus, fortuna locuples, animo non ignauus atque imperitus esset*. De natura disserens inanimatis quoque vitæ sensus inesse putabat, eo argumento quod succinum paleas, & magnetem ferrum ad se trahere videret. Cum ex mulis qui salem erant portare soliti, vnus in flumine decidens, liquescente sale se sentiret leuari onere, & postmodum inter transeundum amnem semper procumberet, atque demergeret vasa quæ portabat; iussit Thales illud audiens vasa impleri lana & spongiis, quibus mulus erat onerandus. cum ergo ille sarcinas suas aqua impletas sēsit maiori esse sibi oneri, in posterum caute magis flumen traiiciebat, vt ne vel inuito se contingeret liquor onus. *Plutarch. de animant. comparat.*

Mensuram altitudinis Pyramidum deprehendere inuenit idem Thales, metiendo vmbram, qua hora par esse corpori solet. Annum constare trecentis sexaginta quinque diebus, Græcos docuit. Cynosurā quoque ceteras stellas Vrsæ minoris monstrasse, Callimachus apud Laertium declarat hisce versibus: *Plin. 36. 12.*

> Καὶ τῆς ἀμάξης ἐλέγετο σταθμήσασθαι
> Τοὺς ἀστερίσκους, ᾗ πλέουσι Φοίνικες.
>
> *Plaustri notasse dictus est minusculas*
> *Stellas, periti quis Phænices nauigant.*

Nondum enim tunc explorata fuerat vis magnetis illa, qua ferrum ipsi attritum moueatur Septemtrionem versus. Multis namque post sęculis Amalphii Italiæ populus in Picentinis illud animaduertentes, primi pyxides nauticas excogitarunt: quorum indicio vniuersi orbis maria nunc nauigantur audacius, & metallorum venæ subter terram indagantur, atque inueniuntur certius quoque multo. Auctor tam nobilis inuentionis certus non nominatur: cum Thales inter septem numeratur Græciæ sapientes, atque parens Ionicæ Philosophiæ habeatur. Ionici Philosophi ordine sunt:

1. *Thales.*
2. *Anaximander.*
3. *Anaximenes.*
4. *Archelaus.*
5. *Socrates.*

*Solon* Atheniensis, qui hoc anno antiquatis seuerissimis Draconis legibus humaniores leges ciuibus suis conscripsit, etiam sapientibus septem annumeratur. Fuit hic quidem in Physicis valde simplex, cum eam moralis Philosophiæ partem, qua ciuilis ratio ac disciplina cōtinetur potissimū sequeretur. Erat Phi-

ANNI MVNDI.

losophia tum plane Loconica breuibus conf[illegible]is sententiis: quarum hæ eius fuerunt: *Deos honora: Parentes venerare: Præclara studiose meditare: Consule non suauia sed optima: Rationem ducem sequere: Impera, sed postquã imperiũ ferre didiceris: Amicos cito noli parare; quos autem parauerts ne reijcias.* A Craso, ad quem profectus fuerat, exquisitis vestibus ornato, interrogatus, numquid pulcrius quid viderit; respondit pauones ac phasianos pulcriores sibi fuisse visos, qui naturali splendore nitide vestirẽtur. Nullũm quoque beatum posse dici, nisi bene vita defunctum, aiebat. Epimenides Cretensis à Solone in amicitiã receptus in multis ad rationem condendarum legum ipsi adiutor fuit Hic quoque contemplatus Munychiã, inde mala ciuitati imminere dicebat Anacharsis quoque Scytha apud Solonẽ perhumane hospitio exceptus, studiũ illud eius irrisit, dicens: leges aranearum telis persimiles, quæ imbecilliores detinent, & à potentibus rumpuntur. Quas tamen tanti fecit Solon, vt earum caussa exsularet. Tyrannidem sibi oblatam suscipere renuit; & Pisistrato cognato inuadenti, quantum potuit, restitit popularemque volens instituere statũ. ratione census populũ in quatuor partes diuisit. quorũ primi quingẽtos modios seu actus quadratos possidebãt: secundi tercentis censebantur modiis: tertij centum quinquaginta: quarto loco opifices cerdonesque erant. Continebatur vniuersus populus decem tribubus. & eligebantur Magistratus vel sorte, vel suffragiis, aut etiã stemmatis claritate. Solon primus Areopagiticum instituit Concilium, quod magno, sed incerto numero constabat in locum quinquaginta & vnius Ephetarũ. Hi de capitalibus causis iudicabant sine dilatione, apud quos affectus mouere prohibebatur Orator. Ex Areopagitis legebantur Nomophylaces, quorũ munus sacrosanctũ erat, legum a Nomothetis latarũ conseruãdarũ. Pentacosii seu Quingentiuiri annue sorte electi ciuiles rerum actiones in Prytaneo iudicabant. Vbi de Republica optime meritis victus quotidianus (hic honos apud Græcos maximus erat) præbebatur. Erant hi omnes numero quingenti: singulisque mensibus quinquaginta ex iis sumti fuere, qui decem eligebãt Præsides: ex quibus sorte septem per singulos dies Iudices constituebantur, vnusque qui claues arcis ac sigillum conseruaret. Hic ordo solitus erat & edicta, decreta plebiscitaq; explorare, atque de legibus perperam latis ferre sententiam Erat inter hos Archon Eponymus, qui nominabatur in iis negotiis, quæ rationem temporis habebant annexam. A quo Magistratu prætorum, sicut a Consulibus Romæ, tempora supputari scribique solebant, ad hunc modum: *Archonte Polycte mensis Bœdromionis 16. tribu Pandionis*

la-

*Iudices exhibente Reip.*, *Demosthenes Paaneus decretum tulit.* Licebat vero cuilibet aduersarium, aduocato teste qui eum in ius vocatũ venire noluisse assereret, in ius rapere, atque nolentẽ trahere: sed opus erat pecuniam, quam sportulam vocabant, in ærariũ deponere, qua quasi multa qui caussa cadebat, dicebat nõ temere Iudicũ aures occupari debere & litem iniuste suscipiẽdo. Eligebantur & quadraginta quatuor arbitri sexaginta annos nati, ex quibus deligebantur ab actore & reo, vel sorte dabantur quidam, apud quos lites etiam terminabantur: a quibus tamen læsus poterat appellatione ad iudices ciuiles caulæ succurrere. Ceteri vero Magistratus fuere: ANNI MVNDI.

*Vndecimviri*, nempe decem ex tribubus & scriba, qui fures ac grassatores iudicabant.

*Quæstores Apodectæ* decem, qui tributa colligebant, iisque aderat Antigrapharius.

*Quæstores Demarchi* decem, qui exactiones recipiebant.

*Logistæ* decem, rationibus audiendis præerant Quæstorum.

*Euthinisseu Quæstores repetundarum* decem, magistratuum rationes audientes: repetundarumque agebant, si quis præter æquitatem salarium accepisset: caussæque perperam obitarum legationum apud eos dicebantur.

*Archon annuus* vero seu *Eponymus* sacra Apollinis, Mineruæ ac Bacchanalia curabat: lites inter maritum & vxorem, parentes & liberos iudicabat: pœnamque iniuriæ per temulentiam illatæ statuebat: atque etiam constituebat orphanorum tutores, qui & inter legitimum & institutum hæredem ius ex officio dicebant: viduarum quoque defensores curantes viduas pupillosque publicis contributionibus liberari.

Erat & *Polemarchos*, qui idem quod Eponymus fere inter ciues, curabat inter inquilinos. Hic vero Polemarchos ẽt Dianæ, ac Martis præerat sacris; epitaphiis atque celebritate publica honorabat eos, qui pro patria fortiter occubuissent. Præscribebãtur ab eo etiã cantilenæ ac versus, quos iuuenes decantabant in ludis publicis continentes virtutem defunctorum. Eos, qui in bello ordinem reliquerant, aut fugerant, deferebat ad Areopagi Senatum. Sub noctem deferebantur & ad eum claues ciuitatis.

Suberant ei duo equitum Magistri, quibus parebat equestris ordo, & exercitus vniuersus. Trierarchi etiam seu triremium Prçfecti, qui fere duodecim numero erant: quibus alii classiũ Præfecti parebant curantes.

*Rex sacrificulus* primæ etiã erat auctoritatis, qui sacra ludosque curabat cum Choragis ipsum sedulo adiuuantibus opere ac liberalitate. Curabat etiam Rex sacra ad lampadem, nempe Miner-

ANNI MVNDI.

Mineruæ, Vulcani & Promethei. Hic quoque ius dicebat inter familias de administratione sacrorum. Qui subinde etiam Areopagitis in iudicio assidebat.

Erant & sex *Thesmothetæ*, quorum erat animaduertere in Iudices ex legum præscripto non iudicantes. Poterant hi cogere Senatum extra tempus: & litem intentare in eos, qui nondum omnium suffragio legem approbatam promulgassent: in falsos testes pœnam statuere, & pæna talionis afficere calumniatorem.

In singulis iudiciis grauioribus sex vel quatuor assessores solebant adesse.

Erant & *Apparitores*, qui litigantium nomina in diario adscripta Senatui offerebant.

Erant quoque deducendis coloniis præfecti.

Decem etiam ærarii dispensatores.

*Ταμιαι* seu *Quæstores* colligebant è regionibus Athenis parentibus tributa.

*Hellanodici* pecunias rerum sacrarum nomine debitas exigebant.

Viginti *Gynæconomæ* præerant cultui matronarum, ne ille modum excederet.

Tres vini obseruatores obseruabant si æqualiter biberent conuiuæ. dicebanturque *oculi.*

*Symposiarchæ* inspiciebant conuiuia, an essent vltra triginta inuitati. Vltra quem numerum nec in sacrificiis aut nuptiis licitum erat inuitare.

*Decemfori Curatores* statuebant de precio annonæ, & prouidebant ne fierent monopolia.

*Episcopi* erant, ad quos prouinciarum negotia deferebantur. præerant & hi pani atque aliis venalibus rebus.

Aiunt & Solonis hanc fuisse sententiam: *Ne quid nimis.* Scripsit ad eum Cleobulus Lindius Euagoræ filius, vt habitatum veniret Lindum, vnus ex numero septem quoque sapientum: qui hocce ænigma de anno proposuit:

*Est genitor, proles cui sit bissena: sed horum*
*Cuius triginta natæ, sed dispari forma:*
*Hæ niueæ totæ, fuscis sed vultibus illæ,*
*Atque immortales cum sint, moriuntur ad vnam.*

Non minus acutum ænigma erat, quod ad me delatum ex aduersariis Cornelii Musii in hæc verba conscriptum:

*Bachus me genuit, obba est amplissima mater,*
*Ventus mi frater, pluuia tenella soror.*

Exposui,

ANNI MVNDI.

Exposui, Bacchum vitis satorem poetis dici: obbam vas fictile rotundum orbem terræ referre, quæ cum vitem gremio exceperit, atque protulerit vuas, non male dicier matrem vini: eadem quoque cum exhalationes siccas, vaporesque humidos edat, non inepte ventum pluuiamq; vocari vterinos fratrem sororemque vini. Sed ingenue fateor me non potuisse Oedipum præstare in diuinando ænigmate, Polo vrbe Istriæ transmisso, vbi sepulcro incisum his verbis legitur: *Pater cum filia, frater & soror, socer & nurus, hic tantum duo iacent.* Hæc parerga. Ceterum obiit Cleobulus senex annorum septuaginta. Eius sententiam, qua docebat Fortunæ mutationes fortiter perferēdas esse, hocce venusto disticho complexus *V. Cl. Iodocus Sasboutus Delphus*, Geldriæ, Caroli Quinti nomine, Cancellarius aureis litteris ædibus suis inscripserat:

*Vt frangi aduersis, sic stultum est fidere latis:*
*Sors amat alternas mobilis vsque vices.*

Florebat eodem tempore CHILON Lacedæmonius, Damageti filius: de quo fertur, quod interrogauerit Æsopum, quid ageret Iuppiter, atque tulerit ab eo hoc responsum: *Excelsa humiliat, & humilia extollit.* vnde Chilonem solitum fuisse dicere: *Elato secundis rebus non arridendum.* &, *fortem mansuetum esse oportere: vt proximi non tam metuant, quam revereantur*, inter ceteras eius sententias hæc maxime placuit: *Cotem Lydium probare aurum: aurum vero apertum dare documentum hominum, vtrum boni sint an mali.* Mortuum fuisse nimia lætitia narrant, cum filiū coronatum in Olympiis amplexus oscularetur. Eius erant & eæ sententiæ: *Sponsioni non deesse iacturam, Nosce se quemque*, & *Nihil nimium cupere*, aureis litteris Delphis consecratæ. Et funus eius tota Græcia prosecuta est. Plin. 7. 32.

PITTACVS Mitylenæus Hyrradii filius, quod de auro Chilon, hoc de principatu dicebat, nempe *illum declarare virum.* Cum de agri Achillitidis possessione singulari certamine cum Phrynone Atheniensium Duce esset certaturus; tegens clypeo rete, eo, dum Phrynon sibi non cauit, illum inuoluit, atque interemit: sicque agrum acquisiuit. Hoc certaminis genus in Amphitheatris Romæ imitati fuerunt Retiarii, cum Mirmillonibus commissi: qui piscē in galea ferebant, cantante populo: *Non te peto, piscem peto. quid me fugis Galle?* Percontatus Pittacus, quid esset maxime gratum, *tempus*, dicebat: quid fidele, *terra*, quid infidum, *mare*: quid obscurum, *futurorum euentus.* Est illa eius sententia: *Tempus nosce.* Dicebat *prudentium virorum esse, prius quam aduersa contingant, prauidere ne adueniant: fortium vero, cum illa iam contigerint, æquo animo ferre.* Mortuus est tertio anno quinqua-

ANNI MVNDI. quagesimæ tertiæ Olympiadis, anno vitæ eius supra septuagesimum. Sepultum fuisse in Lesbo hocce Epithaphiũ testatur.

Ἰδίοις ὀλακρέοις ἀγδιαμίνα κἀιαθάπτει
Ενθάδε πιτλακὸν ἠδ' ἱερὰ Λέσβος.

*Condidit hoc tumulo lacrymis te Pittace Lesbos*
*Sacra suis, obitu languida facta tuo.*

BIAS Prianæus, Teutami filius in caussis agendis summus orator fuisse perhibetur, sed bonã in partem semper vim dicendi exercuisse: atque dicere solitum, *Duo maxime contraria esse consilio, iram & festinationẽ.* Quidquid boni quispiam ageret, ad Deos referendum dicebat: &, de Diis vt sunt, ita esse loquendũ. Percontanti homini impio quid esset pietas, nihil respondit: cumque ille silentii causam sciscitaretur: *Quia* inquit, *de rebus nihil ad te pertinentibus quaris.* Confectus senio post actam caussam pro amico, in gremio nepotis ex filia efflauit animam. Ciuitas tumulo eius inscripsit:

Κλεινῆς ἐν δαπέδοισι Πριήνης φύντα καλύπτει
Ἠδε Βίαντα πέτρη, κόσμον ἴωσι μέγαν.

*Petra Prianeum tegit hac bene culta Biantem,*
*Ornamentum ingens qui fuit Ionys*

PERIANDER Corinthius Cypseli ex Heraclidarum genere filius, *nihil pecuniarũ gratia agendũ esse* dicebat: *Voluptates corruptibiles esse, honores vero immortales.* Exercuit hic tyrannidem Corinthi, quam pater inuaserat annis quadraginta quatuor. Et ex Melissa filia Proclei Epidaurensium tyranni tulit Cypselum & Lycophronẽ: hunc prudentem, illum stolidum. Mortui Cenotaphium his versibus Corinthii illustrarunt:

Πλούτου καὶ σοφίης πρύτανιν πατρὶς ἥδε Κόρινθος
Κόλποις ἀγχιάλοις γῆ Περίανδρον ἔχει.

*Et sophia, & nummis Periandrum terra Corinthus*
*Clarum, littoreo continet alma sinu.*

*In Prot.* His à Platone annumeratur MYSON Chenæus, Strymonis filius, cum vellet ostendere priscæ Philosophiæ Laconicam fuisse breuiloquentiam memoratu dignam. Dicebat autem Myson: *Non propter verba res perfici, sed rerum gratia verba consummari.* Defunctus est anno vitæ nonagesimo septimo.

PHOCYLIDES Milesius, & THEOGNIS Megarensis Siculus, Poetæ Parænetici, nunc florent, elegiacos scribentes versus.

## REGNVM CYRI

* 3430. Anno sexagesimo octauo vidit & audiuit ab Angelo Gabriele inter-

interpretationem visionis de monarchia Alexandri & diuisione regnorum eius, atque etiam de desolatione Ierusalem: quæ postmodum facta est ab Antiocho Epiphane. ANNI MVNDI. Dan. 8.

Balthasari nepoti Nabuchodonosor, bibenti ex vasis Domini interpretatur Daniel, verba digitis manus parieti inscripta *Mane, Thecel, Phares* significare completum iam esse tempus regni sui, quando quasi appensus in statera vergat deorsum versus, itaque regnum eius diuidendum esse à Medis ac Persis.

Anno sexagesimo nono constitutus à Dario Daniel vnus Trium virûm super satrapas centum viginti regni, inuidia Principum accusatus Deum suum contra regium edictum adorasse, in lacum leonum rursum coniicitur. verum non modo seruatus illæsus fuit, sed pœna talionis de accusatoribus sumpta, etiam decreuit ac constituit Rex per litteras Deum qui Danielem liberauerat de lacu leonum, facientem mirabilia in cælo & in terra, tremiscendum ac religiose colendum.

Eodem anno intelligens Daniel ex libris completum tempus septuaginta annorum desolationis ab Ieremia designatum, deprecatus Dominum in ieiunio, sacco & cinere pænitentiũ more, vt dignaretur populum reducere in terram suã, responsum accepit, exauditas esse preces eius, à Gabriele Angelo: qui eum, quoniam vir desideriorum esset, edocuit tempus in propinquo esse, quando rursum ædificaretur Ierusalem Et à tempore illo, quo Artaxerxes missurus sit Nehemiam reædificare Ierusalem (quæ in angusto temporis spatio non muris ac portis solum, sed & ædibus in plateis ornabitur honestis) ad Christum ducem à patre, dicendo *hic est filius meus, ipsum audite*, constitutum, cum annorum esset quasi triginta; compleri septem & septuaginta duas, id est, sexaginta nouem hebdomadas annorum Hebdomada postrema confirmabit pactum multis prædicando Euangelium salutis, atque miraculis illud firmando: & in medio illius hebdomadæ cessabit legalis hostia, cum Christus Pascha verum immolatus fuerit, & nouum cœperit testamentum per Apostolos publicari. Post quæ omnia vastanda erit ciuitas & desolata erit per Romanos.

Exacto septuagesimo desolationis anno Cyrus, secundum quod præceptum ipsi erat à Domino, permisit Iudæos reuerti in patriam, ad ædificandum templum, primo Monarchiæ suæ anno tradens aurea & argentea vasa quinque millia & quadringẽtia proficiscentibus, quæ transtulerat Nabuchodonosor de Ierusalem. Dux fuit populo datus *Barachias* septemdecim annos natus, cui ob ducatum nomen datum erat *Zorobabel*: & cum eo 3431.

mis-

ANNI MVNDI.

4. Esdr. 13. missus fuit Iesua seu Iesus sacerdos, filius Iasedech, ac nouem principes viri. numerus multitudinis erat 42360: quibus serui & ancillæ erant 7337. In itinere eos condidisse Cyrum oppidum Syriæ narrat Cedrenus, quo grati animi signum erga Principem optimum ostenderent, & in Chaldæam commeantibus tutus locus esset diuertendi. Obtulerunt ergo Principes ad impensas operis templi sponte auri solidos 41000, & argenti 5000. mnas, atque vestes sacerdotales centum. Primo die mensis septimi extructo altari cœperunt sacrificare holocausta Domino, & celebrare festum tabernaculorum.

*Cyrus urbs Syriæ vbi Theodoretus Ecclesiastica Historia Scriptor Episcopatu functus est.*

## ÆGYPTVS.

*Amasis* in Ægypto potitus rerum, regnat annis quinquaginta quatuor. Eumque Ægyptii initio regni contemnere, quod plebeia ortus esset familia. Quod animaduertens, peluim auream lauandis manibus pedibusque fieri curauit. qua cum aliquandiu esset vsus, ex ea statuam dæmonis factam, illam celebri vrbis loco locari iussit: vbi illam Ægyptii mox venerari colereq; cœperunt. Itaq; vsus insigni solertia; vt simulacrum illud, quod tantopere venerarentur, ex pelui factũ erat, in qua vomere mingereq; soleret: ita & se ex plebeio esse factum Regem, cui omnis honor & reuerentia esset deferenda: sicque persuasit Ægyptiis vt ipsi libenter inseruirent. Erat mane rebus agendis intentus: & deinde potabat, atque iocis & dicacitate se recreabat, amicis dicere solitus, non semper neruum arcus tendi debere. Complura opera publica posuit. ex quorum numero fuit Colossus septuaginta quinque pedum ante templum Vulcani Memphi. Floruit sub eo maxime Ægyptus. Legem condidit, vt singulis annis apud Præsides prouinciarum Ægyptii demonstrarent vnde viuerent. Quam Legem ab Ægyptiis mutuatus, Solon Atheniensibus etiam tulit. Primus mortalium Amasis Cyprum cœpit, tribulariamque fecit prouinciam.

3389.

## GRÆCIA.

PHALARIS Agrigentinus regno totius Siciliæ potitur, sæuitia nobilis. Perillus illo sæuior taurum fecit, mugitus hominum pollicitus igne subdito. sed primum eum expertus est cruciatum, iustiore sæuitia, cum artem humanissimam deuocaret ad immanitatem. Eius opera alia seruantur ideo, vt quisquis illa viderit, oderit manus.

3427.

Per hæc tempora AESOPVS Phryx floruit: cuius animum natura liberum constituit, sed lex corpus in seruitutem dedit. seruiuitque Iadmocci Samio. Eius nomine celebrantur fabulæ

qua-

quarum auctorem volunt fuisse Hesiodum. Ducunt hæ animos narratæ, præcipue rusticorum, & imperitæ plebis. illi enim & simplicius quæ ficta sunt audiunt, & capti voluptate, facile iis quibus delectantur consentiunt. Hunc libertate donatum, atq; peragrantem diuersas regiones Delphenses per calumniam de rupe præcipitauerunt. Eiusque mortem, laborantes pestilentia, expiandam putarunt erecto cippo ingenti. ANNI MVNDI.

*Anaximander Milesius* Praxiadis filius per hæc tempora obiit annum ætatis agens sexagesimum quartum. Cui successit *Anaximenes* Milesius Eurystrati filius. cuius studiosus fuit Anaxagoras Clazomenius Eubuli filius: qui omnia simul fuisse, deinde mentem accessisse, omniaque composuisse scribit.

## ITALIA.

Seruius Tullus, *serua natus, à Tanaquil Tarquinii uxore liberaliter educatus, eaque annitente in locum Tarquinij defuncti substitutus, regnauit annos quadraginta quatuor. Ab ipso populus Romanus relatus est in censum, cum bona ac res ciuium æstimarentur secundum quam æstimationem tributa soluebantur. Digestus quoque fuit in classes sex, curiisque ac collegiis distributus, solerti atque proportionata ordinatione ad hunc modum, ex octoginta millibus ciuium, qui hoc lustro censa dicuntur.*

| Classis | Census | Peditum centuriæ | Equitum centuriæ | Fabrorum centuriæ | Arma ex ære | Tela |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Prima | 100000. æris vel 100. minæ $937\frac{1}{2}$. ducati. | 80. | 18. | 2. | Galea, clypeus, ocreæ. | Hasta, gladius. |
| Secunda | 75000. æris vel 75. minæ $703\frac{1}{2}$. ducati. | 20. | | | Galea, scutum, ocreæ. | Hasta, gladius. |
| Tertia | 50000. æris seu 50. minæ $468\frac{3}{4}$. ducati. | 20. | | | Tibicinũ, Galea, scutũ. Class. 3. | Hasta, gladius. |
| Quarta | 25000 æris seu 25. minæ $234\frac{3}{8}$. ducati. | 20. | | | Scutum. | Hasta, & pilum. |
| Quinta | 11000. æris seu 11. minæ $162\frac{3}{8}$. ducati. | 30. | | | | Funda & lapides missiles. |
| Sexta | 1. Capite-censorum. | | | | | |

*Seruius Rex primo Romæ signauit as. signatum est nota pecudum:*



*inde*

ANNI MVNDI.

*inde pecunia dicta. sicque as deinceps ipso pondere pretiosius fuit figuratum apud Romanos.*

Auctor de viris illustribus.

*Habuit filiam alteram ferocem, alteram mitem. Quare cum videret Tarquinij Prisci filios pari animo, vt omnium mentes morum diuersitate leniret, mitem feroci, ferocem miti in matrimonium dedit. Sed mites, seu sorte, seu fraude perierunt: feroces morum similitudo cõiunxit. Statim Tarquinius Superbus à Tullia incitatus, aduocato senatu, regnum paternum repetere cœpit. Qua re audita Seruius, dum ad curiam properat, iussu Tarquinij gradibus deiectus, & domum refugiens, interfectus est. Tullia statim in forum properauit, & prima coniugem Regem salutauit: à quo iussa è turba decedere, cum domum rediret, viso patris corpore, mulionem euitantem, super ipsum corpus carpentum agere praecepit. Postea Tullia cum coniuge in exsilium acta. Occiso Seruio* TARQVINIVS SVPERBVS *regnum sceleste occupauit.*

## CYRVS.

Anno secundo aduentus populi mense secundo, constituerunt Zorobabel ac Iesus Leuitas, qui vrgerent opus Domini. Fundatoque templo steterunt sacerdotes ornati cum tubis, & posteri Asaph concinebant in hymnis Domino: *quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius super Israel:* applaudente populo multo clamore.

1. Esdr. 4. 6. Seniores, qui Salomonis templi formam memoria retinuerant, flentes erant, quod viderent hocce nouum templum non responsurum amplitudini atque magnificẽtiae prioris; aliis rursum laetantibus, quod opus videbatur admiratione dignum. Samaritani, missis litteris ad Cambysem Cyri filium, vocatum & Artaxerxem Assuerum, procurarũt, vt impediretur vlterior tẽpli exstructio, cum iam fundamenta essent posita latitudinis cubitorum sexaginta, secundum praescriptum Cyri.

Aggaei 2. Porro anno secundo primo die mensis sexti *Aggaeus* Propheta cœpit Zorobabel ac Iesum Pontificem adhortari, vt opus inceptum perficerent. Vigesimo primo mensis septimi promittitur aduentus *Christi*: qui decimoquarto mensis noni praedicitur nasciturus de stirpe Zorobabel: quando etiam promittebatur populo frugum abundantia, nullis earum tum exstantibus signis.

Mensis quoque vndecimi die vigesimoquarto vidit Zacharias, filius Barachiae, ac nepos Addo, Angelum Domini intercedentem quasi pro Iudaeis, referentemque Domino iam septuagesimum praeteriisse annum: quem terminum vindictae constituerat peccatorum populi, idololatria contaminati. Quare

Zach. 1. 2. 3. 4. locutus est Dominus Angelo Prophetae verba plena consolationum

tionum: quæ ille intra Prophetam existens, ipsum iubebat proclamare: nempe Dominum Ierusalem ac Sion vehementer amare; iramque suam conuertisse in Gentes, quæ Iudæos afflixerant; templum perficiendum fore; & ciuitatem restaurandam, Iesumq; vestitu pontificali functurum esse sacerdotio. Quod vero Angelus alteri imperet Angelo, quodque Angeli intrant in homines, exeunt atque reuertuntur (hoc aperte testante Propheta) quid mirum? cum etiam dæmonia hoc faciant permissu diuino, cogantq; homines eloqui quę suggerunt ipsis. Ceterum dormiētis Regis ceruicali supposuerant tres Iudęi iuuenes quibus cura incumbebat custodiendi Darium suas scedulas hæc continentes: *Forte vinum, fortior Rex, fortiores mulieres, at super omnia vincit veritas.* Postremæ vero sententiæ declaratio præualuit, cum, Rege postulante, eam exposuisset Ioacim, Zorobabel paterno cognomine dictus, nepos nimirum Salathielis. Concessit itaque petenti ipsi Darius, vt exstrueretur domus Domini, atque ædificarentur quoque ædes Hierosolymæ permisitque ipsum magno comitatu datis litteris proficisci Babylonem. Vnde stipatus mille equitibus deduxit complures sacerdotes, atque etiam Iesum filium Iosedec pontificem in Iudæam. Cumque reuersus fuisset Hierosolymam Iesus, cessit sacerdotium illi filius Ioachim, qui pro ipso, in Babyloniam profecto, functus eo fuerat annis octo. Completa vero est templi ædificatio itaque à Zorobabel, Iesu, ac senioribus Iudæorum, Aggæo & Zacharia quoq; Prophetis, tertio die mēsis Adar, anno sexto regni Darij. Dedicata quoque oblatis centum tauris, ducentis arietibus, quadringentis agnis, ac duodecim hircis pro peccatis Israel: secundum numerum tribuum. Phase insuper celebrarunt decimo quarto die primi mensis, vescentes septem diebus azymis cum lætitia.

ANNI MVNDI.

*Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.*

*Philo. 2.*

*Monarchia Persarum*

comparata vrso. *Dan. 7.*

*Cyrus* Persa, mortuis Astyage ac Dario, factus est monarcha. Hic deuicta Asia 34000. pondo auri inuenerat, præter vasa aurea aurumque factum, & in eo folia, & platanum, vitemque. Qua victoria argēti 50000. talentorum reportauit, & craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta colligebat. Celebratur ob memoriam humanitate multa ornatam, cum omnibus in exercitu suo militibus nomina redderet. 3415.

*Plin. 7. 14.*

Adscripsit vitio ipsi Alexander Macedo, quod leges sumptus quoti- *Polyæn. Strat. 4.*

ANNI MVNDI.

quotidiani, cenasque, ac largitionum in copias æneæ inscripserit columnæ, dicens ad amicos: *Nequaquam vtile esse Regibus tam intemperanter discere cenare, ac tam prodige distribuere sua*: iubens quoque columnam conuellere, quæ hæc continebat:

| | | |
|---|---|---|
| *Triticea farina pura* | 400. | artaba. |
| *Secundaria farina* | 300. | |
| *Farina tertia* | 300. | |
| *Hordeacea farina pura* | 200. | |
| *Secundaria* | 400. | |
| *Tertia* | 400. | |
| *Grani auenarii* | 200. | |
| *Pollinis in pollentam admista pro offis* | 10. | |
| *Nasturcii incisi signatique tenuis ptisana* | 10. | |
| *Seminis sinapis artaba tertia pars.* | | |
| *Vini* | 500. | Maries |
| *Lactis recentis* | 10. | |
| *Oxygalactis dulcorati* | 10. | |
| *Olei sisamini* | 10. | |
| *Olei lactei* | 5. | |
| *Olei Arbantini* | 5. | |
| *Olei terebinthini* | 5. | |
| *Olei amygdalini* | 3. | |
| *Fluentis mellis palatha quadrangula* | 100. | |

| | |
|---|---|
| *Boues* | 100. |
| *Oues masculi* | 400. |
| *Agni* | 300. |
| *Damæ* | 30 |
| *Anseres saginati* | 400. |
| *Pulli anserini* | 100. |
| *Turtures* | 300. |
| *Auiculæ omnis generis* | 600. |

| | |
|---|---|
| *Allij* | *talentum.* |
| *Ceparum* | *semitalentum.* |
| *Folij* | *artaba.* |
| *Croci* | *2. minæ ponder.* |
| *Amygdalarum aridarum* | *tres artabæ.* |
| *Anethi aridi* | *triginta minæ pondere.* |
| *Apii seminis* | *4. capetes.* |
| *Raphanorum* | *5. maries.* |
| *Lignorum* | *100. currus.* |

Largitio-

Largitionum in milites quotidianarum modus.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Triticea pura* | 500. | artabæ. | *Hordei pro iumẽtis* | 10000. *artabæ.* |
| *Hordeacea pura* | 1000. | | *Palearum* | 10000. *currus.* |
| *Impura* | 1000. | | *Festucarum* | 5000. *currus.* |
| *Siliginis* | 500. | | *Olei sisamini* | 200. *maries.* |
| *Chondri ex farre* | 500. *maries.* | | *Nasturcii concisi* | 30. *artabæ.* |

*Monarchia Persarum.*

Decem tribus, quæ captiuæ factæ sunt de terra sua in diebus Oseæ Regis, quem captiuum duxit Salmanasar Rex Assyriorum, & trãstulit eos trans flumen, & translati sunt in terram aliam: ipsi sibi dederunt consilium hoc, vt derelinquerent multitudinẽ Gentium, & proficiscerentur in vlteriorem regionem, vbi numquam inhabitauit genus humanum; vel ibi obseruare legitima sua, quæ non fuerant seruantes in regione sua. Per introitus autem angustos introierunt fluminis Euphratis. Fecit enim Altissimus signa, & statuit venas fluminis, vsquequo transirent. Per eam enim regionem erat via multa itineris anni vnius & dimidii: nam regio illa vocatur *Aisarich*.

GRÆCIA.

*Byza Naxius* perhibetur lapides tegularum instar fidisse primus circa hoc tempus. Eius filii simulachra erant in Naxo cum hac inscriptione: *Naxius Euergus fecit Byza patre natus:*

*Primus is è saxis composuit tegulas.*

Athenis inter ciues graues seditiones sunt obortæ, & Pediorum factioni Lycurgus, Paralorum Megacles, & Diacriorum Pisistratus præfuit. Quos omnes Solon reuersus Athenas adiens, à seditione abducere & pacare nitebatur. Diacriorum factio ære alieno contracto diuitibus inimica infestaque erat: videbaturque Pisistratus apprime Soloni assentiri. Et quo tyrannide potiretur, verberibus voluntariis domi affectus laceratoque corpore in publicum progreditur, & aduocata concione vulnera populo ostendens, de crudelitate diuitum ac principum, à quibus passum hoc se simulabat, queritur: adduntur vocibus lacrymæ, & inuidiosa oratione multitudo credula incenditur: amore plebis inuisum se senatui affirmat. Descendente in concionem populo, Aristone decernente obtinet ad custodiam corporis sui quinquaginta armatos, Corynephoros dictos. Per quos arce potitus, tyrannidem, Megacle & Alcmeonidis fratribus fugientibus, occupauit: & regnauit per annos triginta quatuor. Artes liberales maxime fouit. Homerum in eum ordinem quo nunc est, acquisitis vndique eius partibus, redigi curauit, & primus publicauit Bibliothecam Athenis. Quam à Xerxe ad Persas translatam Seleucus Nicanor restituendam curauit.

*Hecatæus* Hegisandri filius, Milesius, Protagoræ auditor, pri-

ANNI MVNDI. mus soluta oratione historiam edidit, Olympiade sexagesima quinta.

*Cleomene* expulso Lacedæmone, regio deinceps imperio repudiato, veteris Reipublicæ institutis reliquis Lacedæmonii vsi fuerunt.

## ÆGYPTVS.

In Græcos in Ægyptum concedentes multa officia contulit Amasis: concessitque illis facultatem Naucratem vrbem incolendi. Fecit etiam potestatem ibidem negotiantibus certis locis aras & fana exstruendi. adeo vt maximum eorum fanum & celeberrimum vocetur *Græcum*.

*Cambyses* vero contra Amasim mouit in Ægyptum, cum à Rege Arabum commeatu aquaque iuuaretur. Quem *Psammenitus* Amasis filius apud Pelusium operiebatur. Dum interea Amasis, postquam regnasset annos quinquaginta quatuor mortuus, saleque conditus, in sepulcris quæ in Saim vrbe in templo Mineruæ exstruxerat positus fuit. Cambyses ergo prœlio vincens Ægyptios, deditione Ægyptum cepit. Itaque Ægyptii subiecti Persis sub Psalmmenito Amasis filio fuerunt.

Cambyses Ægypto occupata, cum Ægyptiis vsque in Meroen progressus est: & nomen vrbi, & insulæ ab illo impositum ferunt: Meroe sorore eius ibi mortua. Nomen itaque ob honorem mulieris loco datum.

## ARPHAXAD.

*Arphaxad.* 3457. Porro *Arphaxad*, Medis à Persarum imperio desciscentibus Rex factus, multas gentes suo regno subiecit: quoque sibi tutum esset refugium à Persis, Ecbatana vrbem ædificauit, muroq; cinxit altitudine septuaginta cubitorum, latitudine triginta, turres portasque erigens centum cubitorum. Huius exemplo & Babylonii rebellasse, aliæque gentes minus dicto audientes fuisse, cum auxilia ab iis Darius postularet, memorantur. Igitur cum sancte iurasset se supplicium de iis sumpturum esse: quo se religione
3459. liberaret, postquam anno duodecimo regni sui suscepisset bellum aduersus Arphaxad, vigesimo secundo die mensis primi, an-
3460. no decimo tertio; decreuit etiam se velle vindicare de non obtemperantibus sibi, tamquam illegitimo Regi, atque ipsum existimantibus persimilem tyranno, & crudelitate quasi alterum Nabuchodonosorem immanem. In Babylonios ergo cum exercitum duxisset, post obsessam Babylona menses viginti, eam astuta fraude Zopyri, qui lacerato corpore, naso auriculis-
3463. que amputatis illo transfugerat, recepit. Deinde Arphaxad

prœli-

prœlio deuicit, eiusque vrbes expugnauit, atque Niniuem reuersus cum ducibus & exercitus præcipuis viris, comessando centum viginti dies consumsit.

Anno decimo octauo regni sui, vigesimo secundo primi mēsis decreuit ex sententia procerum regni supplicium sumere de iis qui mandata eius spreuerant, atque Holofernem exercitui 120000. peditum ac 12000. equitum præfecit. Qui deuastata 3468.
Syria Ciliciam vsque & ad fines Iaphet Austro Arabiæq; obiectos. descendens in campos Damascenos, tempore messis succendit igne fruges, arbores vineasque succidit, armenta gregesque etiam consumens, ac iuuentutem gladio perimens. Ita vt terrori esset Phœnicibus, Philisthæis, aliisque Syrię populis: qui se suaque omnia eius arbitrio dedidere.

Quo nuntio perterriti Iudæi, ne idem faceret Ierusalem temploque Domini timuerunt quod aliis opidis, templisque eorum fecerat, quæ demolitus erat. Munierunt ergo Israelitæ ciuitates suas, ac præoccuparunt iuga montium, & prouiderunt sibi de annona: obtemperantesque dictis Pontificis Ioachim, clamauerunt ad Dominum, intenti ieiuniis atque orationibus, & induti cilicijs: sacerdotes operuerunt altare quoque cilicio, positis infantibus etiam ante faciem templi; quo flecterent iram numinis diuini eiulatu innocentis ætatis. At interim Holofernes elatus rebus secundis Achrorem Ammonitarū ducem, quod epitomen historiæ Hebræorum recensendo, Deo vero tribuerit fortitudinem humana potentia maiorem, iussit hostibus tradi, quo victor ip ū simul cum Iudæis interficeret. Sed excepit eum perhumaniter Ozias, filius Micha, tribus Simeon, qui pręfectus erat Bethuliæ. Vbi etiam Manassis vidua Iudith morabatur, mulierum decus, atque longa serie clari generis ornamentum. nam licet diues esset opum, forma excellens, ætate florens: tamen vitā agebat inter ancillulas solitariā. pietatis ac castimoniæ nomine insignis, cum inter continua ieiunia ac cilicii asperitates se sacris humanioribusque litteris sedulo oblectaret. Hæc ergo Deū timendo tantam auctoritatem obtinuit, vt præfectum vrbis Oziam, sacerdotesque in suam sententiā grauiter differendo pertraxerit: portas sibi nocte ciuitatis aperiri, ad hostes cum abra (id est ancilla) illæsa peruenire, Holofernem vino inebriatū obtruncare, iugumque seruitutis acerbissimū à populo suo excutere suspēso Assyrii capite super muros, promeruerit. Quin ad se conspiciendam hac sua victoria inaudita excitauit Ioachim Pontificem, vt cum omnibus suis sacerdotibus veniret Bethuliam, gratulandoque ipsam *gloria Ierusalem, lætitia Israelis, & honorificentia populi* titulis ornaret. Donata vero spoliis Holofernis hoc modo triumphauit. Imposita sibi sociæque

ANNI MVNDI. abræ corona oleagina, mulieres virginesque thyrsos gestantes, atque subsequentes viros armatos præibat, cum organis ac citharis atque hymnis. vt enim erat poeseos edocta, Epinicion cõposuerat: quod à se præcantatum populus gaudens læte succinebat. in quo gloriatur liberatrix Hebræorum animosa, atque virilis fortitudinis calcar non Titanes, qui Saturno bellum mouisse, neque excelsos gigantes, qui Pelion Ossæ Ossamq; Olympo imposuisse feruntur, aut iuuentutem armis assuetam, Assyrios prostrauisse; sed se, mulierem, filiam Merari, ope Adonai Dei sui; idque tanta audacia, tamq; pertinaci constantia, vt ad eam exhorruerint Persæ ac Medi.

Ceterum Iudith cum populo profecta Hierosolymam consecrauit opima Holofernis spolia atque conopæum quod abstulerat Deo: celebrando tres menses lętitiam, donec populus ipsaque redierint domũ. Superuixit viro annos centum & quinque, atque mortua in eius sepulcro condita fuit Bethuliæ, celebrãte populo exsequias septẽ diebus. Dies victoriæ à Iudæis solitus quotannis celebrari, à Ioachim Pontifice institutus fuisse creditur. Porro non exstitit omni tempore vitæ Iudith qui perterreret Israelitas: neq; etiam compluribus annis post mortem eius. Nam Darius eiusque filius Xerxes intenti regno extendendo, cum Græcis & Ægyptiis, qui à Dario defecerant, continuo bella gerebant.

3470. 4. Esdr. 16. *Esdras* nunc audit à Domino: *Signa quæ demonstraui, & somnia, quæ vidisti, & interpretationes quas tu vidisti in corde tuo repone ea: tu enim recipieris ab omnibus, conuerteris residuus cum consilio meo, & cum similibus tuis vsquequo finiantur tempora. Quoniam sæculum perdidit iuuentutem suam, & tempora appropinquant senescere. Duodecim enim partibus diuisum est sæculum, & transierunt eius decima & dimidium decimæ partis: supersunt autem eius post medium decimæ partes. Nunc ergo dispone domum tuam, & corripe populum tuum, & consolare humiles eorum.*

3490. Interea mortuo Zorobabele filius eius *Resa Mosollam* dux fit Iudæorum annis sexaginta sex.

## GRÆCIA.

*Alcmæon Crotoniata*, Pythagoræ discipulus, primũ nunc de naturæ ratione scripsit, de immortalitate quoque animæ rationalis: quam instar Solis semper in motu esse asserit. Fuitque professione Medicus.

*Heraclitus*, Blysonis filius, Ephesius, sexagesima nona Olympiade clarus est habitus. Qui acriter Ephesios carpsit, quod Hermo-

Hermodorum amicum sibi eiecerant vrbe, dicens: *Merentur Ephesij omnes adulti mori, impuberibusque vrbem derelinquere: quoniam Hermodorum sui præstantissimum expulerant, dicentes: Nostrum nemo inæqualis sit, quoniam si quis fuerit talis, alibi & cum alius esto.* Hominum odio secessit: vitamq; ducebat in montibus, comedens olera & herbas. Inde morbum aquæ intercutis incurrens, mortuus fuit, anno ętatis suæ sexagesimo: sepultusque fuit in foro. Neminem quidē audiuisse narratur, verum semet inuestigandæ veritati dedisse, omniaque didicisse à semetipso. Reliquit librum in tres partes distinctum, quarum prima de vniuerso, secunda de Repub. & tertia de Theologia disserit. Obscurius scripsit, vt soli eruditi illum legerent, & ne fieret contemptibilis, si legeretur à vulgo passim. Tantam de se opinionem eruditionis excitauit, vt eum Darius Hystaspis filius, Persarum Rex per litteras ad se euocauerit, vt particeps posset fieri Græcæ eruditionis. Sed se paucis contentum, non expetere Persarum res sumptuosas rescripsit.

ANNI MVNDI.

Cum Datis Medus à Dario Persarum Rege in Græciam ad Eretriam & Athenas diripiendas esset missus, Marathonemque locum Atticæ proximum consilio Hippiæ tyranni exsulis occupasset; *Miltiades* Cimonis F. ab Atheniensibus bello præpositus rem apud Marathonem prospere gessit, triginta millibus interfectis, fugatoque Dati, primus Græcorum Medicam vestem intueri est ausus, cum ante vel nomen Medorum horribile esset auditu. Ob hanc victoriam gratus acceptusque Atheniensibus *Miltiades*, naues ad inuadendos Parios septuaginta obtinuit, Quibus & per viginti sex dies obsessis, & agro populato male ob femur è maceria lapsa læsum habens, Athenas re infecta rediit. Vbi à Xantippo Periclis patre accusatus, quasi Athenienses circumscripsisset, iaceretque putrescente femore in lecto, pro eo amici responderūt, & mentione Marathonii belli facta, obtinuerunt populi interuentu ne capitis damnaretur. quinquaginta tamen talentis multatus, in carcere decessit. quæ Cimon filius post eius mortem persoluit: cum vt paternum corpus sepulturæ mandaretur, se vinculis eius constringendum traderet. Sepultus autem fuit Miltiades in patrio monumento Cimonio appellato prope portas Melicidas loco Diacœle nuncupato. Effossus ante paucos annos est Romæ in monte Cœlio terminus cum Miltiadis effigie atq; hac inscriptione:

3480.
*Herodotus, Thucydides, & Probus in Miltiade.*

ΜΙΛΤΙΑΔΗΣ

*Qui Persas bello vicit Marathonis in aruis.*
*Ciuibus ingratis & patria interijt.*

AN. MVN.

Πάντες Μιλτιάδη τἀρήϊα ἔργα ἴσασιν
Πέρσαι καὶ Μαραθὼν τῆς ἀρετῆς τέμενος.

Hæc Laurentius Gambara Brixianus ita vertit.

*Miltiade norunt omnes tua facta, sciuntque*
*Virtutem Persæ cum Marathone tuam.*

Spectatur & in hortis Card. Medicis prope villam Iulii III. Pont Max. hæc inscriptio:

ΜΙΛΤΙΑΔΗΙ
ΚΙΜΩΝΕΙ
ΑΘΗΝΕΥΣΙ.

# ITALIA.

*Scriptor de Vir. Illust. cap. 9.*

*Cum Ardea obsideretur à Romanis, fuissetq; decertatum inter iuuenes regios, cuius uxor laudatioribus esset moribus, placuit experiri. itaque equis petunt Romam: vbi regias nurus in conuiuio & luxu deprehendunt: exinde equitantes Lucretiam inter ancillas lanificio offendunt intentam. ita ea pudicissima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius sextus nocte redit: Collatiam, & iure propinquitatis domum Collatini, Tarquinij ingressus, in cubiculum Lucretiæ irrumpens, pudicitiam eius expugnauit. At illa postero die aduocatis patre & coniuge, rem exponit: & cultro, quem veste texerat, seipsam occidit. Illi itaque in exitum Regis Superbi filiorumque eius coniurarunt. Coniurauit & cum Tricipitino & Collatino Iunius Brutus sorore Tarquinij superbi genitus. Qui in exsilium actis Rege cum filijs, eorumq; bonis direptis, cum L. Tarquinio Collatino Consul creatus est. Pro perpetuo enim imperio annuū, & pro vno Rege duos substituere Consules Romanis placuit. Consules autem appellati fuerunt, vt audito nomine, se consulere ciuibus suis meminissent. Brutus Consul cum percepisset filios suos. fratrisq;, cum Aquilijs & Vitellijs ad recipiendum in vrbem Tarquinios coniurasse; virgis cæsos, securi percussit. Deinde prælio quod cum Tarquinijs gerebatur, singulari certamine cum Arunte Tarquinij filio congressus, ambo mutuis vulneribus se occiderūt. Et pro eo Consul creatus Sp. Lucretius Tricipitinus; & pro Collatino, quem ob affinitatem cum Tarquinijs consulatu se abdicare, & ciuitate cedere coegerant, M. Horatius Puluillus fuerat suffectus. A quo Bruti corpus in foro positum, fuit laudatum, & matronæ eum annū luxerunt. Deinde L. Valerius consul legē de prouocatione ad populum tulit: dictusque est* Publicola. *Capitolium quoque fuit dedicatum.*

Sextus Papirius *leges curiatas his temporibus collegit, quas Romulus & sequentes Reges ad populum tulerant. vocabaturq; is liber* Ius ciuile Papirianum: *non quod Papirius ibi quidquam de suo adiecerat;*

*rat; sed quod leges sine ordine latas in vnum composuerat. Primus hic inter Iurisconsultos numeratur.* ANNI MVNDI.

*Exactis Regibus lege Tribunicia omnes regiæ leges exoluerunt. iterumque cœpit populus Romanus incerto magis iure & consuetudine vti, idque prope viginti annis. Postea ne hoc diutius fieret, placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus: vt ciuitas fundaretur legibus, quas in tabulis eburneis perscriptas pro rostris posuerunt, vt possent leges apertius percipi. datumque est Pontificibus ius eo anno summum, vti leges corrigerent, & si opus esset interpretarentur: neque prouocatio ab eis, sicut à reliquis magistratibus fieret. Qui animaduertentes aliquid deesse istis primis legibus, ideoque sequenti anno alias duas iisdem tabulis adiecerunt: & ita ex accidenti appellatæ sunt* Leges XII. tabularum. *Quarum ferendarum auctorem fuisse Decemuiris Hermodorum quemdam Ephesio exsulantē in Italia, quidam retulerunt: cui ob fidelem præstitam operam statua in comitio etiam fuit posita* Olympiade *octogesima secunda, Archonte Chephisæ. Clarus tum præ ceteris Iurisconsultis fuit* Appius Claudius *Decemuir. Vsusque est fere populus Romanus hac consuetudine centum annis.* Strabo.

## Monarchia Persarum.

*Xerxes* videns proditionem publicatam ex integro bellum aduersus Græcos instituit. Vincit ad Thermopylas Græcos, 300. Spartanis cæsis

*Artaxerxes Longimanus*, qui & *Assuerus* dicitur, à patre Xerxe etiam Rex constituitur. Hic videns imminere cladem regno ad Deum conuertitur, atque magno studio summaque religione mandat Esdræ, ea quæ cultus summi Dei sunt perficere: ne forte, inquiens, exsurgat ira in regno Regis & filij ac filiorum eius. 3465.

## ESDRAS.

*Esdras* filius Saraiæ, frater Iosedec, ac patruus Iesus, sacerdos ac scriba doctissimus, atque Propheta idem Malachias. acceptis litteris ab Artaxerxe Assuero Lōgimano profectus Babylone, comitatus decies septies mille, septingentis, & quinquaginta sacerdotib. leuitis atque nathinæis, post ieiunia faustū à Deo precatus iter, primo die quinti mensis venit Hierosolymā, vbi intentus legi Domini inuestigandæ vt faceret atq; doceret populum præcepta & iudicia, excogitatis nouis characteribus (vtebantur enim & Samaritani antiquis) Moysis Prophetarumque libros corio inscripsit Volumen eius manu conscriptum etiamnum Bononiæ apud Dominicanos religiose conseruatur. 3501. Hieron. in prolog. in Mal. Christ. Mas. lib. 7.

Esdras

ANNI MVNDI.

Fr. Leand. in Romand. Esdras tamen has litteras non tam inuenit (quamvis Hieronymus hoc habet) quam patriis sedibus pulsas iure quasi postliminii vendicauit.

Esd. 8. Tradunt Iudæi Eleazar sacerdotem tunc quoque canones instituisse ad totius anni festa ad lunæ cursum celebranda, incipiẽdo à noua luna mensis Tisri, æquinoctio autumnali proximo. Vnde etiamnum auspicantur annum Iudæi, vtentes ad prædictos canones regulis certis Rabbi Gamalielis.

*Audiens* vero Esdras populum cum gentilibus contraxisse matrimonia, scissis vestibus flens ac iacens ante templum Domini tempore sacrificii vespertini, confitetur peccata populi ac luget coram Deo. deinde conuocatis vniuersis transmigratis, præcipit repudiari vxores alienas: constituens Ionathan & Iaazia ad hoc iudices, atque Mosellam & Sebethai leuitas assessores.

3514. Anno vigesimo Artaxerxis mense Cassen venerunt Susan Hanani & Iudæi aliquot, quos Nehemias leuita ac pincerna Regis percontatus de statu vrbis Hierosolymæ, intelligit populum affligi atque opprobriis affici, & muros dissipatos, portasque cõflagratas etiamnũ iacere irrestauratas. quare tristior solito ieiunabat cum fletu & oratione ad Deum diebus multis. Cumque mense Nisan vinum Regi funderet, atque mæroris sui caussas aperiret, à Rege Reginaque sedente apud maritũ suum commeatum accepit in patriam eundi, vt restauraret portas ac muros ciuitatis, & ad certum tempus reuerteretur Itaq; comitatus satellitio, acceptis ab Artaxerxe litteris ac mandatis ad præfectos ei⁹ trans flumen, venit Hierosolymã. Ab hoc tempore, quo Persarũ Regis sermo vt iterum ædificaretur Ierusalem egressus fuerat, supputandæ sunt septuaginta hebdomadæ Danielis: quæ finiuntur, quando Caius Caligula abominationem desolationis posuit in loco sancto; nimirum cum antiquum illud Hierosolymæ sacrarium profanari sacrificiis Gentilium, atque repleri statuis simulacrisque imperauit, seque ibi vt Deum coli præcepit, nuncupans illud templum *Iouis Caij Illustris*. De his hebdomadibus ple. issime disputasse Iudam, qui Chronographiam temporum ad decimum Seueri annum perduxit, refert Hieronymus.

Dan 9. Matth. 24. Philo apud Euseb. 2. 6. Hieron in Catalogo.

Ceterum cum tribus diebus Neemias constitisset Hierosolymis, de nocte, insciis Magistratibus ac Sacerdotibus, egressus porta vallis, iumento vehebatur ad aquæductum Regis, eundo acredeundo contemplatus ruinas portarum ac murorum. Hoc facto, adhortatur populum ad ædificandum muros, ostendens ipsis consensum Artaxerxis. Itaque primus Eliasib Pontifex auspicatus est ædificare portam gregis, cum ea muri parte quæ

erat

eratinter turrim centum cubitorum ac turrim Hananeel; exstruentibus ceteram partem Zacchur & viris Iericho. portam piscium ædificauerunt filii Asnaa. murum instaurarunt Refa Mosellam cum aliis. portam veterem exstruxerunt Ioiada, & Mosellam filius Besodia: & muri partem Meltias & Iadon, cum viris Gabaon & Maspha atque aliis. Relinquendo deinde vrbem vsque ad murum latum etiam exstruxerunt illum, atque turrim furnorum. Forte quod Chaldæi illac vi irruperant, quo exstaret monumentum expugnationis, non fuerant demoliti ibidem portas. Nam portæ Beniamin, Ephraim, & angulorum non leguntur fuisse restauratæ. Sed portam vallis Hanũ & incolæ Zanoe, portam sterquilinii Melchias, & portam fontis Sellum exstruxisse narrantur: frustra id impedire conantibus Sanaballat, Tobias, Arabibus, Ammonitis, & Azotiis. nã murus completus fuit quinquaginta duobus diebus, vigesimo quinto nempe die mensis Elul: à quo accincti gladiis vna manu operabantur, altera arma tenebant. *Zach.14.*

Mense septimo Tisri congregato vndique populo in platea ante portam aquarum, prælegit Esdras legem Moysis aperte & distincte, vt intelligi posset. Aderant ipsi Sacerdotes ac leuitæ, qui cum eo populo declarabant flenti diem esse sanctificatũ Domino, nempe festum Tubarum cum gaudio celebrandum. Postridie accedunt Principes familiarum, Sacerdotes ac Leuitæ ad Esdram, vt interpretaretur ipsis verba legis. à quo edocti adesse in propinquo festum Tabernaculorum, illud celebrarunt in tabernaculis frondibus oliuarum, myrti, atque palmarum constructis, tanta solemnitate, vt non fuerit tanta lætitia festum illud celebratum à tempore Iosue. Septem festiuis illis diebus, atque octauo quoque die, cum fieret Collecta, legit librum legis Dei Esdras, cui sacerdotalis dignitas, donum Prophetiæ, generis nobilitas, eximia doctrina, venerandaque senectus auctoritatem summam conciliabant. Miram vim persuadendi præsefert docte figuratus sermo eius Prophetiæ: quæ aperte præcursorem Christi oblationem mundam Ecclesiæ, atque futurum iudicium, signaque illud præcedentia declarat.

Porro die vigesimo quarto mensis septimi, Israelitæ pænitentiam agentes in ieiunio, ac saccis induti, puluereque conspersi confitebantur peccata sua & iniquitates patrum suorum, separantes se ab alienigenis vxoribus. Leuitæ vero adhortantes populum ad benedicendum Dño Deo, conuersique ad Deum, omnem historiam ab Abrahamo vsque hoc tempus perstringunt. Feriunt quoque fœdus cum Domino, signantque illud complures Sacerdotes, Leuitæ, Ianitores, Cantores, atque etiam multi ex populo.

Con-

ANNI MVNDI. Congregatis vndique Leuitis, muri ac portæ ciuitatis dedicantur: diuisisq; ipsis ac principibus populi in turmas quatuor, conscenderunt muros: sic vt Osias cum principibus populi staret ad portam sterquilinii, vbi Zacharias tuba clangebat sacerdos, aliique cantores, & Esdras sacerdos in porta Fontis. secunda turma erat in muro Sionis, qui domui Dauid imminebat, ad portam aquarum vsque constituta. ex aduersa populi turma erat tertia in muro turrique Furnorum ad murum vsq; latissimũ & portam Ephraim. quarta vero pars consistebat super portas veterem, Piscium & Gregis, turresque Hananeel & Emath. Erant & duo chori laudantes Dominum in templo: auditaq; est lætitia Ierusalem procul, cum in quincuncem quasi essent ordinati. Hæc vbi facta fuere, erexit quoque Nehemias complures

Eccle. 49. domos duodecim illis annis quibus præfuit Hierosolymæ. Nã

2. Esdr. 12. trigesimo secundo Artaxerxis anno rediit Babylonem, Regi nõ

2. Mach. 1. modo gratus sed etiam suspiciẽdus: cum is intellexerat aquam crassam absconsi ignis loco inuentam, & a Nehemia super hostiam pyramque effundi iussam rursum in ignem conuersam, sacrificium consumpsisse, non exiguo miraculo quoque lucidam illuxisse flammam.

# GRÆCIA.

*Themistocles* imperator contra Persas electus, commissa apud Salaminem nauali pugna victor, seruitute Græciam liberauit. Vir tantæ memoriæ vt ciuium omnium nomina recitaret.

Athenienses reductis vxoribus ac liberis mœnia Athenarum rursus exstruunt, sub præfecto Demosthene.

*Pausanias* Lacedæmonius, classis Græcorum præfectus, supremo afficitur supplicio, quod Græcorum libertati deprehensus esset insidiari, arcta cum Xerxe contracta amicitia. qui transmissa magna pecuniæ summa ei filiam suam desponderat. *Aristides* Atheniensis eius loco dux classis constitutus, suadet Græcis vt se aduersus Persas muniant. Græci igitur & Cimonem Miltiadis F., pietate erga patrem in carcere mortuum insignem, in

5498. ducem quoque deligunt. Interea etiam *Themistocles* proditionis accusatus Ostracismo Athenis eiectus Argos abiit, vnde ad Xerxem profugit. Successitque ei *Pericles*, qui præfuit Athenis annis quadraginta. Ceterum Cimon Xerxem vno die terrestri naualique bello superatum trepidum in regnum suum se recipere coegit.

C *Hieron* frater Gelonis regnat Syracusis annis vndecim mensibus octo. Obiit olympiade 78. Celebrauit hunc Pindarus.

ANAXAGORAS, cum se totum ad speculandam rerum naturam

ram contulisset, compellanti se cuidam, *numquid ergo patria tibi cura est?* respondit: *Mihi vero patria vere summa cura est*, digitum in cælum intendens. Impietatis fuerat accusatus, atque adeo damnatus exsilio, quod Solem dixerat esse laminam ignitam, negando esse Deum. Dicenti cuidam *Atheniensibus iam igitur priuatus es, Non ego illis*, aiebat, *sed illi me* Defuncto vita Lampsaceni honorifice persoluerunt, tumulumque eius hocce illustrauerunt elogio:

ANNI MVNDI. *Laertius lib.2.*

Ἔνθάδε πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας
Οὐρανίου κόσμου κεῖται Ἀναξαγόρας.

*Hic situs ille, cui rerum patuere recessus*
*Atque arcana poli, magnus Anaxagoras.*

Fuerat etiam eius discipulus *Archelaus* Atheniensis Apollodori filius: qui physicam Philosophiam ex Ionia Athenis inuexit. Dictus Physicus cum eius discipulus Socrates Ethicen introduceret. quamquam ipse etiam de legibus, & de honesto atque æquo fuerit philosophatus. Primus omnium vocem aeris percussum definiuit.

PINDARVS Daiphanti filius, Thebis in vico Cynocephalorum natus, lyricorum poetarum princeps habitus fuit: & ob carminis suauitatem *Cycrius Dircaus* à Dirce Thebarum fonte appellatus est. In cuius, cum infans esset, ore apem tamquam in alueari mella atque fauos deposuisse aiunt. Scripsit hymnos, qui exstant, in quatuor certaminum Græciæ victores, vario carminum genere compositos: quos ad lyram cecinisse refertur. Vixit annos quinquaginta quinque, atque in gremio pueri capite posito obdormiens, in Gymnasio decessit, vt tradit Valerius Maximus. Eius autem nomen tam celebre per omnem Græciam fuit, vt primum Lacedæmonii, deinde Alexander Macedo, captis Thebis & in prædam datis, iusserint à sola Pindari domo abstinere milites. Posuere & in Martis templo ei statuam Athenienses. Est vero Romæ vetus marmor descriptum statuæ stantis cum reliquiis lyræ, cum inscriptione:

*Valer. Max. lib.9.cap.12. & Suidas.*

ΠΙΝΔΑΡΟΣ.

*Carya* ciuitas Peloponnesi cum Persis contra Græciam consenserat: itaque postquam Græci bello gloriose fuerunt liberati, communi consilio Caryatibus bellum inferebant. captoque oppido, viris interfectis, ciuitate deleta, matronas eorum in seruitutem abduxerunt. Nec sunt passi stolas, neque ornatus matronales deponere: vti non vno triumpho ducerentur, sed æterno seruitutis exemplo graui contumelia pressæ, pœnas pendere viderentur pro ciuitate. Ideo qui tunc Architecti fuerunt ædificiis

ANNI MVNDI. 3518. ficiis publicis designauerunt earum imagines oneri ferendo collocatas, vt ea pœna posteris memoriæ traderetur.

*Æschylus Euphorionis* filius, Atheniensis, Tragœdiographus, cum collapsis tabulis, eo tragœdiam agente, in Siciliam fugisset; testudine ab aquila in caput eius iniecta periit, annos natus quinquaginta quatuor. Tragœdias hic primus in lucem protulerat, sublimis ac grauis & grandiloquus, sed rudis in plerisq; & incompositus. Propter quod correctas eius fabulas in certamen deferre posterioribus poetis Atheniensis permisere: suntque eo modo multi coronati.

*Hippocrates* genitus in insula Ceo, AEsculapio dicata, hoc circa tempus primus medendi præcepta clarissime condidit. Is, cum esset mos, liberatos morbis scribere in templo Æsculapii ibidem quid auxiliatum esset, vt postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque iam templo cremato instituisse medicinam hanc quæ *Clinice* vocatur, atque pharmacis mederetur male affectis corporibus.

Venientem quoque ab Illyriis pestilentiam prædixit, & discipulos ad auxiliandum circa vrbes dimisit. quod ob meritum honores illi, quos Herculi, decreuit Græcia. Vocatus à Senatu Abderam ad medendum Democritis, vt putabant, mentis alienationi, inuenit in horto eum secantem animalia, atque inquirentem originem ac rationem Melancoliæ, de qua librum esset scripturus.

Refert Athenodorus illum tum iussisse sibi afferri lac, inspectoque lacte dixisse, & capellæ primi partus. & nigræ esse. vnde maximum intelligentiæ suæ miraculum Hippocrati fecisse. Sed & puellā, quæ Hippocrati aderat, primo die salutasse: *Aue Virgo*: & postridie: *Aue mulier*, cū fuisset puella ea nocte vitiata. Composuit & librum de effectu herbarum, cum peragraris Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique finibus conuersatus fuerat cum Magis. Omnem firmitatem suæ Philosophiæ videtur ex historia Iob desumsisse. vnde enim aliter futuram corporum nostrorum resurrectionem intellexisset, quam ab illo qui dicit, *se in nouissimo die de terra resurrecturum, atque pelle sua circumdatum*

Iob. 20. *visurum Deum in carne sua*? Quod Plinius secundus cum non

Plin. 55. intelligeret dicit vanitatem, quod Democritus ipse non resurrexerit. De atomis videtur interrogari Iob cum Dominus ait:

3470. *Quando fundebatur puluis in terra, & gleba compingebantur*? Cumque, studia mortalium deridendo, ad centesimum & nonum annum ætatem produxisset, mortuus est.

*Thucydides* Olori filius, summo loco natus, Athenis audiuit Anaxagoram in Philosophia, & Antiphontem Rhamūsium in Rhetorica, domi militiæque clarus. Nam caussas in Republica

versans

versans dictauit, & bello Peloponesiaco exercitui præpositus fuit. quo tempore historiarum libros scribere inchoauit. Postea accusatus quod Eionem in Thracia Lacædemoniis prodidisset, in exsilium pulsus est: & in ScapteThraciæ silua exsulans, inchoatos libros historiarum perfecit, atq; expoliuit. Erat vero rerum explicator prudens, seuerus & grauis, ita verbis aptus & pressus, vt nescias vtrum res oratione, an verba sententiis illustrentur. Vbiq; oratione ad hanc contendit euidentiam, vt auditorē tanquam spectatorem faciat: stuporesq; & animorum motus, quibus perciti fuerant rerum contemplatores, legentibus affectat imprimere Reuocatus ab exsilio mortuus fuit Athenis, & in Cimenio monumento iuxta portas Meliridas conditus est.

ANNI MVNDI.

## ITALIA.

L. Sicinius Dentatus *Trib. Pleb. centies vicies prœliatus, octies ex prouocatione victor, quadraginta quinque cicatricibus aduerso corpore insignis, nulla in tergo. spoliis captis triginta quatuor, donatus hastis puris octodecim, phaleris viginti quinque torquibus octoginta tribus, armillis sexaginta vltra centum, coronis viginti sex, ciuicis quatuordecim, aureis octo, muralibus tribus, obsidionali vna: fisco æris decem captiuis & viginti simul bubus. Imperatores nouem ipsius maxime opera triumphantes secutus, T. Romulium post consulatum male acti imperii rei militaris (quod optimum in eius operibus putatur) apud populum conuicit.* 3515. *Val. Max. lib. 3. de fortitudine. Plin. lib. 7. cap. 28.*

MILITARES *coronæ erant aut*

| | |
|---|---|
| Ciuicæ *ex quercu aut æsculo.* | *Dabantur his qui ciuem suo periculo conseruassent.* |
| Aureæ *ex auro adformata* | *Murales. Vallares. Nauales. Dabantur iis qui primi muros, castra & naues hostium inuasissent.* |
| Obsidionales *ex gramine ab liberatis militibus decerpto, omnium honorificentissima.* | *Dabantur iis qui liberauerant exercitum seu opidum obsidione.* |
| Triumphales *ex auro.* | *Dabantur iis qui in prœlio vltra quinque mille hostes cæcidissent* |
| Ouales *ex myrto.* | *Dabantur iis qui sine cæde hostes vicissent deditione.* |

*Anno trecentesimo decimo condita vrbis* Herodotus *historiā suā Thuriis in Italia condidit: dulci, candida, & effusa oratione vsus. sed dum iucunditatis rerum, quā veritatis est studiosior, vt* Fabularum parens *dicatur, effecit, Videtur & idipsum significare voluisse, dum*

ANNI MVNDI.

*Musarum nominibus libros suos inscripsit: non omnia ad seueram il-lam historiæ grauitatem se componere, sed intermiscuisse serijs nugas.*

*Anno* CCCXI. *ab* V.C. *Romæ primum Censores creati sunt* Papirius & Sempronius, *regendis moribus ciuitatis. Et, vt habet Cicero de Legibus3.* Censores populi æuitates, soboles, familias, pecuniasque censento. Vrbis templa, vias, aquas, ærariũ, vectigalia tuentor, populique partes in tribus distribuunto. Exin pecunias, æuitates, ordines partiuntor. Equitum peditumque prolem distribuunto. Cœlibes esse prohibento. Mores populi regunto. Probi sunto. Magistratum quinquennem habento. Eaque potestas semper esto.

## *Monarchia Persarum.*

3544. *Artaxerxe* defuncto successit *Xerxes* menses duos. Huic *Sogdianus* menses octo. Cui *Darius* nothus annos nouemdecim.

3564. *Artaxerxes Mnemon,* cui & *Arsacis* cognomen regnauit annis quadraginta tribus.

3606. *Ochus Artaxerxes* regnauit annis viginti tribus. Huic impomis Ægyptij infesti fuerunt *asinum* eum cognominantes. Quam illis dicebat: *Atque hic asinus bouem vestrum deuorabit, immo-uitq; simul Apim.*

3589. *Mausolo* Cariæ Regulo mortuo, *Artemisia* fecit sepulcrum. Opus id vt esset inter septem miracula fecere artifices. Patet ab Austro & Septemtrione sexaginta tres pedes, à lateribus centum quadraginta duos cum semisse: sic vt toto circuitu sit quadringentorum & vndecim pedum. altitudo triginta septem pedum cum semisse, cinctum columnis triginta sex. ab Oriente cæla-uit Scopas, à Septentrione Bryaxis, à Meridie Timotheus, ab Occasu Leochares. accessit quintus artifex, nam supra pteron pyramis altitudinem inferiorem æquauit viginti quatuor gradibus in metę cacumen se contrahens. in summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis. hæc adiecta centum quadraginta pedum altitudine totum opus includit. Priusquam peragerent opus Regina obiit: quæ etiam celebratur ob herbam artemisiam à se inuentam, malis feminarum medentem.

*Arses* seu *Arsames* regnauit annis tribus.

*Alexandro* inuadente Asiam Darius magnitudine copiarum elatus, è Susis castra deducit.

## GRÆCIA.

*Zeuxis* Heracleotes picturæ artis fores ab Apollodoro Atheniensi apertas intrauit Olympiade nonagesima quinta anno quarto, audentemque iam aliquid penicillũ ad magnam gloriam perduxit. Qui opes tantas acquisiuit, vt in ostentatione earum Olympiæ aureis litteris in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentaret. Qui postea donare opera sua instituit, quod nul-

nullo satis digno precio permutari posse diceret. In Athleta quem pinxerat adeo sibi placuit, vt versum subscriberet, celebrē ex eo, inuisurum aliquē facilius quam imitaturum. Deprehendebatur grandior in capitibus articulisq;: alioquin tantus diligentia, vt Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Iunonis Laciniæ publice dicarent, inspexerit virgines earum nudas, & quinque elegerit, vt quod in quaque laudatissimum esset pictura redderet. Pinxit & Monochromata ex albo. Æquales eius atque æmuli fuere Timanthes Androcydes, Eupompus, Parasius. Qui cum eo in certamen descēdisse traditur: & cum Zeuxis detulisset vuas pictas tanto successu, vt in scenam aues aduolarent; ille attulisse linteum pictum, ita veritate repræsentata, vt Zeuxis alitum iudicio timens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore: quoniam ipse volucres fefellisset; Parasius autem se artificem. AN. MVN.

*Euripides* Mnesarchi filius, Poeta Tragicus fabulas conscripserat septuaginta quinque. Quarum exemplum ipsius manu scriptum, vt Galenus refert, ab Atheniensibus Ptolomæo Regi donatum in Alexandrina seruabatur Bibliotheca. Fuit vero Euripides laceratus ab Archelai Macedonum Regis canibus, dum post cenam domum hospitalem repeteret. Crudelitas fati tanto ingenio non debita. Eius ossa, Atheniensibus petentibus negata, Pellæ in marmoreo sepulcro fuere condita. Athenienses vero inanē tumulum ei constituerunt, & statuam in theatro. Constantinopoli quoque in gymnasio fuit statua posita cum inscriptione: *Gellius l. 15. cap. 20. & Suidas.*

ΕΥΡΕΙΠΙΔΗΣ.

SOPHOCLES quoque Sophili filius, in Coleno Atticæ natus, Tragicorum poetarum princeps, annos natus circiter nonaginta quinque, cum in certamen tragœdiam dimisisset, ancipiti sententiarum euentu diu sollicitus, aliquando tamen vna sententia victor, caussam mortis gaudium habuit. Statuam ei ab Atheniensibus in theatro positam fuisse refert Pausanias in Atticis.

SOCRATES Sophronisci Lapicidæ & Phenatelę obstetricis filius, Atheniensis, accusatus impietatis in Deos ab Anito, Lycone, ac Melito, condemnatus ducentis & octoginta vna sententiis, supra eas quibus absoluebatur, cicutam bibere in carcere coactus fuit. vbi prius multa de animorum immortalitate disseruerat. Hic omnium Græcorum sapientissimus fuit habitus; quique primus Athenis Philosophari instituerit de moribus. habuitque discipulos complures doctissimos, ex quibus variæ sectæ exortæ fuerunt. Inter quos sunt præcipui: *Laertius in Vita Socratis.*

SOCRATES

- Plato *Academicorum auctor.*
  - Seusippus. Zenocrates. Polemon. Crates. Archesilaus. Larydes *mediæ Academiæ auctor.* Carneades *nouæ Academiæ auctor.* Clitomachus.
  - Aristoteles *Peripateticorũ auctor.* Theophrastus. Stratõ Lampsacenus.
- Antisthenes *Cyrenensiũ auctor.* Diogenes *Cynicus.* Crates. Zeno Citticus *auctor Stoicorum.* Cleantes. Chrysippus.
- Euclides *Megaricorũ auctor, qui demõstrationib. Mathematicis erant intenti.*
- Aristippus *assertor voluptatis, cuius opinionẽ secutus est Epicurus.*
- Xenophõ *primus Philosophorum historiam scripsit.*
- Æschines *qui dialogos conscripsit, alius ab oratore.*
- Phædõ.
- Menedemus.
- Cebes, *cuius* πίναξ *seu tabula exstat.*

# ITALIA.

ANNI MVNDI.

*Roma à Gallis Senonibus Cisalpinis capitur: maiores natu Senatores trabeis induti, atque in sellis curulibus domi à gente immani trucidantur: vrbs ferro igneque solo exæquatur. Capitolium obsidetur: quod etiam nocte inuasissent Galli, ni Manlius, vir fortis, & viginti tribus in pectore vulneribus, & triginta septem donis militaribus ornatus, strepitu anseris excitatus, hostes adscendentes à rupe deiecisset. Ob hanc vigilem curam clangoremque editum Censores cibaria anserum in primis locabant. Canes quoque annua pendebant supplicia ob silentium inter ædem Iuuentutis & Summani viui in furca sambucea arbore fixi.*

*Cum hoc anno Galli ad tertium lapidem via Salaria trans pontem Anienis castra haberent, & T. Quinctius Pennus, dictator populi Romani, in citeriore ripa cum exercitu consideret; Gallus quidam (vt ait Q. Claudius Quadrigarius apud Agellium lib. 9. cap. 13.) nudus præter scutum & gladios duos, torque atque armillis decoratus processit: qui & viribus, & magnitudine, & adolescentia, simulque virtute ceteris antestabat, prælio commoto, & vtrisque summo studio pugnantibus manu significans, vtrimq; vt quiescerent pugna. Pugna facta pausa est. Extemplo silentio facto cum voce maxima inclamat, si quis secum depugnare vellet, vti prodiret. Nemo audebat propter magnitudinem & immanitatem faciei. Deinde Gallus irridere cœpit, atque linguam extẽdere. Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio, summo genere nato, tantum flagitium ciuitati accidere, è tanto exercitu neminem prodire. Is vt dico processit, neque passus est virtutem Romanam à Gallo turpiter spoliari. Scuto pedestri & gladio Hispanico cinctus, cõtra Gallum constitit. Metu magno ea congressio in ipso ponte, vtroque exercitu inspectãte, facta est. Gallus sua disciplina cãtabundus: Manlius animo magis quam arte confisus scutum scuto percussit, atque statum Galli conturbauit. Dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scuto scutum percutit, atque de loco certo hominem iterum deijcit: eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, atque Hispanico pectus hausit: deinde continuo humerum dextrum eodem concussu incidit, neque recessit vsquam donec subuertit, ne Gallus impetum ictu haberet. Vbi eum euertit, caput præcidit, torquemq; detraxit, eamq; sanguinolentam sibi in collum imponit. Quo ex facto ipse posteriq; eius Torquati sunt cognominati.* 3609. 392. V. C.

# GRÆCIA.

*Abderam*, quam Diomedis soror condiderat, & à se nominauerat, senio collapsam Clazomenij Olympiade centesima prima ad maiorem faciem restitutam, oblitteratis quæ præcesserant, nomini suo vindicarunt. 3595.

ANNI MVNDI.

*In hortis Card. de Medicis.*

ΑΡΙΣΤΟΦΑΝΗΣ
ΦΙΛΙΠΠΙΔΟΥ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ

ARISTOPHANES Philippi filius, tribu Pandíonides, claruit hac ætate, qua Nebulas comædiam in Socratem scripsit. Eam, rogatus Plato à Dionysio Siciliæ tyranno vt sibi imaginem Re- publicæ Atheniensis ostenderet, illi misisse fertur, quod eam to- tam in hac comœdia optime poeta expresserit: icircoque Ari- stophanem ab Atheniensibus sacræ oliuæ ramo fuisse corona- tum. Mortuus est Athenis, cum ad summam senectutem perue- nisset. Superposito sepulcro eius lapidi pernobile Platonis Epi- gramma incisum fuit:

*Αἱ χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται*
*Ζητοῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.*

3631. ISOCRATES, Theodori filius. Orator, ac Philosophus, cum nonaginta nouem annos vixisset, obiit Olympiade centesima decima, anno tertio, inertia morte sibimet indicta: sepultusque fuit prope Cynosarges, patrio monumento variis tabellis exor- nato: è quibus vna Isocratis sepulcro imposita Prodicum C- um, & Tisiam Syracusanum præceptores eius, ac Gorgiam Le- ontinum, sphæram intuentem, ipsumque vna Isocratem [s]cul- ptum habebat. Tantum in vita laudis in scribendo docendo- que consecutus fuerat, vt pater eloquentiæ, domusque eius e- loquentiæ officina diceretur. Timotheus Cononis filius, e- ius discipulus, eius memoriæ ergo statuam illius, Leochare- pus, in Eleusine posuerat, cum inscriptione in hanc senten- tiam:

*Τιμόθεος φιλίας τε χάριν, ξενίην τε προτιμῶν*
*Ἰσοκράτους εἰκὼ τήνδ᾽ ἀνέθηκε θεαῖς.*

*Dedicat Isocratis statuam, sacratque Deabus*
*Hospitij & studij nomine Timotheus.*

Erat & imago eius Athenis picta in arce, vt refert Plutar- chus. Conscripserat complures orationes, pro quarum vna Nicocle Euagoræ filio, Cypriorum Rege, accepit triginta ta- lenta.

PLATO moriens sepelitur honorifice in Academia, vbi plu- rimum fuerat philosophatus, edoctus Philosophiam à Socrate Mathesim ab Euclide atque Theodoro Cyrenensi. Accessit e- iam Italiá, vt audiret Philolaum & Euritum Pythagoricos. his se in Ægyptum contulerat, vbi Theologiam à sacerdoti Hermetis Trismegisti percepit. Fuitque Philosophorum om- um, siue differendi acumine, siue eloquendi facultate qua- diuina facile princeps. Multum supra prosam orationem surg- videturque Delphico quodam oraculo instinctus. Ex Epic-

mo mul-

ANNI MVNDI.

mo multum profecisse traditur, atque ex eius scriptis didicisse Ideas exemplaria seu formas, nimirum à materia discretas, commemoratur. Narrant eum Cratylo Heracliti & Hermogeni Paramenidis discipulis operam quoque dedisse, atque Isocratis amicitia fuisse vsum. Triplicem itaque Philosophiam in vnum corpus quasi compegit, cum in iis quæ ad intelligentiã spectant Pythagoræ adhæreret, & in his quæ sensibus subiacent Heraclitum tueretur, atque Socratem suum maxime sequeretur in rebus ciuilibus. Ter nauigauit in Siciliam, vbi cum Dionysiis & Dione conuersatus est. Plurimos habuit discipulos: è quibus Speusippus Eurymedontis filius, quem testamento hæredem scripserat, cum Xenocrate Academiæ veteri præfuere.

PLATONIS genealogia.

*Execestides.*

*Solon* | *Dropides.*

*Critias.*

*Caleschus.*

*Critias.*

*Glauco.*

*Charmides. Perictione parit Aristoni*

*Adimantum, Glauconem, Platonem, Potonam: quæ Eurymedonti genuit Speusippum: cuius libros Aristoteles emit tribus talentis.*

ARISTOTELES vero nouam sectam instituens, docebat in Lyceo, inambulans. De quo dubites an inuentionum acumine, an eloquendi suauitate, an scientia rerum, an varietate operum, scriptorumue copia clariorem putes. Quem Philippus Rex Macedonum filio Alexandro magistrum dedit atque decus regni sui & felicitatem temporum suorũ æstimabat. Pater eius Nicomachus Amyntæ Regi Macedonum medicam præstiterat operam: sicq; ingenuarum artium sciẽtia excultus, decimo septimo ætatis anno Athenas profectus, viginti annis amicitia ac doctrina Platonis fuit vsus. cuius Philosophiæ percipiendæ summam diligentiam adhibuit: ita vt eius ædes non alio nomine Plato, quam *Lectoris* appellare solitus fuerit. Ille vero veritatem Socrati Platonique licet præferret, aram tamen Platoni consecrauit cum hac inscriptione:

*Vid. Laertium & Vitas comparatas Aristotelis & Demosthenis ab Andrea Schotto Soc. IESV.*

Βωμὸν Ἀριστοτέλης ἐνιδρύσατο τόνδε Πλάτωνος
Ἀνδρὸς ὃν οὔτ' αἰνεῖν τοῖσι κακοῖσι θέμις.
*Ponit Aristoteles pius hoc altare Platoni,*
*Quem laudare nefas ora profana foret.*

Postquam Speusippus Eurymedontis filius octo annis præfuisset Academiæ Platonis, auunculi sui, successit ei Xenocrates, Agathonis filius, Chalcedonius, Aristotelis condiscipulus, anno secundo Olympiadis centesimæ decimæ, Archonte Lysimachide. præfuitque scholæ annis viginti quinque. Cum legati ab Alexandro ei quinquaginta talenta attulissent, adduxit legatos ad cenam in Academiam, iisque apposuit quod satis esset tantum, nullo apparatu. cumque postridie rogarent eum, cui numerari iuberet: *quid? vos hesterna* inquit *cenula non intellexistis me pecunia non egere?* quos cum tristiores vidisset, triginta minas accepit, ne aspernari Regis liberalitatem videretur. Cum annum ageret octogesimum secundum, alliso capite ad vas ahenum moritur.

*Cicero 5. Tuscul.*

EPHORVS Cumanus, Demophili filius, auditor Isocratis florens Olympiade centesima tertia, scripsit historiarum ab Ilii expugnatione ad sua vsque tempora libros triginta: rerum passim mirabilium libros quinque: quid quisque inuenerit libros duos: & de bonis & malis libros viginti quatuor. Habuit & filium Demophilum Historicum. Scripsit vero cum illo Theopompus Chuis, Damasistrati filius, epitomen historiarum Herodoti; Philippi quoque res gestas, & Græcas historias: copiosus, densus, vehemens, & veritatis in scriptis suis studiosus. Itaque eum Isocrates frenis; Ephorum calcaribus egere dixit: quod hic in historica dictione supinus & segnis esset, sine vlla contentione.

*Cicero 3. de Oratore.*

PHILIPPVS Amyntæ filius, annos natus viginti quatuor, Macedonum vigesimus secundus Rex factus, minimis occasionibus se ei offerentibus, omnium quæ in Europa essent maximum regnum suum constituit. Acceptam namque Macedoniam, Illyriis parentem, multarum nobilium gentium & vrbium dominam reddidit. Ob suam etiam virtutem ab vniuersa Græcia Imperator electus est, populis ei vltro obsequentibus. Et raptores templi Delphici vltus, meruit, vt inter Amphitryonas nominaretur. Itaq; in pietatis suæ mercedem assecutus fuit suffragiorum ius: quod Phocenses, ab eo deuicti, habuerant. Post Illyrios, Thraces, Pæonas, Scythas, & conterminas eis gentes expugnatas ad Persarum imperium extinguendum se accinxit, iamque præmissis copiis Græcas aliquot vrbes in libertatem vendicauerat, cum fati violentia interceptus fuit: tantos post se relinquens

linquens apparatus, vt Alexandro filio ad eamdem expeditionem contra Persas alienis auxiliis haud opus fuerit. ANNI MVNDI.

## ALEXANDER Magnus Macedonum Rex.

ALEXANDER Macedo, Philippi filius, natus ex Olympiade Polla, circa Idus Augusti, Olympiade CVI. anno I eodem die quo templum Dianæ incensum ab Herostrate Ephesi arsit. Fuere ei alumnus Leonidas vir grauis, Olympiadi necessitudine iūctus, & pædagogus Lysimachus. Accersiuit & Philippus Aristotelem Philosophorum tum clarissimum: à quo non modo Ethicæ & Politicæ, sed etiam occultæ atque arduæ disciplinæ naturalis præcepta Alexander edoctus fuit. Iliadem Homeri Aristotele exponente perdidicit: quam cum pugione sub puluino dormiens custodire erat solitus, vocans rei militaris viaticum. Erat ei equus ex Philonici Pharsalii grege sedecim talentis emtus, cuius decore etiam puer captus fuerat: Bucephalon vocarunt, sibi ab adspectu toruo, siue ab insigni taurini capitis armo impresso. Neminem hic alium quam Alexandrum regio instratus ornatu recepit in sedem, alios passim reiiciens. Idem in prœliis memoratæ cuiusdam perhibetur operæ. Thebarum oppugnatione vulneratus, in alium transire Alexandrum non passus est. Quæ vrbs capta, direpta, & funditus ab Alexandro destructa est; præter sacerdotes, hospitesque Macedones. Pindari poetæ stirps etiam seruata fuit: tantum tribuit vati olim mortuo: venditis triginta millibus numero, & occisis pluribus quā sex millibus. Erat præterea Alexander omnis elegantiæ omniumque artium singularis amator. Ventitabat frequenter in officinam Apellis: cumque imperite multa subinde dissereret, suadebat ei comiter silentium pictor Apelles: rideri eum dicens a pueris, qui colores tererent. Præbuit ei honorem Alexander clarissimo exemplo, concessa ei Campaspe dilecta sibi, cum eius amore captum sensisset Apellem, quod eam nudam pinxerat. Vetuit & edicto se pingi ab alio quam Apelle; sculpi quam Pyrgotele; & duci ex ære quam Lysippo: qui tres tum iis in artibus maxime excellebant. *Plin. lib. 35. cap. 10.* *Horatius Apuleius in Floridis.*

Dinocrates architectus, vir amplissima statura, forma grata, dignitateque summa, perunctto corpore, capite populea coronatus fronde, læuum humerum pelle leonina tectus dextraq; clauam tenens, contra tribunal, cum ius diceret, Alexander se statuit admirantibus cunctis interrogauit Rex quis esset? At ille, Dinocrates inquit, architectus Macedo, qui ad te cogitationes & formas affero dignas tua claritate. nam Athon montem for-

 maui

ANNI MVNDI. maui in statuæ virilis figuram: cuius manu læua designaui ciuitatis amplissimæ mœnia; dextra pateram, quæ exciperet omniũ fluminum quæ sunt in eo monte aquam, & inde in mare profunderetur. Delectatus forma licet Rex, cum tamen nisi transmarinis subuectionibus frumentaria ratione ea ciuitas posset tueri, dicebat Rex iudicium suum; si eo coloniam deduceret, improbandum esse quod ciuitas esset sine agris sicq; formationẽ laudabat, vituperato loco: ad quem artifex non intenderat. Sed iussit eum apud se manere, vt eius opera posset vti cum foret opus.

3634. *Alexander Philippi Macedo* egressus de terra Cothim traiecit in Asiam Euæneto Athenis Archonte, Olympiade CXI. an. II. Vbi cum superato Grauico flumine conflixisset cum Rhesace ac Spithridate Darii præfectis, victoria potitus fuit, amissis tantum triginta quatuor ex suis: cum ab hostibus viginti millia peditũ, & bis mille & quingenti equites desiderarentur. Mox ergo Sardos, Halicarnassum & Miletum vi cepit. subactis quoque finitimis. Pamphyliam & rebelles cepit Pisidas; Phrygiam domuit, & opidum Gordium, antiqui Midæ regiam. hinc Paphlagenes, Cappadocesque subegit.

Alexandro magno regnante clarissima fuit Græcia, atque in toto terrarum orbe potentissima. Alexander cum Atheniensibus pacem fecit, quamquam Thebarum cladem haud modeste ferentibus.

Mortuo Eliasib Pontifice successit Ioiada filius eius, atque præfuit sacerdotio annis plus minus quadraginta quatuor.

Per hæc tempora Cabala à Iudæis refertur litteris fuisse commissa, cũ antea sine litteris sola traditione vocis doceretur. Hebræi qui Cabalistæ dicuntur, originem doctrinæ ad Moysem referunt, eumque duplicem Legis interpretationem à Deo edoctum per quadraginta dies in monte Sinai, populo litteralem, septuaginta vero senioribus spiritualem tradidisse asserunt. Referunt huc illorum fautores hæc verba Domini quæ leguntur

4. Esdr. 14. apud Esdram: *Adduxi Moysem super montem Sinai, & detinebam eum apud me multis diebus, & enarraui ei mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta in finem, & præcepi ei dicens: Hæc in palam facies verba, & hæc abscondes.* Diuidit vero Rabbi Moyses Ægyptius Cabalam in Bresith, id est naturalium rerum scientiam, quam Persarum Regum filii à Magis, & Alexander Macedo ab Aristotele discebant, in qua & Salomon excelluit, cum de stirpibus dissereret à cedro Libani vsque ad Hyssopum: & Meriana, hoc est, supernaturalium notitiam. quam rursum partitur in Theomantiam & Arithmantiam, hæc circa numeros, litteras, puncta, nomina arcana scrutatur animarum ac spirituum: illa sacra incognita & mysteria diuinitatis intellectu percipere molitur. Superstipersti-

perstitione autem Talmudistarum Cabala nil nisi Magia Theurgica tandem effecta est. ANNI MVNDI.

*Iohanna* filius Resæ præfuit Iudæis annis quinquaginta tribus. 3556.

*Ionathan* filius Ioiadæ Pontificatu fungitur annis circiter quadraginta septem. Huic fratrem fuisse Iesum nomine refert Iosephus, quem inter rixandum in templo Domini iratus occidit: cum is amicitia fretus Bagosis Præfecti Ochi Artaxerxis pontificatum ambiret. Ob quod scelus inauditum Bagoses reluctantibus Iudęis intrauit templum, ac populum libertate priuauit, exigens pœnas perpetratæ cædis septennio finiendas. 3581. 2. Esdr. 12. Ioseph. 11. 7.

Per hæc tempora deiciuerunt Iudæi ab obseruatione legis Domini. nam in Sabbathis calcabant torcularia vehebant aceruos frumentorum in horrea, atq; cibaria publice venum exponebant: quæ à Tyriis, aliisq; gentibus vrbi importabātur. Sed & in contrahendis matrimoniis ea erat corruptela, vt liberi ex Iudæis & Gentilibus nati puritatem Hebraicæ linguæ in meram mutarent barbariem, dum Azotorum, Ammonitarum, ac Moabitarum linguas cōfuse loquerentur. Ab his peccatis reuocauit eos Nehemias iam grandæuus, ex Chaldęa reuersus, admonens etiam Salomonem Regem sapientissimum à mulieribus alienigenis ad grauissimum peccatum fuisse seductum. Proiecerat quoque vasa Tobiæ è gazophylacio, quod Ammonitæ illi concesserat Eliasib præpositus gazophylaciorum.

*Ieddoa*, filius *Ionathan*, Pontificatu fungitur annis octodecim. Huic frater erat Manasses qui vxorem duxerat Nicaso nomine, filiam Sanaballat Horonitis, ex Gigantibus oriundi, qui montana Seir inhabitauerant. Ob quod matrimonium eiecit eum ciuitate atque fugauit à se Nehemias, vt coactus fuerit se conferre ad socerum, pollicentem, si filiam suam retineat, se in monte Garizin ex cōsensu Darij ædificaturum templum simile Hierosolymitano, vbi fungeretur Pontificatu. Permansit ergo in Samaria, cui Sanaballat præerat, Manasses, ad quem quam plurimi externis connubiis irretiti Iudæi confluxerunt. 1628. 2. Esdr. 12. Ioseph. 11. 7. 8

Nehemias vero, postquam librum rerum à se gestarum conscripserat, mortuus est: relinquendo memoriam longi temporis ob exstructam ciuitatem. Eccli. 44.

At Sanaballat, cum Alexander Magnus expugnata Tyro Gazam obsideret, a Dario desciuit, atq; se suamq; prouinciam fidei Alexandri commisit: a quo impetrauit, vt templum in Samaria construeret, cui præesset Manasses gener suus: sic enim posse infirmari Iudæorum potentiam; cum alioquin gens illa difficulter posset subiugari, si concordia maneret vnita, hoc solo remedio in partes scindenda.

Quod

ANNI MVNDI.

Quod cernens Ieddoa Pontifex, qui sacramento Dario obligatus, Alexandro auxilium, forumque rerum vænalium exercitui se non posse pręstare responderat; consilii inops, Deo, immolando victimas, atque indicendo supplicationes populo, se publicamque salutem commendabat.

1. Mach. 1. Clem. Alex. Strom. 1. Sap. 18.

Aduenienti deinde Alexandro Sapha (locus est excelsus vbi templum & vrbs spectantur) vsque noua pompa obuiam procedit Stola enim indutum hyacinthina auro distincta, cui orbis terrarum effigiatus inerat, atque in capite tyaram cum aurea lamina insculpta Dei nomine gestantē sacerdotes in amictu byssino, atque populus candidatus præcedebant: qui Regi appropinquantes eum vno ore salutare, & in orbem cingere cœperūt. Itaque Alexander accedens, adorato nomine Dei, Pontificem quoque salutauit. Obstupentibus Syriæ Regibus, vixque credentibus Regem mentis compotem, Parmeno familiariter rogat, qui hoc fieret, cum ipse adoraretur ab omnibus, nunc Iudæorum adoraret Pontificem. At ille non eum adorasse, respondit; sed Deo, cuius Pontifex esset eum honorem exhibuisse. Se quoque vidisse hunc in Dione Macedoniæ vrbe hoc ornatu aiebat. qui ipsum deliberantem quo pacto Asiam posset subigere, iussisse exercitum traiicere, suo enim ductu potiturum imperio Persarum. Quid enim de Deo sentiendum esset docuerat Alexandrum ex veteri maiorum sermone inter homines prodito Aristoteles, in libro de Mundo ad eum iam Imperatorem præstantissimum transmisso: Vniuersa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata: nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. etenim cunctorum quæ natura complectitur cum seruator sit Deus, tum vero quæcumque in hoc mundo perficiuntur quoquo modo genitor est. non sic tamen ipse, vt opificis in morem animalisque lassitudinem sentientis labore affici possit: vt qui ea facultate vtatur quæ nulli cedat difficultati, cuius ipse vi facultatis omnia in potestate continet: nec minus etiam quæ longius ab ipso videntur esse summota.

Summam igitur & primam mundi sedē sortitus, ea de caussa ὕπατος, quasi supremus appellatus est, & in summo culmine vniuersi cæli suum habet ipse domicilium situm & collocatum. Maxime vero vim eius sentit, numineque eius ante omnia fruitur id corpus quod proxime eum situm est; tum quod secundum ab hoc situm habet; & vnumquodque deinceps.

Igitur comiter complexus Pontificem deducentibus sacerdotibus peruenit in vrbem, atque Deo ex Sacerdotis præscripto hostias immolauit. Ostensamque sibi in Danielis libro Prophe-

Dan. 8.

tiam de hirco significante Græcorũ Regem, illum se esse, interpretatus est. Iudæis vero, petente Iaddo, suis legibus viuere, atq; immunitatem tributorum septimo quoque anno concessit. Idẽ pollicitus se facturum in Chaldæa Mediaque habitantibus Iudæis, si rerum ibi potiretur. Sed idem Sichemitis ac Samariæ incolis, qui se Manassi ac Sanaballat subiecerant, non permisit.
Cum ergo ad templum illud in Garizim exstructum rei violatæ 3638.
Legis confugerent, se calumniam passos fuisse Hierosolymæ dictitantes; est inde illa discordia exorta inter Iudæos & Samariæ 3639.
incolas: quod hi in monte Garicim, illi vero in templo Hierosolymitano adorare atq; victimas offerri debere contenderint semper.

*Ioseph* ducatui præest annis septem. 3640.

*Iaddua* Pontifice mortuo factus est Pontifex eius filius Onias, annis circiter viginti quatuor. 3645.

*Abner Semei*, Dux Iuda præest annis vndecim. 3647.

Per hæc tempora *Ptolomæus* Lagi filius ingressus Hierosolymam sabbato, Iudæis nihil hostile suspicantibus, vrbem in suam potestatem recepit, acerbe ac inclementer eos tractans: cum multos captiuos, in AEgyptum traductos, ibi sedes figere coegit. quorũ quosdam arcibus imposuit ad custodiam: alios Alexãdriæ pari iure cum Macedonibus viuere permisit, eo quod fides eorum ipsi esset perspecta, cum post cladem Darij etiam legatis Alexandri, Dario iuramento obstrictos se esse, respondissent.

*Helich Mathathias* præfuit Iudæis annis duodecim.

*Simon* iustus annis tredecim domum Domini instaurauit & 3668.
formauit templum. Ab ipso duplex altitudo fundata est, & excelsum illud munimen templum ambiens. Cauebat populo à ruina, & elaborauit vt vrbs cingeretur munitionibus. Exsiccari curauit æquæductus ac refici, vt abundaret ciuitas aquis. Honorifice versabatur in populo, atque domicilio procedebat clarus, tamquam stella matutina inter nebulas. Sumens vero amictum sanctitatis, quo cum omni magnificentia induebatur, adscẽdebat altare sanctũ, amictui sacro præstando ornamentũ. cum membra enim victimarũ è manibus sacerdotũ acciperet, stabat ad focum altaris cinctus corona fratrũ Aarone prognatorum valde gloriosa. Tenebant vero illi manu sacrificia coram vniuerso cœtu Israelitarum. At Simon ministerium super altare sũmi omnipotentis Dei exsequebatur, illud condecorando. Manũ quoq; protendens ad libamina libabat vinum rubicundum instar sanguinis. effundebat quoque super solum altaris summo rerum Principi Deo fragrans odoramentum: clangentibus tubis ductilibus argenteis, & exclamantibus voce magna

ad

ANNI MVNDI. ad Dominum ſacerdotibus commendationis officii ergo: cantoribus laudes voce agentibus, & pſalmos vario ſono ſuaue cõcinentibus: cum interea populus facie pronus in terram proſtratus Deo ſupplicaret preceſque funderet, donec abſolueretur miniſterium ipſius, ſacraque perficerentur. Cum vero deſcẽdiſſet, manus ſuas ad cœtum populi extendebat, labiis ſuis laudes Deo dicendo & nomine eius gloriando. Inde rurſus gratias iterabat, vt perciperent benignitatem Altiſſimi.

3670. *Aſar Maath* præfuit Iudæis annis nouem.

3679. *Artaxat Nagid* Dux Iudæorum præeſt annis decem.

3681. *Eleazarus*, fratre Simone mortuo, aſſumſit pontificatum, cum fratris filius Onias eſſet paruulus, præfuitque ei annis viginti.

3686. Iudæi in Ægypto ſeruientes duodecim mille numero clementia Ptolomæi Philadelphi ac liberalitate manumittuntur, poſtquam pro iis ſupplices interceſſerant Ariſtæus, Andreas ſatellitum præfectus, atque Soſibius Tarentinus: & Rex Philadelphus pro ſingulis centum viginti drachmas perſoluerat mancipiis. Hanc redemtionem Regi conſtitiſſe quadringentis & ſexaginta talentis refert Ioſephus. *Lib.12.c.2.*

*Demetrius Phalereus*, poſt collectos omnis generis codices, ſignificat Regi exſtare libros legis Iudæorum, Hebraice cõſcriptos, qui ſi translati forent in linguam Græcam, decorare poſſent multum eius bibliothecam. ſuadet igitur vt ſcribat ad Eleazarum Pontificem, pro fidis & eruditis interpretibus iuſto numero ſibi ad eam rem mittendis. Paret illico eius conſilio Philadelphus, miſſiſque donariis atque litteris, à Pontifice poſtulat vt ſibi velit concedere ex ſingulis tribubus ſenos viros, qui cum fide ex lingua vernacula Græco vertant ſermone ſacra Iudaicæ gentis volumina, per ipſos ſibi tranſmittenda. Eleazarus, quo Regi gratificetur, mittit legem aureis litteris mẽbranis inſcriptam, alioſque libros ſimiliter perquam venuſte per ſeptuaginta duos ſeniores. Quorũ præcipuus ſacerdos Eliſæus, dum à Philadelpho honoris ergo opiparis excipiuntur epulis, menſam precatione conſecrabat. Agitabãtur eo in conuiuio quæſtiones de natura ſubtili diſquiſitione dignæ, de adminiſtratione regni ac prouidentia: quas non ſolum Rex, ſed & ſumme admirabantur Menedemus Philoſophus atque Ariſtæus: qui eas quoque cõſcripſit. Rex, quo procul à populi ſtrepitu eſſent, eos per aggerem ac pontem in Pharos deduxit. Vbi conuenientes in Baſilicam ad nonam vſque horam diebus ſeptuaginta duobus interpretationem abſoluerunt. Honoratos itaque magnis præmiis remiſit ipſos Philadelphus domum.

*Tatianus Orat. contra Græcos. Plin. lib. 7. c. 37.*

3701. *Manaſſes* Pontifex præeſt annis viginti ſeptem.

*Amos*

*Amos Sirach* Dux Iuda præest Iudæis annis quatuordecim AN. MVN. 3704.

*Mathathia Siloah* Dux Iuda præest annis decem. 3718.

*Ioseph Iunior* Dux Iuda præest annis sexaginta. 3728.

*Simon* Pontifex fungitur munere annis viginti octo.

Hoc anno trigesimo octauo, post Biblia a septuaginta duobus senioribus translata, venisse Iesus filius Sirach in Ægyptum, regnante ibidem Ptolomæo Euergete, traditur. Vbi collectas aui sui Iesus sententias Græce vertit, librumq; eas continentem *Ecclesiasticum* inscripsit. 3738.

*Forte ætatis suæ anno 38 venit Iesus Sirach in Ægyptum, tempore Ptolomæi Euergetis.*

## ÆGYPTUS.

Cum Dinocrates architectus Alexandrum in Ægyptum vsq; esset secutus: atque Alexander animaduertisset locum egregium, tutum habentem portum, campos circa frumentarios, & Nili fluminis magnas commoditates; iussit eum suo de nomine Alexandriam constituere. Metatus est eam Dinocrates pluribus modis memorabili ingenio, quindecim millium passuum laxitate insessa ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato laciniosam, dextra læuaque anguloso procursu: quinta situs parte Regiæ dicata. Mareotis lacus à meridiana vrbis parte Euripo è Canopico ostio mittitur mediterraneo commercio.

### *Monarchia Græcorum Pardo adsimilata.*

Mortuo Alexandro quarto Calendas Quintiles, interregnū, ingensq; dissidium fuit: creatusque fuit Rex *Arideus* eius frater, donec Alexandri filius adolesceret: constitutus est vniuersi imperii procurator *Perdicas*. Qui cum corpore Alexandri veniens à *Ptolomæo* in insula deserta fuit conclusus. vnde irruentibus in eum militibus sarissis fuit confossus, postquam tres annos regnasset.

*Seleucus Nicanor* anno regni sui duodecimo Reblatha Syriæ extendens, Antiochiam de suo nomine vocauit. 3669.

## GRÆCIA.

DIOGENES, Icesii mensularii filius, Sinopæus, annos natus nonaginta, eodem quo Alexander Babyloniæ die Corinthi obiisse traditur, atque sepultus esse iuxta portam quæ ad Isthmum fert. Super tumulum eius erectæ columnæ *Canem* desuper ex Pario marmore sculpserunt. Postea & æreis statuis à suis ciues eius eum honorarunt, quibus inscribebant:

ANNI MVNDI.

Γηράσκει καὶ χαλκὸς ὑπὸ χρόνου. ἀλλὰ σὸν οὔτι
Κῦδος ὁ πᾶς αἰὼν Διόγενες καθελεῖ.
Μοῦνος ἐπεὶ βιοτῆς αὐτάρκεα δόξαν ἔδειξας
Θνητοῖς, καὶ ζωῆς οἶμον ἐλαφροτάτην.

*Æra quidem absumit tempus, sed tempore nullo*
*Interitura tua est gloria Diogenes.*
*Quandoquidem ad vitam miseris mortalibus æquam*
*Monstrata est facilis te duce & ampla via.*

*Demosthenes* supremum diem obiit in Calabris, Philocle Archōte, anno tertio Olympiadis centesimæ decimæ quartæ: quādo etiam Aristoteles defunctus est in Chalcide Eubœæ, agens ætatis annum sexagesimum tertium. Huius imaginem habebat in sua Bibliotheca Pomponius Atticus, vt testatur ad eum Cicero sic scribens: *Malo in tua illa sedecula quam habes sub imagine Aristotelis sedere, quam in istorum sella curuli.*

Successit ei in schola *Theophrastus*, patre Melanta Eresi natus, sed educatus Athenis. Itaque cum percontaretur ex anicula quadam Cicerone referente, quanti aliquid venderet, & respondisset illa atque addidisset: *Hospes non pote minoris*; tulisse cū moleste, se non effugere hospitis speciem, cum ætatem Athenis ageret & optime loqueretur. Nam ab eloquendi diuinitate nomen inuenit, appellatusque fuerat ab Aristotele ob id Theophrastus, cū antea Tyrtamus vocaretur. Erat schola eius duum millium discipulorum frequentia nobilis. Scripsit stirpium naturas, omniumque rerum quæ è terra gignuntur caussas atque rationes.

*Diog. Laert. libr. 5.*

Cum annū ætatis ageret octogesimum quintū apud discipulos querebatur dicens: Iniuste facere Naturam, quæ coruis & cornicibus, quorum nihil intersit, vitam diuturnam; hominibus vero, quorum maxime interest, tam exiguam vitam dederit. quorum ætas si posset esse longinquior, futurum esse vt omnibus perfectis artibus, omnique doctrina hominum vita erudiretur. Hac habita oratione efflauit animam, & ab Atheniensibus magna frequentia fuit elatus. Fuit enim ipsis adeo carus, vt cum eum accusaret Agonides quidam, quasi de Diis male sentiret, parum abfuerit, quin accusator illo ipso crimine fuerit damnatus.

*Cicero 3. Tuscul.*

Indiam petenti Alexandro Rex Albaniæ dono dederat inusitatæ magnitudinis canem, cuius specie delectatus ille iussit vrsos, mox apros, & deinde damas emitti contētu immobili iacenti. eaq; segnitie tanti corporis offensus Imperator generosi spiritus, eum interimi iussit. Nuntiauit hoc fama Regi. itaque alterum mittens, addidit mandata, ne in paruis experiri vellet, sed in leone elephantoue: duos sibi fuisse, hoc interemto, præ-

tereanullum fore. Nec distulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit. Postea elephantum iussit induci, haud alio spectaculo magis lætatus. horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primum latratu intonuit. mox ingruit assultans, contraque belluam exsurgens, hinc & illinc, artifici dimicatione, qua maxime opus esset infestans atque euitans, donec assidua rotatum vertigine afflixit, ad casum eius tellure concussa.

Erat vero Alexander vniuersæ Physicæ, tum naturæ animalium cognoscendæ flagrantissimus, vt qui præceptori Aristoteli, historiam animalium scribere exordienti, curauerit pro sumtibus faciendis numerari talēta octoginta, hoc est, quadragies mille ducatos. Qua liberalitate ille Principis excitatus in conscribenda hac historia ingenii sui vires quam maxime exercuit, & admirabilem, variam ac multiplicem animalium constitutionē explicauit Persequitur ordine discrimina omnia, quibus natura suas animantes differre inter se voluit. colligit summa genera, reliqua singulatim exponit, partitur in species genera, & singula ad quingenta fere describit. mox pergit quoque, explanans quemadmodum oriantur siue terrestria siue aquatica: quibusnam constent membris, quibus vescantur alimētis, quibus afficiantur rebus, quibus moribus prædita sint, quantum viuendi spatium sit cuique datum: quanta corporis magnitudo, quod maximum est, quod minimum, quæ forma, quis color, quæ vox, quæ ingenia, quæ officia. denique nihil omittit quod in animalium genere Natura gignat, alat, augeat & tueatur. Quæ omnia eo spectant, vt ex iis quæ à Natura proueniunt Deum inuisibilem; ex quo ipsa Natura pendet, vimque partitur suam, intelligamus, admiremur atque colamus: qua re nihil pulcrius, nihil grauius, nihil dignius homini esse potest. Rom. 1.

Conscripserat & Aristoteles de Naturæ initiis, nempe materia, forma, fine, agente, & motu, adscendens vsque ad principē motorem, qui mouet immobilis. Fertur post Persarum euersionem ob hos Physicæ auscultationis libros has litteras Alexandrum scripsisse: *Alexander Aristoteli S. Non recte fecisti, quod acroaticos libros foras euulgaris. nam qua alia re præstare ceteris amplius poterimus, si ea quæ abs te accepimus omnium prorsus fiant communia: ego vero malim doctrina anteire, quam copys.* Philosophus autem sic Imperatori rescripsit. *Aristoteles Alexandro Regi S. Acroaticos libros, quos editos quereris, & non perinde vt arcana absconditos, scito neque editos esse, neque non editos: cognobiles enim ys tantum erunt qui nos vtique audierint. Vale.* Agellius lib. 20. c. 5. Noct. Attic.

*Monarchia Græcorum.*

*Philetærus* Tyanensis, spado, cui Lysimachus arcem Perga 3684.

ANNI MVNDI. mensem, ac in ea nouem millia talentorum commiserat, ea annis viginti possedit, atque Eumeni ex fratre nepoti reliquit. Cui cum viginti duobus annis imperasset, Attalus patruelis, nempe Philetæri ex iuniore fratre nepos, successit: qui primus Rex Asiæ fuit nuncupatus.

3689. *Antiochus* Soter imperauit Assyriæ, Syriæ atque Asiæ annis nouemdecim.

*Berosus* Babylonius, Beli in Babylone sacerdos, Antiocho tertio Syriæ Regi Chaldæorum historiam tribus libris perscripsit. Quem vt locupletissimum testem citat Iuba Assyriorum historiam scribens, quam se ab illo accepisse fatetur. Enituit vero Astrologiæ scientia Berosus: cui ob diuinas prædictiones Athenienses publice in gymnasio statuam inaurata lingua statuerunt.

## GRÆCIA.

Ex Plinio li. 6. c. 22. *Taprobanem* vt liqueret insulam esse Alexandri magni, ætas resq; præstitere. *Onesicritus* classis eius præfectus elephantos ibi maiores bellicosioresque quam in India gigni scripsit. Hæc insula, quamvis extra orbem à natura relegata, non nostris vitiis caret. aurum argentũq; & ibi in precio est. marmor testudinis simile, gemmæ margaritæque in honore multo præstantiores & totius luxuriæ nostræ cumulus. ipsorũ opes maiores, sed apud nos opulentiæ maiorẽ vsum esse narrant: seruũ nemini: non in diem aut interdiu somnum: ædificia modice ab humo exstantia: annonam numquam augeri: non fora litesve esse: coli Herculem: eligi Regem à populo senecta clementiaque, liberos non habentem: &, si postea gignat, abdicari, ne fiat hereditarium regnum: rectores ei à populo triginta dari: nec nisi plurium sententia quemquam capitis damnari: sic quoque appellationem esse ad populum; septuaginta Iudices dari; si liberẽt ij reum, amplius triginta ijs nullam esse dignationem, grauissimo probro: Regi cultum Liberi patris, ceteris Arabum. Regem, si delinquat, morte multari, nullo intereunte, auersantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus: festa venatione consumi: gratissimam eam tigribus, elephantisque constare: agros diligenter coli, vitis vsum non esse, pomis abundare: esse & in piscatu voluptatem, testudinem maxime, quarum superficie familias habitantium contegi; tanta reperiri magnitudine: vitam hominum centum annis modicam. Hæc comperta de Taprobane.

*Callias* Syracusanus magna mercede cõductus ab Agathocle, nuntiam veritatis historiam vendidit nam Rex bona ciuibus erepta scribenti, præter ius & æquũ, donabat: & ille scriptis suis Aga-

Apathocli vbique gratificari gestiens, eum, cum non pauca aduersus homines iniuste, & aduersus Deos impie perpetraret, à pietate & ab humanitate laudare non desistebat. neq; enim difficile fuit, scilicet ad gratiam referendam, scribendis laudibus regias largitiones æquare. ANNI MVNDI.

MENANDER nouæ Comœdiæ poetarum facile princeps, natus fuit Athenis patre Diophite anno tertio Olympiadis centesimæ nonæ: & conscriptis centum & quinq; fabulis, teste Apollodoro, agens ætatis annum quinquagesimum secundum, dum in Pyræeo portu nataret, submersus est, Archonte Philippo.

Eius sepulcrum venientibus ex Piræo celebri loco in Attica conspicitur. Fuit ei ab Atheniensibus statua posita in theatro, & alia Byzantii Christodori epigrammate celebrata. Est & Romæ terminus acephalus in Mausoleo Augusti, inuentus extra portam Trigeminam ad tres fontes, vbi fuerat Bibliotheca Æliani historici, cum inscriptione: ΜΕΝΑΝΔΡΩ, & Carmine Æliani, quod Laurentius Gambara Latine vertit:

ἐχρῆν μὲν στῆσαι σὺν ἔρωτι φίλῳ σε μένανδρε.
ᾧ συζῶν ἐτέλεις ὄργια τερπνὰ θεῶ.
Δῆλος δ' εἰ φορέων αἰεὶ θεὸν ὅς ποτε καὶ νῦν
σὴν μορφὴν προϊδὼν αὐτίκα πᾶς σε φιλεῖ

β.

φαιδρὸν ὑπαίρεν ἔρωτος ὁρᾷς στειρῆνα θεάτρων
τόνδε Μένανδρον ἀεὶ κρᾶτα πυκαζόμενον.
Οὕνεκ' ἄρ' ἀνθρώπους ἱλαρὸν βίον ἐξεδίδαξε,
ἡδύνας σκηνὴν δράμασι πᾶσι γάμων.

γ.

Οὐ φαύλως ἔστησα κατ' ὀφθαλμοὺς σε Μένανδρε
τῆς δ' ἐβῆγ' ὁμηρείης φίλτατέ μοι κεφαλῆς
ἀλλά σε δεύτερ' ἔταξε σοφὸς κρίνειν μετ' ἐκεῖνον
γραμματικὸς κλεινὸς πρόσθεν Ἀριστοφάνης.

*Tuq; Menander eras iuxta statuendus Amorem,*
*Cuius erant fidei credita sacra tua.*
*Est tecum nam semper amor, & dignus amari*
*Et, quicumq; tuam viderit effigiem.*

*Tu latus comes es, sociusque Menander Amoris,*
*Qui cincta è sertis tempora semper habes.*
*Mortales placidam docuisti viuere vitam,*
*Innumeris hilarans ampla theatra iocis.*

ANNI MVNDI.

*Non male te posui contra, mihi care Menander,*
*Mæonium vatem, qui loca prima tenet.*
*Namque dedit quondam partes tibi habere secundas*
*Insignis claro nomine Aristophanes.*

Strabo 14. PHILEMON Damonis filius Pompeiopoli Ciliciæ natus, nouæ comœdiæ poeta, circa hęc tempora docuit fabulas nonaginta. In quibus cum sæpius Menandrum iniuria iudicum vicisset, dixisse illi ferunt Menandrum: *Bona venia dic mihi Philemon, cum me vincis, num erubescis?* Vixit circiter centum annos, donec cum vis immoderati risus abstulit. Paratas enim ipsi ficus atque in conspectu positas asello consumente, puerum, vt illum abigeret, inclamabat. qui cum comestis iam omnibus superuenisset: *Quoniam*, inquit, *tam tardus venisti, da nunc merum asello* ac protinus vrbanitatem dicti crebro anhelitu cachinnorum prosecutus, senile guttur salebris spiritus prægrauauit.

Agellius lib. 17. c. 4. Valer. Max. 9. 12. Suidas, Plutar. lib. an seni gerenda Respublica.

DIPHILVS æqualis ætatis quoque Menandri magis, quam operis fuit.

Vitruui. 9. 3. Varia ARCHIMEDIS geometricæ ac machinalis scientiæ testimonia feruntur. Cum Hieron in votiua corona, ab artifice qui auro argentum immiscuerat deceptus, ipsum rogasset, vt cogitationem intenderet qua ratione furtum deprehendi posset: ille excogitato modo in balneo, inde nudus prosiluit, ac domum clamando *inueni, inueni* cucurrit, vbi præparatis argenti & auri duabus massis æqualis cum corona ponderis, eas in vas certæ mensuræ alternatim demisit: ex quo tantumdem aquæ defluxit, quanta corporis cuiusque massæ esset magnitudo: differentiamque magnitudinum ambarum obseruauit: cumque aureæ massæ magnitudo minor argenteæ esset, etiam minus aquæ vase effluxerat. igitur vase iterum aqua repleto, in illud coronam Hieronis demisit: cumque inde plus aquæ quam immissa auri massa efflueret, & minus quam argenti massa immissa; ratiocinando quantitatem auri argentique simul misti facile deprehendit, atque in quantum Hieron ab artifice esset deceptus declarauit.

Præfuit & Archimedes operi, quando Archias Corinthius cum quingentis minimum naupegis integro anno nauem magnitudine atque exacta operis pulchritudine admirandam Hieroni exstrueret. Quam cum frumento onustam, caritate annonæ laborante Ægypto, Hieron Alexandriam misisset, atq; Ptolomæo dono dedisset; lusit versibus in eam Archimelus poeta Atticus, atque liberalitatem Tyranni Siculi lepido prosecut⁹ est epigrammate. Quod intelligens Hieron, illum mille modiis Atticis suis impensis Athenas deuectis munifice donasse perhibetur. Ipsum Archimeli Epigramma ex Græco ad verbum fere totidem

tidem expressum verbis, & versibus à Nicolao Leonico Thomæo huiusmodi est: ANNI MVNDI.

*Monstrificam in terris molem hanc quis condidit, aut quis*
*Funibus horrendum hoc in mare traxit opus?*
*Vnde trabes lucorum ingentes? quaue securi*
*Incisi hanc cunei constituere ratem?*
*Vt foret Ætnæus portentum æquale ruinis,*
*Aut quas Ægæum Cycladas æquor habet.*
*Compar vtrimque latus, sanè num forte gigantes*
*Istud in æthereas composuere vias?*
*Astra quidem tangunt carchesia nubibus altis,*
*Ordine sub triplici turrea tecta latent.*
*Ancora firmatur vinclis, queis fertur Abydi*
*Et Sesti Xerxem bina ligasse vada.*
*Ast depicta monet dudum nos littera, quonam*
*Hæc tellure fuit machina ducta salo.*
*Narrat Graiugenis Hieron Hieroclis vt ipsis*
*Hanc Cereris plenam munus habere dedit*
*Siciliæ Princeps: sed eam Neptune precamur*
*Cærulei contra protege saua maris.*

Porro cum nauem, labore maximo ingenti hominum manu trahi solitam, vi quadam multifidæ machinæ trãquille, ac quasi mari perlaberetur, adduxisset Archimedes; quoduis onus quibuslibet moueri posse viribus affirmabat Iactareque solitum aiunt, si alteram terram habeat, hanc se ad illam translaturum. Insuper cælum æneum conflasse refertur, ita vt inibi septem viserentur planetæ, & ratione incomparabili etiam motus verissime deprehenderentur, quando nec cælestis deerat vertiginis simulacrum. Præter hæc se, patriamque suam, constructis variis machinis, multo tempore defendit, dum Syracusas obsedit Marcellus: hostiumque naues (erat enim in speculorum ratione tractanda mirabilis) exussit, caua specula exaduersum soli retenta, pice nullo negotio concipiente ignem. Capta vrbe intentus contemplandis lineis, quas pulueri inscribebat, à milite, inscio quis esset, confoditur: cum, ne violaretur vnus, mandasset imperator. Qui eum etiam honorifice sepeliri procurauit. Orauerat amicos ac necessarios, vt post mortem suam cylindrum sphæra circumdatum sepulcro suo imponerent, inscriberentque ambientis sphæræ solidæ ad contentum intus cylindrum quænam excessus sit proportio. Cuius non inscius Cicero ignoratum à Syracusanis sepulcrum ciuis sui acutissimi ad portas Agragianas ipsis ostẽdit: in quo apparebat epigramma, exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis fere: eminebatque columella, in qua inerat sphæræ figura & cylindri.

*Plutarch. in Marcello.*

*Gal. de const. 3.*

*Plutarch. in Marcello.*

*Cic. Tusc. quæst. 5.*

ANNI MVNDI.

*Antigonus* & *Alexander* filij Cassandri regnant in Macedonia annis quatuor.

*Demetrius* Rex Macedoniæ regnat annis sex.

*Pyrrhus* Macedoniæ Rex regnat annis septem.

*Lysimachus* Macedoniæ Rex regnat annis quinque.

*Ptolomæus Ceraunus* Rex Macedonum regnat anno vno.

*Meleagius* regnat menses duos.

*Antipater* regnat dies quadraginta quinque.

*Sothenes* regnat annis duobus.

*Antigonus Ionathes* regnat annis triginta sex.

Post Agathoclis obitum *Hieron* Rex Syracusanus cum Pyrrho Æcidæ filio amicitiā contraxit, cum Gelon eius filius Nereidem Pyrrhi filiam in vxorem duceret. Ad Hieronem profecti fuere Æschylus, & Simonides poetæ. Quorum ille tragœdias primus in lucem protulit: hic vero in commouenda miseratione omnibus lyricis poetis à compluribus præfertur.

Erat vero Hieron admirator ingeniorum: & præcipue in precio apud eum fuit Archimedes. De quo dubites doctior ne fuerit, an salutis patriæ amantior. Conscripsit hic de sphæra & cylindro duos libros. Artem quoq; traducens ad vsum, inuenit quam proxime proportionem diametri circuli ad circumferentiam esse quasi 7. ad 22.

## ITALIA.

Cum Appius Claudius Cæcus *Iurisconsultus Romæ actiones Iuris in formam iam redegisset, Cn. Flauius scriba eius, libertino patre genitus, subreptum librum populo tradidit. Quod munus adeo gratū fuit populo, vt tribunus plebis, senator, & ædilis curulis fieret: vocatusque est liber actiones continens* Ius Ciuile Flauianum.

P. Sempronius Sophus I C. *floret. Postq; eum mox* T. Coruncanus, *qui primus publice ius ciuile docere atque profiteri cœpit. qui cum Pontifex Maximus esset, & in Senatu & apud populum, & in causis amicorum, domi & militia consilium suum fidemque probauit. Porro Ius Romanum scriptione constans diuiditur*

*In* { *Leges.*
*Senatus consulta.*
*Plebiscita.*
*Prætorum edicta.*
*Principum placita, &*
*Responsa prudentum: quæ accessere.* }

*Colonia deducta Ariminum in Piceno, & Beneuentum in Samnio.*

Vmbri & Salentini *victi, in deditionem à populo Romano accepti sunt.*

## ÆGYPTVS.

*Ptolomæus* Lagi filius Ægypto præfectus constitutus, Alexandri cadauer Perdicæ abstulit, cum ille id è Babylone deferret, atque in Ægyptum diuerteret, auaritia tractus, vt Ægyptum sibi vendicaret. Alexandri corpus Ptolomæus Alexandriam detulit, eique parentauit, atque aureo in alueolo condidit: regnauitque in Ægypto quadraginta annis. Ab eo ceteri omnes Reges dicti fuerunt Ptolomæi.

*Ptolomæus Philadelphus* regnat annis triginta octo. Hic obeliscum Alexandriæ statuit octoginta cubitorum, quem Nectabis Rex exciderat purum: maiusque opus fuit in deuehendo statuendoque, multo quam in excidendo. Fuit vero positus in Arsinoe, quasi munus amoris in coniuge eademque sorore Arsinoe. Æmulatione circa bibliothecas Regum Ptolomæi & Eumenis suppressit chartas Ptolomæus, quæ ex papyro in Ægypto nascēte parabantur: repertæ victoria Alexandri magni, vt auctor est Varro. Præfecit Bibliothecæ suæ Philadelphus Demetrium Phalereum Theophrasti discipulum, Athenis profugum, post Cassandri mortem: cum odio in eum concepto statuas eius conflagrarent, & ipsum reum mortis iudicarent absentem.

### *Monarchia Græcorum.*

*Eumenes Pergami* & vicinorum locorum princeps præest annis viginti duobus. 3705.

*Antiochus Theos* præest Syriæ annis quindecim. 3709.

*Attalus* Attali Philetæri fratris filius, à patruo & Eumene hæreditate accepto Pergamo, primus Rex Asiæ minoris est nuncupatus, regnans annis quadraginta tribus. 3726.

*Attalus* Galatas prœlio vincens, in eam quam nunc terram inhabitant à mari fugauit: populoque Romano amicus fuit.

## ITALIA.

PIRRHVS *Epirotarum Rex, vt auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Cumque prospere contra Valerium Læuinum Consulē pugnasset, & videret omnia corpora Romanorum qui ceciderant in* *Scriptor de viris illustribus.*

ANNI MVNDI.

*acie versa in hostem iacere:* Ego talibus, *inquit*, viris breui potuissem terrarum orbem subigere. *Tentauit & C. Fabricium Luscinum ad se missum, vt vellet deserere patriam: nolenti captiuos sine precio reddidit. Cumque transfuga Fabricio polliceretur se Pyrrho venenum daturum; remisit eum ad Pyrrhum Fabricius. Expellitur deinde Italia Pyrrhus à M. Curio Dentato: qui triumphans, tertio Consul, elephantos in triumpho ostendit.*

*D. Petrus, Gerardi filius, D. Erasmi Roterdami frater germanus, Canonicus Regularis, in laudem* Fabricii *hocce lusit Epigrammati, introducens Philosophum cum Iustitia loquentem:*

*Phi.* Quæ Dea? *Iust.* Iustitia. *Phi.* Et quid toruo lumine? *Iust.* flecti.
Nescia sum lacrymis, nec moueor precibus.
*Phi.* Vnde genus? *Iust.* Cœlo. *Phi.* Qui te genuere parentes?
*Iust.* Mi modus est genitor: cara fides genitrix.
*Phi.* Cur gladium tua dextra gerit, cur leua bilancem?
*Iust.* Ponderat hæc caussas, percutit illa reos.
*Phi.* Aurium aperta tibi cur altera, & altera clausa est?
*Iust.* Vna patet iustis, altera surda malis.
*Phi.* Cur sola incedis? *Iust.* Quia copia rara bonorum est,
Hæcque ferunt paucos sæcula Fabricios.
*Phi.* Paupere cur semper cultu? *Iust.* Iustissimus esse
Qui cupit immensas nemo parabit opes.

*Hoc anno* Liuius Andronicus, *Poeta, primus fabulas docere cœpit Romæ, cum sequenti anno Rudiis nasceretur Ennius quem poetam, vt vetustate lucos, veneramur, in quibus grandia & antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem.*

*De hoc & sequentibus Gellius l. 17. cap. 21. & lib. 1. c. 24.*

Næuius *quoque, qui stipendia primo bello Punico fecerat, fabulas apud populum edidit. Deinde*
Punico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.

*Nam Afranius in Togatis excelluit. Pacuuius & Actius clarissimi tragœdias grauitate sententiarum, verborumque pondere, & auctoritate personarum scripserunt. Cæcilius Mediolanensis & M. Plautus Comœdias ediderunt: quæsiuit & laudem insignem Lucilius poematis aliorum obtrectandis: qui sub Publio Africano bello Numantino equo meruit. Habuitq; hic amatores vsque eo sibi deditos, vt eum omnibus poetis præferre non dubitarent. Cum verò illorum scripta vetustatis iniuria interciderint; volui quorundam Epitaphia, quæ sibi ipsi fecerant, & sepulcris illorum incisa erant, hic ex A. Gellio adscribere, & cum recentiorum Epitaphiis conferre.*

Epitaphium Næuii Campani.

MORTALES IMMORTALES FLERE SI FOTET FAS,
FLERENT DIVÆ CAMOENÆ NÆVIVM POETAM:
ITAQVE POSTQVAM EST ORCHIO TRADITVS THESAVRO,
OBLITI SVNT ROMÆ LINGVA LATINA LOQVIER.

Epitaphium Plauti.

POSTQVAM MORTE DATV'ST PLAVTVS, COMÆDIA LVGET,
SCENA EST DESERTA, DEIN RISVS, LVDV', IOCVSQVE,
ET NVMERI INNVMERI SIMVL OMNES COLLACRYMARVNT.

*Hæc duo Epitaphia fastum ac superbiam aliquo modo videntur redolere, quod ab ipsis Poetis sint conscripta: iustum magis testimonium haberetur, si ab alienis fuissent edita. Sicuti illud, quod Hermolaus Barbarus Venetus, auorum memoria, conscripserat.* Rudolpho Agricolæ Frisio, *Groeningensi, ad hunc modum eius sepulcro adscriptum, Heydelbergæ apud* Minores:

INVIDA CLAVSERVNT HOC MARMORE FATA RODOLPHVM
AGRICOLAM, FRISII SPEMQVE DECVSQVE SOLI.
SCILICET HOC VIVO MERVIT GERMANIA QVIDQVID
LAVDIS HABET LATIVM, GRÆCIA QVIDQVID HABET.

*Aut quod ad sepulcrum Leonardi Aretini Florentiæ in templo S. Crucis legitur ab eius ciue Carolo Aretino positum:*

POSTQVAM LEONARDVS È VITA MIGRAVIT,
HISTORIA LVGET, ELOQVENTIA MVTA EST,
FERTVRQVE MVSAS TVM GRÆCAS, TVM LATINAS
LACRYMAS TENERE NON POTVISSE.

Epitaphium Pacuuij.

ADOLESCENS, TAMETSI PROPERAS, HOC TE SAXVM ROGAT,
VT AD SE ADSPICIAS: DEINDE, QVOD SCRIPTVM EST, LEGAS.
HIC SVNT POETÆ PACVVII MARCI SITA
OSSA, HOC VOLEBAM, NESCIVS NE ESSES, VALE.

Epitaphium Ennij.

ASPICITE Ô CIVES SENIS ENNI IMAGINI' FORMAM,
HIC VESTRVM PANXIT MAXIMA FACTA PATRVM.
NEMO ME LACRYMIS DECORET, NEC FVNERA FLETV
FAXIT. CVR? VOLITO VIVV' PER ORA VIRVM.

Pacuuij *modestiam apud nos imitatus fuerat ornamentum illud Batauiæ* Cornelius Musius Delphus *indigna morte Leydæ interfectus, hoc sibi conscripto Epitaphio:*

ANNI MVNDI.

QVOD MVSIVS CORNELIVS
HOC IN SEPVLCRO CLVDITVR.
NEMO INDECORE LACRYMET,
VIVVS RESVRGET DENVO.

*Nulli horum omnium cessi:* Cornelia Adrichomia, *Arnoldi filia, velata, ordinis D. Augustini Beueruuici in Caninefatibus scripsit sibi hoc Epitaphio.*

Epitaphium Corneliæ Adrichomiæ.

CORPVS HVMO, SVPERIS ANIMAM CORNELIA CONDO,
PVLVERVLENTA CARO VERMIBVS ESCA DATVR.
NON LACRYMAS, NON SINGVLTVS, TRISTESVE QVERELAS,
SED CHRISTO OBLATAS JAM PRECOR VMBRA PRECES.

## GRÆCIA.

Floruit nunc clarissimus poeta ARATVS, Athenodori filius, Pompeiopolitanus, Cilix, auditor Timonis & Menedemi, & Aristotheri Mathematici. Qui licet esset ignarus Astrologiæ; ornatissimis atque optimis versibus scripsit de cælo & stellis, Eudoxi & Hipparchi scripta secutus. Fuerat Pompeiopolis olim Soli, à Solone Atheniensi, dicta, apud quam in paruo tumulo Arati poetæ monumentum exstat; ideo referendum, quia ignotum, vt Pomponius Mela refert, quam ob caussam iacta ad id saxa dissiliant. Tanti Aratum fecit Paullus Apostolus, vt eius carminis versu doctrinam Euangelicam asserere etiam dignatus fuerit.

*Mela.*

*Act. 17. 28.*

Floruit & THEOCRITVS Praxagoræ & Philumæ filius, Syracusanus, Philetis Coi & Asclepiadis Epigrammatum scriptoris auditor, Ptolomæis Lago & Philadelpho admodum carus, Dorica lingua Bucolica Edyllia scripsit; atque Moschum & Bionem pastoricii carminis scriptores Græcos longe superauit. Genus mortis eius indicat in ibide his versibus Ouidius, vt quidem Domitius Calderinus; dissentit enim Doctorum chorus, qui de Empedocle accipiunt:

*Vtque Syracusio præstricta fauce Poetæ,*
*Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ.*

*Scriptor. de Vir. Illust. cap. 35.*

*Pyrrhus* in Græciam reuersus, dum oppugnat Argos, ictu tegulæ prostratus fuit: corpus delatum ad Antigonum Macedoniæ regem, magnifice ab eo fuit sepultum.

*Illyriorum* natio, quæ Ionii maris oram incolit, cum Epyrotas Pyrrhi Regis interitu siue imperio degentes facile armis subiugasset, eamque regionem sibi adsciuisset animis prospero rerum successu elata, maioraq; mente volutans; nauibus in mare deductis, pleraque Græciæ loca inuasit, & in Methonensium portum penetrauit. Ibique, cú velut ad amicos se accedere simulassent:

ferunt; vinũ, reliquaq; ad quotidianos vsus necessaria pro nume- ANNI
rata pecunia ab illis petierunt. Quæ Methonenses, nihil subesse MVNDI.
dolorum rati, alacribus animis ad naues deportauerunt. Cumque id ipsum alterum & tertium diem factitassent, pluresque iam cum coniugibus & liberis, tum vt sua carius venderent; tum vt illorum quas attulerant merces vilius & bono pretio emerent, portum petiissent, & in ipsis confertim versarentur nauibus; obseruato Illyrij tempore, de composito illos adorti, in vincula omnes coniecerunt, sublatisque anchoris, & expansis velorum sinibus domum redeuntes, desolatam tali casu Methonem, reliquisse feruntur.

## ÆGYPTVS.

Mortua sorore & vxore Arsinoe, duxit Ptolomæus Philadelph⁹ Arsinoen Lysimachi filiam, ex eaque liberos suscepit. Argæum fratrem, ob insidias suspectum, occidit. Bello quoq; Magum fratrem vterinum persecutus est, cui Berenice mater Cyrenæos gubernandos commiserat. Occidit & fratrem ex Eurydice natum, cum is Cyprios ad defectionem sollicitaret. Ex topazio Berenicæ allato, statua quatuor cubitorum Arsinoę sorori fuit posita in delubro cognominato arreo: præfecturaque dicta est Arsinoica. Dinocrates quoq; architectus templum Alexandriæ Arsinoes magnete concamerare inchoauerat, vt in eo eius simulachrum pendere videretur. Intercessit mors & ipsius & Ptolomæi, qui id sorori suæ iusserat fieri. C. Plin. l. 37. cap. 8.

*Ptolomæus Euergetes* regnat annis viginti sex. 3721.

## ANTIOCHVS.

Circa hæc tempora Ionathas filius Vzielis vertit vetus Testamentum quoque in linguam Chaldæam, Hebræi *Targum*, id est, translationem vocant. Summæ apud eos auctoritatis is liber est: quem Paraphrasis loco habent sacræ Scripturæ.

Cum Iudæi Philopatori victoriam de Antiocho, prælio ad Raphiæ fines superato, gratulati essent; ille Hierosolymam ingressus sacrificia Deo obtulit. At volens vi intrare templi adytum, Sancta nempe sanctorum, seditionem excitauit per vrbem, indignantibus Iudæis locum sanctum pollui à Rege Gentili. Introijsset vero, ni Deus, exaudita Simonis Pontificis precatione, eum paralysi afflixisset subito. Recollectis rursum viribus, vrbe decedens, atrocia Iudæis est comminatus. Reuersus ergo Alexandriam, Iudæos Dijs sacrificare nolentes ad sortem seruilem redigi lege columnæ inscripta voluit: & in censu admissos stigmate folij ederacei, quod insigne Bacchi est, inuri iussit. Prohibens quoque Iudæos à nullo defendi, eos 500. elephan- 3. Machab. 3750.

tibus

ANNI MVNDI. tibus vino thureq; saturatis proiici cogitabat. At illis ad Deum conuersis, orante quoq; sacerdote Eleazaro pro ipsis contrarie quam Rex statuerat, omnia euenere. nam elephantes, conculcaturi nudos vinctosq; omnis sexus ætatisq; Iudæos sibi appositos, impetu facto super amicos eius ac milites, multos ex illis interemere. Apparuerunt & illi duo Angeli, prohibentes ipsi ne iis noceret hominibus. Quare terrore plenus refectos epulis ad propria cum litteris commendaticiis remisit Iudæos: qui cum gaudio ac lætitia, hymnis & canticis domum reuersi sunt.

## *Monarchia Græcorum. Syria & Asia.*

3744. ***Seleucus Ceraunus*** regnauit annis duobus.

3746. ***Antiochus Magnus*** regnauit annis triginta sex.

***Attalus*** æger Thebis Pergamum aduectus moritur, relinquens testamento heredem regni populum Romanum. Sed Aristonicus Eumenis patrui eius nothus inuasit Asiam, tamquam regnum paternum.

*Seleucus Philopator* regnat annis duodecim, vilissimus & indignus decore regio.

***Philonem***, Græcæ linguæ peritissimum, genere Iudæum, nunc floruisse ferunt; atque auctorem esse libri qui Sapientia inscribitur, & inter Canonicas sacras numeratur. De quo ita scribit D. Augustinus: Liber Sapientiæ meruit in Ecclesia de gradu Lectorum Ecclesiæ Christi longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis vsque ad extremos laicos fideles, pænitentes, catechumenos, cum veneratione diuinæ auctoritatis audiri.

## ÆGYPTVS.

3747. ***Ptolomæus Philopator*** regnat annis septemdecim.

3788. ***Ptolomæus Philometer*** regnat annis triginta quinque. Qui nomen per irrisionem hoc acceperat, cum nullus Regum vmquam tam matri fuerit odio: cum illum, licet maior natu filiorum fuerit, ad regnum vocari non sit passa: perfeceritque vt pater eum mitteret in Cyprum, sperans Alexandrum natu minorem sibi paratius obsequiturum, si ad regnum perueniret. Ideoque Ægyptiis auctor fuit vt Alexandrum Regem sibi crearent. Sed cum ei aduersaretur multitudo, Alexandrum in Cyprum ablegauit; quo per eum Ptolomæo maiori etiam esset terrori.

## GALLIA.

***Galli***, qui & Celtæ dicuntur, expeditionem in exteras nationes

nes fecerunt, *Cambaule* duce: qui in Thraces & Triballos Cerethrium misit: in Pæoniam Brennum ac Acichorium: & Belgium in Macedones atque Illyrios; trifarie exercitum diuidens. Ptolomæo in acie cadente magnam cladem Macedonibus intulere Galli. quibus cum Sosthenes resisteret, persuaderi non potuere vt Græcis bellum inferrent, sed domum reuersi sunt ingiorii.

ANNI MVNDI

Gallorum pars quæ Duci Brenno parebat in Græcos expeditionem suscepit, exercitu centum & quinquaginta duorum millium peditum, & viginti millium & quadringentorum equitum: excipientibus eum ad Thermophylas Græcis ducentis & triginta duobus peditibus, atq; mille & quingentis equitibus; vbi & acriter fuit pugnatum. At Brennus, tramite sibi per Oetã montem monstrato, recta Delphos iter facit, quo spoliaret Apollinis templum: vbi cum pugnaretur atrociter, Brennus acceptis vulneribus prœlio extractus fuit, & de nocte metus Panicus Gallos occupauit.

## ONIAS.

*Onias* Pontifex fungitur pontificatu annis triginta nouem. 3756.

*Hircanus* Dux Iuda præest annis duodecim. 3785.

Fruebatur Hierosolyma per hæc tempora pace, obseruabanturque leges quam optime, ob pietatem Pontificis Oniæ, qui vt malo consensum præberet, nullo modo induci poterat. Igitur Simon tribus Beniamin, præpositus templi constitutus, obsistente suis conatibus Pontifice, cum videret Seleucum de suis prouentibus pręstare sumptus sacrificiorum, profectus ad Apolloniũ præfectum Phæniciæ ac Cælesyriæ defert templi ærarium abundare pecuniis. Quod cum Præfectus ad Regem retulisset, misit is Heliodorum quæstorem sui ærarii, vt pecuniam in templo cõditam sibi adferret Excepit eum venientem Hierosolymã benigne Onias referens pecuniam, quæ ab illo quærebatur, à viduis, pupillis ac Hircano viro claro ibi esse depositam, nec esse vltra quadringenta talenta argenti, & ducenta auri: quæ vt integra conseruarentur, se debere curare. At quæstor Regius nec hæc, nec eiulatus mulierum, protensasq; ad Deum manus virginum, & preces sacerdotum quidquam faciens, infauste negotium aggreditur. Nam equo insidens quidam visu terribilis, duo quoque iuuenes ipsi apparuerunt, à quibus flagellatus, humi voce priuatus corruit, quasi moriturus. Subuenit ei oratione rogatus a ministris Onias. Sicque ad Regem Seleucũ rediit, dicens, si quos punitos velit, mittat Hierosolymam, vt inde auferant thesauros templi. Cumque id omne culpa Oniæ factũ, qui

*August. de Sanct. Predici. 14.*

regno

ANNI MVNDI. regno insidias strueret, dixisset Simon: Pontifex, quo crimina falso delata dilueret, ad Seleucum se conferre coactus fuit.

## *Monarchia Græcorum.*

Selluco proditorie ab Heliodoro interempto successit Antiochus frater, dictus Epiphanes seu Illustris nomine, cum reuera esset Epimanes, hoc est, præfurore mente captus vocandus: cum Regali licentia turpiter abuteretur, genio voluptatibusque incontinenter deditus, & prodigalitate immodicus. Solitus etiam ebrius sacculos nummis repletos in viis publicis proiicere dictitans: Isthæc accipiant ii quos sors.

## ITALIA.

3740. *Italia, nuntiato Gallico tumultu,* 80000. *equitum & 700000. peditum armauit.*

Istri *sunt subacti.*

3748. Q. Fabius *I. C. celebratur ob legationem Carthaginensem, in qua cum ei dua tessera essent posita, altera pacis & altera belli, datosibi arbitrio vtramque sustulit, dicens Carthaginenses debere petere, vtram mallent accipere.*

3765. *Hac æstate Mago Aurilcaris filius ex minore Belearium insula, vbi hibernauerat, iuuentute lecta in classem imposita, in Italiam triginta ferme rostratis nauibus ac multis onerarys duodecim millia peditum, duo millia ferme equitum traiecit.*

HANNIBAL, *superato Pyrenæo saltu, per Gallias fusis qui ei obsistere conati erãt, ad Alpes venit, & laborioso per eas transitu, cum montanos quoque Gallos obuios aliquot prœlys repulisset, descendit in Italiam.*

3766. Plin. lib. 18. cap. 18. *Frugibus ostentum accidit P. Ælio, Cn. Cornelio Coss, quo anno superatus est Hannibal. in arboribus enim tum nata produntur frumenta.*

Sext. Ælius Pætus, *ob acutum ingenium* Catus *dictus, iuris ciuilis peritissimus, & ad dicendum paratus, quem etiam Ennius laudauit, L. Pauli Macedonici gener, nulla vasa argentea ad supremum vitæ diem possedit, nisi duo pocula, quæ L. Paullus socer ei ob virtutem donasset. Nam cum legati Ætolarum eum in consulatu prandentem in fictilibus adiyssent, missa ab ÿs argentea accipere recusauerat.*

Scriptor de viris Illustribus, c. 49. P. Cornelius Africanus Maior *octodecim annos natus patrem singulari virtute apud Ticinum seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes deserere Italiam cupientes sua auctoritate composuit, & reliquias quæ cladi superérant per media castra Canusium perduxit. Viginti quatuor annorum Prætor in Hispaniam missus, Carthaginem nouam qua die venit cepit: virginẽ pulcerrimam ad se deductam patri*

*patri sponsoque iussit restitui. Hasdrubalem Mangonemque Hannibalis fratres expulit Hispania. Amicitiam cum Syphace Maurorum Rege coniunxit: Masinissamque recepit in societatem. Victor domum regressus, Consulque ante annos factus, concedente collega P. Licinio Crasso, classe in Africam traiecit: atque Hasdrubalis & Syphacis castra vna nocte perrupit: Hannibalem ex Italia reuocatum prœlio superauit; victisque Carthaginensibus legem imposuit. Bello Antiocheno in Asia, fratri L. Cornelio Scipioni Asiatico legatus fuit captumque filium recepit gratis. A Petilijs ac Næuio Tribunis plebis accusatus repetundarum, librum rationum in conspectu populi scidit:* Hac die, *inquiens,* Carthaginem vici, quasi bonum factum, in Capitoliũ eamus & diis supplicemus. *Inde in voluntarium exsulium Linternum concessit: vbi & à Prædonibus humani generis hostibus, ob virtutem & gloriam celeberrimus, veneratus adoratusque fuit. Moriens ab vxore petijt, ne corpus suũ Romam referretur. Obijt eodem quo & Hannibal anno, ætatis suæ quinquagesimo quarto. Epitaphium eius hocce olim apud Capuam fuit inuentum, credere fas est.*

ANNI MVNDI.

Deuicto Hannibale, capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habes.
Cui non Europa, non obstitit Africa quondam
(Respice res hominum) quam breuis vrna premit.

Cn. Manlius Volso *de Gallis qui Asiam incolunt triumphauit. In triumpho tulit coronas aureas mille & ducentorum pondo; argenti pondo viginti duo millia; auri pondo bis mille, centum & tria; Tetradachmũm Atticũm 127000. Cistophori 250. Philippeorum aureorũ 16320; & arma spoliaque multa Gallica carpentis transuecta: Duces hostium quinquaginta duo ante triumphum ducti.*

## GALLIA.

Galli transalpini qui in Italiam irruperant, cæsi sunt: fuerunt & cum Gallis Germani quoque cæsi. Exercitibus Romanis tum primum trans Padum ductis Galli Insubres aliquot prœliis in deditionem venerunt. Et M. Claudius Marcellus Consul, occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro, opima spolia retulit. Coloniæ deductæ sunt in agro de Gallis capto Placentia & Cremonia.

Insubres Cænomaniq; & Boii excitis Salliis, Iluatibusque, & ceteris Ligusticis populis Hamilcare Pœno duce, qui in iis locis de Hasdrubalis exercitu substiterat, Placentiã inuaserant: & direpta vrbe ac magna ex parte accensa, vix duobus millibus hominũ inter incendia ruinasq; relictis, traiecto Pado, ad Cremonam diripiendã pergebãt. Sed L. Furius Prætor Gallos Insubres rebel-

rebellantes & Hamilcarem Pœnum acie vicit. Hamilcar occisus fuit & hominum triginta quinque millia.

## ANTIOCHVS.

*Antiocho* iam rerum potito, Iason Oniæ frater pontificatum ambiens Regi prodigo trecenta & sexaginta talenta pollicetur, & pro accessione redituum aliorum, octoginta talenta Adhæc promittit & alia centum & quinquaginta talenta quo liceat sibi gymnasium atque ephebium instituere, & ciues incolasque Hierosolymæ scribere Antiochenes. Quod licet iniquum atque inhonestum videretur, victus tamen auaritia Epiphanes, impuro atque scelesto homini concessit. Qui expulso fratre impie sacerdotio functus est, Græcorum mores ritusque imitando. Sed vt fratri insidiatus fuerat; sic & delusus fuit à legato suo Menelao, qui adulando Antiocho, ad quem ab illo missus fuerat, retorsit in se sacerdotium, pollicendo vlterius trecenta argenti talenta. Quæ cum non solueret, transtulit sacerdotium in fratrem Lysimachum Antiochus. Cumque Onias Menelaum sacrilegii (furatus enim fuerat vasa templi) argueret: eius instinctu per Andronicum vir pius interemtus est. Cuius virtus in tantum eluxerat, vt etiam Antiochus licet pietatis hostis illum lacrymis defleuerit: iusseritque Andronicum purpura exutum per vrbem Antiochiam circumduci, & eodem loco quo Onias erat interfectus priuari vita.

Contigit, Antiocho secundam expeditionem suscipiente in Ægyptum, quadraginta diebus per aera prœlia & concursus armatorum ostentari. Post quæ prodigia cum rumor spargeretur Antiochum interiisse, Iason quo se de Menelao vindicaret collectis mille viris repente Hierosolymam inuasit, multosque ciues innoxios trucidauit: Post quod scelus fugiens in Ammonitem, Ægyptum, tandem Lacedæmone interiit, nullo sepulcri honore affectus. His acerbatus Antiochus ac Iudæorum rebellionem veritus, ex Ægypto veniens armis ciuitatem inuasit: nulli parcens, omnis ætatis ac sexus ad octoginta millia triduo interfecit, atque quadragies mille vincti, totidem & venundati fuerunt. Ablatisque ornamentis mille octingentorum talentorum de templo Antiochiam reuertens, Apollonium, exercitus viginti & duorum millium præfectum, ad vastandam vrbē misit.

2. *Mach.* 5. Qui simulando pacem, sabbato arma capere suos iussit: atque interemtis pluribus ac ablatis spoliis incendit vrbem. Muniuit porro Sion in arcem, atque illi præsidium imposuit cum magna annona. Tum demum contaminato templo ac sacrarii adyto, sacram legem euertere aggressus est; emittens edictum, vt omnes

mnes

omnes relictis maiorum traditionibus, ritu Gentilium viuerent. ANNI
multi itaque impio imperio parentes palam Dijs sacrificabant. MVNDI.
Mensis Casseu decimo quinto, anno Seleucidarum centesimo 3805.
quadragesimo quinto, qui erat ab orbe condito ter millesimus, octingentesimus & tertius, Idolum desolationis sub nomine Iouis Olympij posuerunt super altare: & in monte Garizim Idolum Iouis Hospitalis Cogebantur celebrare Bacchi sacra atque coronari edera: sacrificare quoque die natali Antiochi: comburebanturq; discissi libri legis Dei, & trucidabantur apud quos libri testamenti Domini inueniebantur. occidebantur etiam qui pueros circumciderant, atque ii qui recusabent vesci cibis impuris. Septem fratres, renuentes comedere porcinas carnes, sustinuerunt fortissime immania supplicia, matre eos exhortante, vt illa patienter ferrent: quæ & vltimo necata fuit. Sic & Eleazarus senex, ex primoribus Scribarum, nonagenarius, eamdem ob causam fuerat interfectus.

Erat ea tempestate *Mathathias*, Ioannis filius, ac nepos Simeonis, sacerdos; qui cum à Regiis cogeretur edicto parere animose egregia constantia profana contemnens Iudæum sacrificantem publice in conspectu omniũ occidit & aram destruxit. Hic itaque confugiens in montem multis ad se confluentibus exercitum iustum collegit: quibus omnibus decretum erat aduersus profanum edictum & imperium tueri armis, & potius occumbere bello, quam impias cæremonias exercere. Quod resciscentes præsidiarii Sionis, multos Sabbatis, quod tum pugnare nollent, interemerunt ad mille animas hominum.

Morte iam imminente *Mathathias* aduocatis ad se quinque suis filiis, exemplo maiorum, illos ad Legis obseruationem & vindictam populi Iudaici exhortatur. Itaq; moriens Simonem à prudentia, & Iudam à fortitudine Ioanni, Eleazaro, ac Ionatham commendat; mandans vt illum in patrem, hunc vero in principem militiæ habeant. Sepultus vero fuit in sepulchris patrum suorum in Modin, plangente eum omni Israele planctu magno.

Ductu vero Iudæ, qui vocabatur Machabæus, Apollonius cæ- 3804.
sus fuit. Seron quoq; cum exercitu Syriæ fugatus fuit, amissis octies mille viris. Quod exaudiens Antiochus Persidem cogitãs, quo illuc tributa colligat, Lysiam Syriæ ad Ægyptum vsq; præfecit, relinquens illi dimidium exercitum & elephantos. Qui sub conductu Ptolomæi, Nicanoris & Gorgiæ misit exercitum quadraginta mille peditum, & septem mille equitum in terram Iudam. Qui Iudæis magnum incusserunt metum. At Iudas eos adhortatus vt Deo confiderent, fudit hostes, castrisque illorum potitus, multũ auri & opum Tyriorum ibi inuenit. Itaq; victores

ANNI MVNDI. 3806.

Iudæi Hymnum cecinere ac benedixerunt Deum in cælum, *quoniam bonus est. quoniam in sæculum misericordia eius.*

Hæc vbi Lysiæ ex nuntiis fuerant comperta, congregauit sequenti anno exercitum sexaginta millium peditum & quinque millium equitum, commissoque prœlio, ceciderunt Iudæi ex iis quinque mille, ceteris fuga elapsis, quos vt colligeret, reuersus fuerat Lysias Antiochiam. Iudas vero Hierosolymam profectus, purgare templum ac restituere animum intendit, quod euersum ab Antiocho fœdam sui speciem præbebat, aduersus Syros, qui crebris eruptionibus ex arce Sionis illud impedire moliebantur, validam suorum aciem obiiciens. Fecit itaque altare ex lapidibus integris, & ædificauerunt sancta & quæ intra domum erant intrinsecus; tum & ædem & atria sanctificauerunt. Intuleruntq; templo candelabrum, altare incensorum, & mensam, super quam panes ponebant propositionis, appenderuntque vela. Vicesimo itaque quinto mensis Casleu obtulerunt sacrificia, & celebrarunt per octo dies dedicationem templi, statuentes vt per singulos annos festum illud similiter celebraretur: Circumstruxerunt vero montem Sion muro vndique præalto, validisque turribus, ne quando, vt fecerunt, inuaderent Gentes locum illum atque conculcarent: posueruntque ibidem præsidia. Opidum quoque Bethsuram munierunt illius ergo aduersus Idumæos: quos Iudas bello persequebatur, similiterq; & Ammonitas, quos deuicit. Vindicauit quoque fratrum cõtumelias ac calamitates variis locis expugnatis, atque masculis omnis ætatis interfectis, succensis fanis, ac dirutis aris, cum spoliis multis reuertens in terram Iudam. Postquã pacem Lysiæ opera ab Antiocho datam, atque à Q. Memmio & T. Manlio legatis Romanorum ratam habitam disruptam videbant per præfectos arcis Sionis.

## HISPANIA.

*Ex T. Liuio. ad annum Vrbis conditæ. D.LXVII.*

Duo tribuni militum cum litteris C. Catinii & L. Manlii ex Hispaniis venerunt: quibus continebatur, Celtiberos Lusitanosque in armis esse, & sociorum agros populari. De ea quere Senatus consultationem ad nouos Magistratus reiecit. Tum L. Quinctius Crispinus Hispaniam citeriorem, C. Calphurnius Piso vlteriorem prouincias sortiti sunt. Interea C. Catinius cum Lusitanis in agro Astensi collatis signis pugnauit: ad sex millia hostium fuere cæsa. Dum vero oppugnando Astam incautius subit muros, ictus ex vulnere post vrbem captã moritur. L. Manlius Acidinus cum Celtiberis acie conflixit. incerta victoria discessum est; nisi quod Celtiberi castra inde nocte mouerũt: Romanis & suos sepeliẽdi & spolia legẽdi ex hostib. potestas

facta

facta sit. Paullo post coacto maiore exercitu Celtiberi ad Calagurim opidum vltro lacessiuerunt prœlio Romanos. Superati, ad duodecim millia hominum cæsa, & duo millia capta, & castris Romanus potitus. ANNI MVNDI.

## Monarchia Græcorum.

*Antiochus* cogitans inuadere Elemaida Persiæ vrbem, atque diripere ibidem fanum Dianæ, refertum aureis donis & loricis ac scutis, quæ Alexander Magnus illic reliquerat; frustratus spe, in morbum in Babyloniam reuersus incidit lethalum. Conquestus ergo mala quæ Iudæis intulerat; Philippum amicum suum regno præficit, vt enutriret filium Antiochum futurum Regem, traditis ipsi diademate, purpura & annulo suo. Mortuo itaque eo, Antiochus Eupator à Lysia cognominatus, regno fuit potitus Antiochiæ: & Philippum dominari volentem expugnauit, occupauitque ciuitatem.

Interea Demetrius Seleuci filius, qui Romæ in locum patrui Antiochi obses constitutus fuerat, veniens ab vrbe, occupata Tripoli vrbe maritima regnauit illic. Itaque exercitus Syriæ Antiochum ac Lysiam comprehensos occidit, cum ille eos ad se duci nollet. Sicque paternum regnum adeptus est Demetrius.

## ITALIA.

M. Cato *cum L. Valerio censor nunc factus, deinceps* Censorius *appellatus fuit. Nearcho Pythagoræo Philosopho adolescens operam dederat, & ab Ennio Poeta senex Græcis litteris fuit eruditus. A quib. litteris Catonem filium dehortabatur, quod de Græca natione non bene sentiret. Eum etiam libros de iure reliquisse scribit Pomponius ff. l. . Quemadmodum & filius eius M. Porcius Cato, qui Prætor designatus patre viuo obijt. Huius ea creditur fuisse regula, quæ Catoniana à Iurisperitis appellatur.* 3785.

Hannibal *victo Antiocho, ad quem confugerat, quemque hostem populi Romani fecerat, ad Prusiam Regem Bithyniæ concessit. Vnde Romam legatione repetitus, hausto, quod sub annuli gemma habebat veneno, absumptus est. Positus in arca lapidea apud Lybissam cum hac inscriptione:* 3795. *Scriptor de Viris illustribus cap. 4.*

HANNIBAL HIC SITVS EST.

*Libet hic post* Pauli Æmilii *victoriam de Perseo Macedonum Rege peregrinationem eius per Græciam electissimis verbis depictã exhibere: quo quasi in tabula præcipua loca, præcipuos populos, & quicquid hoc tempore illustre fuerat ea in regione, contemplari licebit. Itaque* *T. Liuius lib. 45.*

ANNI MVNDI. autumni fere tempus erat, cuius temporis initio circumeundam Græciam, visendaque quæ nobilitata fama auribus magis accepta sunt, quam oculis noscuntur, vt statuit: præposito castris C. Sulpitio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio, & Athenæ Eumenis Regis fratre, per Thessaliam Delphos petit inclitum oraculum. Vbi sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus impositurі statuas Regis Persei fuerant, suis statuis VICTOR destinauit. Labadiæ quoque templũ Iouis Trophonii adiit. Ibi cum vidisset os specus, per quod oraculo vtentes sciscitatum dei descendunt, sacrificio Ioui Hercyniaque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Euripi, eoq; ante insula ponte continenti iuncta descendit. A Chalcide Aulidem traiecit III. M. spacio distantem, portum inclitum statione quondam mille nauiũ Agamemnoniæ classis: Dianæque templum, vbi nauibus cursum ad Troiam: filia victima aris admota, Rex ille Regum petiit. Inde Oropum Atticæ ventum est, vbi pro Deo vates Amphilochus colitur: templumque vetustum est, fontibus riuisq; circa amœnum. Athenas inde plenas quidem & ipsas vetustate famæ multa tamen visenda habentes, arcem portus, muros Piræum vrbi iungentes, naualia magnorum Imperatorum, simulacra deorum hominumque omni genere & materiæ & artiũ insignia. Mineruæ Præsidi arcis sacrificio in vrbe facto, Corinthum altero die peruenit. Vrbs erat tum præclara, ante excidium. Arx inter omnia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus. Isthmus duo maria ab occasu & ortu Solis finitima arctis faucibus dirimens. Sycionem inde & Argos nobiles vrbes adiit. Inde haud parem opibus Epidaurum sed Æsculapii inclitam templo, quod quinque millia passuum ab vrbe distans, nunc vestigiis reuulsorum donorum, tum donis diues erat: quæ remediorum salutarium ægri mercedem sacrauerant Deo. Inde Lacedæmonem adit, non operum magnificentia, sed disciplina institutisque memorabilem. Vnde per Megalopolim Olympiam adscendit: vbi & alia spectanda visa, & Iouem velut præsentem intuens, motus animo est. Itaq; haud secus, quam si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium amplius solito apparari iussit. Ita peragrata Græcia, vt nihil eorum, quæ quisque Persei belli priuatim ac publice sensisset, inquireret, ne cuius metu sollicitaret animos sociorum Demetriadem & Appolloniam, indeque Amphibolim venit.

3799. Plinius lib. 7. cap. 30. Q. Ennius cum duodecim XII. Annalem scripsisset comitiali morbo ex nimio vini vsu contracto paullo post moritur. Scipio prior Africanus Ennii statuam sepulchro suo imponi iussit, clarumque illud nomen, imo vero spolium ex tertia orbis parte raptum in cinere supremo cum poeta titulo legi.

Floret nunc quoque theatri deliciæ P. TERENTIVS APHER, qui ex Menandro & Apollodoro comœdias suas transtulit palliatas, quæ hoc tempore acta fuerunt, in quibus elegantissimæ eloquendi facultatis

*ultate & omnibus rebus, personis & affectibus accommodata omnis* ANNI
*vita humana imago expressa, summa cum voluptate conspicitur. An* MVNDI.
*no aetatis trigesimo quinto Graeciam petisse, & redeuntem periisse in mari referunt, cum centum & octo fabulis, quas ex Menandro transtulerat. Cn. Cornelio Dolabella, & M. Fulvio Nobiliore Coss. fuisseque statura mediocri, gracili corpore & colore fusco.*

## S. C. FANNIANVM.

C. Fannio Strabone & M. Valerio Messala Coss. M. Pomponius Praetor Sen. consulit, quod verba facta sunt de Philosophis & Rhetoribus. De ea re ita censuerunt: Vt M. Pomponius Praetor animaduerteret curaretque, vti ei è Rep. fideque sua videretur, vti Romae ne essent. *Gellius. lib. 15. c. 11.*

M. Porcius Cato *Tusculanus, Augur. natus an. octoginta quinq; obijt; fuerat*

| | | |
|---|---|---|
| *Quaestor an.* | *Vrbis conditae* | 541. |
| *Aedilis anno* | | 545. |
| *Praetor anno* | | 549. |
| *Consul anno* | | 558. |
| *Censor anno* | | 569. |

*Conscripsit Origines, Orationes & de Agricultura. Plutarchus eum & propria manu historias maiusculis litteris exarasse refert.*

Eius filij ex

*Licinia*
M. Porcius Cato, *qui Praetor libros de Iuris disciplina reliquit: cuius filius*

- M. Porcius Cato Orator, & Consul, *ad exemplum aui Orationes conscripsit. Eius filius maior natu fuit*
  - M. Portius Cato, *qui Aedilis, Curulis, & Praetor in Gallia Narbonensi mortuus est.*

*Salonia.*
M. Porcius Cato Salonianus *natus cum pater septuaginta quinque annorum esset: huius filij*

- L. Porcius Cato.
- M. Porcius Cato, Trib. Pleb. *cuius liberi*
  - M. Porcius Cato. *Praetorius dictus Vticensis, cuius liberi*
    - M. Porcius Cato *qui in Philippico praelio occubuit.*
    - Porcia *nupta M. Bruto suo consobrino ex Seruilia sorore Catonis vterina.*
  - Caepio.
  - Porcia *nupta L. Domitio.*

ANNI MVNDI.

Scriptor de Viris illustribus cap. 47.

Cato *primus Porcia Gentis tres summas in homine res præstitisse existimatus est : optimus Orator, optimus imperator, & optimus Senator. Quatter & quadragies caussam dixit, & semper absolutus est.*

M Porcius Cato *perniciali odio Carthaginis flagrans, ne posumque securitatis anxius, cum clamaret omni Senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die precocem ex ea prouincia ficum. Ostendensque Patribus,* Interrogo vos, *inquit,* quando hoc pomum deptum putetis ex arbore? *Cumque inter omnes recentem esse constaret;* Atqui tertium, *inquit,* ante diem scitote decerptum Carthagine, tam prope à muris habemus hostem : *Statimque sumptum est bellum Punicum tertium, cum Senatus statuisset vt Carthago exscinderetur. Itaque P. Scipio Æmilianus L. Paulli natura & adoptione P. Scipionis filius factus Consul eam vrbem magis inuidia imperij, quam vllius eius temporis noxiæ, inuisam Romano nomini funditus sustulit, fecitque sua virtutis monumentum, quod fuerat clementia aui eius P. Cornely Scipionis Africani Sicque Carthago diruta est, quæ stetisset annis sexcentis sexaginta & septem. Hunc finem habuit Romani imperij æmula vrbs, cum per annos centum & sedecim aut bellum inter vtrosque populos, aut belli præparatio, aut pax fuerat. Erat hic Scipio iunior Africanus elegans liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & auctor & admirator. Vt qui Polybium Panætiumque hunc Philosophum, illum Historicum præcellentes ingenio viros domi militiaque secum habuerit : ipseque Scipio semper aut belli, aut pacis seruiit artibus, modo corpus periculis modo animum obiiciens.*

App. Claud. Cons. *Salassos gentem Alpinam domuit.*

## ÆGYPTVS.

*Ptolomæus* profectus Ptolomaidem, dat Alexandro Cleopatram filiam suam nuptui, celebranturque nuptiæ gloria magna. Quibus peractis, insidiatus est Ptolomæus genero suo, ad illum veniens cum exercitu, atque vrbes occupans, præsidiaq; imponés, & Antiochiam veniens, imposuit duo diademata capiti suo, vt Rex Ægypti & Asiæ. Quod intelligens Alexander in Cilicia, reuersus in Syriam, ac coactus fugere in Arabiam, capite obtruncatur à Zabdiele Arabe, qui misit illud Ptolomæo post triduum morienti.

## IVDAS MACHABÆVS.

1808. *Iudas Machabæus* conuocato populo obsedit Syros præsidiarios, qui erát in arce Sionis parari curans balistas, aliasque belli machi-

machinas, quo illos posset expugnare Antiochus ergo Eupator iam rerum potitus, collegit exercitum tam ex propriis militibus, quam conducticiis ad 100000 peditum & 20000 equitum, atque triginta duobus elephantis doctis ad prœlium. Super singulas bestias erant turres ligneæ cum machinis, in quibus erant triginta duo viri fortissimi, qui pugnabant desuper, & rector quoque bestiæ, qui illam, quo liberet. propellebat. Commisso prœlio apud Bethsuram, quam Rex obsidebat, Eleazar filius Sauta videns elephantem aliis excelsiorem, loricatum regiis loricis, cucurrit per mediam legionem, & se subiiciens bestiæ, occidit eam cadentem in terram super ipsum, atque ita illum opprimentem. Iudæis terrore fugam capessentibus. Capta ergo in deditionem Bethsura, Rex mouit versus Hierosolymam: vbi perlato nuntio Philippum ex Perside reducem suscepisse regni negotia, suasu Lysiæ fecit pacem cum Iudæis, permittens illos viuere suo more, suisque ritibus.

ANNI MVNDI.

At Demetrio regnante Alcimus pontificatum ambiens, rogatus à nouo Rege, quid agerent Iudæi, respondit Assidæos Iudæorum, quibus Iudas Machabæus præerat, seditiones mouere, nec pati regnum quiescere nutriendo bella: seque, qui ex genere Aaronis erat, defraudari pontificatu Itaque collato illi sacerdotio, mandauit ei facere vindictam in filios Israel, mittens cum eo Bacchidem cum exercitu magno. Qui cum esset à Scribis & Assidæis pacifice quasi sacerdos de semine Aaron exceptus: illos decipiens, comprehendit sexaginta viros, quos vna die occidit Mactauitque Bacchides multos, qui ad se confugerant, & quosdam de populo, quos in puteum ingentem proiecit. Quare Iuda illorum necem vlciscente, Alcimus regressus ad Regem accusauit Iudæos multis criminibus. Misit ergo Antiochus Nicanorem, mandans ei euertere populum. Cuius dolus cum innotesceret Iudæ, fugiens collecto exercitu cæcidit ex exercitu Syrorum quinquies mille viros, reliquis fugientibus in ciuitatem Dauid. Nicanor itaque ira accensus iussit sacerdotibus sibi tradere Iudam, alioquin se templũ esse consumpturũ flammis. At Machabæo, orationibus ad Deum fusis, se, populumque narratione visionis atque exhortationibus confirmante; prœlium initum fuit decimo tertio mensis Adar, intra Betheron & Adarsa, & contrita sunt castra Nicanoris, ipseq; primus cecidit: persequentibus Iudæis fugientes integrum diem. Caput Nicanoris abscissum dextraque amputata allata Hierosolymam, ibidem fuera suspensa ex arce: institutumq; fuit eum diem quotannis læta celebritate transigere. Iudas ergo multis victoriis clarus legatos Eupolinum & Iasonem Roman destinauit: qui à Senatu

3809.

1. Mach. 2.
2. Mach. 15.
1. Mach. 7.
1. Mach. 8.

ANNI MVNDI. foedus tabulis æreis inscriptum reportarunt: quo vt mutuo se adiuuarent contra hostes erat cautum.

1. Mach. 8. Interea *Demetrius* reparatis auctisque copiis Bacchidem & Alcimum in Iudæam remittit: aduersus quos dum strenue dimi-

3810. cat, Iudas Machabæus cecidit, fugientibus ceteris. Syri cruente

1. Mach. 9. admodum vsi sunt victoria, cum etiam fames infestaret regionem. Itaque tanta fuit tribulatio, qualis non fuit ex die illa, qua visus non est Propheta in Israel. Iudæi vero in locum Iudæ fratrem eius IONATHAN deligunt in ducem. Qui cum Simone fratre fugiens Bacchidem in deserto Thecuæ consedit ad aquam lacus Asphar: & ob mortem fratris Ioannis ex insidiis aggressus filios Iambri vindicauit fraternum sanguinem, & de Bacchidis exercitu cæcidit mille viros. Itaque ille munitis aliquot locis infestabat Iudæos.

3811. Mense secundo anni Seleucidarum centesimi quinquagesimi

1. Mach. 9. tertii præceperat Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera Prophetarū, sicq; percussus paralysi mortuus est cum magno cruciatu. Videns vero Bacchides Alcimum mortuum reuersus est ad Regem: gauisaque Iudæa sic est biennio quiete.

Deinde reuersus Bacchides ac victus à Ionathan, pacem iniit reddendo captiuos, & omnia quæ bello erant rapta.

Interea Alexandro Antiochi nobilis filio occupante Ptolomaida conatur Demetrius foedus ferire cum Ionatha plurima pollicendo: at ille oblatam Alexandri amicitiā prætulit vanis Demetrii promissis. Porro postquam cecidit Demetrius Ionathas Ptolomaidam veniens ad nuptias Alexandri, purpura induitur, atque fit dux eius ac particeps Principatus. Sicque quinquennio pace fruebantur Iudæi: Ionatha reuerso Ierusalem. Qui post hæc Demetrii iunioris ducem Apollonium deuicit, cepitq; deditione Ioppen: cepit etiam Azotum atq; incendit, sic vt perierint circiter octies mille. Donauit itaque bulla Regia eum Alexander, & Azoto opido cum omnibus finibus eius in possessionem. Deinde mortuo Alexandro obsedit Ionathas arcem Sion, quod cum delatum esset ad Demetrium, accessit euocatus ad eum Ptolomaidem, impetrauitque libertatem Iudçæ, tribus Toparchiis, Samariæ & locis finitimis trecentis talentis. Cumque dimissus à Demetrio exercitus conspiraret aduersus eum, missi tria millia militum à Ionatha illi auxilio, mouentibus Antiochenis seditionem, occiderunt 100000. hominum defendendo Regem. Sed immemor tanti beneficij Demetrius vexabat Iudæos. Verum mox deuictus ab Tryphone, qui regnum asserunt Alexandri filio Antiocho.

Hic *Antiochus* rerum potitus, foedus iniit cum Ionatha, qui

cum

cum Simone fratre, feliciter opem illis ferente Deo, contra alienigenas pugnauit, occidendo tria millia. ANNI MVNDI.

Misit & Ionathas Romam atque Lacedæmona, vt renouarent fœdera cum Iudæis. Interea impar Ionathæ Tryphon amicitiam postulans, atque inuitatum Ptolomaidem Ionatham curauit portis clausis capi. Planxerunt itaque captiuum Iudæi, & luxit Israel luctu magno, cum Pontifex fuisset annis decem.

Suscepto Principatu loco fratris *Simon*, populo deferente misit pecuniam pro redemptione eius cum filiis Ionathæ. Quos simul accepta pecunia iussit necari. Itaque funus eius curat magnifice Simon: & sepulcrum parentibus ac fratribus pietatis ergo sumptuose exstruxit Erat hoc sepulcrum polito lapide ædificatum in Modin: cui septem aderant pyramides, circum quas statuerat columnas ingentes, & super eas arma ac naues sculptas, quæ poterant videri à nauigantibus in mari.

Occiso vero *Antiocho* Rege à Tryphone sibi regnum occupante: muniit Iudæam arcibus Simon, easque prouidit annona: Atque cum Demetrio egit, vt immunem dimitteret à tributis Iudæam per Tryphonem misere spoliatam. Cuius petitioni Rex facile annuit ac Iudæis pacem atque immunitatem concessit. Sicque anno Seleucidarum centesimo septuagesimo ablatum est iugum Gentium ab Israel: cœpitque populus Israel scribere in tabulis & gestis publicis, anno primo sub Simone summo Sacerdote, magno Duce & Principe Iudæorum. 3828.
Simon vero expugnauit primo Gazam, sed pepercit incolis, 3829.
quos ciuitate emisit. Cepit quoque deditione arcem Sion vige- 1. Mach. 13.
simo tertio die mensis secundi: & constituit vt omnibus annis agerentur hi dies cum lætitia. Muniuit vero montem templi, qui erat secus arcem, atque ibidem habitauit. Ioannem vero filium suum iam virilis ætatis creans ducem exercitus constituit habitare in Gazaris.

Demetrius vero in fines Mediæ progressus ad contrahenda 3830.
sibi auxilia, comprehenditur, atque ad Arsacem Persarum ac Medorum Regem ductus carceri fuit inclusus. Gaudebat itaque alta pace Iudæa, cum capta Ioppe fecisset introitum ad insulas Maris. Misit ergo Numenium & Antipatrum Lacedæmo- 1. Mach. 14.
na ad renouandum fœdus cum iis. Numenius vero Romam 3831.
profectus S.P.Q.R. clypeum aureum pondo minarum mille donauit. Itaque Iudæi Senatusconsulto appellati fuerunt, Amici & Socii & Fratres Romanorum. Simoni autem tabula ænea in arce à Iudæis fuit posita, cui res præclare ab ipso gestæ erant inscriptæ.

Porro *Antiochus* Demetrii filius collecto exercitu, vt paternũ

vindicaret sibi regnum, ex insulis litteras Simoni misit, per quas immunitates omnes, quas maiores eius populo Iudæorum cōcesserant, stabiliuit, & remisit quoq; tributa permittens Simoni in ditione sua, auro, argento, ære flando, feriundo potestatem: nempe cudendæ monetę propria nota. Concedens insuper Hierosolymæ libertatem, & ipsi Simoni omnia castra, quæ extruxerat. Itaque veniens in Syriam Antiochus persequitur Tryphonem, à magna exercitus sui parte derelictum: nec vult missum à Simone auxilium admittere, expostulans cum eo per Athenobium Legatum suum de captis per eum vrbibus. Interea Numenius Roma rediens habebat litteras ad diuersos Reges ac Præfectos prouinciarum nomine L. Calphurnii Pisonis Frugi Consulis conscriptas eiusdem tenoris: quarum exemplum transmissum fuit Simoni hæc continens:

## LVCIVS CONSVL ROMANVS PTOLOMÆO REGI. S.

Mach. 15. *LEGATI Iudaorum venerunt ad nos amici nostri, renouantes pristinam amicitiam & societatem, missi à Simone Principe Sacerdotũ & populo Iudaorum. Attulerunt autẽ & clypeum aureũ mnarũ mille. Placuit itaque nobis scribere Regibus & regionibus, vt non inferant illis mala, neque impugnent eos, & ciuitates eorum & regiones eorum: & vt non ferant auxilium pugnantibus aduersus eos. Visum est autem nobis accipere ab eis clypeum. Si qui ergo pestilentes fugerint de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni Principi Sacerdotum: vt vindicet in eos secundum legẽ suam* Scripta & hæc fuere Demetrio, Attalo, Arabæ, & Arsaci Regibus, & variis Græcorum & Asiaticorum populis.

Porro Antiochus Tryphonem insequens fugientem, Cendebæum misit in Iudæos: contra quem egressi Ioannes & Iudas maiores natu filii Simonis, cum exercitu viginti millium peditum, & equitibus aliquot prælio præualuerunt. Iuda vero vulnerato insecutus Ioannes fugientes, ex iis duo millia cæcidit, atque pacem regioni parauit.

Simon circuiens Iudæam à genero Ptolomæo Abobi filio,
3836. quem ducẽ in Iericho constituerat, exceptus conuiuio mense vndecimo trucidatus fuit cum duobus filiis suis, & aliquot famulis. Scripsitque Ptolomæus ad Antiochum pro auxiliis, pro-
Mach. 16. mittens se redditurum captas per Simonem socerum suum vrbes. Misit quoque qui Iohannem tollerent è medio: at hic eius admonitu occidit sui percussores.

Et post patrem, qui octo annis Pontificatum cum honore administrauerat, Pontifex fuit declaratus: præfuitque sacerdotio annis

annis triginta & vno. Cuius sermones, virtutes, bella, quæ fortiter gessit, & extructiones murorum scripta fuerunt in libro dierum sacerdotii eius: qui periit simul cum quinque libris Iasonis Cyrenæi, quibus continebantur, quæ à tempore Oniæ sacerdotis ad Iudæ Machabæi victoriam de Nicanore acciderant. Quorum epitomen Iudæi miserunt in Ægyptum anno decimo 3846. huius Pontificis: Inscribiturque liber secundo Machabæorum titulo.

Porro obsederat arcta obsidione Hierosolymam Antiochus, dictus propter religionem *Pius*; sed tradens illi Ioannes dictus cognomine Hyrcanus tria millia talentorum, quæ è Dauidis sepulcro protulerat, & fratrem obsidem dedit: atque ita pacem cũ Antiocho iniit: adiuuitq; eum contra Parthos eorumque ducẽ Indatem. Mortuo Antiocho subactis Idumæis misit Romam tres legatos, atque amicitiam renouauit cum S.P.Q.R. Hyrcano Pharisæorum secta male volebat, quod in conuiciantem sibi Eleazarum voluerit asperius animaduerti, cum Ionathas Saducæus ipsi in primis carus ei persuasisset de communi Pharisæorum sententia Eleazarum ipsi fuisse conuiciatum. Itaque abrogauit multas Pharisæorum constitutiones, quas illi a maioribus per manus acceptas populo obseruandas tradebant. Et vt ditiores stabant à partibus Saducæorum; ita Pharisæi multitudinis fauore præcipue nitebantur: quæ fidem eorum dictis maxime præstabat. Hyrcanus functus pontificatu ac principatu Iudæorum, & prophetia, mortuus est, exacta vita feliciter, atq; quinque filios relinquens sibi superstites.

Ex quibus *Aristobulus* maior natu, volens principatum in re- 3866.
gni formam conuertere; diadema sibi imposuit, centum annis *Ioseph.*
antequam Christus nasceretur. Assumpsit quoque Antigonum in societatem principatus. Quem necata matre postea etiam per liuorem calumniis dementatus interfici iussit. Cuius rei pænitenta ductus, gemitus à pectore ducens frequentius, efflauit animam, cum vno tantum anno regnans ditionem Iudæorum auxisset, & illo bello Ituræ eius habitatores coegisset se circũcidere.

Post eius obitum Salome eius vxor, Alexãdra nominata Græ- 3867.
cis, solutis eius fratribus, quos vinxerat, Ianneum, qui & ALEXANDER dictus fuit, Regem constituit, modestia insignem. Qui fratrem sibi insidiantem interfecit vnum, & alterum vita priuata contentum in honore habuit. Frustra tentauit Ptolomaidam, & infeliciter cum Ptolomæo Lathuro pugnauit desideratis triginta mille Iudæis: Atque exercente tantam crudelitatem Ptolomæo, vt pueros ac mulieres promiscue iugulatos, iusserit membratim concisos in feruentes lebetes coqui, vt crede-

rent

ANNI MVNDI. rent Iudæi suos vesci carnibus humanis. Verum Alexander ad Cleopatram munera deferens, ab ipsa in amicitiam receptus fuit. Gazam deinde inuadens mire sæuiit: & Iudæos quoque tumultuantes acerbe puniit; ita vt per sex annos ab illis bello vexatus non minus quam quinquaginta millia Iudæorum occiderit: octingētos iusserit suffigi crucibus, iugulatis prius in conspectu viuentium vxoribus ac liberis. Posthæc ex temulentia morbo contracto, ac febri quartana per triennium laborans, exhaustis viribus fato concessit, in finibus Gerasenorum, obsidens castellum Raga, anno regni sui vigesimo septimo, & ætatis quadragesimo nono. *Iosephus.*

3891. *Alexandra* eius vidua capto castello, rediens Hierosolymam, Pharisæos sibi reddens beneuolos, ac dicens se ex illorum arbitrio velle gubernare regnum, cuius administrationem maritus moriens sibi testamento reliquerat, cadauer viri quā sumptuosissime sepeliuit. Atque Pharisæorum consilio Hyrcanum maiorem natu filium constituens Pontificem, ipsa regnum administrabat, sanciens eas constitutiones à Pharisæis inductas, quas Hyrcanus socer abrogauerat, à populo rursus debere obseruari. Permisit exsulibus redire in patriam, & vinctos solui: atque supplicio affici eos, qui maritum sæuientem consilio iuuissent. Quod displicuit quam maxime Aristobulo filio natu minori, qui res nouas contra matrem moliri cœpit, cum ad eum magnus fieret populi concursus. Itaque occupatis locorum opportunitatibus totam dominationem ad se trahebat. Hyrcanus & seniores Iudæorum adeuntes Alexandram rogabant, vt aliquod rebus dubiis expediret consilium. At illa iam septuaginta tres annos nata exacto nouo regni anno, curis succumbens, moritur: postquam Hyrcanum omnium heredem instituerat. *Cæsar bello Gal. 2.*

3892. At post infelicem pugnam, pax inter fratres coiit, his condicionibus, vt Hyrcanus contentus pontificatu vitam ageret priuatā, & Aristobulus regnaret. Quod Antipatri Idumæo præpotenti displicuit; qui Hyrcani partes fouerat, & Aristobuli potentiam habebat suspectam. Hic ergo tandem persuasit Hyrcano, vt ad Aretam Regem Arabum fugeret. A quo accepta fide noctu Hierosolyma deduxit Pontificem Petrā ad Regem. Aretas precibus Antipatri & promissis Hyrcani permotus, expeditionem suscepit contra Aristobulum, ducens exercitum quinquaginta millium militum, ita vt cogeretur Aristobulus fugere Hierosolymam. Vbi Arabs cum Hyrcano eum cum sacerdotibus oppugnabant in templo. Cū Onias vir Deo carus è latebris eductus, vt diris deuoueret Aristobulum, sic precatus sit: *Deus vniuersi huius mundi Rex, quoniam & hi qui mecum stant, tuus sunt populus: & qui oppugnantur, tui sunt sacerdotes: precor vt neque hos con-* *Ioseph. Antiquit. 14. 3.*

*tra illos, neque illos contra hos orantes exaudias.* Quamobrem lapidibus obrutus fuit: itaque vastationem illam fructuum, quæ post breue tempus excitata fuit procella ventorum, imputatur cædi huius, atque perfidiæ Iudæorum. Certe talis fames subsecuta est, vt modius tritici veniret quindecim dragmis, hoc est, onus seu lasta ducentis & tribus florenis aureis cum semisse, probatissimæ antiquæ monetæ.

ANNI MVNDI.

Erat per hoc tempus *Cn. Pompeius* distentus bello, quod cum Tigrane Armeniæ Rege gerebat, miseratque Scaurum legatum in Syriam, qui cum in Iudæam properaret, ab vtriusque fratris legatis sollicitatus pro auxilio, prætulit Aristobuli amicitiam, cum ambo quadringenta talenta promisissent. Itaq; denuntiauit Aretæ vt cederet Iudæa; ni pareat, declarandus sit hostis populi Romani: atque Damascum reuertitur. Aristobulus vero cũ Areta ac fratre congressus, circiter septem millibus cæsis, inter quos Cæphalio Antipatri frater fuit, ad Cn Pompeium, qui Damascum venerat, misit dono vitem auream quingẽtorum talentorum per Nicodemum, cum illuc pro Hyrcano quoque veniret Antipater. Quos audiuit disceptantes, cum Antipater principatum vi ablatum assereret ab Aristobulo fuisse: Nicodemus eum ob ignauiam excidisse regno, nec dignum esse administratione, atque Aristobulum metuentem, ne principatus in aliam migraret familiam, illum necessario assumpsisse affirmaret. Põpeius hæc audiens iussit eos vtrimque quietos esse, comiter habens Aristobulum ficte, ne is alienatus ipsi intercluderet transitum in Iudæam. Quo cum legionibus ac Syrorum copiis auxiliaribus mouit: estq; ei obuiam apud Hiericũtem factus Aristobulus pacem petens, promittens etiam pecunias Hierosolymis numerandas. At cum Gabinius missus illic à præsidiariis vrbe excluderetur, Pompeius iratus eo duxit exercitum. Exorto vero dissidio de dedenda vrbe, cum Aristobulus seruaretur apud Põpeium, pars templum intrant ac muniunt: alii aperientes portas illum intra vrbem recipiunt. Itaque post tres menses vi in templum irruit, faciens stragem magnam, ad duodecim fere millium hominium. Captus tum Absalon patruus ac socer Aristobuli. Pompeius ad sancta vsque sanctorum templum ingressus à vasis, ornamentis, atque thesauris abstinuit. Hyrcano Pontificatum postridie restituit, atque Aristobulum secum Romam deduxit, cum duobus filiis, ac totidem filiabus: tradita Syria prouincia Scauro cum duabus legionibus. Sicq; discordia fratrum libertatem Iudæi amiserunt, subiecti deinceps Romano imperio: disiectis muris Hierosolymitanis. Profectus contra Aretam Arabiæ regem, acceptis intercessione Antipatri trecentis talentis, bellum Scaurus remisit.

*Eutropius lib 6. Hegesippus lib. 1. c. 17. Plin. 7. 26.*

At

ANNI MVNDI.

At Alexander Aristobuli filius è manibus Romanorum in itinere elapsus peruagando Iudęam exercitum decem millium peditum, & mille quingentorum equitum contraxerat, atque Alexandrium & Macheruntem castella munierat, vnde Hyrcanum patruum infestabat. Aduersus hunc Scauro reuocato missus fuit A. Gabinius à Senatu populoque Romano, qui præmisso M. Antonio & Antipatri auxilius vsus prœlio secundo, & sic obsesso Alexandrio petiit per legatos Alexander sibi condonari reddendo omnia castella. Itaque reduxit Hierosolymam Hyrcanum Pontificem Gabinius, & formam Reipublicæ Iudæorum mutauit, constituens quinque conuentus iuridicos. Quorum vnus erat Hierosolymæ, alter Doris, tertius Amathunte, quartus Hiericone, quintus Sephoris Galilææ.

## GRÆCIA.

Cum *Critolaus* Legatos populi Romani violasset, bellum Achaicum exortum fuit. Q. Cæcilius Metellus cum Achæis, Bœtiis, ac Chalcidensibus ad Thermopylas bello conflixit. Quibus victis dux eorum Critolaus veneno sibi mortem consciuit: & in locum eius Dracus Dux creatus ad Isthmon à L. Mummio Cōsule victus est: qui omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex Senatuconsulto diruit: quia ibi legati Romanorum violati erant. Thebæ quoque & Chalcis, quæ auxilio fuerant, dirutæ. Nihil ex opibus ornamentisque, quæ prædiues Corinthus habuit, in domum Mummii venit. Cum vero triumpharet, signa ærea, marmoreaque, & tabulas pictas in triumpho tulit. Quamuis tam rudis esset, vt cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas Corintho in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, nouas eos reddituros. Deuictæ Gentis à se cognomine fuit honoratus, vt *Achaicus* appellaretur. Nec quisquam ex nouis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicauit.

1840. CARNEADES Philocomi F. Cyrenæus Nouæ Academiæ auctor, Chrysippi Stoici vsque studiosus, vt dicere solitus sit: *nisi Chrysippus esset, non essem ego.* Phthisi laborans cum audisset Antipatrum veneno hausto defunctum, accepto mulso etiam mortuus est, Olympiade centesima sexagesima secunda, anno quarto, cum vixisset annos octoginta quinque. Relinquens successorem in Academia Clitomachum Carthaginensem, qui eius dicta maxime illustrauit literis, cum vltra quadraginta volumina scriberet.

## GALLIA.

Legati Transalpini à Balano Regulo Gallorum Romam venerunt,

nerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia Gratiæ à Senatu actæ, muneraque missa: torquis aureus duo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria. ANNI MVNDI.

*L. Cassius* Consul à Tigurinis Gallis pago Heluetiorum, qui à ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites qui ex ea clade supererant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, vt incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt. 3860.

*Marius* non ausus statim cógredi cum hoste, militem tenuit in castris, donec inuicta illa rabies & impetus, quem pro virtute Barbari habent, consenesceret. Recessere igitur increpantes, & Romanos interrogantes, quid ad Vxores suas mandarent, tanta enim illis erat fiducia capiendæ vrbis. Tripartito igitur agmine per Alpes incedebant. *Marius* statim velocitate occupatis compendiis, præuenit hostem, prioresque Theutones sub ipsis Alpium radicibus consecutus, ad Aquas Sextias eos prœlio oppressit. Rex Teutobochus adscenso equo fugiens, proximo in saltu comprehensus, insigne spectaculum triumphi fuit: quippe vir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat. Sublatis igitur funditus Theutonibus, in Cimbros conuersus est. Hi per hyemem, quæ altius Alpes leuat, Tridentinis iugis in Italiam prouoluti ruina descenderant. Athesim flumen non ponte, nec nauibus, sed ingesta obrutum silua transiliuere. Et si statim infesti vrbem petiissent, grande discrimen fuisset: sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli cælique clementia robur elanguit. Ad hoc panis vsu, carnisque coctę & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est.

*Cn. Potitius* Prætor Allobroges, qui rebellauerant, ad Solonem domuit.

*Diuitiacus* totius Galliæ potentissimus apud Suessiones magnam partem regionum Belgicarum, atque etiam magnæ partis Britanniæ imperium obtinet. Cui successit *Galba* Rex, qui habebat opida numero duodecim: propter iustitiam & prudentiā tantus habitus, vt ad eum summa belli, quod cum C. Cæsare erat gerendum, omnium voluntate deferretur. Ad quod illę polliceri dicebatur armatorum 50000: totidem Neruii: 15000 Atrebates: Ambiani 10000. Morini 15000. Menapii 7000. Caleti 10000. Bellocasses & Veromandui totidem, Catuaci 24000. Coudrusi, Eburones Cæresi & Peruani 40000. *Cæsar Belli Gallici l. 2.*

## HISPANIA.

*Viriatus* in Hispania ex pastore venator, & ex venatore latro, atque

ANNI MVNDI.

atque mox dux iusti exercitus factus, vniuersam Lusitaniam occupauit L. Vetilium Prętorem fuso eius exercitu cepit, & C. Plaucio Prætore infeliciter rem gerente, Consulari duce & exercitu aduersus Viriatum opus fuit. Q. Cæcilius Metellus Proconsul Celtiberos cæcidit. A Q. Fabio Proconsule pars maxima Lusitaniæ expugnatis multis vrbibus recepta fuit. Sed labem rebus feliciter gestis imposuit, pace cum Viriato æquis condicionibus facta. Qui consilio Seruilij Cæpionis à proditoribus interemptus est: & ab exercitu eius nobilissime tumulatus. Dux maximus, qui per quatuordecim annos sæpe victor, cum populo Romano bellum gessit.

Q. Pompeius Consul Termestinos in Hispania subegit, sed cum iisdem & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit.

*Iunius Brutus* in Hispaniis iis, qui sub Viriato militauerant, agros opidumque dedit, quod Valentia dictum est. M. Popilius à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est. Triginta millia Romanorum à quater mille Numantinis victa erant. Cumque spes nulla esset castris exuto seruandi exercitum, pacem ignominiosam cum Numantinis fecit, quam ratam esse Senatus vetuit. Ferunt conscendenti in nauim, vt in Hispaniam proficisceretur, vocem dixisse: *Mane, mane Mancine.*

D. *Iunius Brutus* Lusitaniam vrbium expugnationibus vsque ad Oceanum domuit: & cum fluuium Obliuionem transire nollent, raptum à signifero signum ipse transtulit: & sic, vt transirent, persuasit exercitui. Itaque in vlteriore Hispania feliciter aduersus Gallecios pugnauit. Sed dissimili euentu M. Æmilius Lepidus Proconsul aduersus Vaccæos rem gessit, cladem magnam passus. Ad exsoluendum religione Numantini fœderis populum, Mancinus, cum huius auctor fuisset, deditus Numantinis minime est receptus.

## ITALIA.

*Diodorus Siculus apud Photium L. Florus lib. 3. c. 19.*

Eunus seruus, *natione Syrus, contracta agrestium manu, & solutis ergastulis iusti exercitus numerum impleuit.* Cleon *quoque alter seruus ad septuaginta millia seruorum contraxit, & copiis iunctis contra populum Romanum bellum susceperunt. Captaque sunt castra Pratorum Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsæi: quos profugos ipsi serui sequebantur. Tandem Perpenna Imperatore supplicium de iis sumptum est. Hic enim victos & apud Ennā nouissime obsessos, cum fame quasi pestilentia consumpsisset; reliquias latronum compedibus, cathenis religauit, crucibusq; puniuit. Fuitq; de seruis ouatione contentus, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione violaret.*

P. Mu-

P. Mutius Scævola I. C. & M. Iunius Brutus *atque* M. Manilius, *eiusq́; discipulus* P. Rutilius Rufus *cum* Scauro Vigellio, *libris iuris conscriptis, nunc claruerunt: quibus Q. Ælius Tubero, Sext. Pompeius Cn. Pompei patruus, qui ad cognitionem iuris ciuilis perfectam Geometriæ & Philosophiæ Stoicæ scientiam contulit, L. Cælius Antipater I. C. & Historicus, eiusque discipulus P. Licinius Crass. Mutianus.* ANNI MVNDI. *Valentinus Forsterus lib. 2. Iuris Ciuilis Rom.*

Q. Mutius Scæuola P. *Mutij filius, Pontifex Maximus Ius ciuile in octodecim libros redigendo constituit. Quem C. Marij iussu occisum in Tiberim proiectum esse scribit Appianus. Ad hunc, cum summus Orator Seruius Sulpicius ad consulendum de re amici, venisset, nec sibi respondentem de iure Seruius intellexisset: obiurgando ei dixit:* Turpe esse Patricio caussas oranti, ius, in quo versaretur, ignorare. *Qua contumelia tractatus Seruius mox iuri operam dedit: praeceptoresq́; habuit C. Aquilium Gallum, L. Lucilium Balbum, & Sext. Papyrium Iurisconsultissimos. Quos etiam eruditione ac iuris scientia superauit.*

Anthonius *Prætor in Sicilia maritimos prædones persecutus est.*

*Timor grandis Romæ fuit: ergo Mario secundum facto Consule bellum contra Cimbros & Theutones decretum est.*

M. Scaurus M. F. *priuignus L. Cornelij Sullæ in ædilitate sua mores ciuiles maxime prostrauit, æternitatis destinatione fieri curans Theatrum, cuius cauea erat octoginta millium hominum capax. Scena ei triplex in altitudinem trecentarum & sexaginta columnarum.*

*Ima pars scenæ è marmore erat; media è vitro; summa tabulis inauratis columnæ: imæ triginta octo pedum. Signa ærea inter columnas ter mille numero. Tabulæ pictæ, Attalicæ vestes pluris HS. S. M. æstimata.*

## GERMANIA.

Cimbri & Theutones ab extremis Germaniæ oris profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto orbe quærebant. Sexcentesimum & quadragesimum annum Roma agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papyrio Carbone Coss. 3854. *L. Florus lib. 3. c. 3.*

*M. Iunius Silanus* Consul aduersus Cimbros infeliciter pugnat. Legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus considerent, petentibus Senatus negauit. 3858.

*M. Aurelius Scaurus* Legatus, Consulis à Cimbris fuso exercitu captus est. Et cum in concilium ab iis euocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos minime vinci posse, à Belo Rege feroce iuuene occisus est.

ANNI MVNDI.

Ab iisdem hostibus C. Manilius primum, deinde Q. Seruilius Cæpio Coss. victi prælio castrisque exuti sunt. Octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani iussionem Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt.

*Ariouistus* Rex Germanorum ad Sequanis auxiliandum contra Heduos accersitus mercede conductis Germanis tertiam partem agri Sequani, qui optimus est totius Galliæ, occupauit. Euocatisque Harudum viginti quatuor millibus Germanis, etiam illis sedem ac locum volebat parari, superbeatque crudeliter imperans, homo Barbarus, iracundus, temerarius.

## ITALIA.

*Incenso Romæ Capitolio libri Sibyllini conflagrarunt, quos restituto post septem annos Capitolio P. Gabinius, M. Octacilius & L. Valerius ex S.C. Erythras missi ad mille versus à priuatis scriptos Romam deferentes eosdem restaurarunt.*

Plin. 36. 15. C. Curio *nihil in censu habens præter discordiam Principum, Cæsarianas partes secutus funebri munere patris sui Theatra duo iuxta fecit amplissima, è ligno cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus vtrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese auersis, ne inuicem obstreperent scenæ, & repente circumactis vt contrastarent, postremo iam die discindentibus tabulis & cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populo Rom. circumferens, sedentem in tam infida instabilique sede.*

*Florebant nunc* M. VARRO *multiformibus eminens disciplinis, & in vetustatis indagatione curiosus vrinator.* Q. Hortensius & M. Tullius Cicero *summi oratores. Quorum ille tanta erat memoria, vt quæ domi meditando commentatus esset, verbis iisdem sine scripto pronuntiaret in foro: hic Græcos imitando videbatur effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, atque iucunditatem Isocratis. Siue accusaret Verrem, Catilinam ac M. Antonium: siue defenderet Milonem aliosque complures. Philosophiam quoque non infeliciter tractauit; vt apud posteros consecutus sit, quod Cicero iam non hominis nomē, sed eloquentia habeatur. Quare ille in litteris se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Huic eloquentia proximus* C. Cæsar *fuisse perhibetur.* C. Crispius Sallustius *conscribendo & nunc historiam se non inferiorem Theucydide ostendit. Antiquorum verborum studiosior: vt etiam* Lucretius, *qui Epicuri Philosophiam carmine Poeta explanauit. Mollior eo* Catullus, *cuius iambi acerbitatem ostendunt.*

Seruius

Seruius Sulpicius *in iure quoque excelluit, cum ei Scæuola dixiſſet turpe eſſe viro Patricio ius ignorare, in quo quotidie verſaretur.* ANNI MVNDI.

Dionyſius Halicarnaſſeus, *Varronis vſus conſilio, res Romanorum perdiligenter & copioſe Græcis literis conſcripſit.*

Diodorus *quoque Siculus, ex Agyrio vrbe Siciliæ ortus, peragratis varijs mundi partibus, & excuſſis omnium populorum commentarijs, per diuerſas ætates res geſtas in orbe, libro Bibliothecæ nomine dato, enarrauit.*

Pomponius *deniq; Atticus memoriam ſeptingentorum annorum vno libro compendioſe contraxiſſe refertur.*

M. Brutus *nullius diſciplinæ Philoſophiæ ignarus Platonis excelluit: & nouam ac mediam Academiam linquens, veterem fouit. Latine facundiam militarem, belloq; accommodatam exercuit. Græcum vero dicendi genus graue ac ſententioſum, & Laconum breuitatem quodammodo imitatus eſt.*

*Per hæc tempora* M. Tullius Cicero *vir nouitatis nobiliſſimæ, vt ingenio maximus ita vita clarus cum Gn. Antonio Conſule, Sergij Catilinæ; qui bis in petitione Conſulatus repulſam erat paſſus; P. Cornelij Lentuli Conſularis & Prætoris iterũ, Cethegi aliorumq; coniurationem ſingulari virtute, conſtantia, vigilia, curaque eruit. Catilina metu Conſularis imperij vrbe pulſus, Lentulus, Cethegus alijque clari viri auctore Senatu, iuſſu Conſulis in carcere necati ſunt. C. Iulius Cæſar alijque ex ſenatu, cum ſuaderent, vt per municipia Lentulus coniuratique cuſtodirentur; pæne inter vltimos interrogatus ſententiam M. Cato, Tribunus plebis deſignatus, adhuc admodum adoleſcens, tanta vi animi atque ingenij inuectus eſt in coniurationem, vt ardore oris orationum omnium lenitatem ſuadentium, ſocietate conſilij ſuſpectam fecerit: ſic impendentia ex ruinis incendijsq; vrbis & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit; ita Conſulis virtutem amplificauit: vt vniuerſus Senatus in eius ſententiam tranſiret, animaduertendumque in coniuratos cenſeret, atque maior pars eius ordinis Catonem domum proſequeretur. At Catilina non ſegnius vota obijt, quam ſceleris conandi conſilia inierat: quippe dimicans fortiſſime contra C. Antonium Protonſulem, quem ſpiritum ſuppiicio debuerat, prœlio reddidit.* 3904. Sall. in coniurat. Catilinæ.

*Cum antea* Gn. Pompeius Magnus *primum ex Africa, ſecundum ex Europa triumphaſſet; nunc tertium de Aſia triumphũ duxit, pridie Kalendas Octobris, ipſo die natalis ſui, M. Meſſalla, & M. Piſone Coſs. cuius præfatio hæc fuit:* Cum oram Maritimam à Prædonibus liberaſſet, & imperium maris P. Ro. reſtituiſſet, ex Aſia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, Inſula Creta, Baſternis. Et ſuper hæc de Regibus Mithridate atque Tigrane triumpha- 3906. Plutarch. in Pomp.

ANNI MVNDI.

uit Praterea notabantur castella non pauciora mille capta: Ciuitates nongenta: Piratica naues octingenta: Vrbes prasidiis Romanis armata triginta nouem. His addebantur tributa vrbis Roma ante hoc bellum tantum fuisse quinquagies decentena millia: cum his vero qua populus Romanus ipse quasiuit, octuagies & quinquies decies centena millia. Insuper in ararium vasa, aurum argentumque signatum ad viginti millia talentorum. Legatis & quastoribus, qui oras maris defendissent data sunt H.S. bina millia, prater qua militibus sunt diuisa: quorum qui minus accepit, mille & quingentos areos tulit. Captiui post Principes Piratarum in triumpho ducti: Tigranis Armenij filius cum vxore filiaque ipsius Regis: Tigranis Cosmia coniux: Rex Iudaorum Aristobulus: Mithridatis soror cum liberis quinque: Schytarum multa mulieres: obsides Albanorum, Iberorum, & Regis Commagenorum trophaa quoque quam plurima notata: omnia praeliorum munera aque, qua se duce aut per legatos adeptus esset. Quadragesimum atatis annum tum attingebat Pompeius. Eius vero victoria

Plin.l.37. cap.2. primum Roma animos ad gemmas margaritasque inclinauit. Nam & eius imago deferebatur è margaritis. Musaeum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat: Alueus cum tesseris lusoriis è gemmis duabus. Corona ex margaritis triginta & tres Signa aurea tria; Mineruæ, Martis, & Apollinis. Luna aurea pondo triginta. Lecti tricliniares tres. Vasa ex auro & gemmis abacorum nouem. Mons aureus quadratus cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Sic vt videbatur caput Orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum. Porro L. Lucullus, & Q. Metellus Creticus memores accepta iniuria cum parte Optimatum refragabantur, ne aut promissa ciuitatibus à Pompeio, aut bene meritis pramia ad arbitrium eius persoluerentur. Cato quoque aduersus petentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actisque eius obstrepere. Quem dolor ad prasidia dignitatis paranda impulit. M. Crassus genere, diuitiis, dignitate florebat: C. Casar eloquentia, spiritu, affinitate Pompeij (nupserat enim illi Iulia Casaris filia) atque etiam Consulatus alleuabatur. Pompeius tamen super vtrumque eminebat. Casar, qui apud

3908. amitam Iuliam Marij coniugem fuerat educatus (vnde ei amor plebeia factionis) Leges Agrarias suasore genero Pompeio maxima contentione, inuito Senatu, & altero Consule M. Bibulo tulerat. De-

3909. inde dignitatem nitens comparare, in Galliam prouinciam profectus Heluetios quarentes nouas sedes Orgetorige duce magnis praeliis bis vicit, victosqu e se dedere coegit. Casis enim quadraginta septem millibus, cateri ad numerum centum & decem millium vtriusque sexus in terras proprias remissi fuerunt. Deinde Ariouistum Germanorum Regem in Gallias irrumpentem, atque secum ducentem Harudes, Marcomannos, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Eduros & Sueuos, ex Sequanorum agris expulit: Ariouisto nauicula per

Rhenum

Rhenum elapso, amissis duabus vxoribus, ac filia vna, altera capta. Suenos, qui ad ripam Rheni venerant, recedentes domum, Vbij magna ex parte occiderunt. Belgæ deinde ab illo prælio victi, atque in deditionem recepti: præter Neruios, quos pæne deleuit, dum ex sexagies mille militibus quingenti superessent: & ex sexcentis Senatoribus tres tantummodo euaderent. Qua re nuntiata Aduatici se quoque dediderunt ficte: quorum opidi sectionem Cæsar vendidit Et ab his qui emerant, capitum numerus ad eum relatus est quinquagies ter mille. Veneti, Osisini, aliæque ciuitates maritimæ in potestatem populi Romani à P. Crasso fuere redactæ. Sed Sergius Galba cum apud Octodurum Veragrorum vicum cum legione duodecima, atque equitatus parte consedisset, atque à Veragris & Sedunis oppugnaretur; ex triginta millibus eorum circiter decem millia cæcidit. Atque victis in Alpibus Sedunis legionem ad hyemandum in Allobroges perduxit. Mox Veneti ac proximi Oceano populi nouum excitant bellum, quos Cæsar naualibus prælis ad deditionem coegit. P. quoque Crassus ab eo in Aquitaniam missus ex 50000. numero, qui ex Aquitania ac Cantabris conuenerant, vix quarta parte relicta, se maxima pars Aquitaniæ vltro dedidit, obsidesque misit. Cæsare quoque mouente in Morinos Menapiosque: illi se suaque omnia contulerunt in continentes siluas atque paludes; vnde eruptionibus Cæsaris militem infestabant. Interea M. Tullius Cicero, qui ob legem à Clodio latam exularat, virtute atque actione T. Annij Milonis Tribuni plebis patriæ dignitatique restitutus est. Idem P. Clodius sub honestissimo titulo Catonem à Republica ablegauerat, lege lata, vt ille Quæstor cum iure Prætorio, adiecto etiam Quæstore mitteretur in Cyprum, ad spoliandum regno Ptolomæum, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum, quo hausto veneno voluntaria morte sublato insula facta est tributaria, tanta multiplici fertilitate rerum omnium abundans, vt nullius adminiculi externi indigens, indigenis materiis ac viribus ab ipso carinæ fundamento ad vsque supremos carbasos ædificet nauem onerariam, omnibusque armamentis instructã mari committat. Quare diuenditis rebus Ptolomæi pecuniam sperata longe maiorem Romam detulit. Quam tanta cura seruabat, vt naue non ante egrederetur, quamuis Consules ac Senatus ei exirent obuiã, quam eo peruenerat, vbi pecunia esset exponenda. Ea in expeditione vnam tantum Zenonis statuam non vendidit, quia erat Philosophi: non ære captus nec arte. Plin. 34. 8.

Cn. Pompeio Consuli creato Hispania prouincia in quinquenniũ assignatur. M. Licinio Crasso itidem Consuli facto Syria & bellũ Parthicum deinde committuntur. Et C. Cæsari Galliæ imperium in aliud quinquẽnium prorogatur. Sicque tribus exercitibus a tribus maximis Imperatoribus societate iunctis orbis imperium occupabatur. Crassum transgressum Euphratem, petentemque Seleuciam, circum- 3912.

ANNI MVNDI. fœdus tabulis æreis inscriptum reportarunt: quo vt mutuo se adiuuarent contra hostes erat cautum.

1. Mach. 8. Interea *Demetrius* reparatis auctisque copiis Bacchidem & Alcimum in Iudæam remittit: aduersus quos dum strenue dimi-
3810. cat, Iudas Machabæus cecidit, fugientibus ceteris. Syri cruente
1. Mach. 9. admodum vsi sunt victoria, cum etiam fames infestaret regionem. Itaque tanta fuit tribulatio, qualis non fuit ex die illa, qua visus non est Propheta in Israel. Iudæi vero in locum Iudæ fratrem eius IONATHAN deligunt in ducem. Qui cum Simone fratre fugiens Bacchidem in deserto Thecuæ consedit ad aquam lacus Asphar: & ob mortem fratris Ioannis ex insidiis aggressus filios Iambri vindicauit fraternum sanguinem, & de Bacchidis exercitu cæcidit mille viros. Itaque ille munitis aliquot locis infestabat Iudæos.

3811. Mense secundo anni Seleucidarum centesimi quinquagesimi
1. Mach. 9. tertii præceperat Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera Prophetarũ, sicq; percussus paralysi mortuus est cum magno cruciatu. Videns vero Bacchides Alcimum mortuum reuersus est ad Regem: gauisaque Iudæa sic est biennio quiete.

Deinde reuersus Bacchides ac victus à Ionathan, pacem iniit reddendo captiuos, & omnia quæ bello erant rapta.

Interea Alexandro Antiochi nobilis filio occupante Ptolomaida conatur Demetrius fœdus ferire cum Ionatha plurima pollicendo: at ille oblatam Alexandri amicitiã prætulit vanis Demetrii promissis. Porro postquam cecidit Demetrius Ionathas Ptolomaidam veniens ad nuptias Alexandri, purpura induitur, atque fit dux eius ac particeps Principatus. Sicque quinquennio pace fruebantur Iudæi: Ionatha reuerso Ierusalem. Qui post hæc Demetrii iunioris ducem Apollonium deuicit, cepitq; deditione Ioppen: cepit etiam Azotum atq; incendit, sic vt perierint circiter octies mille. Donauit itaque bulla Regia eum Alexander, & Azoto opido cum omnibus finibus eius in possessionem. Deinde mortuo Alexandro obsedit Ionathas arcem Sion, quod cum delatum esset ad Demetrium, accessit euocatus ad eum Ptolomaidem, impetrauitque libertatem Iudęæ, tribus Toparchiis, Samariæ & locis finitimis trecentis talentis. Cumque dimissus à Demetrio exercitus conspiraret aduersus eum, missi tria millia militum à Ionatha illi auxilio, mouentibus Antiochenis seditionem, occiderunt 100000. hominum defendendo Regem. Sed immemor tanti beneficij Demetrius vexabat Iudæos. Verum mox deuictus ab Tryphone, qui regnum asserunt Alexandri filio Antiocho.

Hic *Antiochus* rerum potitus, fœdus iniit cum Ionatha, qui

cum

cum Simone fratre, feliciter opem illis ferente Deo, contra alienigenas pugnauit, occidendo tria millia. ANNI MVNDI.

Misit & Ionathas Romam atque Lacedæmona, vt renouarent fœdera cum Iudæis. Interea impar Ionathæ Tryphon amicitiam postulans, atque inuitatum Ptolomaidem Ionatham curauit portis clausis capi. Planxerunt itaque captiuum Iudæi, & luxit Israel luctu magno, cum Pontifex fuisset annis decem.

Suscepto Principatu loco fratris *Simon*, populo deferente misit pecuniam pro redemptione eius cum filiis Ionathæ. Quos simul accepta pecunia iussit necari. Itaque funus eius curat magnifice Simon: & sepulcrum parentibus ac fratribus pietatis ergo sumptuose exstruxit Erat hoc sepulcrum polito lapide ædificatum in Modin: cui septem aderant pyramides, circum quas statuerat columnas ingentes, & super eas arma ac naues sculptas, quæ poterant videri à nauigantibus in mari.

Occiso vero *Antiocho* Rege à Tryphone sibi regnum occupante: muniit Iudæam arcibus Simon, easque prouidit annona: Atque cum Demetrio egit, vt immunem dimitteret à tributis Iudæam per Tryphonem misere spoliatam. Cuius petitioni Rex facile annuit ac Iudæis pacem atque immunitatem concessit. Sicque anno Seleucidarum centesimo septuagesimo ablatum est iugum Gentium ab Israel: cœpitque populus 3828.
Israel scribere in tabulis & gestis publicis, anno primo sub Simone summo Sacerdote, magno Duce & Principe Iudæorum. Simon vero expugnauit primo Gazam, sed pepercit incolis, 3829.
quos ciuitate emisit. Cepit quoque deditione arcem Sion vige- 1. Mach. 13.
simo tertio die mensis secundi: & constituit vt omnibus annis agerentur hi dies cum lætitia. Muniuit vero montem templi, qui erat secus arcem, atque ibidem habitauit. Ioannem vero filium suum iam virilis ætatis creans ducem exercitus constituit habitare in Gazaris.

Demetrius vero in fines Mediæ progressus ad contrahenda 3830.
sibi auxilia, comprehenditur, atque ad Arsacem Persarum ac Medorum Regem ductus carceri fuit inclusus. Gaudebat itaque alta pace Iudæa, cum capta Ioppe fecisset introitum ad insulas Maris. Misit ergo Numenium & Antipatrum Lacedæmo- 1. Mach. 14.
na ad renouandum fœdus cum iis. Numenius vero Romam 3831.
profectus S.P.Q.R. clypeum aureum pondo minarum mille donauit. Itaque Iudæi Senatusconsulto appellati fuerunt, Amici & Socii & Fratres Romanorum. Simoni autem tabula ænea in arce à Iudæis fuit posita, cui res præclare ab ipso gestæ erant inscriptæ.

Porro *Antiochus* Demetrii filius collecto exercitu, vt paternū

vindicaret sibi regnum, ex insulis litteras Simoni misit, per quas immunitates omnes, quas maiores eius populo Iudæorum cõcesserant, stabiliuit, & remisit quoq; tributa permittens Simoni in ditione sua, auro, argento, ære flando, feriundo potestatem: nempe cudendæ monetę propria nota. Concedens insuper Hierosolymæ libertatem, & ipsi Simoni omnia castra, quæ extruxerat. Itaque veniens in Syriam Antiochus persequitur Tryphonem, à magna exercitus sui parte derelictum: nec vult missum à Simone auxilium admittere, expostulans cum eo per Athenobium Legatum suum de captis per eum vrbibus. Interea Numenius Roma rediens habebat litteras ad diuersos Reges ac Præfectos prouinciarum nomine L. Calphurnii Pisonis Frugi Consulis conscriptas eiusdem tenoris: quarum exemplum transmissum fuit Simoni hæc continens:

## LVCIVS CONSVL ROMANVS PTOLOMÆO REGI. S.

*Mach. 15.* L*EGATI Iudæorum venerunt ad nos amici nostri, renouantes pristinam amicitiam & societatem, missi à Simone Principe Sacerdotũ & populo Iudæorum. Attulerunt autẽ & clypeum aureũ mnarũ mille. Placuit itaque nobis scribere Regibus & regionibus, vt non inferant illis mala, neque impugnent eos, & ciuitates eorum & regiones eorum: & vt non ferant auxilium pugnantibus aduersus eos. Visum est autem nobis accipere ab eis clypeum. Si qui ergo pestilentes fugerint de regione ipsorum ad vos, tradite eos Simoni Principi Sacerdotum: vt vindicet in eos secundum legẽ suam* Scripta & hæc fuere Demetrio, Attalo, Arabæ, & Arsaci Regibus, & variis Græcorum & Asiaticorum populis.

Porro Antiochus Tryphonem insequens fugientem, Cendebæum misit in Iudæos: contra quem egressi Ioannes & Iudas maiores natu filii Simonis, cum exercitu viginti millium peditum, & equitibus aliquot prælio præualuerunt. Iuda vero vulnerato insecutus Ioannes fugientes, ex iis duo millia cæcidit, atque pacem regioni parauit.

Simon circuiens Iudæam à genero Ptolomæo Abobi filio,
3836. quem ducẽ in Iericho constituerat, exceptus conuiuio mense vndecimo trucidatus fuit cum duobus filiis suis, & aliquot famulis. Scripsitque Ptolomæus ad Antiochum pro auxiliis, promittens se redditurum captas per Simonem socerum suum vr-
*Mach. 16.* bes. Misit quoque qui Iohannem tollerent è medio: at hic eius admonitu occidit sui percussores.

Et post patrem, qui octo annis Pontificatum cum honore administrauerat, Pontifex fuit declaratus: præfuitque sacerdotio annis

annis triginta & vno. Cuius sermones, virtutes, bella, quæ fortiter gessit, & extructiones murorum scripta fuerunt in libro dierum sacerdotii eius: qui periit simul cum quinque libris Iasonis Cyrenæi, quibus continebantur, quæ à tempore Oniæ sacerdotis ad Iudæ Machabæi victoriam de Nicanore acciderant. Quorum epitomen Iudæi miserunt in Ægyptum anno decimo huius Pontificis: Inscribiturque liber secundo Machabæorum titulo. ANNI MVNDI. 3846.

Porro obsederat arcta obsidione Hierosolymam Antiochus, dictus propter religionem *Pius*; sed tradens illi Ioannes dictus cognomine Hyrcanus tria millia talentorum, quæ è Dauidis sepulcro protulerat, & fratrem obsidem dedit: atque ita pacem cũ Antiocho iniit: adiuuitq; eum contra Parthos eorumque ducẽ Indatem. Mortuo Antiocho subactis Idumæis misit Romam tres legatos, atque amicitiam renouauit cum S.P.Q.R. Hyrcano Pharisæorum secta male volebat, quod in conuiciantem sibi Eleazarum voluerat asperius animaduerti, cum Ionathas Saducæus ipsi in primis carus ei persuasisset de communi Pharisæorum sententia Eleazarum ipsi fuisse conuiciatum. Itaque abrogauit multas Pharisæorum constitutiones, quas illi a maioribus per manus acceptas populo obseruandas tradebant. Et vt ditiores stabant à partibus Saducæorum; ita Pharisæi multitudinis fauore præcipue nitebantur: quæ fidem eorum dictis maxime præstabat. Hyrcanus functus pontificatu ac principatu Iudæorum, & prophetia, mortuus est, exacta vita feliciter, atq; quinque filios relinquens sibi superstites.

Ex quibus *Aristobulus* maior natu, volens principatum in regni formam conuertere; diadema sibi imposuit, centum annis antequam Christus nasceretur. Assumpsit quoque Antigonum in societatem principatus. Quem necata matre postea etiam per liuorem calumniis dementatus interfici iussit. Cuius rei pœnitenta ductus, gemitus à pectore ducens frequentius, efflauit animam, cum vno tantum anno regnans ditionem Iudæorum auxisset, & illo bello Ituræ eius habitatores coegisset se circũcidere. 3866. *Iosephus.*

Post eius obitum Salome eius vxor, Alexãdra nominata Græcis, solutis eius fratribus, quos vinxerat, Ianneum, qui & ALEXANDER dictus fuit, Regem constituit, modestia insignem. Qui fratrem sibi insidiantem interfecit vnum, & alterum vita priuata contentum in honore habuit. Frustra tentauit Ptolomaidam, & infeliciter cum Ptolomæo Lathuro pugnauit desideratis triginta mille Iudæis: Atque exercente tantam crudelitatem Ptolomæo, vt pueros ac mulieres promiscue iugulatos, iusserit menbratim concisos in feruentes lebetes coqui, vt crederent 3867.

ANNI MVNDI. rent Iudæi suos vesci carnibus humanis. Verum Alexander ad Cleopatram munera deferens, ab ipsa in amicitiam receptus fuit. Gazam deinde inuadens mire sæuiit: & Iudæos quoque tumultuantes acerbe puniit; ita vt per sex annos ab illis bello vexatus non minus quam quinquaginta millia Iudæorum occiderit: octingētos iusserit suffigi crucibus, iugulatis prius in conspectu viuentium vxoribus ac liberis. Posthæc ex temulentia morbo contracto, ac febri quartana per triennium laborans, exhaustis viribus fato concessit, in finibus Gerasenorum, obsidens castellum Raga, anno regni sui vigesimo septimo, & ætatis quadragesimo nono.

*Iosephus.*

3891. *Alexandra* eius vidua capto castello, rediens Hierosolymam, Pharisæos sibi reddens beneuolos, ac dicens se ex illorum arbitrio velle gubernare regnum, cuius administrationem maritus moriens sibi testamento reliquerat, cadauer viri quā sumptuosissime sepeliuit. Atque Pharisæorum consilio Hyrcanum maiorem natu filium constituens Pontificem, ipsa regnum administrabat, sanciens eas constitutiones à Pharisæis inductas, quas Hyrcanus socer abrogauerat, à populo rursus debere obseruari. Permisit exsulibus redire in patriam, & vinctos solui: atque supplicio affici eos, qui maritum sæuientem consilio iuuissent. Quod displicuit quam maxime Aristobulo filio natu minori, qui res nouas contra matrem moliri cœpit, cum ad eum magnus fieret populi concursus. Itaque occupatis locorum opportunitatibus totam dominationem ad se trahebat. Hyrcanus & seniores Iudæorum adeuntes Alexandram rogabant, vt aliquod rebus dubiis expediret consilium. At illa iam septuaginta tres annos nata exacto nouo regni anno, curis succumbens, moritur: postquam Hyrcanum omnium heredem instituerat.

*Cæsar bello Gal. 2.*

3892. At post infelicem pugnam, pax inter fratres coiit, his condicionibus, vt Hyrcanus contentus pontificatu vitam ageret priuatā, & Aristobulus regnaret. Quod Antipatri Idumæo præpotenti displicuit; qui Hyrcani partes fouerat, & Aristobuli potentiam habebat suspectam. Hic ergo tandem persuasit Hyrcano, vt ad Aretam Regem Arabum fugeret. A quo accepta fide noctu Hierosolyma deduxit Pontificem Petrā ad Regem. Aretas precibus Antipatri & promissis Hyrcani permotus, expeditionem suscepit contra Aristobulum, ducens exercitum quinquaginta millium militum, ita vt cogeretur Aristobulus fugere Hierosolymam. Vbi Arabs cum Hyrcano eum cum sacerdotibus oppugnabant in templo. Cū Onias vir Deo carus è latebris eductus, vt diris deuoueret Aristobulum, sic precatus sit: *Deus vniuersi huius mundi Rex, quoniam & hi qui mecum stant, tuus sunt populus: & qui oppugnantur, tui sunt sacerdotes: precor vt neque hos con-*

*Ioseph. Antiquit. 14. 3.*

*tra*

*tra illos, neque illos contra hos orantes exaudias.* Quamobrem lapidibus obrutus fuit: itaque vastationem illam fructuum, quæ post breue tempus excitata fuit procella ventorum, imputatur cædi huius, atque perfidiæ Iudæorum. Certe talis fames subsecuta est, vt modius tritici veniret quindecim dragmis, hoc est, onus seu lasta ducentis & tribus florenis aureis cum semisse, probatissimæ antiquæ monetæ.

Erat per hoc tempus *Cn. Pompeius* distentus bello, quod cum Tigrane Armeniæ Rege gerebat, miseratque Scaurum legatum in Syriam, qui cum in Iudæam properaret, ab vtriusque fratris legatis sollicitatus pro auxilio, prætulit Aristobuli amicitiam, cum ambo quadringenta talenta promisissent. Itaq; denuntiauit Aretæ vt cederet Iudæa; ni pareat, declarandus sit hostis populi Romani: atque Damascum reuertitur. Aristobulus vero cũ Areta ac fratre congressus, circiter septem millibus cæsis, inter quos Cæphalio Antipatri frater fuit, ad Cn Pompeium, qui Damascum venerat, misit dono vitem auream quingẽtorum talentorum per Nicodemum, cum illuc pro Hyrcano quoque veniret Antipater. Quos audiuit disceptantes, cum Antipater principatum vi ablatum assereret ab Aristobulo fuisse: Nicodemus eum ob ignauiam excidisse regno, nec dignum esse administratione, atque Aristobulum metuentem, ne principatus in aliam migraret familiam, illum necessario assumpsisse affirmaret. Põpeius hæc audiens iussit eos vtrimque quietos esse, comiter habens Aristobulum ficte, ne is alienatus ipsi intercluderet transitum in Iudæam. Quo cum legionibus ac Syrorum copiis auxiliaribus mouit: estq; ei obuiam apud Hiericũtem factus Aristobulus pacem petens, promittens etiam pecunias Hierosolymis numerandas. At cum Gabinius missus illic à præsidiariis vrbe excluderetur, Pompeius iratus eo duxit exercitum. Exorto vero dissidio de dedenda vrbe, cum Aristobulus seruaretur apud Põpeium, pars templum intrant ac muniunt: alii aperientes portas illum intra vrbem recipiunt. Itaque post tres menses vi in templum irruit, faciens stragem magnam, ad duodecim fere millium hominium. Captus tum Absalon patruus ac socer Aristobuli. Pompeius ad sancta vsque sanctorum templum ingressus à vasis, ornamentis, atque thesauris abstinuit. Hyrcano Pontificatum postridie restituit, atque Aristobulum secum Romam deduxit, cum duobus filiis, ac totidem filiabus: tradita Syria prouincia Scauro cum duabus legionibus. Sicq; discordia fratrum libertatem Iudæi amiserunt, subiecti deinceps Romano imperio: disiectis muris Hierosolymitanis. Profectus contra Aretam Arabiæ regem, acceptis intercessione Antipatri trecentis talentis, bellum Scaurus remisit.

*Eutropius lib 6. Hegesippus lib.1. c.17. Plin.7.26.*

At

ANNI MVNDI.

nerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia Gratiæ à Senatu actæ, muneraque missa: torquis aureus duo pondo, & pateræ aureæ quatuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria.

*L. Cassius* Consul à Tigurinis Gallis pago Heluetiorum, qui à ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites qui ex ea clade supererant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, vt incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt. 3860.

*Marius* non ausus statim cōgredi cum hoste, militem tenuit in castris, donec inuicta illa rabies & impetus, quem pro virtute Barbari habent, consenesceret. Recessere igitur increpantes, & Romanos interrogantes, quid ad Vxores suas mandarent, tanta enim illis erat fiducia capiendæ vrbis. Tripartito igitur agmine per Alpes incedebant. *Marius* statim velocitate occupatis compendiis, præuenit hostem, prioresque Theutones sub ipsis Alpium radicibus consecutus, ad Aquas Sextias eos prœlio oppressit. Rex Teutobochus adscenso equo fugiens, proximo in saltu comprehensus, insigne spectaculum triumphi fuit: quippe vir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat. Sublatis igitur funditus Theutonibus, in Cimbros conuersus est. Hi per hyemem, quæ altius Alpes leuat, Tridentinis iugis in Italiam prouoluti ruina descenderant. Athesim flumen non ponte, nec nauibus, sed ingesta obrutum silua transiliuere. Et si statim infesti vrbem petiissent, grande discrimen fuisset: sed in Venetia, quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli cælique clementia robur elanguit. Ad hoc panis vsu, carnisque coctę & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est.

*Cn Potitius* Prætor Allobroges, qui rebellauerant, ad Solonem domuit.

*Diuitiacus* totius Galliæ potentissimus apud Suessiones magnam partem regionum Belgicarum, atque etiam magnæ partis Britanniæ imperium obtinet. Cui successit *Galba* Rex, qui habebat opida numero duodecim: propter iustitiam & prudentiā tantus habitus, vt ad eum summa belli, quod cum C. Cæsare erat gerendum, omnium voluntate deferretur. Ad quod illę polliceri dicebatur armatorum 50000: totidem Neruii: 15000 Atrebates: Ambiani 10000. Morini 15000. Menapii 7000. Caleti 10000. Bellocasses & Veromandui totidem, Catuaci 24000. Coudrusi, Eburones Cæresi & Peruani 40000. *Cæsar Belli Gallici l. 2.*

## HISPANIA.

*Viriatus* in Hispania ex pastore venator, & ex venatore latro, atque

ANNI MVNDI.

atque mox dux iusti exercitus factus, vniuersam Lusitaniam occupauit L. Vetilium Prętorem fuso eius exercitu cepit, & C Plàcio Prætore infeliciter rem gerente, Consulari duce & exercitu aduersus Viriatum opus fuit. Q. Cæcilius Metellus Proconsul Celtiberos cæcidit. A Q Fabio Proconsule pars maxima Lusitaniæ expugnatis multis vrbibus recepta fuit. Sed labem rebus feliciter gestis imposuit, pace cum Viriato æquis condicionibus facta. Qui consilio Seruilij Cæpionis à proditoribus interemptus est: & ab exercitu eius nobilissime tumulatus. Dux maximus, qui per quatuordecim annos sæpe victor cum populo Romano bellum gessit.

Q. Pompeius Consul Termestinos in Hispania subegit, sed cum iisdem & Numantinis pacem ob infirmitatem fecit.

*Iunius Brutus* in Hispaniis iis, qui sub Viriato militauerant, agros opidumque dedit, quod Valentia dictum est. M. Popilius à Numantinis, cum quibus pacem factam Senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est. Triginta millia Romanorum à quater mille Numantinis victa erant. Cumque spes nulla esset castris exuto seruandi exercitum, pacem ignominiosam cum Numantinis fecit, quam ratam esse Senatus vetuit. Ferunt conscendenti in nauim, vt in Hispaniam proficisceretur, vocem dixisse: *Mane, mane Mancine.*

D. *Iunius Brutus* Lusitaniam vrbium expugnationibus vsque ad Oceanum domuit: & cum fluuium Obliuionem transire nollent, raptum à signifero signum ipse transtulit: & sic, vt transirent, persuasit exercitui. Itaque in vlteriore Hispania feliciter aduersus Gallecios pugnauit. Sed dissimili euentu M. Æmilius Lepidus Proconsul aduersus Vaccæos rem gessit, cladem magnam passus. Ad exsoluendum religione Numantini fœderis populum, Mancinus, cum huius auctor fuisset, deditus Numantinis minime est receptus.

# ITALIA.

*Diodorus Siculus apud Photium L. Florus lib. 3. c. 19.*

Eunus seruus, *natione Syrus, contracta agrestium manu, & solutis ergastulis iusti exercitus numerum impleuit.* Cleon *quoque alter seruus ad septuaginta millia seruorum contraxit, & copiis iunctis contra populum Romanum bellum susceperunt. Captaque fuere castra Prætorum Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsæi: quos profugos ipsi serui sequebantur. Tandem Perpenna Imperatore supplicium de iis sumptum est. Hic enim victos & apud Ennā nouissime obsessos, cum fame quasi pestilentia consumpsisset; reliquias latronum compedibus, cathenis religauit, crucibusq; puniuit. Fuitq; de seruis ouatione contentus, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione violaret.*

P. Ma-

P. Mutius Scævola I. C. & M. Iunius Brutus *atque* M. Manilius, *eiusq; discipulus* P. Rutilius Rufus *cum* Scauro Vigellio, *libris iuris conscriptis, nunc claruerunt: quibus Q. Ælius Tubero, Sext. Pompeius Cn. Pompei patruus, qui ad cognitionem iuris ciuilis perfectam Geometriæ & Philosophiæ Stoicæ scientiam contulit, L. Calius Antipater I. C. & Historicus, eiusque discipulus P. Licinius Crass. Mutianus.* ANNI MVNDI. *Valentinus Forsterus lib. 2. Iuris Ciuilis Rom.*

Q. Mutius Scæuola *P. Mutij filius, Pontifex Maximus ius ciuile in octodecim libros redigendo constituit. Quem C. Marij iussu occisum in Tiberim proiectum esse scribit Appianus. Ad hunc, cum summus Orator Seruius Sulpicius ad consulendum de re amici, venisset, nec sibi respondentem de iure Seruius intellexisset: obiurgando ei dixit:* Turpe esse Patricio caussas oranti, ius, in quo versaretur, ignorare. *Qua contumelia tractatus Seruius mox iuri operam dedit: praeceptoresq; habuit C. Aquilium Gallum, L. Lucilium Balbum, & Sext. Papyrium Iurisconsultissimos. Quos etiam eruditione ac iuris scientia superauit.*

Anthonius *Prætor in Sicilia maritimos prædones persecutus est.*

*Timor grandis Romæ fuit: ergo Mario secundum facto Consule bellum contra Cimbros & Theutones decretum est.*

M. Scaurus M. F. *priuignus L. Cornelij Sullæ in ædilitate sua mores ciuiles maxime prostrauit, æternitatis destinatione fieri curans Theatrum, cuius cauea erat octoginta millium hominum capax. Scena ei triplex in altitudinem trecentarum & sexaginta columnarum.*

*Ima pars scenæ è marmore erat; media è vitro; summa tabulis inauratis columnæ: imæ triginta octo pedum. Signa ærea inter columnas ter mille numero. Tabulæ pictæ, Attalica vestes pluris HS. S. M. æstimata.*

## GERMANIA.

Cimbri & Theutones ab extremis Germaniæ oris profugi, quum terras eorum inundasset Oceanus, nouas sedes toto orbe quærebant. Sexcentesimum & quadragesimum annum Roma agebat, cum primum Cimbrorum audita sunt arma, Cæcilio Metello ac Papyrio Carbone Coss. 3854. *L. Florus lib. 3. c. 3.*

*M. Iunius Silanus* Consul aduersus Cimbros infeliciter pugnat. Legatis Cimbrorum sedem & agros, in quibus considerent, petentibus Senatus negauit. 3858.

*M. Aurelius Scaurus* Legatus, Consulis à Cimbris fuso exercitu captus est. Et cum in concilium ab iis euocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret Romanos minime vinci posse, à Belo Rege feroce iuuene occisus est.

ANNI MVNDI.

Ab iisdem hostibus C. Manilius primum, deinde Q. Seruilius Cæpio Coss. victi prælio castrisque exuti sunt. Octoginta millia militum occisa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani iussionem Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt.

*Ariouistus* Rex Germanorum ad Sequanis auxiliandum contra Heduos accersitus mercede conductis Germanis tertiam partem agri Sequani, qui optimus est totius Galliæ, occupauit. Euocatisque Harudum viginti quatuor millibus Germania, etiam illis sedem ac locum volebat parari, superbeatque crudeliter imperans, homo Barbarus, iracundus, temerarius.

## ITALIA.

*Incenso Romæ Capitolio libri Sibyllini conflagrarunt, quos restituto post septem annos Capitolio P. Gabinius, M. Octacillius & L. Valerius ex S.C. Erythras missi ad mille versus à priuatis scriptos Romam deferentes eosdem restaurarunt.*

Plin. 36. 15. C. Curio *nihil in censu habens præter discordiam Principum, Cæsarianas partes secutus funebri munere patris sui Theatra duo iuxta fecit amplissima, è ligno cardinum singulorum versatili suspensa libramento: in quibus vtrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter sese auersis, ne inuicem obstreperent scenæ, & repente circumactis vt contrastarent, postremo iam die discindentibus tabulis & cornibus inter se coeuntibus faciebat amphitheatrum & gladiatorum spectacula edebat, ipsum magis auctoratum populo Rom. circumferens, sedentem in tam infida instabilique sede.*

*Florebant nunc* M. VARRO *multiformibus eminens disciplinis, & in vetustatis indagatione curiosus vrinator.* Q. Hortensius & M. Tullius Cicero *summi oratores. Quorum ille tanta erat memoria, vt quæ domi meditando commentatus esset, verbis iisdem sine scripto pronuntiaret in foro: hic Græcos imitando videbatur effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, atque iucunditatem Isocratis. Siue accusaret Verrem, Catilinam ac M. Antonium: siue defenderet Milonem aliosque complures. Philosophiam quoque non infeliciter tractauit; vt apud posteros consecutus sit, quod Cicero iam non hominis nomē, sed eloquentiæ habeatur. Quare ille in litteris se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit. Huic eloquentia proximus* C. Cæsar *fuisse perhibetur.* C. Crispius Sallustius *conscribendo & nunc historiam se non inferiorem Theucydide ostendit. Antiquorum verborum fectator: vt etiam* Lucretius, *qui Epicuri Philosophiam carmine Poeta explanauit. Mollior eo* Catullus, *cuius iambi acerbitatem ostendunt.*

Seruius Sulpicius *in iure quoque excelluit; cum ei Scauola dixisset turpe esse viro Patricio ius ignorare, in quo quotidie versaretur.* ANNI MVNDI.

Dionysius Halicarnasseus, *Varronis usus consilio, res Romanorum perdiligenter & copiose Gracis literis conscripsit.*

Diodorus *quoque Siculus, ex Agyrio vrbe Sicilia ortus, peragratis varijs mundi partibus, & excussis omnium populorum commentarijs, per diuersas atates res gestas in orbe, libro Bibliotheca nomine dato, enarrauit.*

Pomponius *deniq; Atticus memoriam septingentorum annorum vno libro compendiose contraxisse refertur.*

M. Brutus *nullius disciplina Philosophia ignarus Platonis excelluit: & nouam ac mediam Academiam linquens, veterem fouit. Latine facundiam militarem, belloq; accommodatam exercuit. Gracum vero dicendi genus graue ac sententiosum, & Laconum breuitatem quodammodo imitatus est.*

*Per hac tempora* M. Tullius Cicero *vir nouitatis nobilissima, vt ingenio maximus ita vita clarus cum Gn. Antonio Consule, Sergij Catilina; qui bis in petitione Consulatus repulsam erat passus; P. Cornelij Lentuli Consularis & Pratoris iteru, Cethegi aliorumq; coniurationem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque eruit. Catilina metu Consularis imperij vrbe pulsus, Lentulus, Cethegus alijque clari viri auctore Senatu, iussu Consulis in carcere necati sunt. C. Iulius Casar alijque ex senatu, cum suaderent, vt per municipia Lentulus coniuratique custodirentur; pane inter vltimos interrogatus sententiam M. Cato, Tribunus plebis designatus, adhuc admodum adolescens, tanta vi animi atque ingenij inuectus est in coniurationem, vt ardore oris orationum omnium lenitatem suadentium, societate consilij suspectam fecerit: sic impendentia ex ruinis incendijsq; vrbis & commutatione status publici pericula exposuit; ita Consulis virtutem amplificauit: vt vniuersus Senatus in eius sententiam transiret, animaduertendumque in coniuratos censeret, atque maior pars eius ordinis Catonem domum prosequeretur. At Catilina non segnius vota obijt, quam sceleris conandi consilia inierat: quippe dimicans fortissime contra C. Antonium Proconsulem, quem spiritum supplicio debuerat, prælio reddidit.* 3904. Sal. in coniurat. Catilina.

*Cum antea* Gn. Pompeius Magnus *primum ex Africa, secundum ex Europa triumphasset; nunc tertium de Asia triumphũ duxit, pridie Kalendas Octobris, ipso die natalis sui, M. Messalla, & M. Pisone Coss. cuius prafatio hac fuit:* Cum oram Maritimam à Prædonibus liberasset, & imperium maris P. Ro. restituisset, ex Asia, Ponto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, Insula Creta, Basternis. Et super hæc de Regibus Mithridate atque Tigrane triumphauit. 3906. Plutarch. in Pomp.

ANNI MVNDI.

uit *Praterea notabantur castella non pauciora mille capta: Ciuitates nongenta: Piratica naues octingenta: Vrbes prasidiis Romanis armata triginta nouem. His addebantur tributa vrbis Roma ante hoc bellum tantum fuisse quinquagies decentena millia: cum his vero qua populus Romanus ipse quasiuit, octuagies & quinquies decies centena millia. Insuper in ararium vasa, aurum argentumque signatum ad viginti millia talentorum. Legatis & quastoribus, qui oras maris defendissent data sunt H-S. bina millia, prater qua militibus sunt diuisa: quorum qui minus accepit, mille & quingentos areos tulit. Captiui post Principes Piratarum in triumpho ducti: Tigranes Armenij filius cum vxore filiaque ipsius Regis: Tigranis Cosmia coniux: Rex Iudaorum Aristobulus: Mithridatis soror cum liberis quinque: Scytarum multa mulieres: obsides Albanorum, Iberorum, & Regis Comagenorum trophaa quoque quam plurima notata: omnia pralioru munera aque, qua se duce aut per legatos adeptus esset. Quadragesimum atatis annum tum attingebat Pompeius. Eius vero victoria*

Plin. l. 37. cap. 2. *primum Roma animos ad gemmas margaritasque inclinauit. Nam & eius imago deferebatur è margaritis. Musaeum ex margaritis, in cuius fastigio horologium erat: Alueus cum tesseris lusoriis è gemmis duabus. Corona ex margaritis triginta & tres Signa aurea tria; Mineruæ, Martis, & Apollinis. Luna aurea pondo triginta. Lecti tricliniares tres. Vasa ex auro & gemmis abacorum nouem. Mons aureus quadratus cum ceruis & leonibus, & pomis omnis generis, circumdata vite aurea. Sic vt videbatur caput Orientis opibus sine reliquo corpore ostentatum. Porro L. Lucullus, & Q. Metellus Creticus memores accepta iniuria cum parte Optimatum refragabantur, ne aut promissa ciuitatibus à Pompeio, aut bene meritis pramia ad arbitrium eius persoluerentur. Cato quoque aduersus petentes semper obliquus, detrectare Pompeium, actisque eius obstrepere. Quem dolor ad prasidia dignitatis parandæ impulit.* M. Crassus *genere, diuitiis, dignitate florebat: C. Casar eloquentia, spiritu, affinitate Pompeij (nupserat enim illi Iulia Casaris filia) atque etiam Consulatu alleuabatur. Pompeius tamen super vtrumque eminebat. Casar, qui apud*

3908. *amitam Iuliam Marij coniugem fuerat educatus (vnde ei amor plebeia factionis) Leges Agrarias suasore genero Pompeio maxima contentione, inuito Senatu, & altero Consule M. Bibulo tulerat. De-*

3909. *inde dignitatem nitens comparare, in Galliam prouinciam profectus Heluetios quarentes nouas sedes Orgetorige duce magnis praliis bis vicit, victosque se dedere coegit. Casis enim quadraginta septem millibus, cateri ad numerum centum & decem millium vtriusque sexus in terras proprias remissi fuerunt. Deinde Ariouistum Germanorum Regem in Gallias irrumpentem, atque secum ducentem Harudes, Marcomannos, Triboccos, Vangiones, Nemetes, Eduros & Sueuos, ex Sequanorum agris expulit: Ariouisto nauicula per*

Rhenum

*Rhenum elapso, amissis duabus vxoribus, ac filia vna, altera capta. Sueuos, qui ad ripam Rheni venerant, recedentes domum, Vbij magna ex parte occiderunt. Belgæ deinde ab illo prœlio victi, atque in deditionem recepti: præter Neruios, quos pæne deleuit, dum ex sexagies mille militibus quingenti superessent: & ex sexcentis Senatoribus tres tantummodo euaderent. Qua re nuntiata Aduatici se quoque dediderunt ficte: quorum opidi sectionem Cæsar vendidit Et ab his qui emerant, capitum numerus ad eum relatus est quinquagies ter mille. Veneti, Osismi, aliaque ciuitates maritimæ in potestatem populi Romani à P. Crasso fuere redactæ. Sed Sergius Galba cum apud Octodurum Veragrorum vicum cum legione duodecima, atque equitatus parte consedisset, atque à Veragris & Sedunis oppugnaretur; ex triginta millibus eorum circiter decem millia cæcidit. Atque victus in Alpibus Sedunis legionem ad hyemandum in Allobroges perduxit. Mox Veneti ac proximi Oceano populi nouum excitant bellum, quos Cæsar naualibus præliis ad deditionem coegit. P. quoque Crassus ab eo in Aquitaniam missus ex 50000. numero, qui ex Aquitania ac Cantabris conuenerant, vix quarta parte relicta, se maxima pars Aquitaniæ vltro dedidit, obsidesque misit. Cæsare quoque mouente in Morinos Menapiosque: illi se suaque omnia contulerunt in continentes siluas atque paludes; vnde eruptionibus Cæsaris militem infestabant. Interea M. Tullius Cicero, qui ob legem à Clodio latam exularat, virtute atque actione T. Annij Milonis Tribuni plebis patriæ dignitatique restitutus est. Idem P. Clodius sub honestissimo titulo Catonem à Republica ablegauerat, lege lata, vt ille Quæstor cum iure Prætorio, adiecto etiam Quæstore mitteretur in Cyprum, ad spoliandum regno Ptolomæum, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum, quo hausto veneno voluntaria morte sublato insula facta est tributaria, tanta multiplici fertilitate rerum omnium abundans, vt nullius adminiculi externi indigens, indigenis materiis ac viribus ab ipso carinæ fundamento ad vsque supremos carbasos ædificet nauem onerariam, omnibusque armamentis instructã mari committat. Quare diuenditis rebus Ptolomæi pecuniam sperata longe maiorem Romam detulit. Quam tanta cura seruabat, vt naue non ante egrederetur, quamuis Consules ac Senatus ei exirent obuiã, quam eo peruenerat, vbi pecunia esset exponenda. Ea in expeditione vnam tantum Zenonis statuam non vendidit, quia erat Philosophi: non ære captus nec arte.* Plin. 34. 8.

Cn. Pompeio *Consuli creato Hispania prouincia in quinquenniũ assignatur. M. Licinio Crasso itidem Consuli facto Syria & bellũ Parthicum deinde committuntur. Et C. Cæsari Galliæ imperium in aliud quinquẽnium prorogatur. Sicque tribus exercitibus a tribus maximis Imperatoribus societate iunctis orbis imperium occupabatur. Crassum transgressum Euphratem, petentemque Seleuciam, circum-* 3912.

ANNI MVNDI.

*fusis immanibus copys equitum Rex Orodes vna cum filio & magna parte exercitus interemit. Reliquias Legionum C. Cassius Quæstor conseruauit, Syriamque in populi Romani potestate retinuit, fusis, fugatisq; Parthis, qui in eam transgressi erant*

*Porro Cæsar transgressos Rhenum Vsipetes ac Teucteros à Sueuis sedibus pulsos deuicit, atque pontem sublicium supra Rhenum infra Vbios construxit.*

† C. IVLII &c.

# IVDÆORVM BELLA.

INterea etiam Aristobulus, Roma veniens omnem Iudæam infestabat: aduersus quē Antipater bellum suscepit: sed Gabinius rursum captiuum cum filio Antigono Romam remisit: vbi in vinculis habitus fuit, & tandem a fautoribus Pompeii veneno è medio sublatus: cum C. Cæsar eum decreuerat cum duabus legionibus mittere in Iudæam. Alexander quoque eius filius Antiochiæ securi fuit percussus à Scipione iussu Pompeii.

Porro Ptolomæus Mennæus dynasta Chalcidis, in monte Libano accepta in vxorem Alexandra, Aristobuli filia, Antiochi ac sororis eius curam habebat. Interea Antipater mandante Hyrcano res Iudæorum curabat, atque adeo gubernabat totam Iudæam. Fuitque maxime auxilio C Iulio Cæsari, cum bellum gereret in Ægypto. Ad quem in Ægyptum quoque venit Antigonus, Aristobuli filius, questus de patris sui infortunio, quod propter ipsum veneno esset exstinctus, atque frater eius securi percussus. At Cæsar Hyrcano pontificatum confirmauit, permisitque eum muros vrbis restituere, qui à Pompeio erant diruti. Antipatrum etiā procuratorem Iudææ declarauit. Qui nouarū rerum cupidos cōpescuit, tūconsiliis, tum quoq; agens minis.

*Iosephus lib. 14. c. 17.*

Cumque Hyrcanum videret inertem, atque rebus agendis parum idoneum. Phaselum natu maximum filium præfecit Hierosolymis, circumvicinæque regioni ducem: Herodi commisit Galilæam: Qui licet adolescens seuere in latrones animaduertebat: vnde Sexto Cæsari Syriæ præsidi innotescere cœpit. Sed male habebat optimates Iudæorum, quod Idumæus cum filiis suis imperium in eos exerceret. Qui eo perduxerunt tandem Hyrcanum, vt euocaret Herodem ad dicendum caussam: sed tamen illum clam admonuit, vt suæ consuleret saluti. Cum ergo ob Romanorum bella ciuilia, Cæsar expeditionem pararet in Africam; tum Hyrcanus missis legatis rogauit vt confirmaret pacem & amicitiam. Cuius ergo tabulam æneam Græcis Latinisque litteris conscriptum fieri curauit. Sed & post mortem
3923. Cæsaris M. Antonius & P. Dolabella Coss. immunitatem militiæ Iudæis concessere.

*Cassius*



Cassius vero in Syriam post perpetratum facinus in Cæsarem profectus, vbi exercitum in suas partes pertraxerat, tributa exigebat grauia: & maxime Iudæam afflixit, plusquam septingentis argenti talentis imperatis. Apud quem Herodes gratiam iniit primus ex Galilæa, quantum imperatum illis erat, afferens. 

Interea Antipater per Malichum, cui partem pecuniæ exigendam commiserat, veneno tollitur, qui Herodi pœnam necis paternæ mox pugione confossus persoluit.

Antigonus Aristobuli filius, quem Ptolomæus Mennæus adoptauerat, comparato exercitu, prœlio contendens cum Herode superatur, atque Iudæa abigitur. Sicque Herodes veniens Hierosolymam ab Hyrcano populoque coronis honoratur. Erat illi vxor Doris, ex qua tulerat Antipatrum filiorum natu maximum. Deinde adsciscitur in Hyrcani familiam, desponsata ei Mariamne Hyrcani ex filia nepte, & Alexandri filii Aristobuli filia, ex qua tres filios & duas filias suscepit. Cassio apud Philippos ab Antonio & Cæsare Octauio deuicto, inter ceteros legatos Antonio in Bithynia victoriam gratulantes, erant Hyrcani Legati coronam auream deferentes, Herodes quoque cum magna pecunia, quem Antonium in honore habebat, ac illis litteras ad vicinas gentes, quibus inclusum erat hoc edictum:

## M. ANTONIVS IMPERATOR AC TRIVMVIR EDIXIT.

*Quoniam C. Cassius hoc perturbato rerum statu alienam prouinciam & militem præsidiarium inuasit, & Sociorum nostrorum facultates diripuit, & vastauit Iudæorum gentem, amicam populo Romano; insolentia eius armis nostris perdomita, iudiciis atque edictis, quæ ille perpetrauit, corrigimus: vt ablata restituantur nostris Sociis: & siue corpora Iudæorum, siue bona diuendita sint, illa in libertatem, hæc ad pristinos reuertantur dominos. Qui vero contra hoc nostrum edictum fecerit; pœnas daturus est: & qui inobedientiæ conuicti fuerint; in eos pro rei dignitate animaduerti curabimus.*

Deinde in Syriam veniens Antonius, Cleopatræ amoribus in Cilicia sibi obuiam venientis implicitus fuit, quo tempore centum Iudæorum potentissimi venere accusatum Herodem & Phasælum: quos Messalla Coruinus defendebat, assistente Herodi Hyrcano iam socero facto. Quare ambos Tetrarchas constituit, atque Reipublicæ Iudæorum gubernacula eis commisit, animaduertens etiam in accusatores.

Mox Parthi, quibus Antigonus Aristobuli filius decem mille talenta promiserat, illum in regnum reducunt, & Hyrcanum atque Phasælum in vincula coniectos in Parthiam abducunt,

ANNI MVNDI. Phasælo se ob captiuitatis dedecus interimente, Herodes Romam profectus, studio Antonii atque Cæsaris à Senatu commendantibus studia Herodis Messalla & Attratino Rex Iudææ declaratus fuit, C. Domitio Caluino II. & C. Asinio Pollione Coss.

3928. Anno post Rom. con. 714. Qui reuersus in Palæstinam obsedit Hierosolymam à Septemtrionali latere cum vndecim legionibus, sex millibus equitum, & auxiliarib. aliquot Syrorum copiis. Expugnauitq; vrbem, at-

3930. que ea potitus M. Agrippa & Cannidio Gallo Coss. Antigonum

3933. securi pecuti, & præcipuos eius amicos iussit.

Missus quoq; P. Ventidius Antonii legatus, Parthos prœlio

Plin. I li. 22. Dio Cassius. victos Syria expulit, occiso eorum duce Labieno. Porro Phraates Parthorum Rex permiserat inter Iudæos Babylone habitare Hyrcanum, qui cum inde euocatus atque dimissus à Parthis ad Herodem generum venisset: quo hic regnum suum stabiliret eũ in otio viuere voluit, conferendo Pontificatum Ananelo obscuri generis viro è Babylone accito. Non tulit hanc iniuriam Alexandra Hyrcani filia, socrus Herodis: cum ipsi esset & filius Aristobulus frater Mariamnes. Quarum effigies depictas cum mater misisset per Gellium ad Antonium, scripsit illi, vt Aristobulus, qui tum sedecim annos natus erat, ad se transmitteretur. Quare Herodes ablatum ab Ananelo Pontificatum in Aristobulum transtulit, quem etiam paullo post necandum curauit. Deinde iussu Antonii & Cleopatræ bellum infert Aretæ Regi Arabiæ, cum quo infeliciter conflixit. Quando & tantus terræ

3937. motus fuit in Iudæa, vt circiter decem millia hominum ruinis ædium oppressa fuerint. Deuicto Antonio Romam profectus Hyrcanum socerum è medio sustulit. Quo scelere perpetrato ad Cæsarem properauit Rhodum, à quo regnum obtinuit, ipsumque Cæsarem Augustum octies mille talentis donauit. Reuersusque domum Mariamnem vxorem calumniis oppressam interimi curauit.

Calamitate famis oborta per Iudæam missa in Ægyptum ma-

3943. Iosephus. gna pecunia, & à Petronio, qui Ægypto præerat, impetrata licentia exportandi frumentum, & eo in Iudæam aduecto, diuisit illud omnibus accuratissime dispensans. Fuerunt autem octoginta millia cororum Ægyptiorum intra regni sui pomœria expensa, nimirum vltra quatuordecim millia onerum seu lastarum. Parata hac sua liberali cura populi beneuolentia Cæsaream maritimam vrbem loco turris Stratonis magnifice extruxit in Cæsaris Augusti honorem: in qua eas ad portum statuas, alteram vrbis Romæ, alteram Augusti collocauit. Misit & filios Alexandrum & Aristobulum ad Cæsarem Romam hospitio à Pollione sibi amicissimo exceptos. Deinde post varia opera ab eo extructa fuit templum Domini ædificari inceptum summa

reli-

religione, cum solis sacerdotibus committerentur adyta ædificanda, quod octauo anno perfecit: longitudine centum cubitorum, altitudine centum & viginti; opere in primis memorabili, Alexander & Aristobulus ad patrem reuersi Salomes amitæ calumniis appetuntur. Sed Herodes hinc Berenicem Salomes filiam, Alexandro Glaphiram Archelai Cappadocum Regis filiam vxores dat.

ANNI MVNDI.

Iustin.43.

Profectus deinde ad Agrippam cum exercitu Bosphorum petentem, eum Iliensibus iratum reconciliauit. Cum interim domum rediens, in filios odium concepit, sed tandem illis reconciliatur: atque quinquennale certamen absoluta Cæsarea, decimo post inceptam anno, instituit. Cumq; multum pecuniæ profudisset, noctu sepulcrum Dauidis ingressus, mundum pretiosum, aureaque ornamenta inde abstulit: cum inde Hyrcanus ante abstulisset tria millia talentorum. Mox dissidium cum filiis domesticum acerbatum est, & Alexander atq; Aristobulus malitia fratris Antipatri è medio tolluntur. Qui cum insidiaretur patri etiam in vincula fuit coniectus.

Interea P. Sulpicius Quirinus Præses in Syriam, & Ceponius præfectus equitum cum eo, vt administret Iudæam, à Cæsare mittuntur, ad facultates censendas omnium. 3964.

*Et factum est in diebus Herodis Regis Iudaa*, vt senex sacerdos quidam nomine *Zacharias* de vico Abia, cui vxor erat sterilis *Elizabeth* prouectæ ætatis de filiabus Aaron, fungendo sacerdotio in ordine vici sui, ante Deum sortito incensum poneret in sanctuario templi, populi multitudine orante foris: visusq; fuerit illi Angelus Domini stans à dextris altaris: qui perterrito atq; timenti diceret: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est petitio tua, & vxor tua Elizabeth gignet filium tibi, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit magnus coram Domino: & vinum ac siceram non bibet, & spiritu sancto replebitur adhuc in vtero matris sua: & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum.* Promissis parum credulo patri loquela adimitur, & post transactos dies officii eius domum reuerso eo Elizabeth concepit Ioannem septimo Kalendas Octobris, occultans se menses quinque. 3955.

Luca 1.

## *Monarchia Romanorum.*

*T. Lucretius Carus*, Cn. Pompeio & M. Licinio Crasso Coss. secundum moritur, cum variam de rerum natura doctrinam ex Epicuri placitis haustam numeris summæ grauitatis conclusisset. 3912.

*Seru. Sulpicius*, qui anno conditæ vrbis septingẽtesimo secundo Consulatum iniit, Iurisprudentia celebris habuit auditores

ANNI MVNDI.

P. Alphenum Varum, ex sutore ob iuris scientiam etiam Consulatu honoratum. A. Ofilium, T. Cæsium, Antulium Tuccam, Aufidium Namusam, Flauium Priscum. C. Ateium, Labeonem Antistium Cumam, & L. Gellium Poplicolam omnes Iurisperitissimos.

Fuit & Clarus Caius Trebatius I. C. Cornelij Maximi auditor, M. T. Ciceroni familiarissimus: Et Q. Ælius Tubero, qui Q. Ligarium accusauit, atque Aulus Cascellius, Q. Mutii, cuius Benedictorum liber olim extabat.

*Parthi* Labieno duce, qui partium Pompeianarum fuerat, in Syriam irruperant; victoque Edidio Saxa M. Antonii Legato vniuersam eam prouinciam occupauerunt.

C. CRISPVS SALLVSTIVS ex nobili Sallustianorum familia in agro Sabino Amiterni natus, annum agens sexagesimum secundum, post occisum Cæsarem aliquot annis obiisse narratur. Eius effigiem ex antiquo numismate ab Achille Statio delineatam studiosis subtrahere noluimus.

Erant ipsi horti in propinquo portæ Collinæ, vbi inscriptiones ante complures annos fuerunt erutæ:

M. POBLICIVS M. F. MODESTVS. EROTI C. SALLVSTI CRISPI SERVO METELLIANO FRATRI SVO.

M. AVRELIVS PACORVS M. COCCEIVS STRATOCLES ÆDITVI VENERIS HORTORVM SALLVSTIANORVM BASEM CVM PALMENTO MARMORATO

DEANÆ.

D. D.

Anno vrbis conditæ septingentesimo & vigesimo secundo mos Romæ repetitus vni prorsus parendi, pro Rege Imperatori vel sanctiore nomine AVGVSTO appellato. OCTAVIANVS igitur patre Octauio Senatore genitus, maternum genus ab Ænea per Iuliam familiam sortitus, adoptione vero C. Cæsaris maioris auunculi c. CÆSAR dictus, deinde ob victoriam AVGVSTVS cognominatus est. Hic iam in Imperio positus Tribuniciam potestatem per se exercuit. Erga ciues clementissime versatus est, & in amicos fuit fidus. Quorum præcipui erant: ob taciturnitatem Mæcenas longa maiorum serie ab Hetruriæ Regibus ortus: ob patientiam laboris ac modestiam M. Agrippa. Diligebat prætereà Virgilium. Rarus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. Fuit mitis, gratus, ciuilis animi & lepidi, corpore toto pulcer, sed oculis magis. Quorum aciem siderum vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus, tamquam Solis radiis adspectui suo. A cuius facie cum miles quidam se auerteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, respondit: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum.*

*M. Anto-*

*M. Antonius* exiguo tempore ante prœlium Achaïcum volumen euomuit de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus, approbauit plane quanta mala per temulentiam orbi terrarum intulisset. Sed hanc ebrietatis gloriam Cicero M. Tullii filius auferre voluit interfectori patris. Quem biuos congios simul haurire solitum ipsi obijcit Tergilla: Marcoq; Agrippæ a temulento scyphum impactum. Etenim hæc sunt ebrietatis opera.

*C. Asinius* Cn. F. Pollio inter nobiles huius temporis poetas non modo, sed etiam inter Oratores & Historicos numeratur. Scripsit in primis Tragœdias teste Horatio, his ad eum scribens verbis:

*Paullum seuera Musa Tragediæ*
*Desit theatris* ———

Hic primus Romæ Bibliothecam Græcam & Latinam additis etiam auctorum imaginibus in atrio erexit: quod de manubiis magnificentissimum exstruxerat. Nam & *Proconsul* de Dalmatis triumphauit Dictusq; fuit omnium horarum vir. Mortuus autem fuit in villa sua Tusculana, cum vixisset circiter octoginta annos.

*P. Virgilius Maro Mantuanus* Poeta hoc anno moritur Brundusii decimo Kalendas Octobris Cn. Plancio & Q. Lucretio Coss. natus annos quinquaginta, menses vndecim, dies nouem. Eius ossa iussu Augusti Neapolim translata, via Puteolana intra secundum lapidem fuerunt sepulta: sepulcroque eius hoc distichon quod fecerat, inscriptum est:

*Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc*
*Parthenope, cecini pascua, rura, duces.*

Theocritum, Hesiodum & Homerum tres præstantissimos Græcorum poetas, quemque in suo genere felicissime est imitatus: ita vt cum Sext. Propertius tersus & elegans eius ætatis poeta Æneidos vixdum cœptæ versus aliquot legisset, non dubitauerit exclamare:

*Cedite Romani scriptores, cedite Graij;*
*Nescio quid maius nascitur Iliade.*

Cum Augusto secundum, tertium, ac quartum libros recitaret, atque ibi soror eius Octauia adesset, ad illos de filio suo libri versus: *Tu Marcellus eris*, fertur defecisse: atque ægre refocillata pro singulo versu dena HS. Virgilio dari iussisse. Possederat centies HS. & hæredes fecerat ex dimidia parte Valerium Proculum fratrem vterinum, ex quadrante Augustum, ex vncia Mæcenatem, & ex sextante L. Varum & Plotium Tuccam: qui Æneida post eius obitum iussu Cæsaris Augusti emendarunt.

Superuixit illi aliquamdiu Q. HORATIVS FLACCVS, patre Libertino in Apulia natus: quem captum ciuili bello,

ANNI MVNDI.

cum Brutum tribunus militum sequeretur, ab Augusto Mæcenas seruauit, atque in amicitiam recepit. Quare in suis scriptis Mæcenati & Augusto venerabiliter assurgit. Et Virgilium dimidium animæ suæ nominat. Obiit annos natus quinquaginta septem, inter Lyricos Poetas palmam adeptus: secta Epicuræus.

## ITALIA.

C. Iulius Cæsar *non modo inter clarissimos Historicos, sed & inter nobilissimos quoque Poetas numeratus fuit: Inter fragmenta librorum Cæsaris carmina, quæ supersunt edidit Fuluius Vrsinus. Et in ruinis antiquæ vrbis Feltriæ hocce distichon repertum fuit.*

C. IVLIVS CÆSAR.

Feltria perpetuo nimium damnata rigore,
Forte mihi posthac non adeunda, vale.


*Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonij memoriæ inussit notas: & Tribunus Canutius continua rabie Antonium lacerabat. Lepidus deinde à Senatu hostis est iudicatus, vt iam antea fuerat Antonius. Tum inter Lepidum, Cæsaremque & Antonium commercia epistolarum & conditionum facta est mentio: cum Antonius subinde Cæsarem admoneret, quam inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent, & in quod iam emersissent fastigium: quantoque studio Ciceronis Brutus & Cassius attollerentur: denunciaretque se cum Bruto & Cassio, qui iam septemdecim legionum potentes erant, vires suas iuncturum, si Cæsar aspernaretur eius concordiam: diceretque Cæsarem plus patris, quam se amici vltioni debere. Igitur inita potentiæ societas, & priuigna Antonij desponsa fuit Cæsari hortantib. orantibusq; exercitibus: qui apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam conuenerant. Nullo more Triumuiratus inuaditur, oppressaque armis Republica, redit proscriptio Syllanæ persimilis. Cæsar pridie, quam viginti annos impleret decimo Kalend. Octobris cum collega Q. Pedio post vrbem conditam annis septingentis & nouem Consulatum iniјt. Qui percussoribus patris interemptis contentus fuit. Habereturque ea cædes iusta, nisi multa fuisset. Lepidus L. Paullum fratrem suum proscripsit. Antonius Luc. Cæsarem auunculum suum. Atrocitas hæc non minus in se habet quam numerum centum & quadraginta Senatorum. Romæ capita cæsorum proponere in Rostris iam vsitatum erat. M. Tullii Ciceronis occisi à Popilio Læna, Legionario milite, cum haberet annos sexaginta tres, caput quoque cum manu dextera, qua Philippicas conscripserat in Rostris positum fuit. Cum ad videndum eum non aliter, quam solebat ad audiendum concurreretur: populusque Romanus lacrymas continere non posset, hæc fere mussitans:*

Qui's

Quis te magne parens patriæ, quis gloria fandi
Explicet? aut scriptis æquiparare queat?
Viuis adhuc, spirantque tui de corpore vultus;
Viuis, & eloquio magnus in orbe tonas.
Dum regnum, dumque orbis erit, dum copia fandi,
Rex eris, & quiuis te Cicerone minor.

*Fuit pro Ciceronis Capite ab Antonio solutum decies H-S: hoc est, vicies ter mille, quadringenti, triginta & septem ducati cum semisse, nempe decuplo plus quam pro capitibus aliorum.*

Arpinates *memoriam tanti sui municipis primoribus tribus nominis eius litteris in insigni suo æternitati consecrarunt.*




C. Cæsare, & Antonio & Lepido *Triumuiris Colonia Florentina deducta à Triumuiris, Adsignata L. Iulio Centuria Cæsareana in iugera ducenta per cardines & decumanos. Termini rotundi pedales distant à se in pedes quadringentos.*

*Salassi, gentes Alpinæ perdomiti, Norici, Rheti, Vindelici, alijq; qui inscriptione è tropheo Alpium ita enumerantur.*

IMP. CÆS. DIVI FIL. AVG. PONT. MAX. IMP. XIIII. TR. POT. XVII. S. P. Q. R. QVOD EIVS DVCTV AVSPICIIS. QVE GENTES ALPINÆ OMNES, QVE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMP. POP. ROM. SVNT REDACTÆ. GENTES ALPINÆ DEVICTÆ. TRIVMPILINI, CAMVNES, VENNONETES, ISARCI, BREVNI, NAVNES, FOCVNATES, VINDELICORVM GENTES QVATVOR, CONSVANETES, VIRVCINATES, LICATES, CATENATES, ABISONTES, RVGVSCI, SVANETES, CALVIONES, BRIXENTES, LEPONTII, VIBERI, NANTVATES, SEDVNI, VERAGRI, SALASSI, ACITAVONES, MEDVLLI, VCENI, CATVRIGES, BRIGIANI, SOGIENTII, EBRODVNTII, NEMALONI, EDENATES, ESABIANI, VEAMINI, GALLITÆ, TRIVLATTI, ECTINI, VERGVNNI, EQVITVRI, NOMENTVRI, ORATELLI, NORVSI, VELAVNI, SVETRI.

## GRÆCIA.

Atrox in Thracia bellum exortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis virtus compressit. Quippe Legatus nunc acie, nunc expugnationibus in pristinum pacis redegit

redegit modum, eiusque patratione Asiæ securitatem, & Macedoniæ pacem reddidit.

## GALLIA.

3939. *Cæsar Augustus*, conuentum Narbone egit, & census à tribus Galliis; Aquitania, Celtica, & Belgica, quas pater Iulius vicerat actus est.

*Drusus* Bononiam & Gessoriacum Galliæ Belgicæ vrbes, pontibus iunxit, & vtramque classibus firmauit. Harum hanc Slusam, illam *Bologne* esse putamus, vtque supra portus pontibus factis, vtramque ripam sic iunxerit, vt transitus ab vno ad alterum latus esset supra portus. Quos classibus ambos quoque instruxit.

*Druso* Germaniam subigenti Galli tutam quiete sua, securamque à tergo pacem præstiterunt. Et quidem cum ad census nouo tum opere, & non audito Galliis, ad bellum auocatus esset.

## GERMANIA.

3939. *Augustus* cupiens Germaniam facere prouinciam in honorem C. Iulii Cæsaris, qui bis transmiserat exercitum per pontem Rheni; Drusum illuc misit, qui primus Vsipetes domuit, inde Teucteros percurrit, & Cattos. Bructeres quoque in Amasi flumine nauali prælio superauit. Cauchi domiti, & ex Marcomannorum spoliis insignibus tumulus quidam editus in modum trophæi est excultus. Inde validissimas gentes Cheruscos, Sueuos, & Sicambros pariter aggressus equos, pecora, torques eorum, ipsosque præda diuisit & vendidit. Præterea in tutelam prouinciarum præsidia & custodias vbique disposuit: & per mosam flumen, Albim, Visurgim, & Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxit.

Imposuit & Frisiis tributum vt penderent coria boum. Inuiũ & inaccessum Hercinium saltum patefecit. Ipse Drusus ex fractura equo super crus eius dilapso annos natus viginti nouem: die trigesimo postquam id acciderat, inter Salam & Rhenum mortuus est. Tiberius eius frater tribus vehiculis inter diem & noctem per ducenta passuum millia ad illũ ægrotantem in Germaniam venerat. A quo reuectus Romam, in C. Iulii Cæsaris tumulo conditus fuit: laudatusque est à Cæsare Augusto [illegible] & quod numquam alias, defuncto Senatus eius meritis cognomen

men ex prouincia dedit vt diceretur Drusus Germanicus, alii- ANNI
que plures honores additi. MVNDI.

Porro Drusus aggerem coercendo Rheno inchoauerat; quem post annos sexaginta tres Paulinus Pompeius absoluit: qui exercitui Germaniæ inferioris præerat, qui decus inde sperauerat.

## HISPANIA.

Cimbri vastatis omnibus, quæ circa Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi: ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt. Reuersique in Galliam bellicosis se Theutonibus coniunxerunt.

*C. Cæsar* Lusitanos subegit.

*Cantabri & Astures Gallecia* prouinciæ pars sunt, qua extentum Pyrenæi iugum haud procul secundo Oceano sub Septem- 3939.
trione deducitur immunes imperii. Hi Vaccæos, Turmodigos & Antrigenas assiduis eruptionibus depopulabantur. Igitur Augustus apud Segisaniam castra posuit, tribus agminibus totam pæne amplexus Cantabriam. Cantabri bello victi in montem Vinnium natura munitum fugientes, fame consumpti fuere Racilium opidum dirutum. Vlteriores Galleciæ partes Antistius & Firmius Legati perdomuerunt. Medullio enim monte Minio flumini imminenti fossa quindecim millium passuum circumducto, & obsidione cincto timore seruitutis seipsos necauerunt.

Astures magnis viribus Romanos oppressissent, ni detectæ eorum fuissent insidiæ proditione suorum Cantabrico bello per quinque annos peracto, totaque Hispania perdomita: habitare in plano & solum exercere iussit. Natura regionis circa se omnis aurifera, minii & chrysocollæ & aliorum colorum ferax. Itaque Astures latentes in profundo opes suas, dum alias quærunt, nosse cœperunt, Nec enim perdomitæ prouinciæ prius iugum Hispaniæ accipere potuerunt, quam Cæsar Augustus perdomito orbe populum ferum ac barbarum legibus ad cultiorem vitæ vsum traductum in formam prouinciæ redegit.

BRITAN-

ANNI MVNDI.

# BRITANNIA.

Hoc tempore quidam Britanniæ Principes legationibus & obſeruantiis Auguſti Cæſaris amicitiam comparantes, in Capitolio dona diis obtulerunt, & vniuerſam fere inſulam Romanis propriam & familiarem inſtruxerunt. Vectigalia grauia tolerant, ſiue huic res in Galliam importent, ſiue illinc exportent. Hæc autem ſunt eburnea vaſa, forfices, momlia, ex electro vitreaque ſupellex, & alia huiuſmodi generis mercimonia. Adeo vt ad inſulæ cuſtodiam, iam nullo opus ſit præſidio. Non enim plus ordine vno militum & equitatu aliquo indiget, vt ab ipſis tributa exigantur. Conſtituta autem fuerat impenſæ ratio pro modo tributorum, Alioquin minui vectigalia neceſſe eſt: ſi tributa inſuper imputarentur. Quod ſi vis inferretur periculum foret, ne ad defectionem ſollicitarentur.

CVM tandem ad finem huius quintæ ætatis peruenimus; non inutile fuerit diuerſarum gentium præcipuas ac peculiares virtutes ac vitia ex optimis auctoribus referre, ſimul & ætates haſce cum quinque hominis, qui μικρόκοσμος recte dicitur, ſenſibus conferre, quod Hiſtoriæ candidatis non ingratum fore arbitror: præſertim cum vetera nouis comparabuntur, & affinitatem quamdam inter ſe habere conſpicientur. Itaque

## ÆGYPTII.

Hieron. Singulæ pæne in Ægypto ciuitates ſingulas beſtias & monſtra venerantur, & quodcumque coluerint, hoc inuiolabile ac ſacrum putant. Eſtque Gens ſuperſtitioſa, vrbeſque ex animalium vocabulis nuncupat, vt Leonto, Cyno, Lyco, quæ leonem, canem, ac lupum ſignificant.

*Arabes, Sarraceni, & omnis Eremi barbaria* camelorum lacte & carnibus viuit.

*Perſa, Medi, Indi & Æthiopes* cum matribus & auiis, filiabus & neptibus copulantur.

*Ichthyophagi* gens errans in litore maris rubri ſuper petras Solis ardore feruentes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant.

## ITALI.

Dionyſ. *Latini* glorioſum hominum genus, ſolique vbertate, ac ingeniorum excellentia fœcundum.

Cæſar Solin. *Britanni* nummum refutant, dant res & accipiunt. Mutationibus neceſſaria potius, quam precius parant.

HISPA-

# HISPANI.

ANNI MVNDI.

*Lusitanos* insidiosos, scrutatores, veloces, agiles, versatiles esse fama est. *Strabo.*

*Hispanorum* corpora ad inediam laboremque, animi ad mortem parati. Dura omnibus ac stricta parsimonia, bellum quam ocium malunt; si extraneus deest, domi hostem quærunt. *Iustin.*

# GALLI.

Celsioris staturæ & candidi sunt Galli pæne omnes & rutili, luminumque toruitate terribiles: auidi iurgiorum, & sublatius insolescentes. Nec enim eorum quemquam adhibita ex ore rixantem, multo fortiore & glauca, peregrinorum ferre poterit globus. Sunt & Galli in consiliis capiendis mobiles, & nouis plerumque rebus student. *Amm.*

# GERMANI.

*Alamunni* ebriosi sunt. *Saluian.*
*Franci* mendaces sunt, sed hospitales.
*Saxones* crudelitate efferi, sed castitate venerandi.
*Sarmatæ, Quadi, Vandali* equorum & vulpium carnibus delectantur.

# GOTHI.

*Gothorum* gens perfida, sed pudica est. *Saluian.*
Gens vero *Hunnorum* impudica, semicrudis vescitur carnibus.
*Messagetæ* & *Derbices* miserrimos putant qui ægrotatione moriuntur.

# SCOTI.

*Scotorum natio* vxores proprias non habet, & quasi Platonis politiam legerit, nulla apud eos coniux propria est, pecudum more lasciuiunt, vt cuique libitum fuerit. Et cum per siluas porcorum greges & armentorum pecudumque reperiant, pastorum nates & feminarum papillas solent abscindere, & has solas ciborum delicias arbitrari, *Hieron. 2. in Iouin.*

ANNI MVNDI.

## De quinque ætatibus præteritis.

ÆTas porro *prima* tactui in primis conuenit: dirus tactus enim alienorum corporum, & feminarum ardentior appetitus insaniæ non absimilis, occasio fuerunt interitus humani generis. Cum dominus tactus dolore cordis intrinsecus; *Delebo*, inquit *hominem, quem creaui à facie terra, ab homine vsque ad animantia.*




*Tactus percipitur partium corporis*
- *Læsione,*
- *Pruritu.*

Gen.9.19. *Ætas* autem *secunda* gustui comparatur, per quem animus, quasi compedibus degrauatus, se leuare humo nequit. Nam varia opera tum desudabant, vt mulsum, vinum, preciosusque cibus fauces eorum pertransirent. A naturæ legibus regebantur homines his duabus ætatibus: nec vllis aliis sensibus proximiores sunt brutis animalibus.

*Saporum genera duodecim percipiuntur.*
1. *Acre in Synapi.*
2. *Amarum in Absinthio.*
3. *Acerbum in immaturis vuis.*
4. *Acidum in Aceto.*
5. *Astringens in pomis siluestribus.*
6. *Austerũ in vino non satis maturo & vetusto.*
7. *Aquosum in cucumere.*
8. *Dulce in melle.*
9. *Suaue in pane.*
10. *Pingue in oleo.*
11. *Leue in vino premature.*
12. *Salsum in aqua marina.*

Gustus

Gustus *percipitur sapore, idq; aut* { *Cibi comestione, Potus sorbitione.*

*Ætas* enim *tertia*, qua lex data, odoratu exprimitur non inepte. Quamuis enim nidore afficiuntur bruta, non tamen delectantur odorum suauitate, aut sentiunt vestimentorum fragrantiam, aut odorum agri pleni, cui benedixerit Dominus: aut denique diuersa thymiamata, balsamum quoque & tura cum diuersis aromatibus. *Gen. 27. Exod. 30.*

*Afficiturq; Olfactus* {
1. *Suauitate.*
2. *Dulcedine.*
3. *Acore.*
4. *Acredine.*
5. *Salsugine.*
6. *Acerbitate.*
7. *Fœtore.*
8. *Mucore.*
9. *Ambusto.*
10. *Putido.*
11. *Nidore.*
12. *Vapore.*

Odor *percipitur attractione aeris odore infecti.*

*Ætas quarta* recte adsimilatur visui, quando ea ætate videntes etiam Prophetæ. Et exædificato atque varie ornato templo Domini, architectura, statuaria ars, sculptura atque pictura iam florere conspiciebantur, visui præcipue inseruientes. Etenim mediante luce visus concipit varias formas, atq; colores diuersos, circa quæ artes illæ versantur. Colores duodecim cernuntur præcipue naturales. *1. Reg. 6. 2. Par. 3. 4.*

1. *Albus in niue.*
2. *Fuluus in auro.*
3. *Roseus in rosis.*
4. *Puniceus in viola flammea.*
5. *Cæruleus in cœlo sereno.*
6. *Viridis in gramine.*
7. *Ater in carbone.*
8. *Pullus in terra.*
9. *Ruber in sanguine & purpura.*

An. mvn. 10. *Rufus in capillitio & barba.*
11. *Cæsius in oculis.*
12. *Ferrugineus in ferro situ rubiginoso.*

Thren. Ierem. Dan. 3. Iudith. 16. 1. Esdr. 3. 2. Esdr. 12.

*Ætas* postremo *quinta* auditui similis nobis exhibetur: in qua modo planctus, modo hymni, carmina, psalmique exaudiebantur. Sicque floruit ea Musica, vt & Themistocles cum in epulis recusasset lyram habitus fuerit indoctior. Censebant enim tunc Græci in neruorum vocumque cantibus sitam esse eruditionem. Erat secretior vis quædam antiquæ musicæ: quam in musica nostra non experimur. Hismenias Thebanus pluribus Bæotiorum fertur cantus præsidio cunctas molestias schiatici doloris eripuisse. Cum quoque quidam furibundus hospitem Empedoclis inuaderet gladio, ille modo canendi dicitur adolescentis iracundiam temperasse. Porro vt olim Pythagoras ex sono malleorum apud Græcos musicam formare aggressus est; ita eas, quibus nunc vtimur, notulas Italis primum tradidit Guido Aretinus, cum canendo carmen Sapphicum in honorem Ioannis Baptistæ à Paulo diacono compositum perpenderet sex syllabas Musicis consonantiis quam optime conuenire, formauit & lineas, quibus claues imposuit, quæ interuallorum discrimina iudicarent, atque cantum quodammodo aperirent. Est vero hic vir laude dignissimus qui huius disciplinæ initium inuenerit: cui reliqua superaddere non vsque difficile fuisse credibile est. Quem secutus Hermannus Contractus, eam gloriam inter Phonascos promeruit, quam inter Symphonetas Iodocus Pratensis. Qui suis Cantilenis, quas reliquerunt, plus musici ingenii ostendisse cernuntur, quam ingens aliorum grex sexcentis cantionum plaustris. Habet certe & hoc nostrum sæculum Symphonetas non multum antiquis illis inferiores:

Vt *queant laxis*
Re*sonare fibris*
Mi*ra gestorum*
Fa*muli tuorum*
Sol*ue polluti*
La*bij reatum.*
*Sancte Ioannes.*

*Orlandum, Clementem, Moralem, Benedictum, Obrechtum, Crequillonium, Manicurtium, Canem*, sed destituuntur cognitione antiquitatis: quæ tonum in sex partes nouerat diuidere; & duodecim modos habebat cum nobis sint tantum octo:

*Modi Hermonice diuisi sex,*
- *Dorius.*
- *Phrygius.*
- *Lydius.*
- *Mixolydius.*
- *Æolius.*
- *Ionicus.*

Modi

*Modi Arithmeticæ diuisi sex.*
- *Hypodorius.*
- *Hypophrygius.*
- *Hypolydius.*
- *Hypomixolydius.*
- *Hypoæolius.*
- *Hypoionicus.*

Quin & Poesis omnis etiam perficiebatur duodecim pedibus, ad aures demulcendum, & penitus ad animi penetralia penetrandum quano immiscerentur.

*Verbis* { *Lasciuis, Illusoriis, Seriys, Minacibus, Tristibus,* } *Aut ex ÿs formarentur carmina* { *Trochaica. Iambica. Lyrica. Heroica. Elegiaca.* }

Pedes duodecim.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Pyrrichius.* | *Iambus.* | *Trochæus.* | *Spondæus.* |
| U U | U - | - U | - - |
| *Tribrachys.* | *Dactylus.* | *Molossus.* | *Anapæstus.* |
| U U U | - U U | - - - | U U - |
| *Amphibrachys.* | *Amphimacrus.* | *Bacchius.* | *Antibacch.* |
| U - U | - U - | U - - | - - U |

Per hos quinque sensus intrauit mors quasi per fenestras, & ingressa est domum nostram teste Propheta. *Omnis enim anima, quæ peccauerit, morietur.* Iere.9. Porro sunt etiam animæ rationalis vires quinque, non male conuenientes etiam hisce ætatibus quinq.

*Vis enim excogitandi,* quam Phantasiam vocamus, elucet in prima ætate, quando artes liberales atque mechanicę inuentæ, atque exerceri cœptæ sunt.

*Vis comprehendendi,* quæ pertinet ad sensum communem, hac secunda ætate potissimum percipitur, cum pro diuersitate linguarum diuersi characteres finguntur: pecuniæ vsus in emptione ac venditione cernitur, ita vt numerandi rationes homines cogantur addiscere.

*Vis ratiocinandi,* qua verum à falso discernitur, præcipue ostēditur data lege, & ceremoniis cultuque Dei tertia ætate demōstratis. Mal. 2. Atque labia sacerdotum custodirent scientiam, & lex requireretur ex ore eorum.

ANNI MVNDI.

*Vis iudicandi*, qua æquum ac iustum, ab iniquo atque iniusto discernuntur hac quarta præcipue ætate, cum Dauid iustitiam faceret populo, & Salomon sapientiam suam iudicando manifestaret, Ezechias, Iosias iustitiæ erant intenti.

1. Esdr. 3. Iudith. 5. Eccl. 44. ad finem vsque Paralipom. 1. Mach. 2.

*Vis retinendi*, quæ memoria vocatur, cernitur quinta ætate, cum seniores, qui viderant ante septuaginta duos annos templum Domini, flerent voce magna, quod nouum fundamentum non responderet operi antiquo. Atque varij viri clarissimi res gestas maiorum compendio enarrarent.

*Certe ne domus nostra hæc concideret* quinque virtutibus, quasi diuersis columnis, per has ætates inuenitur quasi sustentata.

Gen. 6. 4.

1. *Prudentia* summa ætate prima præcipue cernitur in Noë, qui ad conseruationem generis humani arcam incredibili artificio prouide construxit: atque necessariis prudenter prouidit. Opus certe, quo opera inter artificialia non visum fuit simile vmquam. Assimilatur itaque huic ætati columna Dorica, quæ ante alias fuit formata, proportione vt septem crassitudinis diametros in altitudinem foret extensa.

Vitruu. 4. 1.

Gen. 11.

2. *Temperantia* ætate secunda, contundente Deo superbos conatus filiorum hominum, exerceri visa, cum diuisisset in terra Sennaar eos Dominus per vniuersam terram, cessarentque ædificare ciuitatem: atque elucerct virtus illa tum in posteritate Hebet; comparata columnæ Ionicæ, quæ gracilior apparens in octo diametros & semissem excreuit.

Gen. Exod. Ioseph. Iud.

3. *Fortitudo* tertia ætate prælucet, quando sancti fortes facti sunt in bello, castra euerterunt exterorum, deuicerunt regna, adepti sunt repromissiones, & leonum ora confregerunt. Hæcque ætas columnæ conferri potest Tuscanæ, quæ proportione consistit virili, nempe vt altitudo ex sex diametris constat.

2. Paral. 19.

4. *Iustitia* quarta ætate maxime exercetur, cum Reges Iuda constituerent Iudices, dicentes: Videte quid faciatis: non enim exercetis iudicium hominis sed Domini: & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Conuenit certe iustitiæ columna Corinthiaca, quæ excelsior aliis, omnium maxime est ornata.

5. *Patientia* quæ necessaria est, virtutesque omnes consummat, quinta ætate valde enituit in captiuitate Babylonica, & diuersis persecutionibus piorum hominum, quæ instar columnæ compositæ variarum virtutum compositione exornatur.

Hæc paullo diffusius de ætatibus mundi dicta fuere: vt ostenderemus à S. Matthæo atque vetustis patribus eas non sine ratione fuisse numeratas.

HActenus *veteris testamenti* Scripturis præcipue vsi sumus, & qua-

ANNI MVNDI.

quantum potuimus ad earum regulam, variarum gentium Historias, suo quasque loco constituimus: nunc nouo exoriente sæculo, *noui testamenti* quoque vtemur Scripturis. Quarum auctores duo fuerunt Apostoli, & duo Apostolorum discipuli magni gaudii nuntii, ideoque appellati *Euangelistæ*. Quorum *Matthæus* adimplet sensum instar Euphratis, *Marcus* mittit disciplinam sicut Tigris, *Lucas* multiplicat scientiam quasi Geon, & *Ioannes* quemadmodum Phison effundit sapientiam rigando Paradisum, Ecclesiam *Christi*.

SExta ergo huic ætati conueniunt columnæ illæ binæ in atrio domus Domini à Salomone positæ, quas Hiram summo artificio ei fecerat. Quæ suis vocabulis significant in fortitudine firmitatem existere. Itaque siue ad Christum & Ecclesiam, cuius firmitas in illius fortitudine consistit: siue ad spiritum & gratiam: Magistatum ecclesiasticum & politicum, Principem & populum; scripturam denique atque traditionem respexeris, conueniet proportio atque nomina quam optime ad ea, quæ deinceps narrabuntur. Nam excelsitas ad circumferentiam eam habet proportionem, quæ est inter Gigantem, & virum mensuræ perfectæ, nempe sesquialteram; cum rotunditas sit cubitorum duodecim, & altitudo octodecim. Quodque simul sunt positæ ante templum significant Ecclesiam non posse separari à Christo magis, quam corpus à capite, vt ei maneat firmitas & vita. Nec spiritum à gratia, aut Principem à populo, vel diuersos Magistratus ab inuicem sine internecione & summo Reip. detrimento. Quod, legendo nostros, qui sequuntur, libros, lector attentus facile percipiet; vt opus non sit ea referre prolixius. Si ad formam adspicias repræsentant humilitatem omnium virtutum condimentum, citra quam reliquæ virtutes contemptui habentur. Respicit etenim Deus humilia in cælo & in terra. Ad quem enim, inquit respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu. & trementem sermones meos? Lætamini cum Hierusalem, & exultate in es omnes, qui diligitis eam. Ecce ego declinabo super eam quasi flumen pacis. & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugentis ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Venio vt congregem cum omnibus gentibus & linguis: & venient & videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluati fuerint ad gentes *Tharsis* in mare, *Phut* Africam, & *Lud* Lydiam arcu valentes & tenentes sagittam, & ad *Thubal* Hespe0riam, & *Iauan* Græciam: ad insulas longe: ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres *Isaiæ 66.*


ANNI MVNDI. Ierem. 31.

vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis & carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem. Consummabo enim super domum Israel testamentum nouum: non secundum testamentum, quod feci cum patribus eorum in die, qua eduxi eos de terra Ægypti.

LIBRI TERTII FINIS.



CHRO-



# CHRONOGRAPHIÆ PETRI OPMEERI PARS ALTERA NOVI TESTAMENTI A CHRISTO NATO AD HÆC VSQVE TEMPORA.

## OPERIS CHRONOGRAPHICI ORBIS VNIVERSI

### LIBER QVARTVS.



ATVRÆ ac legis transactis sæculis, successit seculum gratiæ, ætas nimirum sexta, quam *plenitudinem temporis* rite nominat Apostolus. Quemadmodum enim sexto die Deus mundum omnemque ornatum eius perfecit, atque Adam facto in animam viuentem adduxit Heuam ex costa eius efformatam in vxorem: ita hac sexta ætate corruptione deformatam hanc molem orbis, iniquitate abundante, gratuito restaurauit; & nouissimo Adam in spiritum viuificātem facto Ecclesiam quasi virginem eius sanguine redemptam nuptui magno Sacramento dedit, multiplicem ipsi prolem genituram. Singulæ enim ætates initia sumunt ab ijs, qui figurate *Christum* repræsentabant. Adam quippe ætate prima

ANNI MVNDI.
*Gal.4.*
*Gen.2.*
*1. Cor.15.*

T 5 spon-

ANNI MVNDI.

Eccl. 44. Hap. 14.

sponsum referens: Noë secunda ætate iracundiam Dei reconciliando humanum genus per lignum conseruans: Abraham obedientia vnicum offerendo filium ætate tertia fungens sacerdotio: & Dauid quarta regnum administrans Propheticum: Zorobabel quinto quoque æuo ab exsulio peccatis promerito Israelitas in patriam reducens, quis non Saluatorem quasi typos exprimere affirmare audebit? Certe ætates illæ sunt quodammodo binæ ac ternæ metretæ aquæ purificando corpori propositæ, quæ senario exceptæ Hydriarum numero in vinum lætificans animum miraculo transformantur. Certe numerus hic perfectus est, suis omnino constans ex partibus, sicque hæc ætas per quam apte comparatur senectuti. Quæ iam neglectis iuuenilibus studiis iudicii maturitate, consilio, sapientiaque instructa ad meliores cogitationes animum confert. Hic namque præcipue vigere legendo comperies Medicinæ, Iurisprudentiæ, sacræque Theologiæ doctrinas: quibus sanctitas, iustitia, ac corporis animiq; sanitas edocentur. Principes præcipue artes quibus ceteras disciplinas inseruire debere par est. At vt vis haec paullatim languescit atq; sensibus debilitatur prouectior ætas, ita hic etiam Maiestatē Ro. Imperii, imbecilliorē reddi conspicies deficiēte virtute: sicuti etiam refrigerascente multorū charitate hocce æuum infestari videbis multifariis hæresibus, erroribusque diuersis, quasi morbis mederi nesciis, & pedetentim succedente Barbarie ad interitum tendere scientiarum & eloquentiæ. Sed & contemplari licebit, non vllis tēporibus defuisse Ecclesiæ doctores, quasi necessarios medicos, qui collyrio scriptorū suorum caligini errorum medelam plane præbuerint salubrem: quomodo quoque diuina bonitas antidota contra Hæreseωn pestes præparauerit, sacrosancta nimirū œcumenica concilia, quibus serpentes contagiosi coerceantur, etiam morbi. Quid? quod & sub mundi vesperā, instante supremo iam die inter caliginosas impiorum atque discordiarum feraliū procellas, raræ pietatis summæque doctrinæ non pauci instar micantium siderum emicasse cernuntur? vt cernere des orbem à graui ac morbo conualuisse, atque amissas eloquentiæ artium vires sensim recollegisse, opitulante disciplinis arte [illegible] qua plumbeis litterarum characteribus ingeniose fusis atque scribendi ratione apte compositis atramentoque madefactis conuenienter ac prælo compressis diuersarum linguarum libri numeroso quasi partu in quam plurima exemplaria in lucem producuntur. *Typographia* arti nomen dedere, ac Ioannem Faustum anno 1440. excogitatā in lucem produxisse certissimo constat. Mirum tanti artificii repertorem, & diuinarum humanarumque disciplinarum generosum administr[illegible]

Ioan. 2.

Typographia apud Sinarum [illegible]

à Germania inuenta sit traditur à Lusitanis.

à Germanicarum rerum scriptore indigno plane ornari elogio. Fuit certe vir ille immortalis memoriæ dignissimus & acutissimis ingeniis adnumerandus: sicuti etiam Leonardus Pisanus, qui cum peregrinandi studio Æthiopiam ac Indiam penetrasset, ex hac Cyphras & eam, qua nunc vtimur, Arithmeticam: ex illa Algebræ artem supputandi, quam Mahometes Moysis Arabis filius excogitauerat, ad nos detulit. Quarum adminiculo nonmodo exacte & expedite omnium mensurarum ac numismatum & ponderum secreta ratio explanatur; sed & motus cælestis quoque temporumque successio quam celerrime declaratur. Quod abunde ostendit Aloisius Lilius conscripto Kalend. ad cuius normam Gregorius XIII. Pontifex Maximus correxit annum intermissione decem dierum: vt rite suo tempore deinceps celebraretur Pascha. His libenter adiungerem eum, quisquis ille fuerit, qui publicę vtilitati consulens, ex detritis lini canabisque pannis madefactis contusione vehementi rotatu molarum excitata chartam efformari docuit: vt opus deinceps non fuerit papyrũ exportari Ægypto, aut Pergamo membranas. Sed inuidit cognitioni eius nominis nobis inertia Barbari sæculi: quemadmodum quoque nominis illius, qui Amalphios ventorum 32 sedes edocuit, parata ad hoc, Calabra vt vocant, pyxide, intra quam ferrum ad magnetem tritum Boream versus continuo, vi naturæ procedit, quamquam quidam eum *Flauium* nominent. Promeruit & non vulgarem laudem *Ioannes Eiclius* docens colores oleo seminis lini contrito: quam diutissime ferre ætatem, in multaque durare sæcula: picturam quoque barbariẽ extinctam resuscitando Opus eius erat tabula illa *Agnus Dei* dicta, in D. Ioannis Gandaui: quam Philippus Austriacus II Hispaniarum Rex locarat 2000 ducatis imitatione exprimendam Michaeli Cochsieno. Oportet & illum acuti fuisse ingenii, rerumque naturæ secretarum capacem, qui fulmen tonitrumque quam proxime exprimere aggressus est annis ab hinc 1330. vsus ferrea aut ænea fistula, quæ vi pulueris è nitro, sulphure & carbone salicis contriti accensi globum plumbeum euomuerat tanta pernicitate, vt etiam versatilem transuerberaret ventorum indicem immotum persistentem, Huius nomen merito obliteratum aiunt; quando quidem ars ipsa generi humano incommodi plus, quam commodi conferat, cum ingenia Tyrannorum procliuia sint ad faciendam iniuriam atque vim inferendam: nec vllæ vmquam machinæ bellicæ tantam stragem hominum edidisse, & rebus perniciem omnibus intulisse comperiantur. Hæc de inuentionibus renascentiaq; literaturæ decrepitæ iam sextæ ætatis dicta sunto. Cæterum quemadmodum sexto die vesperi cie :

ANNI MVNDI

**Bombardarũ vis apud Germanos primum explorata: Hispani tradunt Sinarum populos vsos bombardis æneis belligerantes contra Indos, anno 1086.**

*Suet. in August.*
*Luc. Flor.*
*Gen. 3.*

ANNI MVNDI.

Gen.3. Gal.4. eiecit Deus ob inobedientiam Adam de Paradiso voluptatis, & collocauit ibidem Cherubin, & flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendam viā ligni vitæ: ita sexta ætate misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt per obedientiam ad mortem vsque crucis, eos qui sub lege erant, redimeret; quo adoptionem filiorum recipiant atque hereditatem adeant 1.Thes.4. æternæ vitæ. Quando sub vesperam futuri Sabbathi ipse Dominus in iussu & voce Archangeli, & in tuba Dei, descendet, de cælo, iudicaturus viuos & mortuos, & sæculum per ignem consumetur. Porro legis tabulæ, Euangelicæque legis præfiguratio liber Deuteronomium sub propitiatorio in arca (ex superficie) concludebantur, variisque aliis scatet is numerus mysteriis. Mense namque etiam sexto postquam Zachariæ sacerdotis vxor Elisabeth conceperat missus est Angelus Gabriel interpres visionum arcanarum, qui Danielem docuerat vicissitudines atque successiones regnorum; Septuaginta hebdomadas abbreuiatas, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, impleaturque sic visio & Prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Fortis, inquam, ille Dei, qui Zachariam sacerdotem non credentem verbis suis loquela priuarat ad tempus semestre, iam tum a Deo, ante quem vnus ex septem stabat, *Nazareth* ciuitatem Galileæ tribus Zabulon in propinquo monti Thabor ad Virginem *Mariam* nomine tribus Iuda, ibidem Ioseph suæ tribus viro desponsatam, sic disponente Domino, vti nec mater Dei futura temeratæ virginitatis infamia incusaretur, nec partus virginalis quasi spurius ex lege damnaretur; falleretur quoq; Princeps tenebrarum, nihil sublimius humana natura ex desponsata viro existimans posse nasci. Itaque ingressus ad eam solus in penetralibus Dei nuntius matutina quasi salutatione vsus; *Aue, ait, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres.* Digna sane salutationis forma virgine illa, quam Spiritus sanctus largo omnium virtutum imbre perfuderat, cui Pater cælestis prior hoc nuntio suo semper aderat: & cuius mentem filius adimpleuerat, adimpleturus & ventrem. Quid illa? verecundia expauescens, quo facilitatem credendi Heuæ vitaret, & Zachariæ quoque incredulitatem, inauditam antea salutationem prudenter examinabat cum silentio. Perterritam itaque nomine appellat, vsuque apud scripturarum peritam phrasi scripturæ peculiari, verbisque Propheticis, & virginem stirpis Dauidicæ Saluatorem parituram esse, & Deum ipsam sua gratia præuenisse haud aliter atque pauperculam Moabitidem prædiues Boos, in memoriam reducit. Exquirentique conceptus modum explanat incontaminabile connubium, atque incomprehensibilem

Annus mundi. 3966.

Dan.8.9. Luc.1. Tob.12. Ruth.2.

lem partum, nempe incorporeum lumen diuinitatis acceptu-rum corpus humanitatis perfectum: sicque duas substantias constituentes fore vnam personam filium Dei, cuius illa mater futura sit. Docens exemplo cognatæ sterilis anus Elisabeth iam tum sexto mense vterum gerentis, nil impossibile esse apud Deum: qui naturæ Dominus, quæcumque disponit, peragit. *Maria* verbis Angeli credula, tanta haud quaquam exaltatur promissione, nec tantæ prærogatiuam gratiæ sibi vendicat; sed suæ memor humilitatis summa cum modestia obsequium deferr voto, vt dicta impleantur, deuote exoptans. Itaque quod vsus nesciuit, natura non potuit, ignorauit ratio, mens non capit humana, cælestes admirantur spiritus, pauet cœlum, terra stupet annuntiante Angelo, consentiente virgine, superueniente Spiritu sancto, ac obumbrante virtute Altissimi, in Filio Dei adimpletum est. Verbum enim quod in principio apud Deum Deus erat, per quod omnia facta sunt; quod ætate non variatur, nec loco clauditur, aut intellectu comprehenditur Caro factũ est sexta sabbathi anno ab origine mundi 3966. sole ingresso Arietis signum, adsumens ex castissima matre quod non erat, & permanens in vtero fœcundissimæ virginis quod in principio erat. Post discessum Angeli Maria læta Euangelio, præ gaudioque festinans abiit in montana in ciuitatem tribus Iuda, Hebron, quæ 12000. pass. ab Hierusalem sita, & Sacerdotalis, & fugitiuorum erat, prima Regia Dauid monumentisque Patriarcharum in primis nobilis, & antiquitate 7. annis Tani Ægypti vrbe vetustior. Vbi cum ingressa ædes Zachariæ, salutasset Elisabeth arcta cognatione ex parte matris sibi attingentem, infans non obstante vteri tegmine matre salutationem prius audiente velocius gratiam sentiens præ gaudio aduentus Domini exultauit, quodque voce non potuit, motu demonstrauit. Quod accepto Spiritu Sancto mater intelligens, in hanc exclamationem prorupit. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui: & vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* sicque ornat nondum natum puerum eo titulo, quo Ille, ad quem rerum omniũ summa in orbe concesserat, se appellari non passus, imo non ausus est *Cæsar Augustus.* Matrem quoq; beatam prædicat, atque se Prophetiæ donatam spiritu declarat; dum illam promissionibus Angeli fidem adhibuisse cognoscit, Deum in vtero gestare intelligit & futura esse. quæ à Domino dicta sunt, prouidit. At quanto virginitas maiore miraculo fuit fœcundata quam sterilitas; tanto fuit & Prophetia Matris Dei, q̃ matris maximi Prophetæ, plenior. Maria enim maiore perfusa gratia immensitatem mysterii sublimiore speculatione contemplatur, atque præ gaudio ob approbatam à Deo suam humilita-

*Ioan. 1.*

Recte ergo annus primus Incarnationis Dominicæ statuitur anno orbis conditi 3966.

Incarnationis Christi I.

*Ios. 21.*

*2. Reg. 2.*

*Ios. 14.*

*Oros. 6. 22.*

ANNI MVNDI.

militatem spiritu exultans hymno laudes Dei extollit: commemoratisque eius pietate ac iustitia generaliter, singularem nouæ incarnationis dispensationem enarrat: per quam promissio hereditatis Abrahæ & semini eius facta adimpleretur. Mansit vero Maria cum Elisabeth circiter menses tres: cumque illa esset partui proxima (præter decorum enim fuisset visum virginem a Iesse parienti) reuersa est domum.

Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium VIII. Kal. Iulij, sole ingresso Cancri signum: ex quo ille descendente ad VIII. Kal. Ianuarias vsque, paullatim orbi nostro subtrahitur lumen, quod post natiuitatem Christi ascendente sole rursum nobis augetur, quasi oporteat Ioannem, ad quem vsque lex & Prophetæ vigent, minui; & Christum, à quo gratia initium sumit, crescere. Audientes vero vicini & cognati Dominum magnificasse misericordiam suam, ipsi ex insperato filium concedendo, congratulabantur ei.

Die vero octauo venientes vt ex more circumciderent puerum, vocauerunt eum nomine patris *Zachariam*. At mater respondens; *Nequaquam*, ait, *sed vocabitur Ioannes*. quo nomine & illum pater appellandum esse significauit, id pugillari, cum voce exprimere non posset, inscribens; sicque qui, quasi aurora solem præcedens, præcursor Domini erat natus; nomine demonstrauit gratiam, quam de plenitudine illius, qui ante eũ factus, post eum esset venturus, gratuito essent accepturi electi. Mirantibus ergo cunctis de hoc nomine, gratia per fidem linguam incredulitate vinctam dissoluit: in qua Spiritu sancto repleta Prophetiæ donum illico quoque effulsit. Hymno Deum benedicens, quod cornu muniminis & gloriæ in posteritate Dauid ad salutem erexerit Christum secundum suas promissiones, quas enuntiauerant Prophetæ: deinde ad Puerum sermonem conuertens, eius munus ac officium recenset.

Matth. 1. Reuersa vero Maria Nazareth priusquam ipsa & Ioseph conuenirent ab illo inuenta est grauida de Spiritu sancto, cumque vir iustus esset, omni nimirum virtutum genere ornatus, noluit eam traducere in domum suam, sed occulte dimittere, tempus quodammodo nuptiarum protogando. Hocque eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit ipsi in somnis, nomen eius exprimens, genus commemorans, atque sic quasi amicum & familiarem hortans accipere Mariam in coniugem, seruando thorum immaculatum: parituram enim ex Spiritu sancto esse filium promissum illum *Christum*, qui populum suum saluum faciet à peccatis eorum, cuius nomen IESVM vocabit. Sic itaque Ioseph Angeli dictis obtemperans; accepit Mariam in coniugem, non cognoscens eam; sed inuiolatam conseruans, quasi

templum

templum Domini & sacrarium Spiritus Sancti, præparatum excipiendo verbum, filium vnigenitum nimirum Dei. ANNI MVNDI.

Interea Cæsar Augustus censum agi singularum vbique prouinciarũ, censeriq; omnes homines, eorumq; facultates edicto iussit. Quamobrem P. Sulpicius Quirinus, Consularis Syriæ Præses in Iudæam prouinciæ Syriæ iam attributã venit: & licet Iudæi primo descriptioni huic ægre parerent, auctoritati tamen Ioazari pontificis id suadentis fieri, obtemperarunt: singulique profitebantur nomen suum ea in ciuitate vnde erant oriundi. Itaque & Ioseph qui longa generis serie à Dauide descenderat, à Galileæ ciuitate Nazareth profectus est in Iudææ ciuitatẽ Bethlehem, quæ & Ephratha antiquitus dicebatur: vbi natus fuerat Dauid, paterque eius Isai, & auus Obed; cum ibi eius proauus habitaret vir potens & magnarum opum Booz: vt etiam censeretur cum Maria vxore sponsalibus sibi iuncta Dauidicæ quoq; stirpis, partui iam vicina. Cum ergo ibi essent, impleti sunt dies iusti partus: & peperit Virgo prima sabbathi VIII. Kalen. Ianuarii nulla obstetricante, immaculato partu & absque labore vnigenitum Dei filium natura, primogenitum suum susceptione humanitatis per gratiam, & pannis eum inuoluit atque reclinauit in præsepi, propterea quod non esset ei locus in diuersorio. O natiuitas singulari priuilegio decorata, quæ non reseras, sed consecras virginalis vteri templum: sacri mysterii profunditate etiam Angelis inuestigabilis, & magnitudine beneficii gratuiti omnibus hominibus admirabilis: quæ nec similem visa es habere priorem; aut etiam secundam. Salue Ephratha regio frugifera atque vberrima, cuius fertilitas Deus est. Salue Domus panis Bethlehem, in qua natus est panis ille, qui de cælo descendit: de te vaticinatus est ante annos 710. Michæas Morasthites: *Et tu Bethlehem Ephratha, paruula es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Salue spelunca Augusti palatio augustior, quæ diuersorio exclusum hospitio excipis Regem Regum, Dominum exercituum ad blanda susurra virginis Matris vagientem: ad quem pannis inuolutum ac positum in præsepi accepto ab Angelis læto nuntio gaudentes veniunt gratulatum vigiles pastores: cui carmen natalicium concinit multitudo militiæ cælestis, laudando Deum in altissimis, quod Saluator ille natus sit, qui reconciliaret Patri peccatores, & cæli ciues ac terræ incolas in vnum congregaret gregem: exoptantes pacem bonæ voluntatis hominibus atque etiam diligentibus nomen Dei. Discedentibus vero pastoribus atque ad gloriam & laudem Dei hæc narrantibus simplici ac veraci facundia: Maria conseruabat hæc omnia in mente: conferens quæ facta fuerant cum iis,

*Oser.6.22.* *Ios.18.1.3.* *Luc.2.* *Gen.35.28.* *1.Reg.16.17.* *Ruth.4.2.* *Hieron. cont. Heluid.* *Greg. Nyss.* *Mich.5.* *Isai.4.*

ANNI MVNDI. ijs, quæ de Christo prædixerant Prophetæ: nequaquam in vulgus arcana Dei consilia effutiendo.

Ne quis igitur impiis, quibus pax non est, putaret etiam concessum fuisse gaudium ac mentis tranquillitatem; emersit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se: verum ipse periit, & omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Fuerunt hi sectantes quartum genus nouiciæ doctrinæ, quod Iudas cum Pharisæo Sadoc excogitauerant in perniciem gentis sub prætextu libertatis. Cuius amore in tantum flagrabant: vt facilius vel exquisitissima pœnarum genera cum cognatis ac carissimis sibi laturi fuissent, quam mortalem aliquem appellaturi Deum: asserentes solum Deum Dominum habendum ac Principem

*Act.5.*

*Ioseph.18. 12.*

Expletis octo diebus, ipsis Kalendis Ianuarii Christus se formam peccatoris accepisse sub lege ostendens, secundum legis præscriptum circumcisus fuit: non respuens remedium, quo caro peccati ex lege consueuerat mundari, vocatumque est nomẽ eius IESVS. Quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Nomen admirabile, per quod eiiciuntur dæmones, claudi ambulant, cæci visum recipiunt, ægri restituuntur sanitati, mortui reuiuiscunt, remissionem accipiunt peccatorum credentes. pro quo nomine se contumeliam passos fuisse Ecclesiæ Primates Apostoli gauisi fuere. Nec enim aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri.

*Marc.15.*

*Act.3.9. 10. 16.5.*

Deinde post 33. dies legalis purgationis Nutricius Ioseph ac mater *Maria* tulerunt infantem IESVM Hierosolymam, vt sisterent eum Domino, eo quod primogenitus esset matris: redempturi eum secundum legem oblatione binorum turturum seu columbarum. Cum ergo, vt sacrificium hoc pro eo offerrent, puerum inducerent in templum: accepit eum in vlnas suas grãdæuus Simeon sacerdos ac Propheta: qui eo in spiritu venerat, iccirco quod responsum acceperat à Spiritu sancto se non visurum mortem, nisi prius videret Christum Domini. Peractis ritibus itaque legis, benedixit Deum: quod in pace iam moriturus viso illo; per quem Deus populo Israelitico salutem esset concessurus. Quique per gratiam lumine doctrinæ suæ Gentes arcana redemptionis salutisq; suæ mysteria reuelaret, atque gloriæ futurus sit Israeli; cui promissus fuit: & à quo secundum carnem processit. Deinde soli, postquam omnibus Sacerdos benedixerat; iam Propheta Dei genitrici futura prædicit, Puerum fore in petram offensionis improbis, ac piis in sanctificationem. In signum quoque ponendum, Iudæis in scandalum, Gentibus ad stultitiam: iis autem qui salui fient, futurum virtutem Dei. Signum quippe occultæ rei, iudicium à simplicioribus quidem vide-

*Leuit.12.*

*Esai.11.*

*1.Cor.1.*

videtur, sed intelligitur ab iis, quibus est intellectus exercitatus. Ipsamque matrem licet eum sciat mortem ipsam deuictu rum, non sine supremo doloris affectu posse videre, quasi serpentem æneum, erigi in signum crucis. Superuenit ipsa hora Anna Prophetissa filia Phanuel, tribus Aser, vidua ætatis 84. annorum. Qui numerus ter secundarium numerum perfectum continet suis partibus constantem: significans ipsum & in virginitate sua curando, quæ Domini sunt, & in septennali cōiugio, quæ viro placita erant agendo, & in viduitate non discedendo de templo, ac nocte dieque ieiuniis & obsecrationibus seruiendo perfectum vitæ genus fuisse secutam. Quod & nomine Annæ gratiosam, misericordem ac requiescētem significante apte declaratur. Hæc ergo licet corpus affligebat ieiuniis; animam pascebat obsecrationibus, vescens pingui pane illo Aser, qui delicias etiam Regibus præbuerat, quasi filia videntis Deum. Eoque saturata confitebatur Domino, & loquebatur omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.

*1. Cor. 7.*

*Gen. 49.*

Cum vero vterque sexus, ac triplex vitæ professio prophetauerant Iudæis aduenisse Christum, Angelusque Domini ipsum pastoribus indoctis ac simplicibus demonstrasset: ecce stella noua exorta Sapientes Orientis natum Regem Iudæorum supra alios reges honorandum sua claritate docuit: dum illustrior cæteris sideribus ad sui contemplationem oculos eorum conuerteret, mentes excitaret ad inquirendum ortus caussam, & voluntates propelleret ad adorandum eum, quem stellam significare intelligebant Non erant hi Babylonici Augures cæli, qui contemplabātur sidera & supputabant menses, vt ex eis futura prædicerent: quos ignis combussit. Sed qui ad ortum Solis timebāt gloriam venientis Redemptoris Sion. Primitiæ, Hebri progenies, quorum habitatio erat vsque ad montem Sephar orientalem. Horum magorum cognationes decem annis ab hoc sæculo 1300. extitisse referuntur in regno Tharsæ proximo Cathay, quæ firmiter fidem Christi inter Idololatras retinebant. Porro non declinarunt hi sapientes ad ariolos sciscitatum; sed venerunt Hierosolymam dicentes: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente: & venimus adorare eum.* Quod audiens Herodes, qui Ascalone oriundus regno alienigena potiebatur, omnesque incolæ vrbis turbati fuere. Atque ex sacerdotibus legisque peritis prophetiæ approbatione addiscens rex, Christum nasciturum in Bethlehem Iuda, clam à magis tempus apparitionis stellæ sciscitatur, hortans eos vt eo pergant, ac vbi puerum inuenerint, reuertentes id ipsi denuntient, se quoque velle illum adorare. Astute interim cogitans hoc modo se posse sine tumultu tollere expectatum Iudæis legitimum

*Matth. 2.*

*Isai. 47. 19.*

*Aito Armenus histor. li. 1. c. 2.*

*Leuit. 19.*

*Mich. 5.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

gitimum Regem. Igitur digressis à Rege stella eadem apparuit antecedendo eos, vsque dum consisteret supra domum, vbi puer erat. Non erat cursus stellæ illius naturalis, cum ex Oriente Occidentem versus venientibus prælucebat; & ab Hierosolyma Austrum versus præibat; manendo, vbi inter amplexum genitricis continebatur, qui cælum & terram ipse complectitur. Quem procidentes adorauerunt: humanitatem cernentes, & diuinitatem venerantes. Itaque apertis thesauris suis, *auri munere* Regiam dignitatem, *thuris* diuinam Maiestatem, *myrrha* ab omni corruptione peccati illæsam humanitatem conseruandam honorare se declararunt. Oraculoque admoniti in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionē suam. Vbi manserunt colentes Deū magis quam ante: cumq; eo venisset Thomas Apostolus (cui India ad fidem conuertēda obuenerat) adiuncti sunt ei, & baptizati facti sunt adiutores eius prędicationis.

*Chrys. hom. 2. in opere imperfecto. Ludou. Re. lib 6. t. rerum Indic.*

Postquam vero recesserant Magi, admonitus in somno Ioseph ab Angelo vt fugeret, Herodem sæuiturum in ætatem teneram, quo puerum perdat, secessit in Ægyptum de nocte surgens, habitaueruntque circa Onios, vbi Onias Oniæ sacerdotis filius construxerat templum æmulum Hierosolymitano, & habitauerat Patriarcha Iacob 17. annis.

Videns vero Herodes se à Magis delusum, iratus misit lictores ac satellites Bethlehem, qui omnes pueros à bimatu & infra in ciuitate, eiusque territorio trucidarent, vnde matrum tantus ploratus ac vlulatus obortus est, vt cum Ieremias prophetice prædicens per hyperbolen dixerit & in Rama potuisse exaudiri: matres designans sub nomine Rachaelis, cuius sepulchrum vno iugero ab oppido erat iuxta viam, qua itur Bethleem.

*Macrob. 2. Saturn. c. 2.*

Porro hanc immanitatem audiens Romæ Augustus, referentibus inter pueros etiam filium Tyranni fuisse interfectum; *Melius est*, aiebat, *Herodis porcum esse, quam filium*, intelligens apud Iudæos porcos non mactari, cum religione suilla abstinerent. Cæterum quantum odium & iniquitas impii Regis contra paruulos abundauit: tantum gratia benedictionis erga illos effulsit. *O vernales Martyrij Euangelici flosculi, ô beati felicesque paruuli: ille de vestra corona in passione pro Christo suscepta dubitabit*, inquit Augustinus, *qui etiam existimat baptismum Christi paruulis non prodesse.*

*Sermon. de Innocentib.*

Post hæc Herodes in morbum grauem incidit: calore, qui externo tactu non deprehenderetur, torrente intus viscera. Aderat & vehemens voracitas, vt necesse esset ei continuo cibos suggerere: simulq; vexabatur exulceratione intestinorū, & cholicis passionibus: pedes tumebant phlegmate humido & pellucido,

mes ex Casto-
baro

tipater Berenice

rosoly-

Philip-
pus ex
Hero-
diade

Salo-
He-
trix

10. Fratris filia & consobrina steriles
9. Elpide Roxana.
8. Phedra Salome.
7. Phaselus.
6. Pallade.

impiorum multitu-
& spuria vitulamina
altas: nec stabile fir-
bunt. Confringentur
i, & fructus illorum
l manducandum & ad

pasiano Lesidis
iuit religionem.

rido, similiterque & inguina, ipsa quoque verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda nec minus molesta lentigine, nō sine fœtore grauissimo: super hæc omnia neruorū contractione laborabat, & difficultate anhelitus. Quamobrem cōstans erat inter viros diuinos & fatidicos opinio, Regem læsæ multis modis pietatis Deo pœnas pendere. Sperans morbū posse depellere medicorum consilio, se fouebat aquis Callirhoe fontis, calore medico probatissimi. in tribu Ruben. Vnde rursus Hierico reuersus atra bile prægrauante eo imanitatis prolapsus est, vt voluerit sibi manus inferre, iusseritque Antipatrum filium occidi, corpusque eius condi in castello Hyrcanio. Quinto deinde die mortuus est: relinquens Archelao regnum testamento, Antipæ Galileam & Peream; Philippo Archelai germano Trachoniticam, Gauloniticam, Batauean & Panneada Tetrarchiæ nomine: Solomæ sorori suæ Iammam, Azotum & Phaselida, & argenti signati quingenta millia, cui Cæsar etiā palatium largitus est Ascalone, cessit quoque argentum sibi legatum Herodis liberis. Archelaus procurauit eius exequias quam sumptuosissime, sepultusque fuit Herodii, sicuti viuens mandauerat. Eius infelicem progeniem hic appingimus, quod prodesit eam nouisse ad exactiorem intelligentiam Scripturæ.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*Ioseph. Antiq. 17. 8. 9. 10.*

*Antipater*, &c. ††

## *Monarchia Romanorum.*

C. CÆSAR Octauianus, cui ex Munatii Planci sententia consensus vniuersi Senatus, populique Rom. cognomen *Augusti* indiderat, sopito vbique armorum furore, Consulatus ad vndecimum vsque vt continuaret, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrari passus est; eumque cum M. Plantio Siluano gessit; erga ciues clementissime versando. *Domini* appellationem tamquam opprobrium enim semper exhorruit: nec se vel serio vel ioco Dominum appellari passus est, ne à liberis quidem aut nepotibus suis. Cæterum omnibus iam ad Occasum & meridiem pacatis gentibus: ad Septemtrionem quoque dumtaxat intra Rhenum & Danubium: item ad Orientem intra Taurum & Euphratem: illi quoque reliqui, qui immunes Imperii erant; sentiebant tamen magnitudinem, & victorem Gentium populum Romanum reuerebantur. Nam & Scythæ miserunt legatos, & Sarmatæ amicitiam petentes. Seres etiam habitantesque sub ipso sole, Indi cum gemmis & margaritis Elephantes quoq; inter munera trahentes. nihil magis quam longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleuerant: & ipse hominum color ab alio cælo eos venire fatebatur. Parthi quoque, quasi victoriæ pœniteret, rapta signa clade Crassiana vltro retulerunt.

*Sueton. c. 7. August.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

Sic vbique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit aut pactio. Ausúsque tandem *Cæsar Augustus* 752. anno ab vrbe condita Ianum geminum claudere. Quod bis ante eum factum fuerat. Igitur Senatui maiestas, legibus vigor, auctoritas iudiciis, populo securitas rediere. Certa quoque cunctis relicta rerum suarum est possessio: & agri culti passim sunt: in vrbeque complura publica opera ac priuata ædificia exstructa, disciplinæ artesque variæ excultæ fuerunt. Nam obseratas per duodecim annos Iani fores rubigo quasi consignauerat. Liberalitatem quoque Cæsar omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibebat: & clementiæ ciuilitatisque eius multa & magna documenta exstabant. Cumque eloquentiam studiaque liberalia a prima ætate cupide exercuisset; præcipuam curam ducebat sensum animi quam apertissime exprimere: propterea cum non expedite Græce loqueretur; si quid res exigeret, Latine formabat vertendumq; dabat aliis. In euoluendis vtriusque linguæ auctoribus, nihil æque sectabatur, quã præcepta & exempla publice vel priuatim salubria: eaq; ad verbum excerpta aut ad domesticos, aut ad exercituum prouinciarumque rectores, aut ad vrbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerẽt. Multa varii generis & inter ea hortationes ad Philosophiã composuit. Animi laxandi caussa sæpe talis aut oscillatis nucibusq; ludebat cũ pueris minutis: quos facie & garrulitate amabiles vndique conquirebat, præcipue Mauros & Synos. Delectabatur quoq; iocis, saluo tamen Maiestatis pudorisq; respectu. Nam inuidiosis aut petulantibus contradixerat edicto. Solitus fuerat ipsi à Palatio descendenti Græculus Epigramma in laudem eius conscriptum porrigere, quem vt ioco eluderet, quasi ipsum simili mercé remuneraturus, breue manu sua in charta exarauit Græcum Epigramma, pergentique ad se obuiam misit. Qui legendo admirabundus vultu voceque laudare illud visus, accedens ad Cæsaris sellam, paucos denarios marsupio prolatos dat Principi dicendo: *Non pro tua fortuna Auguste: si plus haberem, plus darem*. Quam ingenii dexteritatem (ridentibus omnibus) in tantum æstimauit Cæsar; vt sestertia centum millia dispensatorem suum Græculo iusserit numerare. Ingenia enim sui sæculi omnibus modis fouit: recitantesque sua scripta & benigne & patienter audiuit. Quare tot eminentia fuere ingenia, quæ radios suæ claritatis longe lateque sparserunt. Ex vltimis enim Hispaniæ Galliarumq; finibus ad videndum Titum Liuium lacteo (vt Hieronymus ait) eloquentiæ fonte manantem quidã venerunt nobiles: & quos ad contẽplationẽ sui Roma non traxerat, vnius hominis fama eo perduxit. Qui annis ab hinc 20. è viuis excessit. Certe Augu-

*Sueto in Augus. cap. 22.*

*Sueton. 89.*

*Sueton. 83.*

*In prologo galeato, ad Paulinum ex Plinio.*

Augusto tribuendum est, quod flamma non consumpserit Æneida: cum eam Virgilius moriens testamento mandauerit cremari. Quo opere vt nihil poesis Latina habet excellentius, sic nec quidquam magis vatidicum Eclogis 4. & 5. quæ ex Sibyllæ Cumanæ libris quasi descriptæ, felix huius ætatis initium, partum Virginis, Christi vitam, mortem, ascensum in cælum Gentibus annuntiasse apertè satis intelliguntur. Vnde enim hæc hausta aliter, & quo potius tendunt?

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,* Esai. 14.
*Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,*
*Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:*
*Iam noua progenies cælo demittitur alto.* Esai. 7. 64.
*Ille Deûm vitam accipiet, diuosque videbit* 60.
*Permixtos Heroas, & ipse videbitur illis;*
*Pacatumque reget patrijs virtutibus orbem.* Esai. 11.
*Occidet & serpens & fallax, herba veneni.*
*Aggredere ò magnos (aderit iam tempus) honores,* Gen. 3.
*Chara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum.* Marc. 15.
*Adspice conuexo nutantem pondere mundum,* Esai. 11.
*Terrasq́; tractusq́; maris, cælumq́; profundum.* Ioan. 1.
*Cum complexa sui corpus miserabile nati,* Marc. 1.
*Atque Deos atque astra vocat crudelia mater.* Matth. 17.
*Candidus insuetum miratur limen Olympi:* Mat. 27. 28.
*Sub pedibusque videt nubes & sidera Daphnis* Marc. 15.
Act. 1.

Et quæ sequuntur:

——— *Deus Deus ille Menalca* Isai. 40.
*Sis bonus ò felixq́; tuis* ——— Ser. in 4. Ecl. Virg.

Vnde inquam hæc hausta sint, nisi ex libris Sibyllæ Cumanæ, quæ (vt narrant) sæcula per metalla distinxit, & imperia diuersorum temporum designauit, non video. Quodque Gentibus à nullius disciplinæ experte lingua Latina maioris orbis parti nota annuntiata fuerint, omnino diuinitus contigisse arbitror: sicuti quoque existimo accidisse, vt aduenienté Gentium lumine, procul profligatæ sint errorum Gentilium tenebræ: atq; Sacerdote ac Propheta Dei veri ac viui benedicente Dominũ ac Deum Israelis, quod visitauerit ac fecerit redemptionẽ plebis suæ: ficticiorum Deorum vates, ac futilis Fastorum fabularumque interpres P. Ouidius Naso relegatus sit in Pontũ: quamlibet eo prætextu, quod tres libellos amatoriæ artis conscripserit, illum Augustus exsulio damnasse narratur. Certe licet Augustus leges de adulteriis ac pudicitia sanxerit, tamen luxuriæ ac libidini seruiebat vsque ad probrum vulgaris famæ. Nam captus amore alienæ coniugis abiecta Scribonia, ex qua Iuliam tulerat, Liuiam Drusillam concedente marito Tiberio Claud. Nerone

Macrob. in somn. Scip.

Vide Aurel. Victorem Augusti.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

ne etiam prægnantem abduxit, quæ & in eius domo peperit Drusum, cum antea genuisset in Palatio Cl. Tiberium ab ipso postea adoptatum. Nec ei sinistra impudicæ filiæ fama tanti esse poterat, quod lepidissimum Poetam ad inhospitalem gentem, ad Ionios & Getas relegaret, vt ipse multis elegiis deplorat; quin in matris quoque famam dictum ioco mordacius pertulerit: Nam ab eo interrogatus Prouincialis, quem ipsi simillimum Romani dictitabant, num mater eius aliquando fuerat Romæ? ille non contentus negasse, adiecit: Sed pater meus sæpe: quo dicto suspicio maternæ impudicitię oboriri poterat. Magni quoque faciebat ingenia, quæ ætate illa florebant honore alente artes. M. Antonio Musæ eius medico, qui de Betonica herba ad M. Agrippam, & de conseruanda valetudine ad Mecœnatem scripserat, ex ære collaticio statuam iuxta Æsculapij posuerunt. Fuere & honore affecti C. Iulius Hyginus eius libertus & Marcus Manilius, qui ambo Astronomica conscripserunt. Tribuebat enim Cæsar multum illi arti, cum ex adoratione Theogenis Astrologi tantam fiduciam fati concepisset, vt nummos argenteos ac aureos nota syderis Capricorni, quo natus erat, percusserit cum huiusmodi inscriptionibus: aur. AVGVSTVS DIVI F. IMP XI. Capricornus: aur. AVGVSTVS PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. COS. XI. AVGVR. IMP. XII. P. P Capricornus tenens globum & temonem cum cornucopiæ. Ad epistolas quoque omnes horarum momenta, nec diei modo, sed & noctis quibus datæ significarentur, addebat. Auspicia & omina quædam pro certissimis habebat, ostentis etiam præcipue monebatur. Instituerat coruum quidam hoc dicere; *Aue Cæsar, victor, Imperator.* Miratus itaque officiosam auem viginti millibus nummum emit. Salutatus similiter à Psittaco, emi iussit eum. Idem miratus in pica, hanc quoque redemit. Exemplum sutorem pauperem sollicitauit, vt coruum instituerat ad parem salutationem: qui impendio exhaustus sæpe ad auem non respondentem dicere solebat: *Opera & impensa perijt.* Hac audita dum transit Augustus, respondit: Satis domi salutatorum talium habeo. Superfuit coruo memoria vt & illa, quibus Dominum querentem solebat audire, subtexeret: *Opera & impensa perijt.* Ad quod Cæsar ridens, emi auem iussit, quanti nullam adhuc emerat. Quicquid librorum Fatidicorum Græci Latiniq; generis nullis vel parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur supra 2000. contracta vndique concremauerat, solos retinens Sibyllinos: quos condidit duobus forulis sub Palatini Apollinis basi. Persuasum enim habebant Theologi Ethnici Solem, quasi mentem mundi, mentes hominum quodammodo vt scintillas diffundi, atque; quumque eas incenderit vehementius futuri conscias reddere: sicque Sibyllas arsisse vi magna flamma.

Macrob. Satur. l. 4.

Suet. In Augusto.

N I
DI ET
ISTI.

l.11.

l.18.
.c.8.

A
MV
CH

*Ma*
*Sat*

*Sue*
*Au*

*ias Veien-*
*teruolans*
*mum lau-*
*rapuerat,*
*llina tanta*
ad galli-
*i ramulo,*
*lauretum,*
*inde lau-*
*tos trium-*
*edem loco*
*ſub cuiuſ-*
*ſo planta-*
*imo Nero-*
*uit radici-*
*arum erat*
*œlo Caſa-*
*tuis ſimul*
*ceptrum è*
in Galba.

*it Clau-*
*Druſum*
*ium An-*
*, M. An.*
*III. Viri*
*ctau. ma-*
*ſilia.*

*ſtauerat*
*& Tib.*
*manicum*
*ſ. F. Patrē*
*Caligula*
*eſſoru ſui*
*mperio.*



ANNI MVNDI ET CHRISTI.

rum Solis; dum futura vaticinarentur, Ignorabant illi vero Deum eodẽ quoque tempore, quo Sibylla ætates per metalla distinxit, etiam Nabuchodonosori ostendisse in somnis statuam ex diuersis metallis conflatam, per quæ Imperiorum vicissitudines Daniele Interprete declaratæ fuerunt. Iacob quoque Patriarcham longo tempore prius Sibylla venturi Christi eadem signa tẽporis designasse, quæ ex Sibyllinis intelligens Virgilius canit. *Teque adeo decus hoc aeui, te Consule inibit Pollio, & incipient magni procedere menses.* Nam Cn. Domitio Caluino, & C. Asinio Pollione Consſ. Herodes Ascalonita regium fastigium adeptus est Romæ, ablato sceptro de Iuda, & duce de fæmore eius. Nam nullus ex Iuda deinceps dux, vel ducatu dignus ꝓuenisse legitur. Fuitq; vltimus Ioseph, qui venienti mittendo adfuit, & exspectationem gentium deduxit in Ægyptum, indeque reduxit Nazareth.

GENEALOGIA, &c. †††

Augusto Cęsare iubente Balbus agrimensor omnium prouinciarum mensuras distinxit ac declarauit: & ipse Augustus describens Italiam, in vndecim regiones eam diuisit. M quoq; Agrippa eius gener, qui contra naturam nascẽdo in pedes processerat vt orbem terrarum vrbi spectandum proponeret, commentaria Geographica conscripsit. Vigebat enim tum Geographiæ studium, in quo præcipue excellebat Strabo philosophus Stoicus, qui Posidonium nouerat Panætii Stoici successorem; ortus Amasia ciuitate Pontica. Qui, quo certa posteritati relinqueret, oculis contueri insigniora orbis loca voluit. Vsus ergo amicitia Ælii Galli præfecti Ægypti, cum eo Nilum nauigauit, ac vniuersum fere Ægyptũ, Æthiopiæq; bonam partem lustrauit: quoq; Homerum interpretaretur, Vlyssis nauigationem peregrinatione imitatus fuit. Erat pręter hęc omnis Philosophię peritus: nam nõ modo Aristodemo Menecratis filio Stoico operã dederat; sed & audierat Xenarchum Peripateticũ, Boethoq; eiusdem sectę adhæserat: & conscribendæ historiæ intentus etiã Pompeii Magni res gestas memoriæ mandauerat: ita vt eius descriptionibus magna fides adhiberetur, quando & eum Iosephus Iudæus etiã allegat. Quin & M Vitruuius Pollio Architecturam ex Græcorũ scriptis distincte & multis adspersis erudite, decẽ libris pertractauit: Augustus enim præfecerat eum apparitioni Balistarum, Scorpionum aliorumq; tormentorum bellicorũ cum M. Aurelio, P. Minidio & Cn Cornelio, annuo eis reditu cõstituto, quoad viueret. Porro cum ad hanc quoq; ætatẽ Iureconsulti fidenter sua responsa dedissent, quo magis illis fides haberetur, cõstituit Augustus: vt ex sua auctoritate responderent: eratque apud eum in summo pretio Trebatius. Post quem Atteius Capito, qui Consulatum gesserat, & Antistius Labeo dissentientes [illegible]

*Strabo l. 11.*

*Ioseph l. 18. Antiq. c. 8.*

[illegible]

ANNI MVNDI. ET CHRISTI.

ciuili sententias habuerunt. Hic fiducia doctrinæ ac dicendi peritia insistens, multa commutari debere demonstrabat: ille semel percepta & cognita seruari volebat. Vterque & docendo & scribendo libros ætatem transegit, suæque opinionis sectatores reliquit. Qui sibi succedentes in Cassianos & Proculianos se diuiserunt. Quorum nomina ad Saluium Iulianum vsque ordine adscripsimus qui edicta Prætorum collegit.

| | |
|---|---|
| *Atteius Capito.* | *Labeo.* |
| *Massurius Sabinus.* | *Nerua.* |
| *Cassius Longinus.* | *Proculus.* |
| *Calius Sabinus.* | *Pegasus.* |
| *Priscus Iabolenus.* | *Celsus.* |
| *Tuscianus Sabinus.* | *Iulianus.* |
| *Alburnius Valens.* | *Celsus Priscus filius Neratius Coss.* |

Cæterum non erit alienum ab Historia nostra huc adducere versus illos Acrosthicos ex sexto libro Oraculorum Sibyllinorum, quos Sibyllæ Erythrææ, & à M. Tullio Cicerone in Latinũ conuersos sermonem fuisse commemorat in oratione scripta ad cœtum Patrum Nicææ Constantinus, & D. Augustinus a V. C. Flacciano Proconsulari Græcum codicem sibi ostensum narrat, in quo, in capitibus versuum ordo litterarum ita se haberet, vt in eo hæc verba legerentur Ἰησοῦς Χρειστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ σταυρός. Certe Cicero 2. de diuinatione interpretem versuum Sibyllæ in Senatu dicturum fuisse putatum, eum quem reuera Regem haberent, appellandum quoque Regem si salui esse velint, & vt Romani Regium nomen inuisum habebant; hos versus magis artis & diligentiæ, quam incitationis & motus esse persuadere nititur Tullius. Virgilium intellexisse tempus ætatis vltimæ carminis Cumæi ex certis litteris scribit L. Viues. Cum itaque multi multa dicerent de nouo rege, *callide*, inquit Cicero, *Sibylla qua composuit perfecit: vt quodcumque accidisset, prædictum videretur, hominum & temporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis vt iidem versus alias in aliam rem posse accõmodari viderentur. Quamobrem Sibyllam quidem sepositam & conditam habeamus, vt (id quod proditum est à maioribus) iniussu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas quam suscipiendas religiones. Cum Antistitibus agamus, vt potius quiduis ex illis libris, quam Regem proferant, quem Roma posthac nec Dij nec homines patiantur*: Hæc Cicero.

*August. lib. 18. de Ciuit. cap. 23. Euseb. li. 5. de vita Constantini.*

I *udicij signum tellus sudoribus edet,*
E *xque polo veniet Rex tempus in omne futurus,*
S *cilicet vt carnem omnem, vt totum iudicet orbem,*
V *t spectare Deum pia Gens, atque impia possit,*
S *ummum cum sanctis in sæcli fine sedentem.*

Corpo-

C orporeorum animas hominum quo iudicet olim
H orrebit totus cum densis vepribus orbis.
R eijcient simulacra homines aurumq; repellent,
I ncendentq; auida terram, more sidera flamma,
S tabunt functorum sub apertum corpora lumen
T etraq; mens, & sancta illo splendore patebunt,
V tq; quis occulte peccauerit, omnia dicet:
S ubdolaque humani pandentur pectoris antra.
D ira malis facies, pauor vndiq; & vndiq; luctus:
E t iubar inuoluent Solis, stellasq; tenebræ.
I am vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther,
F ossas attollet, iuga deprimet ardua cuncta,
I mpedietque nihil mortales amplius altum:
L ætaque planicies montes æquabit & altum
I nstaclum rate stabit, & vrent fulmina terras:
V na & deficiet flagrans cum fontibus amnis:
S ydereusq; sono tristi tuba clanget ab oris,
S upremumq; orbi canet exitiabile carmen,
E t subito Stygium chaos apparebit hiatu;
R egesque ad solium sistentur numinis omnes,
V ndaq; de cœlo fluet ignea sulphure mixto,
A fflabit mortale genus insigne coruscans,
T rabs sancta in rectis animis optabile robur
O mnibus vna piis vitæ melioris origo:
R ursus vesani dolor atque offensio mundi.
C ollustrans vndis duodeno in fonte fideles
R egnans Rex compescet gentes ferrea virga
V nus & æternus Deus hic, seruator & idem,
X bristus pro nobis passus, quem carmina signant.

I δρώσει δὲ χθὼν κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.
H ξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων,
Σ άρκα παρὼν πᾶσαν κρῖναι, καὶ κόσμον ἅπαντα.
O ψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι,
Υ ψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο
Σ αρκοφόρων. ψυχὰς ἀνθρώπων βήματι κρίνει
X έρσος ὅταν ποτὲ κόσμος ὅλος, καὶ ἄκανθα γένηται
P ίψουσιν δ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα.
E κκαύσει δὲ τὸ πῦρ, γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν
I χνεῦον. ῥήξει δὲ πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο.
Σ άρξ τότε πᾶσα βροτῶν εἰς ἐλεύθερον φάος ἥξει.
T οὺς ἁγίους ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
O ππόσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.
Σ τήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

Θ ρῆνος δ' ἐκ πάντων ἔσται καὶ βρυγμὸς ὀδόντων.
Ε κλείψ' σέλας ἠλίου ἄστρων τε χορεῖαι
Ο ὐρανὸν εἱλίξει, μήνης δὲ τε φέγγος ὀλεῖται.
Υ ψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν,
Υ ψος δ' οὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
Ι σά τ' ὄρη πεδίοις ἔσται. καὶ πᾶσα θάλασσα
Ο ὐκ εἰς πλοῦν ἕξει. γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ,
Σ ὺν πηγαῖς. ποταμοὶ δὲ καχλάζοντες λείψουσι.
Σ άλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Ω ρύουσα τὸ μέλλον. καὶ δὴ πήματα κόσμου.
Τ αρταρόεν δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.
Η ξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
Ρ εύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδὲ θεείου.
Σ ῆμα δέ τοι τότε πᾶσι βροτοῖς ἀριδείκετον οἷον
Τ ὸ ξύλον ἐν πιστοῖς, τὸ κέρας τὸ ποθούμενον ἔσται,
Α νδρῶν εὐσεβέων ζωή, πρόσκομμά τε κόσμου.
Υ δασι φωτίζον πιστοὺς ἐν δώδεκα πηγαῖς.
Ρ άβδος ποιμαίνουσα σιδηρείη γε κρατήσει.
Ο ὗτος ὁ νῦν προγραφεὶς ἐν ἀκροστιχίοις θεὸς ἡμῶν,
Σ ωτὴρ ἀθάνατος, βασιλεύς, ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν.

Litteræ capitales Græce numerum 5911. producunt. Qui non multum distare à supremis sæculis videtur, cum 2000. ante legem, 2000. sub lege fuerint peracti anni.

Augustus quoq; spatium vrbis in regiones vicosque diuisit; instituitq; vt illas animi Magistratus sortito tuerentur, hos magistri è plebe cuiusque viciniæ electi. Vrbem pro Maiestate ornatam, & inundationibus ac incendijs obnoxiam, tutam, quantũ vero prouideri humana ratione potuit, ét imposterũ præstitit: aduersus incēdia excubias nocturnas vigilesque commentus: & ad inũdationes coercendas alueũ Tyberis laxando ac repurgando.

Cum hominum iudiciorumque multitudini non sufficerent duo fora, tertium quoque exstrui locauit. Architecto exspectationem operis diu trahente, dumq; multi interea Seuero Cassio accusante absoluerētur, ridendo: *Vellē, inquit, & Cassius meũ forũ accusasset.* Ædem Martis in eo constituit: & Tonantis Iouis in Capitolio: vbi Liuia inter donaria Crystallum 150. librarum dedicauit. Templum Apollinis in parte Domus Palatinæ, addita porticu cum Bibliotheca Latina Græcaque; quo loco iam sen or sępe etiam Senatũ habuit, decuriasq; Iudicum recognouit. Sub vxoris, sororis, nepotumq; nomine quædam opera exstruxit: vt porticum basilicamq; Caii & Lucii: item porticus Liuię & Octauię: theatrumq; Marcelli ex sorore nepotis. Adhortatus est etiã Principes viros, vt quisque pro facultate monumentis vrbem adornarent. Exstructa sũt ergo a Marcio Philippo ędes Herculis & Musarũ, a L. Cornificio ædes Dianę, ab Asinio Pollione atriũ Liber-

Sueton in Aug. c. 29. Mariolius.

Libertatis; à Munatio Planco ædes Saturni; à Cornelio Balbo Theatrū; à Statilio Tauro Amphitheatrum in monte Cœlio; & à Marco Agrippa genero suo complura & egregia opera: sicque ex latericia in marmoream vrbem videbatur Roma transformata. ANNI MVNDI ET CHRISTI.

Breuiarium descriptionis vrbis Romæ.

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Montes* | 7. | *Pistrina* | 254. |
| *Regiones* | 14. | *Lupanaria* | 45. |
| *Fora* | 7. | *Latrinæ publicæ* | 44. |
| *Circi* | 2. | *Fontes* | 4. |
| *Amphitheatra* | 2. | *Luci Asyli* | 10. |
| *Colossi* | 4. | *Obelisci* | 7. |
| *Columnæ* | 2. | *Pontes* | 7. |
| *Macella* | 2. | *Porticus* | 12. |
| *Theatra* | 3. | *Campi* | 8. |
| *Ludi* | 5. | *Bibliothecæ* | 29. |
| *Naumachiæ* | 5. | *Basilicæ* | 10. |
| *Nymphea* | 15. | *Thermæ* | 11. |
| *Equi magni* | 23. | *Aquæ* | 19. |
| *Equi deaurati* | 80. | *Viæ* | 29. |
| *Equi eburnei* | 84. | *Septizonium Seueri.* | |
| *Arcus marmorei* | 36. | *Vicomagistri* | 672. |
| *Portæ* | 37. | *Curatores* | 24. |
| *Vici* | 424. | *Cohortes Prætoriæ* | 10. |
| *Ædes seu templa* | 424. | *Cohortes vrbanæ* | 4. |
| *Insulæ* | 4662. | *Cohortes Vigilum* | 7. |
| *Domus principum* | 178. | *Excubitoria* | 14. |
| *Balnea* | 456. | *Castra* | 3. |
| *Lacus* | 1352. | *Vexilla communia* | 2. |

Templa Deorum gentilium ad Dei cultum traducta hoc modo nomen mutarunt.

| | |
|---|---|
| *Iouis Opt. Max.* | Saluatoris. |
| *Pantheon.* | Omnium Sanctorum. |
| *Bonæ Deæ.* | S. Mariæ in Auentino. |
| *Herculis.* | S. Alexii. |
| *Carmentæ.* | S. Catharinæ. |
| *Neptuni.* | S. Blasii. |
| *Romuli & Remi.* | Cosmæ & Damiani. |
| *Iani.* | Prope S. Georgium. |
| *Vestæ.* | S. Stephani ad ripam Tib. |
| *Dianæ.* | S. Sabinæ. |

Eiusdem

An. mvn. et Christi.

| | |
|---|---|
| *Eiusdem in Celio.* | S. Ioannis ad portam Latinam. |
| *Castra Abana.* | S. Maria in Dominica. |
| *Fauni.* | S. Stephani. |
| *Castorum.* | S. Pauli. |
| *Castra peregrina.* | SS. quatuor Coronatorum. |
| *Dom. Lateranorum.* | S Ioannis Lateranensis. |
| *Veneris & Cupid.* | S. Crucis in Hierusalem. |
| *Quietis.* | SS. Petri & Marcellini. |
| *Iouis Statoris.* | S Mariæ liberatricis. |
| *Iunonis.* | S. Angeli. |
| *Vesta.* | S Mariæ de gratiis |
| *Quirini.* | S. Theodori. |
| *Saturni.* | S Adriani. |
| *Martis Vltoris.* | S. Martinæ in proximo. |
| *Pacis.* | S. Mariæ nouæ. |
| *Telluris.* | S. Petri ad Vincula. |
| *Fortuna virilis.* | S. Mariæ Ægyptiacæ. |
| *Busta Gallica,* | S. Andreæ. |
| *Æquimelium.* | S Ioannis decollati. |
| *P. Africani.* | S. Georgii. |
| *Pompeij.* | S. Anastasiæ. |
| *Ther. Neronis.* | S. Eustachii. |
| *Æsculapij.* | S. Bartholomæi. |
| *Iouis.* | S Ioannis Baptistæ. |
| *Apollinis.* | S. Petronillæ. |
| *Martis.* | S. Mariæ de Febribus. |

Statuæ, Colossi, signa ac tabulæ, quæ etiamnum extant, & antiquitus fuerunt.

*Lupa æneum simulacrum, ex cuius vberibus pendent Romulus & Remus, cuius meminere Cicero & Virgilius.*

*Statua Herculis auro superfusa dextera clauam, sinistra aurea mala tenentis.*

*Laocoon, quem ex vno lapide & liberos eius, draconumq; mirabiles nexus de consilij sententia fecere summi artifices Agesander Polyodorus, & Athenodorus Rhodij.*

*Mar. Aur. Antonini Philosophi equestris statua ænea.*

*Eiusdem signa marmorea de Triumpho Dacico.*

*Commodi caput, quod Neronis Colosso fuerat impositum.*

*Duo fluuiorum simulacra pari forma.*

*Templum marmoris incisum cum signis variis.*

*Equi Phidiæ & Praxitelis.*

Sunt

Sunt & alia complura signa nobilia, quæ pauca videntur comparatione, quæ antiquitus fuerunt. Nam *Mummius* deuicta Achaia signis repleuit vrbem, & *Scaurus* omnes tabulas Sycione transtulit Romam. AN. MVN. ET CHRISTI.

*Helena Zeuxidis Heracleontis.*
*Marsyas eiusdem in Concordia.*
*Theseus Damonis Athen. in Capitolio.*
*Heros Timanthis Sami in Pacis.*
*Venus Protogenis in Cæsaris.*
*Castor & Pollux Apellis & Alexander in foro Cæsaris.*
*Hercules in Antoniæ templo.*
*Aiax & Medæa Timomachi in Veneris.*
*Scylla in Pacis.*
*Liber Niceæ in Concordia.*
*Colossus Neronis C. & X. pedum, opus Zenodori Auernatis Galli.*
*Apollo in Capitolio à M. Lucullo ex Apollonia Ponti translatus 30. cubit 150. talentis factus.*
*Hercules Tarento à Fab. Verrucoso translatus.*
*Iupiter in Capitolio, Bathyrei opus.*
*Alexander Magnus eiusque amici ad viuum expressi à Metello Romam translatus.*
*Minerua Dinomenis ante Capitolium.*
*Minerua Phidiæ in æde Fortunæ.*
*Apollo in bibliotheca templi Aug. 50 cubitorum.*
*Septem signa Pythagoræ Samij, in fortuna.*
*Hercules tunicatus, iuxta rostra.*
*Signa Bupali & Anthermi, in Apollinis.*
*Venus aliaque signa, ante Felicitatis.*
*In æde concordiæ, Battus adorans Apollinem & Iunonem.*
*Latona puerpera cum Apolline & Diana.*
*Æsculapius & Hygias Niceratis.*
*Mars & Mercurius Pisicratis.*
*Iuppiter Ceres, Minerua Perilli.*
*Minerua, Castor & Pollux ac pyrrhus, Hegiæ ante ædem Tonantis Iouis.*
*Astragalizontes Polycleti in Atrio Titi Imp.*
*Hercules quoque eius, Antheum à terra sustinens.*
*Apoxyomenos Lysippi ante thermas Agrippæ.*
*Hercules Myronis, in æde Pompei Magni.*
*Canis vulnus suum lambens, in Iunonis colle capite tutelarios pro quo cauere publici instituti erat.*
*In scholis Octauiæ, Venus Phidiæ & Cupido Praxitelis.*
*Eiusdem flora. Triptolemus & Ceres in hortis Seruilionis.*

*Venus*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*Venus Arcesilai plastæ signum felicitatis in foro Cæsaris: Liber & Ariadne Aristidis Thebani in Cereris.*

*Tragœdus cum Puero in Apollinis.*

*Senex cum lyra puerum docens, in Fidei in Capitolio Ialysus Protogenis Cauni, in Pacis.*

*Raptus Proserpinæ Nicomachi, in Mineruæ.*

*Victoria quadrigam in sublime rapiens, in Capitolio.*

*Hesiona, Alexander, Philippus cum Minerua in Octauiæ. Liber in Philippi. Cadmus & Europe in Pompey porticibus manu Dionysij.*

*Eiusdem immolatio boum.*

*Plin. l. 36. 9. 10. & alibi sæpe. Ammian. lib. 17.*

Obeliscos item duos ex Heliopolitana ciuitate Ægyptia transtulit Augustus in vrbem, à tertio religione abstinens, quod Soli speciali munere erat dedicatus. Vnum à Semneserteo Rege excisum 125. pedum & dodrantis in circo magno statuit: alterum 9. Ped. minorem à Sesostrite in campo Martio, ita inscripto:

Inscriptio obelisci in Campo Martio.

IMP. CÆSAR.
DIVI F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XIII. COS. XI.
TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

cui addidit mirabilem vsum ad deprehendendas solis vmbras, dierumque ac noctium magnitudines. Signis quoque ac tabulis decorauit Augustus vrbem, Conspiciebatur in Bibliotheca templi eius Apollo Thuscanicus 50 pedum à pollice, dubium ære mirabilior an pulchritudine. Ad honorem quoque eius argenti vsus in statuas Romæ transiit. Venerem exeuntem è mari opus Apellis dicauit in delubro patris Cæsaris: cuius inferiorem partem corruptam, qui reficeret, non potuit reperiri. Duas eiusdem artificis tabulas dicauit in fori sui partibus celeberrimis: in vna belli imago restrictis post tergum manibus Alexandro in curru triumphante: in altera Castor & Pollux cum victoria & Alexandro Magno erant. Augusti ætate Ludio pictor primus instituit amœnissimam parietum picturam; villas ac porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piscinas, euripos, amnes, litora, qualia quis optarat; varias ibi obambulantium species, aut nauigantium, terraque villas adeuntium asellis aut vehiculis. Iam piscantes, aucupantesque aut venantes aut etiam vindemiantes. Erant in eius exemplaribus nobiles plaustri accessu villæ, succollantium specie mulieres labentes trepidæque ferebantur, plurimæ præterea tales argutiæ, facetis-

facetiſſimi ſales. Inſtituit etiam maritimas vrbes ſub dialibus blandiſſimo adſpectu minimoque impendio. Maiore, meo iudicio, gloria dignus, quam Arellius, qui paullo ante Auguſtum ſemper alicuius feminæ amore flagrans Deas pingebat imagine dilectarum: ſicque flagitio inſigni in pictura ſcorta pro Deabus veneranda exhibebat: non contentus impietate illorum qui gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem corruptibilis hominis mutauerant.

Præcipuam curam duxit Cæſar, ſenſum animi quam apertiſſime exprimere. Cacozelos & antiquarios, vt diuerſo genere vitioſos, pari faſtidio ſpreuit. Orthographiam, formam ac rationem ſcribendi à Grammaticis inſtitutam, non adeo cuſtodiit: *Ex Suetonio in Auguſt.* videbatur potius eorum ſequi opinionem, qui perinde ſcribendum ac loquendum exiſtimant. Circa religionem talem accepimus. Tonitrua ac fulgura paullo imbecillius expaueſcebat, vt ſemper pellem vituli marini circumferret pro remedio, atque ad omnem tempeſtatis maioris opinionem, in abditum & concameratum locum ſe reciperet. Ex nocturno viſu etiam ſtipem quotannis die certo emendicabat à populo, cauam manum aſſes porrigentibus præbens. Auſpicia & omnia quidem pro certiſſimis obſeruabat.

Anno 48. Cæſaris Auguſti tanta difficultas annonæ Romæ 3972. fuit, vt laniſtarum familias, omneſq; peregrinos, ſeruorum quo- VI. que maximas copias, exceptis Medicis & Præceptoribus vrbe *Oroſ. 7. 3.* expelli præceperit. Correptum fame populum pœnam luiſſe peccati Principis arbitratus eſt Oroſius: Quandoquidem collaudaſſet Caium nepotem, quod Iudæam præteruehens apud Hieroſolymam non ſupplicaſſet. Quin Cæſar ipſe tridui tantum in horreis viſo frumento, ſtatuerat veneno mori, ſi è prouinciis claſſes interea non veniſſent. Quibus aduectis, felicitati eius ſalus patriæ eſt attributa.

Ætate iam prouectior Auguſtus ad oraculum Pythii Apollinis venit ſciſcitaturus, quis ipſi ſuccederet in Principatu: biſque 3978. XII. ſacrificio Hecatombeo ibidem oblato, tale reſponſum tulit:

Παῖς ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων,
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀΐδην αὖθις ἱκέσθαι,
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

*Me puer Hebraeus, diuos Deus ipſe gubernans,*
*Cedere ſede iubet, triſtemque redire ſub Orcum;*
*Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.*

*Aurel. Victor. Suidas in dictione* Αὔγουστος. *& Nicephorus 1. 17. Seuerus.*

Romam ergo reuerſus in Capitolio aram exſtruxit maximã cum hac Latina inſcriptione: ARA PRIMOGENITI DEI. Deinde etiam Ianus geminus apertus eſt, foribus pulſis, Athenienſiũ *Strab. 7.* ſedi-

AN. MVN. ET CHRISTI.

seditione mox compressa & commotione Dacorum. Contra quos Cæsar exercitum 50000. misit. Per ipsos Marisus fluuius Danubium influit: vocanturque nunc *Transsiluani*: Gens quondam potens, sed domesticis seditionibus & Romanorum bellis depressa fuit: In quos hostilem gerebant spiritum; propter fiduciam in Germanis positam. Per hæc tempora Quintilius Varus cum tribus legionibus, tribus alis, sex cohortibus in Westphalia intra Amasim & Lupiam amnes cæsus fuit, quare tam consternatus fuit Augustus, vt subinde diceret: *Vare redde legiones*: Excubias instituerit per vrbem, diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem. Sic ergo proficiente IESV sapientia, ætate & gratia apud Deum & homines. minuebatur Augusti illa felicitas, quam Senatus populusque Rom. etiam successoribus imperii precari solent. Nam & ob adulteria Iuliarum filiæ ac neptis, diu præ pudore abstinuit congressu hominum: & de necanda filia deliberauit; atque infantem ex nepte editum agnosci aliq; vetuit. Vtramque relegauit in insulam, ac patriæ parentumque oculis subduci voluit. Filiam comitata mater Scribonia voluntarii exsulii permāsit comes. Agrippam ex Iulia nepotem, quem cum priuigno Tiberio lege Curiata adoptauerat, ob ingeniū ferox abdicatum nouercalibus odio Liuiæ seposuit Surrentum. Lusit quoque senex aleis, volebatque in lusu liberalis haberi: persuadens sibi benignitate huiusmodi se ad cælestem gloriam efferri. Pro ostento habitum quod ictu fulminis ex inscriptione statuæ eius prima nominis littera efflueret, respondentibus Ariolis eum solum 100. dies posthac victurum, quem numerum C. littera notaret. Caussam valetudinis contraxit ex profluuio alui Sub mortem vidit, (quod ob raritatem exempli referendum est) genitum neptis nepotem. Obiit Nolæ Campaniæ in eodem quo pater Octauius cubiculo S. Pompeio & S. Apuleio Coss. XIV. Kal. Septembris, hora diei IX. anno 76. ætatis suæ minus 35. diebus. Corpus Romam delatum, & in Campum humeris Senatorum deportatum, crematum fuit. Reliquias legentes primores equestris ordinis tunicati & discincti, pedibusq; nudis in Mausolæo condiderunt: quod inter Flaminiam viam ripamque Tyberis VI. suo Consulatu exstruxerat. Iulias filiam & neptem, vetuit sepulcro suo inferri: relicto Tiberio hostis sui filio Herede præcipuo: nempe ex parte dimidia & sextante.

Aur. Victor. Sueton. Tib. 17.

Plin. 7. 45.

Plin. 7. 13.

## TEMPORA CHRISTI.

Defuncto autem Herode, apparuit Angelus Domini Ioseph in Ægypto, dicens: *Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel. Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.*

*patri.* Volentes nimirum eum quatenus hominem interficere, anima humana corpus priuando. Qui consurgens acceptis puero ac matre eius venit in terram Israel: audiensque Archelaum in Iudæa loco patris Herodis regnare, timuit illo ire, & admonitus rursum in somnis, secessit in partes Galileæ periculum fugiens; habitauitque in patria, ciuitate nimirum Nazareth: vbi IESVS nutritus fuit. Qui crescebat, & confortabatur, plenus sapientia, natura nimirum diuina iuxta mensuram ætatis sapientiam reuelante: nam Dei gratia erat in illo, vt ex quo homo fieri cœpisset, perfectus esset & Deus, ex quo nec confortari indigebat, nec poterat augeri.

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Matth. 2.*
*Oros. 7. 2.*
*Luc. 4. 2.*

Ibant parentes eius per omnes annos in Hierusalem in die solemni Pascha. Nam non solum tempus in Hebræorum solennitatibus, sed etiam locus obseruabatur: quo vndique confluere soliti erant: & ibi tantum victimas mactare fas erat. Quod illo loco fiebat, vbi erat arca cum propitiatorio.

*Deut. 12.*
3979.
XIII.

Cum vero factus esset IESVS annorum duodecim ascendentibus illis secundum consuetudinem Hierosolymam, consummatisque diebus azymorum cum redirent, remansit puer Hierosolymæ, & non cognouerunt parentes eius. Quorum altera ob partum matris, altera ob sedulum officium patris nomé promeruere. Existimantes vero illum esse in comitatu, peracto diei itinere. Elpiræ pago nomen aiunt, vbi quærebant eum inter cognatos & notos. At non inuenientes eum regressi sunt Hierusalem, & post triduum inuenerunt illum in templo sedentem inter doctores in subselliis aut storeis: vbi ante annos 786. viderat eum sedentem super solium excelsum & eleuatum Isaias: audientem illos & interrogantem, non vt disceret sed doceret: cum omnes thesauros sapientiæ ac scientiæ Dei possideret. Iudæis morem fuisse & in templo & Synagoga disputandi licet colligere ex verbis Pauli Act. 24. in eius defensione coram Præside Felice. Cumque disputarent sedebant seniores in cathedris, cæteri minoris dignitatis in subselliis, nouissimi omnium in pauimento super mattas, quibus & dabatur dicendi locus, sed omnia maiores diiudicabant. Stupore ergo perculsi sunt super prudentia interrogationum: & responsorum ad interrogata. Ex eodem enim fonte admirantes quasi saluberrimas ac mira suauitate iucundas aquas cernebant manare. Florebant tunc temporis Gamaliel Pharisæus legis doctor, venerabilis vniuersæ plebi, secus cuius pedes se iuxta veritatem paternæ legis eruditum Paullus restatur. Nicodemus, qui nocte ad IESVM venit, Magister existens in Israel, & alii doctissimi ac præstantissimi interpretes ac Scribæ populi: quos hic adfuisse ille non dubitabit, qui de æterna patris sapientia dictum intelligit: *Ego sapien-*

*Elpirā Hierosolyma distare ferunt plus minus X.M pass. pagum vitibus, oleis ac ficubus fœcundum.*

*Act. 5. 22.*
*Ioan. 3.*
*Prou. 8.*
*Mat. 18. 20.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*pientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus*, &: *vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ego in medio ipsorum sum*. Nec alias quæstiones agitatas, nisi de iis, quæ spectarent ad gloriam Patris, & aduentu promissi Messiæ. Videbant enim Principes ac duces ex Iuda oriundos multo tempore Rempublicam regere destitisse, atque Iudæ posteritatem censeri plebeiam: successionem quoque sacerdotij desiisse in genere Aaronis, cum Romani Præsides atq; Herodes & Archelaus abiectis quibusdam & ignobilibus illũ summi honoris gradum detulissent: quibus nec stolam Pontificis conseruandi potestatem concedebant. Numerum etiam septimanarum finiri ferme, quas Propheticus sermo Danielis aperte & nominatim esset complexus. Quibus ad exitum perductis Iudæorum Chrisma abolendum foret. Quod & responsum matri affectuose quęrenti satis declarat *An nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* cum itaque de diuinitate sua loqueretur, non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

Et descendens cum parentibus venit Nazareth, & erat subditus illis, obedientiam ac pietatem exhibendo: conseruante matre omnia verba hęc in corde suo. Archelaus pontificatu abrogato Ioazaro Boethi filio, eam dignitatem in Zoazari illius fratrem collocauit: in cuius viuentis locum Iesu Się filium substituit. Hiericho magnifice refecit, & vicum à se conditum Archelaida à se denominauit. Glaphyram ex qua Alexander frater eius liberos tulerat, contra legis præscriptum vxorem accepit: omniaq; pro libitu administrabat. Somniauerat se videre decem spicas maturas tritico plenas à bubus absumi. Quod somnium per boues laborem ac miseriam decimo anno per spicas annuis vicibus redeuntes ipsi protendi interpretatus est Simon vir religione Essæus. Decimo vero principatus anno primates Iudæorum non ferentes eius tyrannidem accusarunt eum apud Cæsarem: eumque Romam vocatum, ac frustra à Tiberio Claudio Nerone defensum mulctauit facultatibus, ac misit exsulatum Viennam ciuitatem Galliæ Lugdunensis sitam ad Rhodanum. Cessit tum & Iudæa imperio. Antipas vero Herodes in sua Tetrarchia cinxit Sephori mœnibus, & constituit in caput ac defensaculum Galilææ: Philippus vero Paneada sitam ad fontes Iordani instruxit ædificiis indito nomine Cæsareæ. Vico quoque Bethsaidæ in ripa lacus Genesareth vrbis speciem addidit quem Iuliæ cognominem esse voluit. Mox quoque Herodes astutia insignis, quo Tiberii Iuliæ iam mariti atque à Cæsare adoptati fauorem sibi conciliaret vrbem à se conditam vocauit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro Galilęæ in ora lacus Genezareth. vnde non longe sunt calidæ aquæ apud

*Suet. in Tib.*

*Ioseph. 18.3.*

vicum

vicum Emauntem. Hæc vrbs partim à conuenis, partim à Galilæis habitata est: magnis beneficiis ac immunitatibus quoque decorata fuit, quare complures eò migrauere. Interea Valerius Gratus, qui Ruso successerat, quintus Præses fuit Iudææ. Hic ademto Annæ sacerdotio Ismaelem Fabi filium Pontificem esse iussit: quo etiam post paullo in ordinem redacto Eleazarum Annæ filium annum fungi Pontificatu permisit: illoque elapso illũ Simoni Camithi filio tribuit: quem etiam post annum Iosepho, cui cognomen Caiphas erat, eam dignitatem cedere coegit. Quo Pontifice Gratus repetiit Romam: cui missus successor fuit Pontius Pilatus. Hic appulsus Cæsaream præmisit cohortes aliquot Hierosolymam sub signis, quibus inerat effigies Tiberii. Quæ quando ibi statuerunt, post preces varias oborta fere seditione Iudæorum, præses coactus fuit remittere Cæsaream admiratus pertinax religiosæ legis studium populi Iudaici.

AN. MVN. ET CHRISTI.

3992. XXVI.

Anno autem 15. imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha Galilææ Herode, Philippo fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbũ Domini ad Ioannem filiũ Zachariæ, qui in deserto Iudææ Bethauẽ occultus locustis ac melle siluestri vixerat habens vestimentum ex pilis camelorum textum, quod pelliceâ Zona circa lumbos suos cingebat, quo nuditatẽ corporis tegeret. Hic quasi typus legis peccatum denuntiat: & tamquam Propheta ad pœnitentiam populum prouocat, atque vt salutare Dei visuri, viam præparent, hortatur. Versabatur circa Iordanẽ, vbi torrens Carith in flumen decurrit, apud quem Helias a coruis fuerat pastus. Habitabant iis in oris Essæi; gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina omni venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum, quibus victitant. Nemo ibi nascitur, sed locus addictus pudicitiæ, ad quem, nisi quos castitatis fides & innocentiæ meritum prosequuntur, admittuntur nulli; fœcundus est conuenarum, quos vitæ prioris pœnitentia illuc deducit. Ita per multa sæcula æterna gens est cessantibus puerperiis. Illuc ergo venere inter Iudæos ac Iordanis accolas, qui peccata sua confitentes ab Ioanne baptizabantur, ad baptismum multi Pharisæorum & Saducæorum. Quorum hi persuasum habent cum corpore simul & animas extingui, nec futuram esse corporum resurrectionem: negant quoque Angelos spiritusque incorporeos vsquam consistere, & legem Moysis tantum obseruant, quo terrore pœnarum legis excusso vitam cum voluptate traducant. Erant eius sectæ pauci; sed dignitate fere præcipui: qui quoties inuiti Magistratus inirent metu populi decretis assentiebant Pharisæorum.

3996. XXX.
*Luc. 3.*
*Matth. 3.*
*Plin. l. 5. c. 17.*
*Solin. c. 38.*
*Ioseph. 18. 2.*
*Act. 23.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

Qui & immortalitatem animorum & corporum resurrectionem credebant: prædestinationem Dei ita statuebant, vt & in homine voluntatem accedendi ad virtutem aut vitium esse affirmarent. Legis hi non modo cæremonias obseruabant, sed & nouas statuebant, quibus miserum vulgus onerabatur, plurimumque lotionibus purificando corpori tribuentes animis squallores contrahebant. Hi serotini Synagogæ partus tamquam viperæ ex lateribus animam quasi agentis matris erumpentes territi peccatorum conscientia eo venere & Publicani qui vectigalia, aliosque populi Rom. reditus redemerat: quorum ordine contineri florem equitum Romanorum, ornamentum ciuitatis, firmamentumque Reip. Cicero asserit. Milites quoque variarum nationum (Thraces enim Germani ac Galli cum Romanis ibi præsidiarii erant) venere ad virum cilicio horridum, sermone asperum. diraque minantem, quo consilium ab eo accipiant instituendæ deinceps vitæ. Quibus pro ratione legis præcipit abstinere malis: cum turbas innoxias doceat obseruare bona: conferens baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum: typum baptismi Christi conferendi in spiritu cum gratia: dicens se vocem esse nuntiam verbi, quod Deum, quem nemo hominum vidit vmquam, enarrauit. Hæc facta sunt trans Iordanem in Bethabora tribus Ruben, vbi Machærus castrum erat Herodis. Quem quoque non reueritus Ioannes corripiebat ob adulterium, quod cum Herodiade fratris sui Philippi vxore committebat. Postero die videns Ioannes IESVM à Galilæa ad Iordanem vsque venisse, vt abs se Baptizaretur: *Ecce, ait, agnus Dei, qui tollit peccata mundi*; non quod maculæ eius abstersæ essent, sed nulla in eo macula esset. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie quasi columba, & mansit super IESVM; & vox de cœlo facta est: *Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi*. Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, putabaturque filius Ioseph, qui filius Heli dicebatur, ratione desponsatæ vxoris Mariæ cum gener esset. IESVS ergo generis successio hoc modo processerat:

*Cicero pro Planco & lege Manil.*
*Ioseph. 17. 10.*
*Luc. 3.*
*Matth. 3.*
*Mar. 1.*
*Luc. 3.*
*Ioan. 1.*

O Quam pulcra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur illam, & desiderant eam cum se eduxerit: & in perpetuum coronata triumphat: incoinquinatorum certaminum præmium vincens *Sap.* 4.

Gradus

## Gradus cognationis IESV CHRISTI ex Regia ſtirpe Dauid, & radice Iacob orti.

*Matthat tribus Iuda, ſtirpis Nathan, ciuis Sephari opidi Galilaea, filij fuere*

- *Heli ex Anna tribus Leui filia fuit*
  - *Maria, qua deſponſata Ioſeph Virgo genuit* IESVM CHRISTVM.
- *Cleophas vt ſuſcitaret fratris ſemen ex eadem Anna tulit*
  - *Mariam, qua nupta Alpheo, genuit ipſi*
    - *Iacobum minorem.*
    - *Simonem Zelotem.*
    - *Iudam Thadaeum.*
    - *Ioſeph Iuſtum.*
- *Salomas vt etiam ſuſcitaret ſemen fratrum mortuorum, ex eadem Anna tulit*
  - *Mariam qua Zebedeo viro genuit*
    - *Ioannem Euangeliſt.*
    - *Iacobum maiorem.*

*Gaziri tribus Iuda ciuis Bethlehem fuerunt filia*

- *Maria qua ex marito ſua tribus genuit Salomen.* Marc. 16.
- *Soba qua nupta ſacerdotis ſtirpis Aaronis genuit*
  - *Eliſabeth, cuius ex Zacharia filius fuit Ioannes Baptiſta.* Luc. 1.
- *Anna nupta Heli tribus Iuda ac ſtirpis Nathan peperit*
  - *Mariam, qua deſponſata Ioſeph tribus Iuda peperit virgo* IESVM CHRISTVM.



Quidam

AN. MVN. ET CHRISTI. Quidam vero fratres Domini, de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta Apocryphorum; quandam Mœcham vel Escham mulierculam confingentes. At fratres consobrinos ab Hebræis dici omnis scriptura demonstrat: & sorores consobrinas, aut etiam eiusdem cognationis in aliis gradibus dicuntur fratres: sicuti Abraham dicit Loth: *Ne sit iurgium inter te & me: fratres enim sumus*. Hieron in 12. & aduersus Heluidium.

Cæterum quando aqua iam purior, sanctiorque effecta fuerat, fontium venis nouo sanctificationis genere consecratis in ministerium baptismatis in Spiritu ad diluendas nostrorum scelerum sordes conferendi: Ductus est IESVS à Spiritu Sancto i. desertum Bethauen, Iordani proximum vt tentaretur à diabolo. Cum ieiunasset 40. diebus ac noctibus, postea esuriit statuendo quadragenario numero nobis ieiunii mensuram: hoc enim dierum numero ieiunauerant Moyses & Elias. Est vero numerus ille valde celebris in diuinis scripturis: siue de diebus siue de annis agatur. Quadraginta diebus relinquitur locus pænitentiæ Iona.2. Niniuitis: 40. diebus factum est diluuium super terram ad puniendum peccata. 40. diebus absunt à castris exploratores terræ promissæ: per 40. dies apparuit IESVS discipulis suis loquens de regno Dei. Porro ad esurientem in solitudine accessit tentator, qui affluentem cunctis deliciis gulæ tentatione deceperat Heuam in Paradiso: nec veretur explorare eius potentiam dicens: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*: sciens quippe eum, sine quo factum est nihil, creatam materiam ex vna in alteram mutare. Contusa audacia Satanæ testimonio legis, parat quoque laqueum ex scripturis, quarum testimonio ad fallendum vtitur. Sed conatus eius irritos reddit ex scriptura rectam proferens interpretationem, abigit quoque à se gladio acuto verbi Dei Exemplo nos docens fructus ieiunii esse sancta velle, iusta facere, & iniqua vitare, nec succũbere tentationi. Reliquit ergo eum diabolus, & Angeli accedentes ministrabant ei. Deinde redit Bethabaram ad Ioannem vbi Andreas & Philippus Christum sequentes ad horam vsque decimam ostendunt perfectionem legis non terrore sed charitate impleri. Ergo Andreas non modo Dei dilectione feruere, sed etiam fraternæ salutis curam gerere cœpit: referens Simoni fratri se inuenisse Messiam, sicuti etiam Philippus narrat Natanaeli.

Marginal notes: Iona.2. Gen.7. Num.13. Act.1. Act.1. Matth.4. Ioan.1.38.

Et IESVS reuersus est in virtute spiritus in Galilæam: vbi in vico Cana tertio die nuptiæ celebratæ sunt, ad quas mater eius & discipuli cum ipso erant inuitati; vbi diuinitatem suam prodidit aperte matri dicendo: *Mulier quid tibi, & mihi?* & aquam mutando in optimum vinum; crediderunt que discipuli eius in

Marginal notes: Luc 4. Ioan.2.

in eum. Post hæc descendit Capharnaum ipse & mater eius & fratres & discipuli eius, & manserunt ibi non multis diebus. Pascha enim in propinquo erat, & ascendit Hierosolymam, eiecitque de templo flagello è funiculis facto vendentes ac ementes cum bobus, ouibus ac columbis, subuertens quoque mensas nummulariorum effundendo æs ipsorum. Rogantibus Iudæis qua auctoritate hoc faceret ac signum postulantibus, ille respondit de templo corporis sui destruendo, quod intra triduum esset resuscitaturus. At illi non intelligentes illud, putabant de templo dictum quod Herodes Rex exstruere inceperat 46. ab hinc anno; crediderantque tunc cōplures videntes signa eius, quæ edebat, in eum. Venit ergo & ad eum nocte Nicodemus religione Pharisæus: quem docet eum, qui introiturus sit in regnum Dei, oportere renasci ex aqua & Spiritu, vitamque æternam tribuendam esse omni credenti in filium hominis exaltandum, sicuti Moyses æneum serpentem erexerat in deserto. Num. 21.

## TEMPORA EXTERNA.

## ÆGYPTVS.

Ægyptum iam inde ab Augusto equites Rom. obtinebant, dicti *Præsides Augustales*: erantque loco Regum. Nam Augustus decreta eorum perinde haberi iusserat, ac si Magistratus Rom. constituissent. Ita visum expedire prouinciam aditu difficilem, annona fœcundam, superstitione ac lasciuia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum domi retinere.

## GRÆCIA.

Macedonia occupata fuit armis à Pannoniis, Dalmatis ac vicinis cis gentibus.

## HISPANIA.

Romani nunc Hispaniam ita distribuerant, vt Bœtica plebi esset attributa, ad quā Prætor mitteretur, qui legatum habet & Quæstorem. Eius terminum ad ortum vsq; Castanem constituunt. Reliquū Cæsaris est, qui duos mittit legatos, Prætorium & Consularem. Prætorius legatum habet, & is ius dicit Lusitanis vicinis Bœticæ. Consulari plurima pars Hispaniæ subest habenti exercitum tribus instructum ordinibus, & legatis tribus, quorū vnus Callaicos custodit habens 2 ordines; secundus cum tertio adest ordini: tertius autem interna custodit. Custodit Consularis itaque gentem in pacis mansuetudinisque more ac Italica formula, cum togatam subinde vestem induant. Non vno

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

modo habent vsum litterarum, neque vna illis lingua est. *Strabo* 3.

# GALLIA.

Tiberius res Galliarum maxime molis, accensasque plebis Viennensis dissensiones coercitione magis quā pœna molliuit.
Perdomitis Galliis solus in angustiis latens Cottius Rex, inuiaque locorum asperitate confisus lenito tandem timore in amicitiam Octauiani receptus Principis, molibus magnis exstruxit Alpes compēdiarias & viantibus oportunas, medio inter alias Alpes vetustas. Vixitque Cottius ac mortuus est in regno suo Alpino vsque in sæculum Neronis, ab eo *Alpes Cottiæ* dictæ fuerunt. *Ammian. lib. 15. in fin.*

# GERMANIA.

Augustus Germanos vltra Albim fluuium summouit, ex quibus Sueuos & Sicambros dedentes se traduxit in Galliam atque in proximis Rheno agris collocauit ad 40000. numero. Post cladem Lollianam ab Arminio Sigimeri Principis Germaniæ filio procuratam. Tiberio intrante Germaniam subacti Caninefates, Attuaci, Bructeri, recepti Cherusci & amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis, æstiuis in decentiam perductis. Vere receptæ Cauchorū nationes. Fracti Longobardi, gēs etiam Germana, feritate ferocior. Ad flumen Albim, qui Senonum Hermandurumque fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus. Classi mari circumnauigata sinus Albi subuecta exercitui se iunxit.

## *Monarchia Romanorum.*

*Sueton. Tib. Cæs 27. & seqq.*

Agrippa Iuliæ ex M. Agrippa filio interempto delatum à Patribus principatum ficte Cl. TIBERIVS Liuiæ filius Cæsaris Octauiani priuignus abnuere cum maxime expeteret, voluit: quo quid singuli dicerent vel sentirent exploratum habere, erat enim simulator ac dissimulator insignis. His quasi infensus, quibus consultum cupiebat: illis vero, quos oderat, beneuolus apparens. Inerat ei scientia litterarum, ac vis eloquentiæ: sed turpi libidine, scelesta auaritia, ac crudelitate immani eæ inficiebantur. Cum vero quasi onus quoddam imperium recepisset, ciuilem se admodum inter initia, ac paullo minus quam priuatum egit: in appellandis venerandisq; singulis & vniuersis prope humanitatis excedebat modum. Ex plurimis maximisq; honoribus præter paucos & modicos non recipiebat. Dominus appellatus a quodā ne se amplius contumeliæ caussa nominaret denun-

denuntiauit, Alium dicentem sacras eius occupationes, pro sacris laboriosas dicere coegit. Adulationes adeo auersari videbatur, vt consularem satis facientem sibi, & per genua orare conantem ita suffugeret, vt caderet supinus. Aduersus conuitia malosq; rumores & famosa de se suisque carmina firmus ac patiens subinde iactabat in ciuitate libera linguam mentemque liberas esse debere. Quin etiam speciem libertatis inducebat; conseruatis Senatui ac Magistratib. & Maiestate pristina & potestate: nec tam paruũ quicquam nec tam magnum publici negocii priuatiq; fuit, de quo non ad P.C. referretur, de vectigalibus, exstruẽdis reficiendisve operibus, etiam de legendo vel exauctorando milite, ac legionũ & auxiliorũ descriptione: deniq; quibus imperium prorogari aut extraordinaria bella mandari, quid & qua forma Regum litteris rescribi placeret. Curam habens tuendæ pacis à latrociniis stationes militum frequentiores per Italiam disposuit. Romæ castra constituit quibus Prætorianæ cohortes vagæ & per hospitia ante dispersæ continerẽtur. Biennio post adeptum imperium pedem porta non extulit: deinde Campaniam petiit, Druso naturali filio Romæ, Germanico adoptiuo in Syria mortuis. 4. anno apud Fidenas supra 20000. hominũ gladiatorio munere Amphiteatri ruina periere. Apud Capreas, delectatus situ insulæ, deinceps socordia emarcuit, neglecta cura Reip. Reges infestos suspectosque comminationibus magis & querelis, quam vi repressit. Quosdam per blãditias atque promissa extractos ad se non remisit, vt Marabodũ Germanum, Rhascypolim Thracem, Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam ciuitatem regni Mazacam appellari suo nomine Cæsaream iussit. Circa Deos ac religiones negligentior: quippe addictus Mathematicæ, persuasionisque plenus cuncta fato agi. Tonitrua tamen præter modum expauescebat: & turbatiore cælo numquã non coronam lauream ceruice gestauit: quod fulmine afflari id genus frondis negetur. Externas cęrimonias ac ritus Ægyptios compescuit: quod in sacris Isidis summa turpitudo deprehensa esset. Nam Decius Mundus Paullinam natalium claritate illustrem ac nuptam Saturnino stupro violarat, cum technis sacerdotum mulier religiosa Anubim congressum sui expetere putaret. Itaque Tiberius impostores illos sacerdotes in crucem egit: dirutoque templo statuam Isidis iussit mergi in Tyberim, ac religiosas vestes cum instrumento omni comburi. Iudæos quoque iussit ex vrbe pelli: quod quattuor Iudæi, qui se Romæ pro Mosaicæ legis interpretibus gerebant, à Fuluia muliere nobili Iudaismum amplexa aurum ac purpurã in templum Hierosolymitanum mittenda, in proprios destinauerant vsus.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

Consules delectu habito per speciem sacramenti, quattuor millia Iudæorum miserunt in Sardiniam ac prouincias grauioris cæli, detrectantesque militiam pænis affecti fuere. Expulit & Mathematicos vrbe, sed se artem desituros promittentibus veniam dedit: quamquam eorum disciplinis esset addictior, iuxta

Ioseph.18.3.

consilia eorum pleraque agere solitus. Nemo enim Cæsarum vnquam tantam fidem habuit diuinationibus, non vanas expertus aliquando. Grammaticos quoq; appetens eiusmodi fere quæstionibus experiebatur: Quæ mater Hecubæ, quod nomen Achilli inter virgines fuisset, quid Sirenes cātare sint solitæ. Maxime enim curabat notitiam historiæ fabularis, vsque ad ineptias & derisum Cum itaq; soleret ex lectione quotidiana quæstiones super cœnam proponere, comperissetque Seleucum Grammaticum a ministris perquirere, quos quoque tempore tractaret auctores, atque ita præparatum venire: primum a contubernio eum remouit, deinde etiam ad mortem cōpulit. Scurram, qui funere prætereūte mortuo clare mandarat, vt nuntiaret Augusto, nondum reddi legata, quæ plebi reliquisset, attractum ad se duci ad suppliciū imperauit, vt ipsus patri suo illud

Sueton. de illustr. Grammat.

referret. Attamen non otio torpebant ingenia. Grāmaticen *M. Valer. Probus Berrytius* aggressus multa exemplaria auctorum contracta emēdare, distinguere & annotare curauit. *M. Pompon. Marcellus* glossemata, id est, verba exquisita nec vulgo nota interpretabatur; non veritus etiam Tiberium ex oratione reprehendere, quod vsus esset verbo minus Latino *Q. Rhennius Palæmon* tanta erat arrogantia, vt iactaret nomen suum in Bucolicis non fuisse temere positum, præsagiente Virgilio fore aliquando Palæmonem, nimirum se omnium poetarum ac poematum iudicem. Porro Historia quoque non est intermissa. Nam *Velleius Paterculus*, qui perfectus equitum in Germania sub Tiberio fuerat per nouem continuos annos, res sui temporis, coniunctas cum veteri memoria breuiter ac eleganter conscripsit: insertis compluribus hominibus litteratis ac doctrina præstantibus. Quod & nos eius exemplo libenter imitamur. *Quintus* etiam *Curtius* res gestas Alexandri Magni pure ac tersе conscribens (sciens adulatores, quo gratificarentur Regi, multa finxisse, putantes cū exercitus longe procul militaret, ob longinquitatē nō facile redargui posse mendacia) veriora secutus est atque moderatus quæ fidem videbantur excedere. *Valerius Maximus* Mediolanensis dicta factaque illustrium hominum distinctis virtutum ac vitiorum generibus litteris commisit. Agriculturam ex omni scriptorum copia vsu atque exercitatione comprobatam *L. Moderatus Columella* accurate ac venuste est persecutus. *Pedacius Dioscorides* longis peregrinationibus instructus; distin-

ctę atque

ſte atque erudite ſtirpium aliarumque rerum ad medicinæ materiam pertinentium Hiſtoriam expreſſis conuenienti oratione imaginibus pertractauit. *Cornelius* vero *Celſus* ex omni Græcorum & Latinorum varietate rem militarem, ruſticam atque medicinam tam egregie proſecutus eſt, vt in vnaquaque elaboraſſe videatur. Ius denique Ciuile etiam locupletatur, dum Labeonis dicta *Nerua*; Capitonis *Maſurius* Sabinus aſſerit: Hic eques erat Rom & publice primus ſcripſit: cum hoc beneficium à Tiberio dari cœpiſſet. Pinxerat olim Parhaſius Archigallum, quam picturam ſic amauit Tiberius: vt eam 60 H S. æſtimatam ſuo cubiculo includeret. Obſeruabat in capillo tondendo interlunia: & concremato ponte naumachiario larices ad reſtituendum cædi ex Rætia interlunio præfiniebat. Ampliſſima arborum tum Romæ æſtimatur viſa, quam propter miraculum, Tiberius in eodem ponte expoſuerat aduectam cum reliqua materie. Fuit enim trabs è larice longa pedes 126. bipedali craſſitudine æquales: Quo intelligebatur vix credibilis altitudo faſtigium ad cacumen æſtimantibus. Ludorum ac munerum impenſas (licet gladiatoria munera in memoriam patris & Druſi fratris dederat) corripuit, mercedibus ſcenicorum reſciſſis, paribuſque gladiatorum ad certum numerum redactis. Impendebant enim nimium Romani voluptatibus atque ſpectaculis: quorum genera quatuor apud illos erant. Scena autem inſeruiebat auribus, Circenſes vero, gladiatores, atque venationes oculis. Ex illa fere turpitudo, & hiſce crudelitas atque inhumanitas addiſcebantur. Nec quiſquam eos, quos huiuſmodi ſpectaculis intulerat mores inde referebat: cum rubigo vei neſcientibus quædam obduceret illos. Nec enim facilius ac procliuius inficiunt animos vitia, quam per voluptatem. Fuit vero Tiberius natura multum crudelis, ac diſciplinam militarem acerrime exegit, animaduerſionum & ignominiarum generibus ex antiquitate repetitis. Carnificinæ eius oſtenditur locus Capreis, vnde damnatos poſt longa & exquiſita tormenta præcipitari coram ſe in mare iubebat; excipiente Claſſiariorum manu, & contis & remis elidente cadauera, ne cui reſidui ſpiritus quicquam ineſſet. Excogitauerat & inter cruciatus genera, vt etiam larga meri potione oneratos per fallaciam repente veratris deligatis, fidicularum ſimul vrinæq; tormento diſtenderet. Quamobrem inuiſus ac deteſtabilis vixit: prætrepidus quoque atque contumeliis obnoxius.

## TEMPORA CHRISTI.

Baptizante Ioanne in Ennon cis Iordanem in propinquo Salem ciuitate Sichimorum: vbi regia oſtendebatur Melchiſedech,

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

ex ruinis testata (vt ait Hieronymus) veteris operis magnificentiam; venit IESVS in Iudæam, Baptizabantque ibi discipuli eius; quos plures numero discipulis Ioannis sibi comparauerat. Oborta itaque quæstione ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione; accedunt discipuli ad Ioannem, referentes *Christum* quoque conferre baptismum, omnesque ad eum venire: cui Ioannes testimonium perhibet, quod è supernis venerit, supraque omnes sit. Nec ipsi datus esset spiritus ad mensuram: sed quod Pater diligens filium tradiderit omnia in manu eius. Quod, qui crediderit in filium habeat vitam æternam, & qui non credat filio, non visurus sit vitam, manente ira Dei super eum. Ioannes vero coniectus fuit in carcerem, quod Herodem Tetrarcham Galilææ monuerat non licere ipsi habere Herodiadem filiam Aristobuli ex Berenice nuptam fratri suo Philippo, Tetrarchæ Trachonitidis, qui ex ea filiam tulerat Salomen. Cognoscens quoque IESVS Pharisæos audiisse se plures baptizare quã Ioannes, relinquens Iudæam abiit iterum in Galilæam circiter Kal. Februarias. Cumque necessario iter per Samariam faceret, defessus sedit circa meridiem super fontem, quem ad vsum prædii illius, quod filio suo Ioseph reliquerat, foderat, Iacob Patriarcha in propinquo ciuitati Sichar: quo comparando victum miserat discipulos: cum interim mulierem Samaritanam aquatum eo venientem docet non longe abesse tempus, quando disceptatio illa: vtrumne in Gari monte an Hierosolymis adorare oporteat, finietur, veris adoratoribus Deum in spiritu & veritate iam adorantibus. Quamquam interea cultus Deo exhibitus Hierosolymis præferendus sit, cultui Samaritanorum, ex ipsis enim salutem esse, cum hi nesciant, quid adorent. Nam cum sub Alexandro Magno ibi templum à seditiosis esset ædificatum: id sub Antiocho fuit versum in Iouis Olympii ædem. Mansit IESVS duobus diebus in Sichar, multis in ipsum credentibus, propter sermonem eius magis; quam ob testimonium mulieris. Post autem dies duos inde abiit in Galilæam, & relicta Nazareth profectus habitauit Capharnai prædicans Euangelium regni Dei, dicens: *Impletum est tempus, instatque regnum Dei; resipiscite & credite Euangelio.* Est vero Capharnaum situm ad lacum Genezareth in finibus Zabulon & Nephthali, vbi populum sedentem in tenebris lucem magnam visurum esse prædixerat Isaias. Lacus hic etiam dicitur *mare Galilea*, iuxta quod ambulans IESVS, ac conspiciens Simonem, quem Petrum ante nominandum dixerat, ac Andream fratrem eius reti piscantes, iussit se sequi: & paulo inde progressus Ioannem & Iacobum filios Zebedæi resarcientes cum patre retia videns, iussit & illos sequi se, quod & factum ab illis fuit. Et circuibat

*Marc.6.*

*Ioan.4.6.*

*Esai 9.*
*Marc.4.*

*Matth 4.*
*Ioan.1.*

IESVS

IESVS totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Exceperunt namque eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, vbi aquam transmutauerat in vinum. Accessit eo Regulus quidam cuius filius ægrotabat Capharnai: & declaratur à Christo conualuisse hora septima credente illo. Deinde venit IESVS Nazareth, & intrauit secundum consuetudinem suam Synagogam sabbato, surgentique vt legeret traditus fuit liber Isaiæ. Vbi locum legit vniuersam vitæ suæ œconomiam continentem. Eiectus deinde ciuitate redit Capharnaum, vbi ingressus Synagogam docet populum & sanat hominem obnoxium spiritui immundo. Sanata quoque Socru Simonis à febri, post occasum Solis, omnes qui habebant ægros variis languoribus duxerunt illos ad eum. Et ille singulis manum imponens curabat eos. *Ioan.4.* *Marci 4.* *Luc.4.* *Marc.* *Luc.4.*

Cum vero vidisset turbas, ascendit in montem, & cum sedisset docuit accedentes ad se discipulos summum bonum consistere in virtutibus octo, quibus beatitudo, ac vera comparatur felicitas: Variaque ac multiplici eos doctrina instituit, atque recte docet orare, exhibendo formam, qua septenaria virtus, ac omne, quod corpori animæque necessarium est atque expetendum, cum fiducia atque excitatione animi ad Dei charitatem ac proximorum possunt rogari à communi patre, qui in cælis est: cuius potentia, sapientia ac bonitas explicantur ipsis procœmii verbis. *Matth.5.*

Cum vero descendisset de monte, accidit cum esset in quadam ciuitate misertus Leprosi extensæ manus tactu sanauit illum; præcipiens ne cui diceret: at ille cœpit prædicare multa: & diuulgare sermonem: itaque IESVS agebat in secessu, in desertis ac orationi erat intentus. Et iterum ingressus Capharnaum sanauit paralyticum per tectum dimissum: egressusque inde docebat turbas ad se apud Lacum venientes: prætereundoque vidit Leui Alphæi filium, Matthæum nomine dictum, officio publicanum sedentem ad telonium; qui ab ipso vocatus ac ipsum secutus, conuiuioque excipiens multos adhibuit peccatores & publicanos quoque epulis: occasionem præbens Pharisæis interrogandi discipulos, cur cum Publicanis manducarent ipsi & ipsorum Magister, ad quod respondit, se non venisse iustos quærere, sed saluos facere peccatores IESVS. *Luc.5.* *Matth.*

Messis iam erat, acciditque vt altero die sabbati, qui primus dies erat festi hebdomadarum; quando manipulus nouarũ frugum consecrabatur per oblationes agni duarum decimarum *Luc.6.* *Leuit.23.* *Deut.16.*

similæ

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

similæ oleo conspersæ & libamenta vini Ante quas oblationes panem, polentam, pultesue ex segete comedere licitum non erat, Iesus transiret per segetes, ac vellerent discipuli eius spicas, esurientesque contricabant manibus, ac tritico vescerentur. Quos accusatos a Pharisæis exemplo Dauid excusat à necessitate famis. Alio deinde sabbato in Synagoga docens curat hominem habentem manum arefactam. Pharisæi autem repleti amentia colloquebantur inter se quidnam facerent ei. Egressiq; cum Herodianis consilium inibant quo modo eum perderent. Ille autem cum discipulis suis secessit ad mare, & multa turba secuta est eum ab Hierosolymis, Idumæa, Trans Iordane, locisque circa Tyrum & Sidonem. Dixit ergo discipulis vt sibi nauicula deseruirent, propter turbam ne comprimerent ipsum. Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum, vt tangerent, quotquot habent plagas.

1. Reg. 21. 6.

Marc. 3.

Factum est autem in diebus illis, exiit in montem ad orandú, eratque pernoctans in deprecatione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis. quos Apostolos nominauit, vt essent secum, & vt emitteret illos ad prædicandum: Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andreã fratrem eius, Iacobum & Ioanné, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi: & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi & Iudam Iscarioten, qui fuit proditor. Et descendens stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius & multitudo copiosa plebis, quæ venerant vt audirent eum & sanarentur à languoribus suis. Et ipse eleuatis oculis suis in discipulos; quaternario numero beatos comprehendit: eodem numero & infelicitatem fore contrariis pronuntiauit: his væ illis gaudium denuntians.

Luc. 6.

Marc. 3.

Cumque variæ doctrinæ variis verbis implesset aures plebis, intrauit Capharnaum: vbi Centurionis Romani seruum sanauit. Ibat deinde Naim, vbi viduæ filium resuscitatum matri restituit. Et exiit hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circa regionem. Et nuntiauerút Ioanni discipuli eius de omnibus his Qui quo à Iesu doceantur, misit duos suos discipulos sciscitatum suo nomine; vtque ea occasione vidẽtes signa ac virtutes crederent in eum firmius, quam audientes de eo testimonia Ioannis. In ipsa namque, qua interrogatũ venere, hora curauit Iesus multos à languoribus & plagis & spiritibus malis: & cæcis multis donauit visum. Deinde quæ Ioanni nuntianda esse commemorans; ad laudes Ioannis conuertit sermonem: ipsum à grauitate morum, austeritate vitæ, donoque prophetiæ commendat; eumque præfert ob sanctitatem omnibus omnium ætatum mortalibus. Deinde vocatus a Simone, vt secum man-

Matth. 11.

Luc. 7.

manducaret, mulieri peccatrici lacrymis riganti pedes eius tersisque capillis, post oscula illis impressa vnguento vngenti peccata dimisit. Iter deinde facienti per singulas ciuitates ac prædicanti & annuntianti regnum Dei, & 12. cum illo Maria Magdalena, de qua septem dæmonia eiecerat, Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis. Susanna, & aliæ multæ ministrabant de facultatibus suis. AN. MVN. ET CHRISTI.

Post hæc erat dies festus Scenopegiæ, & ascendit Iesus Hierosolymam, vbi sanauit hominem, qui per annos triginta octo grabato humili æger decubuerat, ad piscinam Bethsaida, sitam prope Probaticam, caulam nimirum, vbi pecora sacrificanda conseruabantur. In hac piscina enim cadauera hostiarum lauari solere narrant: magno quoque miraculo descendebat Angelus Domini secundum tempus in eam, mouebaturque aqua. Et qui post motionem prior illuc descenderat, sanus fiebat, à qualicumque detinebatur infirmitate. Habebat hæc piscina quinque porticus secundum numerum librorum Moysis. In quibus multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum & aridorum exspectantium motum aquæ iacebat: sed vnus tantum à Iesu sabbato curatus est, qui imperatis Christi obediuit, & cognoscens salutis suæ auctorem non piger in Euangelizando eum fuit. *Ioan. 5.* *Beda hom. 35. in Ioan.*

Iesus vero iterum cœpit docere iuxta mare, & congregata est ad eum turba multa; ita vt nauem ingressus sederet in mari, & tota turba iuxta mare in terra erat, & docebat eos per similitudinem, Syrorum more, quibus hoc genus docendi est peculiare, cũ quod cum delectatione parabolæ facilius intelliguntur, tum quod etiam fidelius memoria conseruantur. Capta igitur à tempore sationis triticię occasione de seminante semen suum, semineque variis locis cadente narrationem incepit: cuius interpretationem verbum Dei semen esse declarauit. *Marc. 4.*

Venerunt ad eum mater eius & fratres eius amitini, & non poterant eum audire præ turba, & nuntiatum illi fuit matrem & fratres foris stantes eum velle videre: & respondit se non humano affectu duci: sed illos habere pro matre ac fratribus, qui verbum Dei audirent & facerent quæ eo præcipiuntur. Deinde turbis iussis abire in vlteriorem ripam, obortam tempestatem, dum ipse trãfretat, imperio sedat; veniensque in terram Gessurenorum è regione Galilęæ eiecit ex homine furibundo multa dæmonia: quæ eius permissu intrantes in gregem porcorum, eum egerunt in stagnum præcipitem, ibique suffocatus est. Huius stagni aqua pessima est, qua degustata pecora pilos, vngues, & cornua amittunt. Sicque hoc miraculo arguuntur hi, qui absque ratione spiritus esse negant: illi etiam, qui tantum

caussas

AN. MVN. ET CHRISTI.

caussas omnium morborum ac sensuum priuationes soli imputant naturæ: nullamque vim malos genios exercere in corporibus mortalium persuasum habent. Ipse autem IESVS conscensa naui reuersus est: & cum rediret, excepit illum turba, nam omnes expectabant eum. Iaïri Principis synagogæ procidentis ad pedes eius prece rogatus, vt domum suam intraret ad manus imponendas morituræ filiæ suæ vnigenitæ duodecennali, in via à turba sequente compressus virtute à se exeunte restituit sanitati mulierem duodecim annos obnoxiam profluuio sanguinis. Ingressus domum coram Petro, Iacobo, Ioanne, patre ac matre puellæ resuscitat mortuam, reuertente spiritu puellæ in eam Et cum discederet illinc IESVS, secuti sunt illum duo cæci, quorum oculos vbi tetigit, aperti sunt.

*Matth. 9.* Circiter hoc tempus celebrat natalem diem suum Herodes Tetrarcha, ac inter ipsas epulas saltatione sibi placenti Salome Herodiadis adulteræ suæ filiç promisit quicquid peteret se concessurum. At illa persuasa à matre, petiit se donari capite Ioannis Baptistæ carceri inclusi in arce Macherunte, quod Herodi dixerat, non licere ipsi habere vxorem fratris etiamnum superstitis. Contristaretur licet Herodes tam immani petitione: tamen religione iurisiurandi permotus, misso spiculatore iussit decollari virum sanctissimum, caputque omni veneratione dignum tradi impudicæ saltatrici: quod illa mollioris saltationis præmium omne superans pretium disco impositum incestuosç obtulit matri gaudenti, quod lingua illa dehortatrix scelerum liberrima iam muta esset reddita. Vixerat Ioannes 32. annis & sex circiter mensibus. Eius corpus auferentes discipuli sepelierunt Samariæ, quæ in honorem Augusti Sebaste ab Herode Rege fuit denominata. Vbi etiam Abdiæ & Elisei prophetarum ossa sita erant Ad horum monumenta cernere licebat tempore Hieronymi dæmones varijs rugire cruciatibus, & vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum sibilare serpentum, mugire taurorum. Alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisq; pede feminis vestes non defluere in faciem.

*Ioseph. 18. 7.*

*Ioseph. 15. 11. Hieron. in Vita Paulæ.*

*Marci. 6.* Cum vero discipuli Ioannis, quæ acciderant nuntiauissent IESV, abiit ille in patriam suam, & sequebantur eum discipuli ipsius, & facto sabbatho cœpit in synagoga docere, & multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes: *Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est faber, filius Mariæ frater Iacobi & Ioseph, & Iudæ, & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illum. Et non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi quod paucos infirmos impositis manibus curauit.*

*pauit.* Admiratus itaque eorum incredulitatem circuiens complures vicos docebat in Synagogis prædicans Euangeliũ regni, & sanans omnem languorem atq; morbum in populo. Erat certis duodecim discipulis dabat illis potestatem eiiciendi spiritus immundos, & sanandi quemuis morbum; mittens eos binos, præscribit ipsis proficiscendi ac euangelizandi leges, secundum quas proficiscentes per castella euangelizantes & curantes vbiq;. At audiuit Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo: & hæsitans ait: *Ioannem ego decollaui; quis est autem iste, de quo ego talia audio, & quærebat videre eum.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Matth.9.*

*Luc.9.*

*Ioan.6:*

Reuersi vero Apostoli narrauerunt ipsi quæcumque fecerant: & abiit IESVS transmare Galilææ, quod est Tiberiadis: vbi in monte graminoso pauit 5000 viros per 100. cõuiuia distributos, quinque panibus hordeaceis, & duobus pisciculis affatim abunde, non vsitato more creans cibos, sed iam paratos nouo munere progignens; ita vt ex collectis fragmentis superessent cophini duodecim secundũ numerũ filiorum Israel. Veritus ne se raptum Regẽ constituerent turbæ, fugit igitur in montem ipse solus. Erat autem proximũ Pascha, dies festus Iudæorũ: vt ergo sero factum est, ascenderunt nauem discipuli eius, quo traiicerent Capharnaum: cumque nauis in medio mari esset, & affictaretur ab vndis, (nam ventus erat aduersus) & laborarent remigando circa quartam noctis vigiliam, venit versus eos super vndas ambulans, putantibusque se phantasma videre, dicit se esse, & Petrũ naui egressum, aduenienteque vento valido terrore perculsũ, ne mergatur, apprehendit manu: intrante quoq; ipso ventus cessauit, veneruntque in terram Genezareth, & appulerunt in portum. Transfretauit postero die turba, quæ appulsa Capharnaum, ac inueniens IESVM, docetur ab ipso de pane vitæ vitam dante mundo. Dicentibus ad eum, *Domine: da nobis panẽ hunc*, ait: *Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

*Hieron. in Vita Paulæ. Paulinus ad Al.*

Ex hoc multi ex eius discipulis abierunt retro, & vlterius cum illo non ambulabant. Post hæc ambulabat IESVS in Galilæam, non enim volebat in Iudæam ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere. Tũc accedũt ad eum qui ab Hierosolymis venerant Scribæ & Pharisæi incusantes discipulos eius, quod illotis manibus ederent. Digressus inde venit in partes Tyri & Sidonis, vbi mulieris gentilis Syrophenissæ Cananeæ filiam à dæmonio liberat. Vnde digressus venit per medios fines Decapoleos ad mare Galilææ: vbi surdo & impeditæ linguæ missis

AN. MVN. ET CHRISTI. digitis in auriculas ac dicendo: *Epheta*: quod est, *aperire*, sputo emisso tangẽs linguam auditum loquelamque restituit. Accesserunt quoque ad eum sedentem in monte turbæ multæ, ducentes secum claudos, cæcos, surdos, mutilos, & alios multos, quos abiectos ad pedes eius sanauit. Deinde misertus turbæ triduum se sequentis 4000. viros præter mulieres & pueros, saciauit septem panibus, & paucis pisciculis: & sustulerunt quod superat fragmentorum septem sportas plenas. Dimissis vero turbis conscendit nauem, venitque in partes Magdala, quæ & Dalmanutha dicebantur; vbi ostendens humanæ naturæ affectu super errores se dolere Pharisæorum quærentium signum abs se de cælo, ingemiscit & ait: *Non aliud signum dandum, nisi Ionæ signum*: & relictis illis abiit. Cumque traiecissent lacum, oblitiq; essent panes secum tulisse, reducit in memoriam ambo miracula de panibus quinque & septem. Docet quoq; vt caueant à fermentis Pharisæorum, & Herodis, atque Saducæorum. Intelligens illorum doctrinas multum diffidere ab azymis sinceritatis & veritatis. Nam primi decreta legis diuinæ traditionibus postponebant hominum: medius vulpina fraudulentia religionem simulabat, adulterium interim & homicidium committendo: vltimi Epicureorum sectantes dogma inserebant scripturas ratiunculis excogitatis à se Christum tentando intenti.

*Matth.15. Mar.8.*

*Mar.8.* Intrando Bethsaidam adductum ad se cæcum, manu eius apprehensa educit extra vicum, & exspuẽs in oculos eius, vt primo cæcutiat manibus suis impositis facit: deinde secundario manus imponens, visum ita ei restituit, vt clare videret omnia. Inde ergo egressus in castella Cæsareæ Philippi, quæ & Paneada dicta fuit. Primo rogat discipulos, quis rumor de se spargeretur in vulgus, quemq; homines esse dicerent ipsum: ne confessio illorum videretur opinione vulgi firmata. Tum eos negat, quem ipsi se esse dicerent: qui numero duodecim quasi testes citati turbæ more, ore præcipui Apostoli Simonis Petri testimonium perhibent: *ipsum esse Christum filium Dei viui*. Quæ confessio basis est totius structuræ fidei Orthodoxæ: vocauitque Simonem *Petrũ*, dicens *super hanc petram se ædificaturum esse Ecclesiam* vsque firmã ac immobilem, vt etiam infernales potestates non poterint præualere aduersus eam: cui Petrum quasi Primatem sit præfecturus, tradens illi scientiæ ac potestatis claues, quibus soluere ligareque posset: Dehinc reuelat ipsis crucis mysterium per epitomen referens passionem: simul & resurrectionem suam. Populumque deinde docet iudicium futurum. Post vero dies sex qui medii inter illum, quo hæc fiebant, & octauum fuerant, quando IESVS ascendit montem excelsum creditum Thabor, quod is altus sit 30. stadiis, situs in cãpo Galilææ Esdrehet prope

*Matth.16. Marc. Luc.9.*

Naza-

Nazareth: adsumens secum Petrum, Iacobum, & Ioannem, in quibus futura de trium origine Sem, Cham, & Iapheth electio populi ostendebatur, transfiguratus ante eos est non substantia mutata, sed gloria decorata. Nam transfiguratio hæc faciem eius non subtraxit, sed splendorem ei addidit: vestibus tali candore fulgentibus, vt nullus fullo eas tam candidas posset efficere. Apparuere cum ipso loquentes Elias & Moyses in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus esset in Hierusalem. Descenderat vero Elias inde nondum mortem passus, quo conscenderat curru igneo: & Moyses mortuus processerat sepulcro, quod nemo hominum cognouit in hunc vsque diem. Inter quos medius viuorum ac mortuorum Iudex legis auctor, propheta magnus, fons sapientiæ ac typus sanctimoniæ elucebat: speciosus inquam præ filiis hominum, in cuius vultum sole clarius splendente prospiciens Petrus feruore æstuans: *Bonum est*, inquit, *nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*. Patris quoque vox è lucida nube eos obumbrante hæc audita fuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite* Descendentibus de monte præcipit ne indicarent, quæ viderant, ante suam resurrectionem cuiquam. Et interrogabant eum dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ quia oportet Eliam venire primum? Qui respondens vsus distinctione duplicis aduenus Eliæ, ait eum venturum sub secundum aduentum suum, vt restituat cor patrum ad filios, & filiorum ad patres: simulque quod debet morti eo vsque distulit; cum contemptu multa passurus ab impiis: sicuti Ioannes redargutor, Zelotes, ac eremi cultor Eliæ ministerium adimplens venit primi aduentus præcursor, nefarioque Ludo occisus est, vti Herodi suisque visum fuit. Veniens itaque ad discipulos reliquos inuenit scribas cum eis disputantes, salutatusque à turbis sanat filium vnius è turba eiiciens ex eo spiritum mutum: quem discipuli eiicere non potuerant. Illinc vero digressi iter faciebant per Galilæam, & dicebat IESVS discipulis suis, futurum esse, vt filius hominis tradatur in manus hominum, qui occident eum, & tertia die resurget. Intrauit vero cogitatio in discipulos, quis eorum maior esset. At IESVS perspiciens eorum cogitationes, statuit puerum secus se, & ait illis: *Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit, & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit: Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.*

Mal. 4.
Apoc. 11.
Luc. 9.

Porro autem dum complerentur dies assumptionis eius, ipse obfirmabat faciem suam vt iret Hierosolymam. Cumque nuntios præmissos non reciperent Samaritani: increpauit Iacobum & Ioannem rogantes num ignem velint dicere, vt descendat de

AN. MVN. ET CHRISTI.

cælo atque consumat Samaritanos se hospitio excludentes, dicens: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere; sed saluare.* Itaque abierunt in aliud castellum: nam facies eius erat euntis Hierosolymam.

Cum venisset Capharnaum, redemptores qui didragma solent accipere; tributum nempe capite censorum, accesserunt ad Petrum dicentes. *Magister vester non soluit didragma.* Quod intelligens IESVS iussit Petrum, postquam se non obnoxium tributo esse ostenderat, ad mare hamo piscem extracturum ire, cui in ore esset stater seu tetradragma, quo pro seipso Iesu tributum persoluat.

Posthac designauit 72. alios discipulos, quos binos præmisit in omnem ciuitatem & locum, quo ipse erat venturus, instituens quodammodo Hierarchiam Ecclesiæ morienti Synagogæ successuræ. Nam duodecim Apostoli (inter quos Principis instar eminebat Petrus) primum ordinem Episcoporum referebant numero æquales duodecim Patriarchis filiis Israel His industria curæ pastoralis præcipuaque cura ouium erat: Septuaginta vero duo, in quibus sapientiæ maturitas elucebat presbyteros significabant numero æquales 72. interpretibus sacrorum Bibliorum. Hi reuersi obita legatione cum gaudio dicunt: *Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis per nomen tuum.*

Erat autem in propinquo dies festus Iudæorum Scenopegia, & dicunt ei fratres eius: *Transi hinc & vade in Iudæam*, quibus respondit, vt ipse ascenderent ad festum, tempus enim suum nondum venisse: Cumque hæc dixisset mansit in Galilæa.

Matt. 18. 19. Marc. 10.

Post multos sermones consummatos de cauendo à scandalo pusillorum correptione fratris in nos peccantis, ignoscendo 490. fratri in nos peccanti, accommodata ad hoc parabola de Rege rationem cum seruis suis ineunte, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ: accedunt & eum Pharisæi de diuortio interrogantes: & legis-peritus rogando quid ipsi faciendum sit, vt possidere posset regnum cælorum: cui cum amorem Dei ac proximi commendasset, vlterius interrogantem docet omnem hominem cuiuscunque nationis sit, humanitatis ratione proximum cuique esse: vsus insigni similitudine de Samaritano hominem à Ierusalem Hiericho versus (est iter illud ob intermedium desertum latrociniis quam maxime infame) proficiscentem, ac grauiter vulneratum, oleo ac vino vulneribus infusis curante, ac misericordia erga eum sacerdotali leuiticoquo auxilio destitutum vtente. Deinde excipitur hospitio à Martha, quo ex itinere

rere diuerterat: docet eam, vitam contemplatiuam præferri ei, quæ varia distrahitur actione. Interim quærebant eum Iudæi in festo, & dicebant: *Vbi est ille?* Cumque iam dimidium festi peractum esset; adscendit in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* illo dicente doctrinam suam non esse suam; sed eius qui miserat ipsum patris. In nouissimo die magno festiuitatis stans clamabat: *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ*: dicens hoc de Spiritu sancto, quem accepturi essent credentes in eum. Cumque hi illum magnum Prophetam, illi Christum esse dicerent, dicebant alij: *Numquid à Galilæa venit Christus? Nonne dicit scriptura, quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Pontifices & Pharisæi, qui ad eum capiendum miserant, dicunt quoque Nicodemo legis auctoritate ipsi patrocinante, ex Galilæa Prophetam non surgere. IESVS autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum; vbi adducta muliere in adulterio deprehensa, rogant Scribæ ac Pharisæi, quid de illa statuendum sit, cum lex mandet tales lapidari: sed postquam digito terræ inscripserat ac diceret, illum qui immunis esset a peccato, primum in eam iaceret lapidem, omnes eam deseruerunt: sicque & IESVS ei peccatum dimisit, monens ne deinde velit peccare. Deinde docet in Gazophylacio templi se mundi lucem esse, & Pharisæos in suo peccato morituros, qui eum quærebant occidere, ostentantibus se semen Abrahæ esse, dicit vt operibus ostendant se esse progeniem dignam generis auctori: se vero ante Abraham fuisse: cumque lapides quærerent, quo eum lapidarent; abscondens se exiuit è templo: & præteriens cæcum natum facto luto, quod oculis eius illiniuit, quo in piscina Siloe abluto rediit videns. Erat vero sabbathum; quod Pharisæis occasionem calumniæ dedit. Eiecit quoque ex homine dæmonium mutum; quod ipsum facere in nomine Beelzebub Idoli Accaronitarum, quod à Gentibus dicebatur *Priapus*, Pharisæi calumniabantur: quibus de natura dæmonum complura refert. Rogatus deinde à Pharisæo vt secum pranderet, multas minas Pharisæis ac legis peritis imminere denuntiat. Cumque circumstarent ipsi multæ turbæ, docet cauendum esse ab Hypocrisi Pharisæorum: quoque curas inanes eorum animis excutiat, vtitur pulcerrimis similitudinibus. Adueniunt interim quidam qui nuntiant Pilatum vsque eo sæuiisse in Galilæos, quos seductos ab impostore & armis sumptis confidentes in vico Tirathabam, ex monte Garizim cum armata manu veniens in fugam compulerat, eorùmque præcipuos mulctans capite, etiam sanguinem eorum miscuerat

*Scenopegia.*

*Ioan. 9.*

*Luc. 11.*

*Ioseph. 18. 2.*

An. MVN. ET CHRISTI rat sacrificiis. Quibus respondens rogat: num Galilæi illi soli peccauerint aut etiam octodecim illi, quos ruina turris in Siloe tum oppresserat: pœnitentiam igitur nisi habeant omnes simul interituros. Profert insignem similitudinem quoque prædica-
Esai.5. tionis suæ triennalis factæ Hierosolymæ, quam sub nomine fici arboris designat plantatæ in vinea domus Israel: quam postquã quarto anno stercorata nullum proferret fructum, succidendam denuntiat. Docebat etiam in vna Synagogarum, vbi mulier habens spiritum infirmitatis annis 18 sanatur. Deinde regnum cælorum simile esse dicit grano sinapi, ex quo ingens stirps prodit, & fermento mixto farinæ satis tribus, quod sic fermentat totum illud quartarium. Ibat per ciuitates & castella docens & iter faciens Hierosolymam.

Ioan.10. Facta sunt encœnia Hierosolymæ, ob dedicationem templi factam per Machabæos 25. die mensis Casleu, eratque bruma, & ambulabat IESVS in templo in porticu Salomonis, vbi demonstrat se nequaquam blasphemasse, quod dixerit se filium Dei esse. Quærebant ergo eum apprehendere: & subtrahens se à manibus eorum, abiit iterum trans Iordanem Beth-abaram, vbi Ioannes primum Baptizauerat. Et multi illo venientes cre-
Luc.14. debant in illum. Et factum est cum intraret domum cuiusdam Principis Pharisæorum sabbatho ad manducandum panem, Pharisæis ipsum obseruantibus, vt hominem hydropicum sanaret, ostendens eis id licere: docet deinde ex modestia oriri gloriam, potius quam ex ostentatione. Parabolam quoque recenset de inuitatis ad cœnam; qui se ab emptione villæ, probatione 5. iugerum boum, coniugio recenter inito excusarunt. Ibant multæ turbæ cum illo, erant & appropinquantes ei publicani & peccatores, vt audirent illum, refertque illis ac Pharisæis murmurantibus illis similitudinem de oue perdita ex grege cen-
Luc.15. tum ouium, & dragma amissa à decem: similiter de homine tradente filio iuniori substantiam suam, quam prodigus voluptuose viuens consumpsit: ad tantamque redactus fuit inopiam, vt cogeretur cum porcis vesci ceratiis seu siliquis.

*Κεράτιων* seu siliquarum formam *Matthias de Lobel* Insulanus Medicus depingit eam arborem fructusque describit variis locis Plinius lib. 15, 28. in locis mari Ligustico vicinis magna earum arborum copia, fructibusque equi, asini, muli ibidem vescuntur, relinquentes in præsepiis semen amarum. Esitant & pueri ibidem dulcedinem. Pendet semen siliquæ sex grana, diciturque illi auri ponderi nomen dedisse, quod *Karath* nominatur; Græcis namque fructus *Κεράτιον* vocari consueuit. Multæ æque graues rationes me mouent vt credam hos fructus Adamum & Euam comedisse in Paradiso, quando legem à Deo

Deo acceptam fuerunt transgressi. Digitorum hominis longitudo illis, & interim falcata; pollicari latitudine Prædulces sunt, nec in iis nisi cortex manditur ligneus, semine existente amaro, recentes aluum soluunt siccatæ sistunt. Quod nouisse plurimũ momenti adfert ad interpretationem parabolę, siue illa ad Angelos & homines, seu ad Iudæos & Gentiles allegoricus referatur: cum eiusdem naturę sint cum illicita voluptate. Dicebat autem & ad Discipulos suos parobolam de dispensatore iniquo, qui amotus officio suo acceptas antapochas debitores Domini sui iussit eas mutare, vtque pro centum cadis olei scriberet 50. & pro centum tritici coris scriberet octoginta: docens differentiã fidelis ac infidelis dispensatoris mammonæ. Deinde refert Legem & Prophetarũ ætates extensas fuisse ad Ioannem Baptistam ex eo tempore regnum Dei cœpisse Euangelizari. Legis eam & vim esse, vt ne apex vnus (apicibus enim Hebræi vocalium vice vtuntur) decidere poterit: sed mundum vniuersum peniturũ facilius fore Quoque auaros Pharisæos ipsum deridentes ad opitulandũ proximis excitaret; præcepta sua adstruit exemplo: Narratione potius, quam parabola (quæ nomina reticet) vtẽdo. Refert autem traditio Iudæorũ (teste Cyrillo) Lazarum quemdam fuisse tunc temporis Hierosolymis, virum extrema pressum inopia & infirmitate: quem, quo maior sermoni eius accederet energia, in scenam quasi calamitosissimum cunctis habitũ quodammodo introducit. Ostendit quoque eius, ob quam despiciebatur, paupertatem sanctam commendatam fuisse Deo: sicuti diuitiæ Epulonis propter luxuriam infames erant apud illum. Vestiebatur namque purpura Tyria, quæ dibapha in singulas libras denariis mille non poterat emi: vt narrat *Cornelius Nepos*, qui Augusti principatu obiit: & bysso, quod linum, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaia gignitur quaternis denariis scrupula eius, vt auri, quondam permutata repertum: secundum vestimenta erant & epulæ quotidianæ, ex his voluptatem percipiebat, cum ex illis inanem captaret gloriam. Sed vt vitæ genus in vtroque fuit diuersum, ita & exitus hinc cuiusque, quæque efflatis animis accidere, longe diuersissima fuerunt Nam qui pauper tentatione exercitatus fuerat ad gloriam, ad remotã ac secretam sedem quietis, vbi Abraham ob fidei meritum principem obtinebat locum, euectus est: & qui diues tolerando exspectatus erat ad pœnam profunditati cruciatuum, quæ superbos & immisericordes post hanc vitam vocat immersus, tormentis vrgentibus eius digiti extremitate auxiliari expetit, cuius conspectum fuerat auersatus.

Et factum est dum iret IESVS Hierosolymam, transibat per mediam

AN MVN. ET CHRISTI.

*Luc.16.*

*Plin.9.39. 19.1.*

*August. de orig. ant. 4. 15.*

*Luc.17.11.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

mediam Samariam & Galilæam, sanando quodam in castello decem viros leprosos, ex quibus nouem Israelitæ erant ingratitudinis notati: at decimus Samaritanus voce magna magnificans Deum humili procubitu gratias agebat Christo. Post sermonem habitum de secundo eius aduentu: docet per parabolam semper esse orandum Deum. in parabola quoque refert fastum orantis *Pharisæi*, & *Publicani* deiectionem animi, quod ob peccati conscientiam non ausus sit obtutum attollere ad cælum, tundendoque pectus dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Afferebant autem ad illum infantes, vt eos tangeret: hos ab discipulis increpitos conuocat ad se dicens: talium esse regnum cælorum. Deinde diuitem Principem dicentem se præcepta legis seruasse, docet voluntariam paupertatem, quo expeditus ipsum sequatur, paretque sibi thesaurum in cælo: Quin etiam Apostolos, qui stimulo diuini amoris excitati sua reliquerant culmen iudiciariæ potestatis obtenturos denuntiat in regeneratione cum ipso iudice iudices quoque venientes. Refert & parabolam de operariis ex denario conductis, ac eodem pretio remuneratis siue mane siue tertia, sexta, nona, aut vndecima hora venerint in vineam laboratum.

Ioan. 11.

Ægrotabat autem quidam Lazarus à Bethania castello Mariæ ac Marthæ sororum eius. Quæ miserunt ad IESVM dicentes: *Ecce quem amas infirmatur*. Is accepto nuntio dixit: *Infirmitas hæc ad mortem non est, sed pro gloria Dei: vt glorificetur filius Dei per eam*. Diligebat vero IESVS Martham & sororem eius Mariam ac Lazarum. Vt ergo intellexerat quod ægrotaret, mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde dicit discipulis suis: *Eamus in Iudæam iterum*. Dicunt ei discipuli: *Rabbi nunc quærebant Iudæi te lapidare, & iterum vadis illuc?* Posthæc dicit eis: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt somno excitem eum*. Dixerunt ergo discipuli: *Domine, si dormit, saluus erit*. Tunc ergo dixit eis manifeste: *Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, vt credatis quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum*. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, *Eamus & nos, & moriamur cum eo*. Erant autem in via ascendentes Hierosolymam, & præcedebat illos IESVS, erantque pauefacti, & sequenes timebant. Assumpsit autem duodecim IESVS, & ait illis: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim Gentibus & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint, occident eum: & die tertia resurget: & ipsi nihil horum intellexerunt*. Factum est autem cum appropinquaret Hiericho, Cæcus quidam sedebat iuxta viam, cui clamanti vt sui misereretur, restituit visum: qui confestim videns sequebatur eum magnificans Deum: & omnis

Matth 10. Mar. 10. Luc. 18.

plebs

plebs vt vidit, dedit laudem Deo. Et accedit ad eum mater filiorum Zebedæi cum Iacobo & Ioanne filiis suis adorans & petens ab eo, vt vnus ad dexteram, alter ad sinistrā sederent in regno eius: cui respondit ipsos nescire quid petant. Non esse suum hoc dare ipsis: sed iis quibus paratum esset à patre suo. Et veniunt Hiericho. Et ingressus perambulabat Hiericho. Et ecce vir nomine Zachæus Princeps Publicanorum prædiues, cum non poterat eum præ turba videre (erat enim statura pusillus) præcurrens adscendit in arborem Sycomorum quo videret eum illac transiturum. IESVS vero cum suspiciens eum vidisset, iubet descendere, dicens se oportere hoc die manere in domo eius. Et ille festinans descendit, & excepit IESVM gaudens. Quod cum viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ad hominem peccatorem diuertisset. Ille vero iustitiæ vt sol radiis suis omnem nequitiæ fugauit caliginem, atque tenebras mentium illustrauit suo splendore. Vnde Zachæus illuminatus, *Ecce dimidium bonorum meorum*, ait, *do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Quæ pœna furti manifeste erat secundum legem, iusque Rom. Egrediente eo de Hiericho, & discipulis eius ac plurima multitudine filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat iuxta viam mendicans, qui ab eo recipiens visum, confestim sequebatur eum in via. Venit itaq; IESVS Bethaniam, & inuenit Lazarum quattuor dies iam in monumento habentem. Erat autem iuxta Hierosolymam quasi stadiis quindecim, & multi ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo. Martha autem vt audiuit quia IESVS venit, occurrit illi. Maria autem domi sedebat. Dixit autem Martha IESV: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.* Dicit ei IESVS: *Resurget frater tuus.* Dicit ei Martha: *Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.* O mulierem pie eruditam, & erudite piam, quæ hoc scit quod Plato nesciuit, multiscius Aristoteles ignorauit, Pythagoras aut Socrates non docuerunt, Stoici ac Epicurei irriserunt. Hæc doctrix (id enim nomen *Martha* sonat) circa multa sollicita aptissime paucis enarrat verbis: quod Athenagoras sapiens in adolescente Ecclesia Christi multis conatur demonstrare argumentis ac rationibus. Basim nimirum ac fundamentū fidei, anchoram spei, stabilimentum charitatis. Si enim mortui non resurgunt, vana est fides nostra, miserabilioresq; sumus omnibus hominibus. Non eā multæ literæ ad insaniā conuerterant: sed eo vsa fuerat magistro, qui dicit ei: *Ego sum resurrectio & vita. Qui credit in me, etiāsi mortuus fuerit, viuet.* Quique ꝙ docet opere demonstrat ac implet. Nam fratrem eius Lazarum quatriduo

AN. MVN. ET CHRISTI.
*Matth.20.*
*Mar.10.*
*Mar.10.*
*Ioann.11.*
*Act.17.*
*Athenag. lib. de Resurrectione carnis.*
*1.Cor.15.*
*Act.26.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

duo mortuum, ac iam fœtentem, post lacrymas & fremitus (non enim compati nec mœrere belluarũ est) resuscitauit à mortuis, atque solutum vinculis permisit abire. Multi ergo Iudæorum, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit IESVS.

Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium, & dicebant: *Quid facimus? quia hic homo signa multa facit. Si permiserimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent locũ nostrum & gentem.* Vnus autem ex ipsis, cum esset Pontifex anni illius (Pontificatum enim annue conferebant Præsides Rom.) dixit illis: *Vos nescitis quicquam, nec expenditis expedire vobis, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Hæc autẽ à semetipso nõ dixit sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit Iesum moriturum pro gente: imo non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum. Iesus ergo iam nõ propalam inter Iudæos ambulabat, sed secessit in regionem deserto vicinam, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum discipulis suis. Instabat autem Pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam è regione ante Pascha, vt purificarent se. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur inter se in templo stantes: quid videtur vobis, quod non venerit ad diem festum? Dederant autem Pontifices ac Pharisæi præceptum, vt si quis cognouisset vbi esset, indicaret, vt comprehenderent eum. Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit à mortuis. (Iean.12. Sabbatho.) Fecerunt autem cœnam ei ibi: & Martha ministrabat: Lazarus vero erat vnus discumbentium cum eo: Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pisticæ pretiosæ (constat vnguentum Nardinum omphacio, balanino, iunco, costo, nardo, amomo, myrrha & balsamo) (Plin.13.1.) & vnxit pedes Iesu, & extersit eos capillis suis, & domus impleta est odore vnguenti. Qui odor vt bonis vitam, ita malis ad perniciem erat. Nam Iudas Iscariotes aiebat: *Quare vnguentum hoc non vanijt 300 denarijs, & dati sunt pauperibus?* idque non eo, quod sibi pauperes curæ essent, sed quod fur erat, & marsupium habebat; eaque quæ conferebantur, portabat. Dicit ergo Iesus: *Sine illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Pauperes enim semper vobiscum habebitis, me autem non semper habebitis.* Cognouit autem turba multa ex Iudæis, quod illic esset, & venerunt non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum quoque viderent, quem è mortuis suscitauerat. Cogitabant autem Principes Sacerdotum, vt & Lazarum interfice-

An. mvn. et Christi. I. Sabbathi.

perfecerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

Postero die turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent IESVM venturum Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei: Cumque appropinquassent Hierosolymis, & venissent Betphage ad montem oliuarum misit Iesus duos discipulos dicens: *Ite in vicum, qui est è regione vestri, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum eius: soluite & adducite mihi.* Qui adducentes eos, ac vestimenta sua illis imponentes collocauerunt IESVM super illa. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alii vero cædebant ramos de arboribus sternentes & eos in via. Porro turbæ quæ præcedebant, quæque sequebantur clamabant: *Hos-anna* (hoc est, *salua obsecro*) *filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini hos-anna in altissimis.* Et cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliuarum, cœperunt omnis multitudo discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus dicentes: *Benedictus qui venit Rex in nomine Domini: pax in cælo, & gloria in altissimis.* Et quidam Pharisæorum è turba dixeruot illi: *Magister increpa discipulos tuos.* Quibus respondit: *Dico vobis, si hi tacuerint, mox lapides clamaturos.* Et vt appropinquauit, videns ciuitatem, fleuit super illam, dicens: *O si cognouisses & tu, & quidem hoc die, quæ ad pacem. Nunc autem occulta sunt ab oculis tuis. Quia superuenient tibi dies, cum inimici tui circũdabunt de vallo, & cingent te, & coangustabunt te vndique, & solo æquabunt te, & filios tuos qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Et cum intrasset Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens: *Quis est hic?* Turbæ autem dicebant: *Hic est IESVS ille Propheta à Nazareth Galilææ.* Et intrauit Iesus in templum, & eiecit omnes ementes & vendentes in templo; mensasque mensariorum, & cathedras vendentium columbas subuertit, dicens eis; *Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur: at vos fecistis illam speluncam latronum.* Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos. Cum vidissent Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia quæ fecerat, & pueros clamãtes in templo; *Hos-anna filio Dauid*, indignati sunt dicentes ei; *Audis quid isti dicant?* Quibus respondit, *Etiam, Numquam legistis: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?* Pharisæi ergo dixerunt inter se, *Videtis vos nihil proficere? Ecce mundus post eum abijt.* Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant vt adorarent in festo. Hi ergo accesserunt ad Philippũ, qui erat à Bethsaida Galilææ dicentes, *Domine, volumus IESVM videre.* Quod cum is adiun-

Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. Ioan. 12.

Isai. 12.

ANNI MVNDI ET CHRISTI. adiunctos sibi Andrea retulisset IESV; respōdit ei IESVS, *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* Venit ergo vox de cælo, *Et clarificaui, & clarificabo iterum.* Et cum circumspexisset omnia, iamque tempus esset vespertinum egressus est Bethaniam cum 12. & diuersatus est illuc.

II. Sabbathi. Postero die mane cum exissent Bethania, esuriit, cumque vidisset arborem fici procul habentem folia, venit ad eam, & nihil inuenit in ea præter folia. Non enim erat tempus ficuum: quæ cum messe vindemiaque maturescunt. Dixit itaque IESVS ficui: *Ne posthac ex te quisquam in æternum fructum edat.* Et audiebant discipuli eius, veniuntque Hierosolymam: & ingressus IESVS templum cœpit eiicere vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit. Et non sinebat vt quisquam vas transferret per templum. Et docebat dicens eis: *Nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Quo audito Principes Sacerdotum & Scribæ quærebant, quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius. Et cum vespera facta esset, egrediebatur e ciuitate.

Plin. 15. 18.

III. Sabbathi. Mane vero prætereuntes vident ficum exaruisse radicitus, & recordatus Petrus dixit ei: *Rabbi, ecce ficus illa, cui maledixisti, exaruit.* Et post complures doctrinas veniunt rursum Hierosolymam, & cum venisset in templum accesserunt ad eum docentem populum Principes Sacerdotum, & Scribæ cum senioribus populi, & aiunt illi: *Qua auctoritate ista facis, dic nobis.* Tum enarrat ipsis parabolas de duobus filiis missis in vineam: deque plantata & elocata vinea infidis & atrocibus colonis. Cumque audissent Principes Sacerdotum ac Pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de se diceret. Quærebant ergo in illum eadem hora manus iniicere, sed timuerunt populum, & relicto illo abierunt. Iterum itaque narrat parabolam de Rege, qui fecit nuptias filio suo, in quibus discumbens absque veste nuptiali in tenebras exteriores eiicitur. Tum emittuntur Pharisæi & Herodiani, quo tentent eum super censu dando Cæsari. Saducæi quoque interrogant de muliere, cuius septem viri erant mortui, cuius illa in resurrectione futura sit. Quibus os obturatis legis doctor tentat eum super magno mandato legis: at ille vniuersam legem compendio simulque Prophetarum dicta duobus mandatis includit dicens: *Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & diliges proximũ tuum sicut teipsum.* Congregatos iterum Pharisæos rogat IESVS, quid ipsis videatur de Christo, & quomodo ipsum

dicant

dicant filium Dabid; cum Dauid ipsos eum in spiritu vocet Dominum suum Tum præcipit obedientiam præstandam sedentibus super cathedram Moysis; sed opera ipsorum non esse imitanda; cum quæ dicant, non faciant. Inuehitur quoq; in mores ipsorum multum peruersos Refert quoq; quomodo occidendo Prophetas vindictam Dei aduersum se excitent, omnemque sanguinem iustum ab Abel ad Zachariam vsque inter templum & altare occisum. effusum quoque e sunt luituri. Declarans quoque vehementissimum suum erga Iudæos affectum, sibi ipsis caussam mali euenturi esse demonstrat. Sedens vero ex aduerso Gazophylacii adspiciebat turbam ac diuites munera sua in illud mittentes. Vidit autem & viduam quamdam pauperculam mittentem æra minuta duo (quod est quadrans, nempe sesquiobulus Hollandicus) & conuocans discipulos dicit eis, viduam illam plus omnibus cæteris misisse in Gazophylacium, cum de penuria sua dederit omnia quæ habuit. Cumque egrederetur de templo ait illi vnus ex discipulis suis: *Magister, adspice quales lapides, & quales structura.* Et respondens IESVS ait illi: *Non relinquetur harum magnarum structurarum lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et cum sederet in monte Oliuarum è regione templi interrogabant eum separatim Petrus, Iacobus, Ioannes & Andreas quando ista essent futura, & signum, per quod noscerent tempus venturi exitii. Quibus prædicit certa signa destructionis Hierosolymæ iam iam aduenturæ. Similiter refert & complura de extremis temporibus. Ex quibus poterit intelligi secundus aduentus Domini, quemadmodum ex germinante ficu colligitur in propinquo esse æstatem. *De die vero illo & hora* (inquit) *nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius* (quatenus id celat. in eo enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ) *nisi pater* (quatenus id non celauerat filio.) Deinde vigilandum esse præcipit exemplo fidelium seruorum, charitatisq; operibus intentos debere esse, vt lux nostra luceat corā hominibus, adducta parabola de decem virginibus, quo numero vltimo articulari vniuersos homines comprehendit. Ostendit quoque patris beneuolentiam erga genus humanum; qui gratuita sua munera in ea cum lucro exercentibus remunerat. Nec enim fides sola donum Dei est. sed & charitas cæteræque virtutes omnes. Fides vero instar radicis est, quæ arbori bonæ confert vitam; ideoque non fit eius mentio in narratione extremi iudicii: quod qui non credant iam iudicati sint, caussaque ceciderint. Nec enim possibile est sine fide placere Deo. Charitatis vero à fide enutritæ fructus sunt arboris: quibus merces liberalitate gratuita concedetur. Quos senario numero enumerat IESVS secundum quod sex ætatibus in iis exercendis fideles patres excelluere. Adam enim

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Marci* 13.

*Vide Hilar.* 9. *de Trin.*

*Psalm* 1.
*Hebr.* 11.6.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

enim dum operatur terram, de qua sumptus erat, procurauit posteris quod ipsis esset, quod manducare possent: Noe vero plantando vineam, sitientibus posteris consuluit: Abraham hospitalitate summe excelluit: Dauid vero egregia liberalitate defessis & ad sarcinas remanentibus militibus ex æquo (quo se vestire possent) prædam cum victori exercitu diuisit: misit quoque dona de præda senioribus Iuda proximis suis Prouidit quoque claudo Miphiboseth de omnibus necessariis sibi. Ieremias in vtero matris sanctificatus ætate quinta consolatur, & ad patientiam adhortatur Baruch dicenti, *Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni.* Sicuti sexta ætate vera mundi lux habitantibus in regione vmbræ mortis orta *Christus:* non modo captiuis remissionem prædicauit: sed omnia priora multo abundantius expleuit charitatis officia, mortuos etiam ad futuræ resurrectionis certitudinem resuscitando, eamdemque potestatem Apostolis quoque suis tribuendo.

Gen.1.9. Gen.18. 1.Reg.30. 2.Reg. Ierem.45. Luc.4. Ioan.8.

IV. Sabbathi Erat autem Pascha & azymorum dies post biduum: & quærebant summi sacerdotes & Scribæ quomodo eum per dolum comprehensum occiderent. Dicebant autem, *Non in die festo, ne forte fiat tumultus in populo.* Cum autem esset Iesus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum (vnguenta enim optime seruantur in alabastris) vnguenti nardi spicati, pretiosi, & effudit super caput recumbentis. Videntes vero discipuli indignati sunt dicentes. *Ad quid perditio hæc?* Et fremebāt in eā. Iesus autem dixit: *Sinite eam: quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me: præuenit namque vngere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius.* Intrauit autem Satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim, & abiit & locutus est cum Principibus Sacerdotum & Magistratibus dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam* At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, quo eum traderet.

Plin.13.2. Matth.26. Marc.14. Luc.22. Matth.26.

V. Sabbathi. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat immolari Pascha: & emisit Petrum & Ioannem dicens illis: *Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans sequimini eum; & quocumque intrauerit dicite Domino domus: Magister dicit, vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis edam? Et ille vobis ostendet cœnaculum magnum stratum, paratum, illic parate nobis.* Et exierunt discipuli, & venerunt in ciuitatem, & repererunt quemadmodū dixerat eis: parauerunt que Pascha Cumque aduesperauisset, venit cum duodecim. Et quando erat tempus

discu-

discubuit, & duodecim discipuli cum eo, quibus ait: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia posthac neutiquam edam vltra ex eo, antequam compleatur in regno Dei.* Et edentibus illis dixit. *Amen dico vobis, vnus vestrum me proditurus est.* Et mœstitia affecti vehementer cœperunt singuli dicere ei: *Numquid ego sum Domine?* Cœna vero facta surgit IESVS à cœna, deponens vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum. & extergere linteo, quo erat præcinctus. Postquam lauerat pedes eorum, accepit vestimenta sua Et cum recubuisset, assumit panem, & ad verum Paschæ transgreditur Sacramentum. Vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos fecerat, ipse quoq; veritate sui corporis repræsentaret. Nam omnia dominica potestate atque auctoritate administrans, non exspectat vel ex proditore necessitatem, vel Iudæos grassatorum in modum adorientes, vel Pilati iudicium iniquum, vt illorum scelus & malicia communis hominum salutis principium ac caussa essent: sed pro ineffabili arcanoque & qui ab hominibus cerni nequit sacrificii modo, sua dispositione & administratione præoccupat impetum violentum, ac sese oblationem & victimam offert pro nobis Sacerdos simul & Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, suum corpus ad comedendum, & sanguinem suum ad bibendum discipulis præbens. Memoriam enim fecit mirabilium suorum dicens: *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis: Verum tamen,* inquit: *ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Et ipsi cœperũt quærere, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Erat vero vnus ex discipulis recumbens in sinu IESV quem diligebat IESVS. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit: *Quis est de quo loquitur?* Itaque cum ille recumberet supra pectus IESV, dicit ei: *Domine quis est?* Respondit IESVS: *Ille, cui ego intinctum panem porrexero:* quem Iudæ Simonis Iscariotæ dedit, intrante in illum Satana. Dicit itaque ei IESVS *quod facis, fac citius.* Qui statim exiuit: erat autem nox. Cum ergo exisset dixit IESVS: *Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo.* Habuitque varias conciones, donec diceret: *surgite, eamus hinc.* Et Hymno dicto exibat, vt solitus erat trans torrentem Cedron ad montem Oliuarum in villam, quæ dicitur Gethsemani, vbi erat hortus: in quem introiuit ipse & discipuli eius, quibus dixit: *Sedete hic donec digressus orauero.* Et assumens Petrum, Iacobum, & Ioannem secum, auulsus est ab eis ferme ad iactum lapidis, positisque genibus orabat, dicens: *Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.

Et fa-

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Ioan. 13.*

*Hieron. in Matth. 6. & Epistol. ad Marc.*

*Greg. Nyss. Hom. 1 in die 1. de pascha.*

*Arnob in Psalm. 110.*

Calicem, quo Dominus vsus est in cœna argenteum fuisse hinc inde duas ansulas habentẽ, sextarii Gallici capacem, & suo tempore ostendi solere Hierosolymæ testatur *Beda de locis Sanctis 14.*

*Ioan. 14.*

*Luc. 22.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia, & ait illis: *Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.* Sciebat autem Iudas, qui eum tradidit, locum; quia frequenter IESVS conuenerat illuc cum discipulis suis. Qui cum accepisset cohortem, & à Principibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, facibus & armis. IESVS itaque sciens omnia, quæ ventura erant super se, processit dicens illis: *Quem quæritis?* Responderunt ei: *IESVM Nazarenum.* Dicit eis IESVS: *Ego sum.* Vt ergo dixit eis; *Ego sum*, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Secundario interroganti: *Quem quæritis?* Responderunt: *IESVM Nazarenum.* Quibus IESVS: *Dixi vobis, quia ego sum; si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Iudas vero antecedens eos appropinquauit IESV, vt oscularetur eum. Cui IESVS: *Iuda osculo filium hominis tradis?* Videntes qui circum eum erant, quod futurum esset, dixerunt: *Domine percutiemusne gladio?* Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, absciditque eo auriculam dextrā Malchi serui Pontificis. Cumque eum iussisset IESVS gladium immittere vaginæ, tangens auriculam sanauit eam. Cohors vero cum Tribuno atque ministris Iudæorum comprehenderunt IESVM & ligatum duxerunt ad Annam præfectū magni cōcilii Sanedrin, q socer erat Iosephi Caiphæ, tū summo sacerdotio fungētis. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus cum altero discipulo, qui Annæ notus erat; introiuitque ita & in atriū, tantumque egit cū ostiaria, vt & Petrus à se introduceretur. Qui terrore perculsus se discipulum IESV esse negauit puellæ. Stans quoque, vt se calefaceret, ad prunas, ac interrogatus num ipse ex discipulis IESV esset, negauit se esse. Postquam vero Annas IESVM de discipulis doctrinaque sua multa interrogasset, atque optime respondenti vnus ministrorum ipsi alapam inflixisset; misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem generum suum, vbi Scribæ & Seniores conuenerant. Petrus autem secutus eum, sedebat in atrio cum ministris, vt videret finem. Principes Sacerdotum & Seniores, totumque conciliū quærebant falsum testimonium contra IESVM. Sed licet multi falso testarentur, nihil morte dignum testati sunt: & tamen vt blasphemum mortis reum ipsum declarauerunt. Petrus quoque cum cœpisset detestari ac iurare se eum non nosse, audiuit gallum cantu diem nuntiantem, recordatusque verborum Iesu, egressus foras fleuit amare. Mane autem facto, inierunt omnes Principes sacerdotum ac seniores populi consilium aduersus IESVM. Surgensque omnis multitudo eorum, duxerunt illum

vinctum

vinctum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi dicentes: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Tunc videns Iudas qui eum tradiderat, quod damnatus esset; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos (quorum singuli duas argenti vncias cum semisse valebant;) sicque summa illa pecuniæ, quæ 56. ducatorum ac decem solidorum erat, emerunt agrum singuli *Haceldama* in sepulturam peregrinorum, cum ille seipsum laqueo suspendisset, ac religione terrerentur mittere precium sanguinis in sacrum thesaurum dictum *Carbonam.* Pilatus vero interrogabat IESVM dicens: *Es tu Rex Iudeorum?* Et cum ille respondisset, *Tu dicis*, retulit Præses ad Iudæos, se nullam caussam in eo inuenire, ob quam esset vindicandus. At illi multo clamore, *commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Ioseph. Antiq.*

Audiens vero Pilatus IESVM Galilæum esse, remisit eum ad Herodem Antipam Tetrarcham Galilææ, qui tum Hierosolymis erat. Cum vero IESVS multis sermonibus ab Herode interrogatus nihil respondisset & à Principibus sacerdotum scribisq; cõstanter accusaretur; spreuit eum Tetrarcha cum exercitu suo, indutumque ludibrio veste candida quasi prehensaturum remisit ad Pilatum. Eo die amicitia cœpta est coli inter Herodem & Præsidem, cum antea animis dissiderent. Pilatus vero conuocatis turbis ac primatibus libenter se iudicio subtraxisset, aut ex more populo ob Paschæ solemne festum eum libenter remisisset, præsertim cum vxor eius se nocturnis spectris territam de nocte fuisse denuntiari curasset. At illi Barabam latronẽ insignẽ dimittendum esse, ac IESVM crucifigendum vociferabantur, sæpe eamdem vocem iterando. Tunc apprehensum IESVM flagellauit (quæ seruorum pœna erat) vinctum ad columnam, vt narrant. quæ infecta cruore Domini, Ecclesiæ porticum in monte Sion sustinens tempore Hieronymi ibidem ostendebatur. Milites vero tinctam cocco chlamydem imperatoriam Græcorum vestem ei circũdantes capiti eius plexam è spiuis coronam imposuerunt, atque arundinem dexteræ aptarunt: genuque flexo illudebant ei dicentes: *Aue Rex Iudæorum.* Et exspuentes in eum accepta arundine percutiebant caput eius, atque dabant ipsi alapas. Exiuit ergo Pilatus foras dicens: *Ecce adduco eum vobis, quo cognoscatis me nullam condemnationis caussam in illo inuenire.* Sicque IESVS plenus opprobriis exiuit foras portans spineam coronam, & indutus chlamyde coccinea. Quoque efficerentur humanitatis memores Iudæi, dicit eis Præses: ECCE HOMO, innuens, quod si ei vt Regi inui-

*L. in seruorũ. ff. de pænis*

*Hieron. in Vita Paulæ.*

Coronam hanc ex Rhamni fruticibus contextam fuisse contendit *Petr. Bellonius.* Vocant Arabes *Rhamnum Albengesi* & Itali *Spinam Sanctam*, qua Palæstina abundat.

AN. MVN. ET CHRISTI.

derint, nunc vt hominis miserrimi misererentur. Tuncq; ipsorũ arbitrio ipsum crucifigendum permittere vellet; illi ipsum se filiũ Dei dixisse, eoque secundum legem vt blasphemum è medio tollendum esse instabant. Iram quoque Tiberii Cæsaris longe crudelissimi ipsum quoque incurrere, si illum dimitteret, clamabant. His clamoribus commotus, producto IESV foras sedit pro tribunali. ablutisque manibus coram populo ait, se innoxium à sanguine iusti, cum interim ipsorum inuidiæ ac odio inseruiens contra ius populi Romani & æquum tradiderit IESVM crucifigendum. Itaque milites exuendo eum chlamyde, (quæ effigiem orbis habitabilis forma referebat) videbantur eum spoliare quasi regno. Induentes ergo eum vestimentis abduxerunt ipsum, vt crucifigeretur. Baiulante vero eo crucem, coegerunt Simonem Cyrenensem patrem Alexandri & Rufi portare crucem post eum. Sequebatur autem eum turba multa populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum, quibus denuntiat diriora euentura esse, sic vt & steriles beatas esse dicent, atque se montibus operiri exoptabunt. Postquam vero ventum fuit in locum, qui Caluariæ vocatur, crucifixerunt eum ibi, & latrones vnum a dextris, & alterum à sinistris; qui genus humanum referebant, cuius vni parti afflictio *Christi* in ruinam est, & alteri in resurrectionem. Scripsit autem Pilatus & titulum Hebraice, Græce & Latine, magno sacramento iudicantem non tantum Iudæorum in Lege Dei versantium, sed & Gentium, siue eæ humana gloriantur sapientia; siue victricibus armis triumphant, IESVM esse saluatorem, Regem ac Pontificem, florem nimirum laudantium ac confitentium Deum. Quod vti Hebraicis significatur vocabulis; ita Latinis numerorum characteribus tituli: *IesVs NazarenVs reX IVdæorVM* continentur anni, qui intra templum à Salomone ædificari cœptum (in quos typo sacrificia sacrificium hoc *Christi* significantia offerebãtur) & natum *Christum* Regem effluxere nempe 1032. Græca quoque continere non vulgaria ac passim obuia mysteria nobis persuademus: sicuti & quod vestes eius diuisæ sint in partes quatuor, & super tunicam inconsutilem sors fuerit iacta. Porro à sexta hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque in horam nonam; & obscuratus est sol. Quod & Phegom Trallianus Adriani Imperatoris Libertus in 14. suo libro sic annotauit: *Quarto anno Olympiadis ducentesima secunda magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta, dieiq; hora sexta ita in tenebrosam noctem versus est, vt stella in cælo visa sint; terraque motus in Bithynia multas ædes Nicenæ vrbis subuertit.* Diony-

Vanæ voces populi non sunt audiẽdæ; nec enim vocib. eorum credi oportet, quando aut obnoxium crimine absolui aut innocentẽ condemnari desiderãt C. de pœn. L. *decurionum filij*. *Strabo l. 1. & Dionysius in Periegesi.*

Numerus characterũ Græcorum l. 10. continens tertia sui parte nẽpe 1870. respondet an. à Christo nato, ad eum annũ, quo Isaac qui circumcisus erat, duxit in vxorem Rebeccam ex incircumcisis ortam, Mysterium Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus per gratiã in Christo veniendæ Tertia hæc itẽ pars procedit versus finẽ mundi. *Eusebius in Chronico. Dion. Epist. ad Polycarp. & 2. Epist. ad*

Dionysius quoque Areopagita refert se cum Apollophane Heliopoli Ægypti vrbe sexto quodam die Hebdomadis & hora pene sexta solem horribilibus subito tenebris obductum vidisse. Luna contra naturalem motum ab Orientali parte subingressa, atque postea Lunam rursum in Orientem & Solis oppositam recedentem obseruasse. Lucianus etiam martyr Antiochenus refertur iudicibus suis dixisse: *Perquirite in annalibus vestris & inuenietis Christo patiente temporibus Pilati, diem tenebris fuisse interruptum fugato Sole* *Apolloph.* *Euf. Eccles. Hist. 9. 6.*

Compatiebantur itaque cum eo astra, cum homines, quorum causa patiebatur, ipsum execrarentur. At interim non destitit precari ac meminisse hominum omnium ætatum solemnibus verbis. Nam rogando Patrem, vt ignoscat peccantibus, quia nesciant, quod faciunt, non male quadrat in primam ætatem, quando Adam & Heua decepti crassa quadam ignorantia peccauerunt. Quod vero latroni veniam petenti post peccata confessa ac spem remissionis delictorum animo concipienti dixerit: *Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso*, sicque imputando homicidii pœnam ad Martyrium, ad ætatem secundam non male referri potest; quando homines, licet legibus soluti latrocinantium more belligerarent, non defuerunt tamen, in quibus misericordia superexaltaret iudicium; vt qui misericordia liberati fuerint ab eo, qui iustificat impium, imputans mercedem secundum gratiam, & non secundum debitum. Quales fuere complures ex posteritate Semi & Melchisedech Rex ille Salem qui Abram à cæde reuerso vinum & panem sanctificatum in nutrimentum dedit. Quando vero matri discipulum in filium, & discipulo in matrem dedit genitricem suam; tertiam ætatem apte expressit, cum illa lex data sit, quæ mutua charitate impletur: plenitudo namque legis dilectio est. Porro quod Apostolus Ioannes eam exinde receperit in suam, testantur Patres Concilii Ephesini, scribentes in epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum Ioannem Theologum, & sacram Virginem Deiparam Ephesiorum ciuitatem quandoque incoluisse, grauissimi in primis auctores. Quarta vero ætas in verbo *Sitio* ostenditur, quando animæ sanctorum Prophetarum; sicuti cerui ad fontes aquarum procurrentes, desiderabant eam aquam, quæ hausta in ipsis excitaret fontem aquæ salientis in vitam æternam. Cuius aquæ datorem exspectantes summo cum desiderio exclamabant: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iustitia oratur simul.* Ætas vero quinta quantam similitudinem habet cum iis verbis: *Deus, Deus meus quare me dereliquisti?* Cum & dira illa captiuitas Babylonica, persecutiones Seleucidarum

*Hieron. Epistola ad Damas.* *August. de Ciuit. Dei 21. 27.* *Clem. Alexand Stro. 4.* *Gen. 14. & 15.* *Rom. 13.* *Psal 41.* *Ioan. 4.* *Isai. 45.*

An. mvn. & Christi. ac Ptolomæorũ, translatio sceptri à Iuda ad Idumæum, sacerdotii ab Aarone ad ambitiosos per Romanos pro imperio facta, ea accidé int ætate: vitiis hominum in tantum excrescentibus, vt & vera religio impietate Herodianorum, falso errore Saducæorum, ac hypocrisi Pharisæorum quodammodo oppressa videretur Et n. si Dominus exercituũ reliquisset semen, quasi Sodoma fuissent, & quasi Gomorrha similes extitissent. Sextæ quoq; ætati quis existimet non respondere, quod Iesvs accepto per spongiam hyssopo lustrali circumdatam aceto dixerit: *Consummatum est*. Quandoquidem ipse vulneratus sit propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra: oblatus sit quia ipse voluit, & sicut ouis obmutescens ad occisionem ductus; tradiderit in mortem animam suam; & cum sceleratis reputatus tulerit peccata multorum, etiam pro transgressoribus orando. Cuius liuore sanati de tenebris vocati sunt ad admirabile lumen ipsius; factique sint genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: quibus aderit omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi: quando morte absorpta in victoria tradet regnum Deo Patri, vt sit Deus omnia in omnibus: in cuius manus voce magna committens spiritum suum inclinato capite exspirauit 15. Luna mensis Nisan anno mundi 4000. dimidio, 70. hebdom. 202. Olympiade Paullo Fabio L. Vitellio Coss. postridie Kal. Aprilis. Et ecce velum templi Babylonium variis ornamentis ex auro, hyacintho, bysso, cocco, & purpura picturatum, 55. cubitis altum, & 16. latum scissum est in duas partes à summo vsque deorsum, sia vt arcana Sacerdotum adyta paterent, & terra mota est. Quod & Plinius secundus his verbis testatur: *Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ vna nocte prostratis*: Et petræ scissæ sunt ac monumenta aperta: adstipulatur his Golgothana rupes sub patibuli onere disrupta teste Luciano: multaque corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Iosephum quoque, qui vernaculus & scriptor est Iudæorum, asserere scribunt Paula & Eustochium, illo tempore quo crucifixus est Dominus, ex adytis templi virtutum cælestium erupisse voces dicentium: *Transmigremus ex his sedibus*. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesvm visis, quod clamando exspirasset Iesvs, atque terræ motu, aliisque quę fiebant, timuerunt valde dicentes: *Vere Filius Dei erat iste*. O mortem Iesv omni admiratione contemplandam, quæ reserat adyta cælestium mysteriorum, mouet immanium Ro. militũ corda, rumpitque petras infidelium mentium vt summis Sacerdotibus ac scribis illudentibus, in ipso passionis scandalo confiteantur vere hominem & filium Dei! O mortem salutiferam.

*Isai.1.53.* *Exod.12.* *1 Pet.2.* *Matth.28.* *Osea.13.* *1.Cor.15.* *Iosep. de bello Iudaico.6.6* *Plin.2.84.* *Euseb.9.6.* *Cyrill. Hierosolymitanus. Catech.13.* *Matth 27.* *Epostol. ad Marc Stylo spirante Hieron.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

ſtam, cuius commemoratio propitium facit hominibus De-um: cuiuſque virtute deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis; mors deſtructa eſt, deuictus mundus, infernus ſpoliatus, fores Paradiſi patefactæ, reſurrectio donata, & Reditus ad priſtinam felicitatem ac beatitudinem conceſſus. Eſt mors hæc obita à redemptore orbis brachiis explicatis in cruce conſtituente quattuor angulos rectos, cuique ſint ſublimitas, profundum, longitudo, atque latitudo: quibus res omnes creatæ continentur; ideoque apud Ægyptios inter notas Hyerogliphicas crux deſignabat vitam. Certe in primitiua Eccleſia habebatur crux quaſi ſcipio imbecillium, ſtantium firmamentum, aduerſus diabolum pugnantium telum, ac baculus paſtorum. Fabricabant itaque duo ligna, quæ poterant ſeparari; quo infidelibus oſtendere poſſent, ſe non inanima ligna, ea diſſoluendo venerari, ſed crucis figuram: ſignū nimirum illud filii hominis, quod apparebit in cœlo: dicebant enim, materiæ ex qua crucis figura confecta eſt, etiamſi aurum ſit, aut lapides pretioſi, ſi forma ipſius diſſoluatur, nullus pietatis cultus eſt exhibendus.

*Suidas & Socrat. in Eccleſ. hiſt.*
*Vida Cal. Ann. 10. 8.*
*Damaſc. de Cruce.*
*Athanaſius quaſt 39.*
*Euſ. prepar. 2. 21.*
*Matth. 24.*

Porro Iudæi (quoniam Paraſceue erat) rogauerunt Pilatum vt frangerentur crura cruciariorum, tollerenturque caſſa animis corpora. Fregerunt itaque amborum latronum crura; ſed Christi, quia eum iam mortuum videbant non fregerunt: at vnus militum aperuit lancea latus eius, & continuo effluxit ſanguis & aqua ex hocce ſalubri vulnere atque limpidiſſimo ſacramentorum Eccleſiæ fonte. Aqua enim eluendis vitiorum ſordibus ac niueum innocentiæ candorem conferendo conducit, & ſanguis nouo more roſeo firmæ conſtantiæ rubore inficit eos, qui merent ſub ſignis *Chriſti* IESV. Sicque impletæ fuere ſcripturæ dicentes: *Os non comminuetis ex eo.* Et: *videbunt in quem transfixerunt.*

*Exod. 12.*
*Num. 9.*
*Zach. 12.*

Interea deſcendit anima IESV ad inferna, vbi patres vinctos in tenebris poſtquam liberauit, præclaro triumpho captiuam ſecum duxit captiuitatem ad deliciarum illum Paradiſum; quo & latronis anima etiam tum venit.

*Ioan. 19.*

Dum hæc fiunt rogauit Ioſeph ab Arimathia, decurio nobilis ac diues, & clanculum IESV diſcipulus Pilatum, vt liceret ſibi tollere corpus IESV: quo annuente, cum Nicodemo Phariſæo afferente circiter centum libras mixturæ myrrhæ & aloes funus curauit ritu Iudæorum. Quibus mos erat mortua corpora condita odoramentis atque aromatibus candidiſque inuoluta linteaminibus ſepelire in agris, & obſtruere ſepulcrorum oſtia ſaxis & lapidum molibus. Erat itaque in loco, vbi crucifixus erat IESVS, hortus, & in eo monumentum nouum, quod

*L. Girald. de Sepeliendorum ritu.*

AN. MVN. ET CHRISTI. in petra exciderat Ioseph, in quo eum posuerunt. Erant ibi Maria Magdalena & altera Maria Iosephi ac mulieres, quæ eum secutæ fuerant a Galilæa videntes monumentum, & quomodo corpus eius erat positum, & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta ac Sabbatho quieuerunt propter præceptum. Attamen licet fuerit postera die Pascha non quieuerunt Principes sacerdotum ac Pharisæi: sed adeuntes Pilatum rogant eum, vt velit excubias circa sepulcrum disponere; idcirco quod Iesus prædixerat se post tres dies resurrecturum Ablegata vero à Præside in ipsos cura munierunt sepulcrum, lapidemque signarunt dispositis ibidem custodibus, qui excubias agerent, ne discipuli clam auferrent exanime corpus. Porro quæritur hic à curiosis, quomodo corpus Iesu fuerit tribus diebus ac noctibus in penetrali terræ, sicuti Ionas fuerat in vẽtre ceti. Sunt qui illud tẽpus, quo sol obscuratus est pro nocte numerent, & reliquam lucis partem pro die. Alii synechdochice Parasceues diem etiam noctem præcedentem, vt sabbathi noctem primæ sabbathi diem comprehendere aiunt. Refert hoc Gregorius Nyssenus Basilii Magni frater ad cœnæ tempus, quando translato sacerdotio Aaronis, sacerdos summus secundum ordinem Melchisedech nouo ritu se victimam obtulit, corpus suum ad edendum familiaribus præbens, & sanguinem ad bibendum. Iam enim tum, inquit, latenter pro potestate administrantis mysterium ineffabiliter ac inuisibiliter corpus eius immolatum erat: alioquin inidoneum fuisset ad edendum. Cuilibet enim hoc perspicuum est: quod homo non posset vesci oue, nisi comestionem mactatio præcessisset Hocq; modo computat deinceps dies noctesq; præsul Nyssenus. Oportebat enim corpus per triduum esse in monumento, vt compleretur quod dictum erat *Et eram inter mortuos liber, & abiecerunt me dilectum veluti mortuum abominabilem.* Cæterum vt impossibile erat animam propter deitatem detineri ab inferno: ita & carnem videre corruptionem. Resuscitauit itaque eum tertio die Deus, nec potuerunt corpus eius coercere pondus claustraque sepulcri.

*Luc. 23.*

*Greg. Nyss. Hom. 2. de pascha.*

*Hebr. 6.*

*Epiph. lib. 2. 69. contra Arioman.*

*Act. 2 13.*

*Psalm. 15.*

*Aug. Serm. de temp. 156. 160.*

*Hieron aduersus Iouin.*

*Ioan. 24.*

*Cyrillus catech. 13.*

In resurrectione vero eius erat eadem corporis substantia: sed gloria aucta. Nam manus perforatæ clauis retinuerunt salutifera sua vulnera: pedesque quoque atque latus. Prima autem sabbathi cum adhuc tenebræ essent, venit Maria Magdalena ad monumentum, videtque lapidem sublatum à monumento, quod currens nuntiat Petro atque alii simul discipulo. Angelus enim Domini magno terræ motu facto descenderat de cælo, atque reuoluto lapide, qui etiamnum ante monumentum situs est, insidebat, adspectu eius quasi fulgur splendente, & vestimento instar niuis albicante. Præq; timore eius exterriti

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

fiere vigiles, & facti veluti exanimes. Petrus vero atque alter discipulus introeuntes sepulcrum viderunt linteamina & sudarium separatim posita. Exorto iam sole veniunt Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Salomæ, atque introeuntes in monumentum vident Angelum stolatum (duo enim candidis stolis induti, alter vbi pedes, & alter vbi caput positum fuerat in monumento sedebant) in dextris sedentem, qui ostendens ipsis locum, vbi IESVS (quem quærebant) iacuerat, dicit trementibus, vt nuntient Petro cæterisque discipulis, vt proficiscantur in Galilæam, ibi enim IESVM se conspicuum ipsis redditurum. Maria autem Magdalena stabat ad monumentum plorans, cui IESVS primum apparuit forma hortulani, quæ cum Ioanna, Maria Iacobi & cæteris, quæ cum eis erant, cuncta referebat ad Apostolos, quibus hæc deliramenta videbantur, nec fidẽ iis adhibebant. Annuntiarunt quoque Principibus sacerdotum milites, quæ acciderant: à quibus pecunia corrupti aliis dixerunt se dormientibus discipulos nocte furatos fuisse corpus IESVS. Posthæc duobus euntibus in vicum Emaus sexaginta stadiis distantem ab Hierosolyma ostendit se in alia effigie, atque interpretatus de se Moysis aliorumque Prophetarum scripturas, & in fractione panis cognitus hospitalis Cleophæ domum in Ecclesiã dedicauit. Deinde visus est Cephæ, & post hoc vndecim discipulis, qui ob metum Iudæorum congregati erant foribus clausis: quibus ostendens manus ac pedes, seipsum quoque palpandum præbuit, atque videndum vescentem pisce asso, ac fauo mellis, docens debuisse fieri quæ de ipso essent scripta in lege Moysis, Prophetis, ac Psalmis. Aperuitq; eis sensum vt intelligerent scripturas: atque bis ipsis pacem precatus ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Accipite spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt.* Apparuit deinde octauo die, cum & Thomas Didymus, qui prius non adfuerat, esset intus foribus clausis: cumque hic haud credere voluerat, quod natura corporea, inoffensa compage, per impenetrabile corpus inuisibili aditu penetrasset ac se visibilem conspectu atque tactu tractabilem exhibuisset; iussit eum digitum inferre manuum ac pedum vulneribus, & manum in latus, quo deinceps esset fidelis. Postea manifestauit & se ad mare Tiberiadis, piscantibus Petro, Thomæ, Nathanaeli, filiis Zebedæi atque aliis discipulis duobus: cum Petrus traheret rete in terram plenum 153. magnis piscibus. Quo numero significatur ex omni natione quosdam saluandos esse per Apostolicam prædicationem, cum tot piscium species inuenire dicat Oppianus. Non est omnino huic dissimile, quod Augustinus denarium numerum legi tribuens & septenarium gratiæ, ob

*Marci 16.*

*Hieron. in vita Paulæ.*
*1. Corint. 15.*
*Luc. 24.*

*Ambr. in Luc. 10. 24.*

*Hieron. in Ezech. 14.*

*August. in Ioan. 122.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI. septem munera spiritus, dicit ex iisdem binis numeris intelligi 17. Ad quem numerum si fit Arithmetica progressio colliguntur 153. Sicque gratia abundantior demonstratur lege, atque Apostolicæ prædicationes fœcundiores verbis Prophetarum: cum hæ litteræ, illæ spiritui comparentur. Postquam ergo prandissent terna commissione curã Petro commendat ouium, pro quibus pastor occisus fuerat: cum ille terna confessione amorem suum erga ipsum declarasset. Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul. Iacobo quoque deinde: Posthæc omnibus vndecim Apostolis, cum in Galilæam venisset ad montem, quem constituerat illis IESVS. Vbi adorantibus eum dicit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filii & spiritus sancti. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Et ego mittam promissum patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto.* Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit eis. Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum: & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis dicentes: *Viri Galilæi, quid statis adspicientes in cælum? hic* IESVS *qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Et ipsi adorantes regressi sunt a monte, qui dicitur Oliueti, Hierosolymam cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes ac benedicentes Deum: atque ascendentes in cœnaculum, vbi mansitabant Petrus, Ioannes, Iacobus, Andreas, Philippus, Thomas, Bartholomæus, Matthæus, Iacobus Alphæi, Simon Zelotes, & Iudas Iacobi frater perseuerabant vnanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre IESV ac fratribus eius.

1. Corint. 15

Matth. 28.

Luc. 24.

Act. 1.

## TEMPORA EXTERNA.

## HISPANIA.

Tiberius succedens Augusto Cantabros & vicinas illis gentes, quas Cæsar Augustus oppresserat, tribus militum ordinibus impositis locos ipsos ex Augusti instituto non modo pacatos, verum etiam vrbanis præditos moribus effecit. Sic qui Romanorum sociorum prædones fuerant, nunc pro Romanis rei militari seruiunt.

## GALLIA.

Cum Gallias possideret ea immanitas, vt Druydes illorum homines immolarent, Tiberii Cæsaris principatus sustulit Druydas, & hoc genus vatum medicorumque.

Sacro-

Sacrouiro principe Galliarum ciente bellum, Floroque Iu- AN. MVN. ET CHRISTI.
lio, mira celeritate ac virtute compressum per Tiberium illud
fuit.

Sena insula in Britannico mari est Osismicis aduersa litoribus, Gallici numinis oraculo insignis: cuius antistites perpetua virginitate sanctæ numero nouem esse traduntur.

Galli vocant Senas, putantque ingeniis singularibus prædi- tas, maria ac ventos conciliare carminibus, seque in quæ volunt animalia vertere: sanare, quæ aliis insanabilia sunt: scire futura, & prædicare: sed non nisi dedita nauigantibus, & in id tantum, vt se consulerent profectis. *Mela* 3.6.

Tungri iuxta Rhenum habitant: apud quos Romani nunc pontem ædificant contra Germanos belligerantes.

## GERMANIA.

Q. Vari fœderibus ruptis per insidias occisi pœnas luerunt Germani, & Germanico clarissimum præbuere triumphum, in quo ducti fuerunt Semiguntus Segesti filius Cheruscorum dux, & soror eius, vxor Arminii, Sigimeri Principis filii, Thoruelda, cum filio Tumelico trienni. Sesithacus filius Ægimeri Cheruscorum ductoris, & Rhamis vxor eius, filia Vitomiri Battorum Principis: Deuterix Bætoritis filius. Melonis filius fratris Sugambri, & Libys Chattorum sacerdos. Ægestus socer Arminii, qui ad Romanos transfugerat, ducendo alios honorifice in pompa incedebat. Protrahebantur etiam Cathilci, Ampsani, Bucteri, Nusipetes, Cherusci, Chattuacii, Chatti, Laudi, Subattii. Interim Arminius bellum continebat.

In Germania trans Rhenum, castris à Germanico promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus soluerentur. Stomacacen Medici vocabant, & Scelesyrben ea mala. Reperta est auxilio herba, quæ vocatur Britannica, non neruis modo & oris malis salutaris; sed contra anguinas quoque & serpentes. Frisii, qua castra erant, Romanis demonstrauerunt illam. Miratur C. Plinius nominis caussam, nisi inquit forte Plin. 25. 3. confines Oceano Britanniæ velut propinquæ dicauere. Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi plurima nasceretur, certum est etiam tum Britannia libera.

Marobodius ex humiliore gradu ad res maiores constitutus, cum Bubienum (regia hæc vrbs eius erat) con plures traduceret incolas, suos conterraneos Marcomannos illuc quoque adegit. Itaque Luios etiam vendicauit, gentem permagnam: & Lumos & Batones, & Mugilones, & Sibinos & ipsorum Sueuorum nationem amplissimam Senones. Cæterum cum Ca-

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

tualda Marcomannus eum persequeretur, vndique deserto non aliud subsidium, quam misericordia Tiberii Cæsaris fuit.

Transgressus Danubium, qua Noricam prouinciam præfluit, scripsit Tiberio non vt profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ: nam multis nationibus clarissimum quondam regem ad se vocantibus, Romanam amicitiam prætulisse. Responsum à Cæsare tutam et honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus suis aliud conduceret abiturum fide, qua venisset. Cæterum apud Senatum disseruit ipsum populo Rom. valde esse metuendum. Marobodius vero Rauennæ fuit habitus, ne si quando insolescerent Sueui, quasi rediturus in regnum ostentabatur. Sed non excessit Italia per 12. annos, consenuitque multum imminuta claritate ob nimiam viuendi cupidinem.

Frisii gens Transrhenana Silano & Nerua Coss. detestantes auaritiam Olennii primipilaris, qui eis regendis impositus, terga virorum delegebat, quorum ad formam coria boum in vsus militares tributi nomine à Druso illis pendere iussa, accipere volebat. Hinc ira & questus, precipue cum seruitio quoq; traderetur. Remedium itaq; ex bello, rapti qui tributo aderant milites & patibulo affixi. Olennius infensos fuga præuenit, receptus castello, cui nomen *Fleuum*: & haud spernenda illic ciuium sociorumque manus litora Oceani possidebat.

Quod vbi L. Apronio inferioris Germaniæ Proprætori cognitum, vexilla legionum è superiore prouincia, peditumque & equitum auxiliarium delectus acciuit: ac simul vtrumque exercitum Rheno deuectum Frisiis intulit, soluto iam castelli obsidio, & ad sua tutanda digressis rebellibus. Quorum nomen deinde clarum, cum manifestum esset prœliando ad 900. Romanos apud lucum Badishennam fuisse confectos: & in Cruplorins villa 400. verentes proditionẽ mutuis ictibus procubuisse.

## *Monarchia Romanorum.*

*Oros. 7.4. Egesipp. hanc Pilati epistolam refert.*

TIBERIVS CÆSAR acceptis litteris Pilati Præsidis Palestinæ de passione atque resurrectione *Christi*, consequentibusque virtutibus. quæ vel per ipsum palam factæ fuerant, vel per discipulos eius in nomine ipsius fiebant: & de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur: retulit cum suffragio magni fauoris ad Senatum, vt *Christus* Deus haberetur. Senatus vero indignatione motus, quod sibi non prius secundum morem delatum esset, vt de suscipiendo cultu prius ipse decerneret; consecrationem *Christi* recusauit: edictoque constituit exterminandos esse vrbe Christianos Ælio Seiano præfecto Tiberii obstinatissime suscipiendæ religioni contradicente. Tiberius autem

autem edicto accusatoribus Christianorum comminatus est: & Seianum, quem ad summam potentiam euexerat: quo eius ministerio ac fraudibus Germanici liberos circumueniret: cum plurimorum clade interfecit. Post cuius interitum sæuissimus exstitit: vt appareret non tam ipsum a Seiano concitari solitum; quam Seiano quærenti occasiones subministrasse. Nullus enim a pœna hominum cessauit dies, ne religiosus quidem, ac sacer. Accusati damnatique multi cum liberis atque vxoribus suis. Interdictum ne capite damnatos propinqui lugerent: decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnumquam & testibus. Quibusdam custodiæ traditis, non modo studendi solatium ademptum: sed etiam sermonis ac colloquii vsus. Nemo punitorum non & in Gemonias abiectus, vncoque tractus. Viginti vno die abiecti tractique; inter eos pueri & feminæ. Immaturæ puellæ, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatæ prius a carnifice, dein strangulatæ. Mori volentibus vis adhibita viuendi. Nam mortem adeo leue supplicium putabat, vt cum audisset, vnum ex reis Carnulium nomine anticipasse eam exclamauerit: *Carnultus me euasit.* Dicebat quoque se seruus vinctorum caussas cognoscere, ne affecti supplicio citius leuarentur malis, quæ meruerant anteactis sceleribus. Agrippam Herodis Regis Iudeæ ex Aristobulo nepotem in vincula coniecerat; quod Eutychus illius libertus & auriga herum incusarat, quod precatus fuisset Tiberio, vt quam primum principatus locum Caio digniori cederet: cum Agrippa & Caius simul vectarentur in curru soli: Philippi quoque tetrarchiam Trachonitidis, Gaulanitidis ac Bataneæ, qui anno vigesimo principatus eius diem suam obierat, Syriæ attribuit: ita tamen vt tributa ex ea tetrarchia collecta seruaretur intra ipsius regionis terminos. Auaritiæ in tantum quoque deditus erat: vt mulum ingentis formæ missum sibi, in macellum deferri, & venire iusserit, adiciens: *Omnia me fallunt, nisi istum mulum aut M. Apicius emerit, aut Publ. Octauius.* Vltra spem illi coniectura processit: licitati sunt, vicit Octauius: & ingentem inter suos adeptus est gloriam, cum quinque sestertiis emisset piscem, quem Cæsar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Erat vero *Apicius* nepotum omnium altissimus gurges: qui cum sexcenties H-S. consumpsisset, & sibi superesset centies, hoc est, 234375. ducati; vnde etiamnum laute posset viuere, veritus inediam, sumpsit venenum. Plinius refert eum docuisse Phœnicopteri linguam præcipui saporis esse: & mulos necari in sociorum garo præcellens putauit. Dabatur principatus tunc temporis scaro pisci, qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci, non aliis piscibus. Qui cum in mari Carpathio frequens esset, nec vnquam

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

Sueton. in Tib. cap. 61.

Ioseph. 18. 6.

Seneca Epistola 90.

Plin. 10. 48. Mart. 5.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*Plin.19.5. 25.15. 14.21. 36.26.13.13. Vide Abrah. Ortelii in Thesauro Geograph.*

vmquam Troadis promontorium Lecton sponte transiret. Optatus Tiberii libertus classis Præfectus inter Ostiensem & Campaniæ oram sparsos disseminauit. Quinquennio fere cura est adhibita, vt capti redderentur mari. Postea frequentes inueniuntur Italiæ in litore, non ante ibi capti. Nobilitauit Tiberius Siser, flagitans omnibus annis à Germania. *Gelduba* appellatur castellum Rheno impositum, vbi generositas præcipua. Cucumis mira voluptate ei etiam fuit expetitus. Nullo quippe non die contigit ei, pensiles eorum hortos promouentibus in solem notis olitoribus; rursusque hybernis diebus intra specularium munimenta reuocantibus. Placuere & illi pyra grandiuscula, quæ Tiberiana appellantur. Fuerat Tiberius in iuuenta ad merum pronior, & in senecta iam seuero atque etiam sæuo spectante illo miraculi gratia Nouellius Torquatus Mediolanensis ad proconsulatum vsque à prætura honoribus gestis ebibit vno impetu tres congios. Torquato cognomen Tricongii inditum, raraque ei inde gloria (quando & potandi ars suis etiam constaret legibus) non labasse sermone, nec leuatum vomitione, nec altera corporis parte dum biberet, matutinas obiisse vigilias, plurimum hausisse vno potu, plurimum præterea aliis minoribus addidisse, optima fide non respirasse in hauriendo neque exspuisse, nihilque ad elidendum sonum in pauimentis ex vino reliquisse.

*Suidas.*

Ferunt Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum, vt flexile esset: & totam officinam artificis eius abolitam: ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur: eaque fama crebrior diu, quam certior fuit. Erat & eius principatu tanta inopia chartæ; vt è Senatu darentur arbitra dispensandi, alias in tumultu vita erat. Curam vero Reipub. vsque adeo reiecit Tiberius, vt non tribunos militum præfectosque, non prouinciarum præsides vllos mutauerit Hispaniam & Syriam per aliquot annos sine consularibus legatis habuerit: Armeniam à Parthis occupari. Moesiam à Dacis Sarmatisque, Gallias à Germanis vastari neglexerit, magno dedecore imperii, nec minore discrimine. Processerat ad 7. lapidem via Appia, vt Romam rediret, sed ostento territus rediit in Campaniam. Erat ei in oblectamentis serpens draco: quem ex consuetudine manu sua cibaturus, cum consumptum à formicis inuenisset, monitus est, vt vim multitudinis caueret. Asturæ in languorem incidit, quo paulum leuatus Circeios pertendit: & paulo post obiit in villa Lucullana prope Neapolim 78. ætatis anno, 23. imperii XVII. Kalend. Aprilis

Cn. Acer-

Cn. Acernonio Proculo, & C. Portio Nigro Coss. Ante paucos dies quam obiret turris Phari terræ motu Capreis concidit. Morte eius ita lætatus est populus, vt pars Tiberium in Tyberim mergendum clamitarent, alii vncum & gemonias cadaueri minarentur, exacerbati super memoriam eius pristinæ crudelitatis, etiam recenti atrocitate; cum damnatorum custodes, ne quid contra mortui constitutionem facerent, illos implorantes hominum fidem strangulauerint, abiecerintque in gemonias Romam cadauer eius per milites deportatum, crematumque publico funere est. Testamento reliquerat Caium ex Germanico, & Tiberium ex Druso nepotes æquis partibus heredes, substitueratque inuicem.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*Suet. c. 75.*

Paullo ante mortem Tiberii, Iudæi accusauerant Pilatum cædis, quodque ille concursus in Tirathaba fuerat refugium contra violentiam eius; apud Syriæ legatum Consularem L. Vitellium virum innocentem, & industrium Auli Vitellii postea Principis patrem: qui amico Marcello ad procurationem Iudææ misso, Pilatum iussit Romam proficisci, responsurum apud Cæsarem ad obiecta per Iudæos crimina. Ita ille decem annis exactis in sua prouincia, cum necesse haberet parere Vitellio, iter ad vrbem suscepit: quo prius quam perueniret, vita excesserat Tiberius: & tantis irrogante Caio terroribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit. Cæterum L. Vitellius miri in adulando ingenii primus Caium Cæsarem adorari vt Deum instituit, cum reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quam velato capite circumuertensque se, deinde procumbens: quando iam Syriæ præpositus esset Petronius.

## TEMPORA APOSTOLICA.

In diebus illis exurgens Petrus in medio discipulorum (erat enim turba hominum quasi centum & viginti) refert ad illos de vno in locum Iudæ proditoris sufficiendo, quo duodenarius numerus Apostolorum suppleatur. In quorum medio cum *Christus* est, ita erunt in quincuncem constituti pulcerrimo ordine, vt quocumque modo eos adspexeris, videbis plantatum quodammodo Paradisum nouum à Deo, in cuius medio sit arbor vitæ, & circum circa frugiferæ arbores, quæ suis temporibus floreant, & fructus bonos producant. Hortus nimirum ille conclusus sponsi, ad quem venire inuitatur vna ac dilecta

*Hieron. Epistola ad Paulinum.*

Apte ex progressione numerorũ Cant. gradum hunc 120. numerum prouenire demonstrat.

AN. MVN. ET CHRISTI.

lecta pulcerrima sponsa ac soror. Eligitur ergo præmissis precibus a Synodo sorte Matthias. Cum vero quinquagesimus à resurrectione *Christi* iam dies esset, erantque omnes centum & viginti pariter in eodem loco, factus est repente de cœlo sonus tamquam ruentis flatus violenti, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes. Et visæ sunt illis dispertitæ linguæ velut ignis, seditque supra vnumquemque eorum: repletique sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout spiritus dabat illis eloqui. Admirati sunt ergo quindecim variarum nationum populi, aut etiam plures: cum homines Galilæos audirent suis linguis loqui magnalia Dei. Calumniantes præ ebrietate id fieri confutat Princeps Apostolorum Petrus, cui omnium cura tam anxie erat commissa, docensque ac pænitentiam prædicans, & ad baptismum inuitans multitudinem, fundamenta generationis suscitauit, cum gregi appositæ sint in die illa animæ circiter tria millia. Erant vero perseuerantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis & orationibus: habentes omnia communia. Et Dominus apponebat eos qui salui fiebant, quotidie Ecclesiæ.

*Isaia 58.*

Petrus vero & Ioannes sub vesperam hora orationis nona ascendentes in templum intuentur claudum mendicum, quadraginta annos natum, quem Petrus cum sanasset docet id factum esse per fidem nominis IESV, ostendens illum esse Messiam promissum per Moysen & Prophetas, ipsique Abrahæ. Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum 5000. Sub vesperam positos in custodiam Apostolos mane Annas iam Princeps sacerdotum, Caiphas, Ioannes Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali, examinant de curatione claudi. Ad quos Petrus repletus Spiritu sancto dicit claudum adstare sanum in nomine IESV, nec in vllo alio salutem consistere. Quare cernentes Apostolorum eruditam constantiam eos dimiserunt: ad quorum relationem, cum referrent quæ acta fuerant; cæteri Deum orantes replentur quoque Spiritu sancto: atque inter alios etiam Ioseph Barnabas Leuites Cyprius vendidit agrum ponens precium ante pedes Apostolorum. Quod cum ficte Ananias cum Sapphira vxore æmulari vellent, prophetico spiritu Dei iudicium annuntiat eis Petrus, sicque subita morte percutiuntur. Fiebantque signa & prodigia multa per Apostolos in plebe, cum & vmbra transeuntis Petri curarentur infirmi. Traduntur idcirco Apostoli publicæ custodiæ à summo sacerdote eiusque Saducæis: sed Angelus Domini nocte aperiens carcerem, eduxit eos.

*Hieron. Demetriad. Epistola. Ioseph antiquit. 18. 5.*

C

Quos

Quos è templo sine vi adducentes statuerunt in concilio: atque post Petri responsum, quod oporteat magis Deo obedire quam hominibus, & sanum Gamalielis consilium, cæsos ac prohibitos loqui in nomine IESV, dimiserunt, gaudentes quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati. Hi ergo primi confessores, omni die non cessabant in templo & circa domos docere atque euangelizare IESVM CHRISTVM. Crescente indies discipulorum numero, atque exorto murmure Græcorum aduersus Hebræos ob ministerium quotidianum viduarum eorum, eligebantur septem Diaconi; Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas & Nicolaus aduena Antiochenus. Quibus Apostoli manus imposuerunt. In tantum vero tunc multiplicabatur Hierosolymæ numerus discipulorum: vt etiam multa turba sacerdotum obediret fidei. Porro Stephanum Diaconum virum plenum fide, gratia, fortitudine, ac Spiritu sancto, cum faceret prodigia & signa magna in populo: à variarum gentium Synagogis Iudæorum (cum eius disputationibus resistere non poterant) falso blasphemiæ accusatum, licet Angelico aspectu, eloquentia summa, testimoniisque scripturæ validissimis sese defenderet; atque ipse testaretur se videre cælos apertos, & filium hominis IESVM stantem à dextris Dei, impetu seditioso lapidauerunt extra Hierosolymam orantem pro lapidantibus, atque flexis genibus dicentem: *Domine IESV suscipe spiritum meũ.* consentiente in eius primi Martyris necem Saulo adolescente, atque lapidantium vestes custodiente. Erat vero is Iudæus tribus Beniamin, secta Pharisæus, legemque edoctus à Gamaliele, patria Tharsensis, acciuis Romanus natus, zelator legis, si quis alius. Nam deuastabat Ecclesiam, atque intrans domos, tractosque inde vtriusque sexus homines tradebat in custodiam: sic vt discipuli, præter Apostolos, dispergerentur per diuersa loca Iudææ ac Samariæ. Philippus autem descendens in Samariam prædicabat *Christum*, intendentibus turbis iis, quæ docebat, & signis quæ faciebat. Cum exirent dæmonia, paralytici & claudi curarentur per eum: ciuitate gaudente de omnibus iis, atque credentes Philippo euangelizanti baptizabantur viri & mulieres. *Act. 7.* *Act. 8.*

Inter quos etiam baptizabatur Simon Magus seductor gentis Samariæ, cum videns signa & virtutes maximas fieri, admirandóque stupore omnino percelleretur. Audientes vero Hierosolymæ Apostoli Samaritanos accepisse verbum Dei, miserunt illuc Petrum & Ioannem. Qui orantes imposuerunt baptizatis manus, sicque accipiebant Spiritum sanctum. Simonem volentem talem potestatem mercari pecunia, Petrus

acerbe

ANNI MVNDI ET CHRISTI. acerbe increpuit. Ab illo deinceps sacratum rerum nundinatio. labes dicta fuit Simoniaca. Illis euangelizantibus multis regionibus Samaritanorum ac Hierosolymam redeuntibus, iubetur Philippus ab Angelo Meridiem versus descendere in viam ab Hierosolyma tendentem Gazam. Imperabat per ea tempora Æthiopibus Candace Regina, virilis sane mulier, sed altero oculo capta vt Strabo ait. Huius thesaurorum præfectus eunuchus imo vir, Æthiops vehiculo insidens, cum Isaiæ cap. 53. lingua volueret, labiis personaret, atque ignoraret eum, quem nesciens in libro venerabatur: accessit ad eum Philippus, & ostendit ipsi Iesum clausum in littera latentem. O mira doctoris virtus. Confestim credit Eunuchus, baptizatur & fidelis & sanctus factus est. Magister quoq; ex discipulo effectus plus in deserto Betsur 10. à Hierosolyma lapide & fonte nascentis Ecclesiæ comperit: quam in aurato vetustæ Synagogæ templo, vnde redierat. Quare gaudens iter suum prosecutus est: cum Philippus à spiritu Domini raptus inuentus sit in Azoto; vnde transiens Euangelizabat cunctis ciuitatibus, donec veniret Cæsaream.

*Strabo l. 17.* Eunuchio huic nomen fuisse *Indich* asserunt Aethiopes. *Hieron. ad Paulin.* *Iac. Zieglerus in Palæst.*

*Act. 9.* Interea admiranda illa SAVLI persecutoris Ecclesiæ Dei fit
4001. XXXV. conuersio, quando Iesus ipsa in via apparebat, & deinde tribus diebus cæcus neque manducauit neque bibit Damasci: vbi a discipulo Anania in domo Iudæ, sita in vico recto, visum recipiens baptizatur, atque deinde acerrime tuetur Iesum esse filiũ Dei: confundens Iudæos incolas Damasci, affirmans Iesum esse *Christum* ipsis promissum. Qui per insidias moliebantur ipsum interimere. Præfectus Damasci nomine Aretæ Regis Cœlesyriæ disposuerat excubias in portis: sed nocte è fenestra in sporta per
4003. XXXVII. murum demissus Saulus abijt in Arabiam. Vnde reuersus Damascum, venit inde tertio anno Hierosolymam deductus à
*2. Cor. 11.* *Galat. 1.* Barnaba ad Petrum & Iacobum fratrem Domini Apostolos. Nec enim alium Apostolum tunc temporis vidit; manensque apud Petrum quindecim diebus: quo futurus Gentium prædicator mysterio hebdomadis & ogdoadis instrueretur. Oranti
4004. XXXVIII. vero tunc in templo, cum fieret in extasi, apparuit Iesus dicens: *Festina & exi velociter Hierosolyma, quoniam non recipient testimonium tuum de me: & vade, quoniam in gentes longe mittam te.* Eodem quoque circiter tempore raptus fuit in tertium cælum: atque etiam in Paradisum, & audiuit arcana, verba, quæ non
*Act. 22.* licet homini loqui. Cum vero Hierosolymæ loqueretur genti-
*2. Cor. 12.* *Psal. 1.* bus, & disputaret cum Græcis, qui necem ipsi parabant, deductus fuit a fratribus Cæsaream, vnde venit in partes Syriæ, & Tharsum Ciliciæ patriam suam.

Ecclesia quidem per totam Iudæam, Galliæam & Samariam frueba-

fruebatur pace, & ædificabatur ambulans in timore Domini; ac repleta consolatione Spiritus sancti. AN. MVN. ET CHRISTI.

*Petrus* autẽ dum peragraret ad omnes, venit etiã ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ, vbi Æneam paralyticũ sanauit 8 annos grabato decumbentẽ. Quo viso omnes Lyddæ ac Saronæ incolę cõuersi sunt ad Dominum. Ioppe vero obierat Tabitha Dorcas dicta, pia ac eleemosynaria discipula, quæ tunicas ac vestes Petro parauerat: hanc euocatus Lydda quoq; ad vitam reuocauit, hospitatus apud Simonem coriariũ morantẽ in ꝓpinquo mari. Cuius certior fit Cornelius Cẽturio cohortis vocatæ Italicæ ab Angelo, hora circiter nona, dũ deprecatur Deum Cæsareæ inter Ioppen & Dorã sitæ, atq; à Græcis maiori ex parte habitatæ, Romanisque præsidiis custoditæ. Vbi cum Petrus admonitus visione lintei quatuor initiis (videntur hic significari quatuor Euangelia instar lintei quadrangularis contexta) è cælo demissi in terram Gentes etiam ad Euangelium esse admittendas, esse ac prędicaret IESVM CHRISTVM, cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem, baptizatique sunt Petri iussu in nomine Domini IESV CHRISTI, primitiæ gentium ex posteritate Iaphet, à Patre Noe secundario loco benedicti. Nam quamuis discipuli post necem Stephani vsque Phœnicen & Cyprum ac Antiochiam essent dispersi, nemini loquebantur verbum nisi solis Iudæis. Sub hoc tempus videntur quoque hebdomadæ Danielis impletæ cum abominatio desolationis staret, vbi non debeat, in loco sancto, nimirum templo. Nam Caius Cæsar volens coli vbique pro Deo, in templo etiam statuam suam locari imperauit, atque gentilium sacrificiis illud profanari fecit: iubens locum sanctum nominari *Delubrum Iouis illustris noui Dei Caij*. Quare magnus tumultus exortus in Iudæa, Alexandriæ, aliisque locis, quæ ab Iudæis habitabantur. Erat enim Caius bestiæ quartæ cornu illud quartum, ante quod tria cornua Iulius, Augustus, & Tiberius Cæsares ceciderant. Quod infestum erat Iudæis despiciens maiores suos, sermone quoque os suum extulit, loquendo aduersus excelsum. Cui, postea quam putauerat se, vt Deum, mutare posse tempora & leges, à Deo permissum fuit imperare, annos tres, cum semestri. Post quem daretur regnum, potestas & magnitudo regni, quæ subter cælum est, populo sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum est sempiternum & immensum, cum omnes reges seruient ei, & obedient. Nam ad hoc regnum parandum Apostoli in omnes terræ regiones legati fuere; Postquam peruenit ad aures Ecclesiæ, quæ Hierosolymis erat, Cyprios ac Cyreneos introgressos Antiochia Græcis etiam annuntiasse Dominum IESVM: & auxilio Domini per eos multos credidisse Itaque

*Act.* 10. Cæsarea describitur à *Iosepho* 15. 11. antiquit. & l. 16. belli Iudaici.

*Dan.* 9.

*Matth.* 24.

*Mar.* 12.

*Dan.* 7.

*Sueton. in Caio c. vlt.*

*Gal.* 2.

A N. MVN. ET CHRISTI. que Petrus Antiochiam, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam ac Bithyniam adiens commisso sibi numero functus oues errantes ad pastorem & Episcopum animarum suarum conuertit: Andreas Septemtrionem quoque versus ad Schytas vsque Euangelicam extendens sagenam per Thraciam, Macedoniam ad Achaiam Peloponnesi venisse commemoratur. Vbi Patris à Proconsule Ægea, quod diis sacrific. re recusaret, in crucem actus est. Matthæus Euangelio Hebraico composito (dixerat enim Deus Hierusalem Euangelistam dabo) in interiorem Æthiopiam progressus horridos Æthiopes ac nudos candido immaculati agni vellere vestiuit: atque missione à Synaxi populo facta martyrii coronam adeptus est. Matthias ad alteram Æthiopiæ oram profectus, vbi Hyssi portus, prædicauit agrestibus hominibus Euangelium: illicque moriens sepultus fuit. Thomas per Indiam Sinarum regionem penetrans, IESVM (cuius vulnerum oculatus testis erat) resurrexisse à mortuis posteris Iectan annuntiauit, Martyrioque Calaminæ Indiæ oppido decoratus, reliquiis suis Edessam Mesopotamiæ vrbem decorauit. Bartholomæus Indis citerioribus Fortunatis dictis euangelizando, cum Euangelium, quod secundum Matthæum est, reliquisset, Albanopoli Armeniæ maioris vrbe obdormiisse post cruciatus acerbissimos refertur. Iudas Thadæus vero Arabia peragrata in Perside corona martyrii potitus fuisse narratur. Sicuti Simon frater eius Zelo Dei feruens per Ægyptum, Libyam, Africam, Mauritaniam vsque seminato verbo Dei, fratri Iacobo iusto in Cathedra Hierosolymitana successisse, ætateque ad centum viginti annos prorogata sub Traiano Principe vitæ cursum consummasse refertur, vti & Philippus peragrata Asia Hierapoli Phrygiæ vrbe glorioso fine quieuisse. Barnabas profectus Antiochiam perduxit, eo quoque Saulum ex Tharso quæsitum, integrumque annum ambo erant ibi docentes turbam multam, vsque tunc crescente Ecclesia: vti ibidem primum discipuli cognominarentur CHRISTIANI. Superuenerunt etiam Antiochiam è Hierosolyma Prophetæ, quorum vnus Agabus nomine, qui prædicebat per spiritum futuram magnam famem in vniuerso orbe: quare collecta facta per discipulos, miserunt auxilio eam habitantibus in Iudæa fratribus per manus Barnabæ & Sauli. Agrippa vero Rex cognominatus Herodes per ea tempora affligendo Ecclesiam intentus, occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, qui tum ex Hispania (vbi Euangelium prædicauerat) venisse memoratur. Videns vero id gratum fuisse Iudæis, apprehendens quoque Petrum misit in carcerem, quo cum post Pascha (obtrun-

*Hieron in catal.* *Lactan. 4. 21* *Isa 41.* *Rufi. 11. 5.* Aliter *Ioan. Pet. Malfæus* in historia Indica & Horat. Turseli. in vita Xauerii. *Euseb. 3. 10. 26.* *Act. 11. vers. 26.*

4010. XLIV.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

obtruncatus enim Iacobus erat VIII. Kalend. Aprilis) populo ostentaret: vtque quam optime custodiretur, posuit 160. milites ad excubandum pro carcere, vinxitque captiuum Petrum duab. catenis. At assidua oratione Ecclesiæ ad Deum pro Petro facta, liberatus Apostolus auxilio Angeli fratrib. in Domo Mariæ matris Ioannis, qui Marcus cognominatus est, congregatis magnum attulit gaudium atque sollicitudinem Agrippæ. Qui facta inquisitione de custodibus migrauit Cæsaream, ibique commoratus solennes ludos celebrauit pro salute Claudii Cæsaris: cuius celebritatis die secundo mane cum sederet pro tribunali amictus veste regia, atque concionem haberet ad populum, adulatoribus acclamantibus, vocem Dei esse & non hominis, confestim percussus est ab Angelo Domini, eo quod non dedisset gloriam Deo, ac per 5. dies corrosus à vermibus exspirauit, cum vixisset annos 54. & regnasset septennium ferme.

Memorabilis fames fuit in Iudæa hoc anno, ita vt assaron frumenti veniret quatuor drachmis, hoc est, ratione mensuræ nostratis, Octonarius Delphensis quindecim ducatis: aut onus Amstelredamense pluris 1864. aureis florenis probatæ monetæ. Commodum tum venerat Helena vidua Monobazi Adiatenorum seu Assyriorum Regis Hierosolymam, quæ ex suis misit Cyprum emptum ficus passas, & alios Alexandriam aduehentes frumentum: quibus reuersis cibos egenis distribuit, atque memoriam sibi eo apud Iudæos parauit immortalem. Allati erant Azymorum diebus cori 71. & nemo sacerdotum ausus est inde micam edere, legem & iram Dei veriti. *Ioseph 3.13.* 4012. XLVI.

## TEMPORA EXTERNA.

### *Monarchia Romanorum.*

C CÆSAR, qui CALIGVLÆ nomen castrensi ioco traxerat, quia manipulario habitu inter milites educabatur, imperium adeptus, militibus, prouincialibusque, quod infantem plerique cognouerant, exoptatus, & ob memoriam patris Germanici, vrbanæ plebi acceptus fuit. Ingressus vero vrbem irrita Tiberii voluntate, Tiberio prætextato coherede contempto, ius, arbitriumque omnium rerum sibi sumpsit. Incendebatque studia hominum omni genere popularitatis: Tiberio pro concione plurimis cum lacrymis laudato, funeratoque amplissime: matris fratrisque cineres ex Pandateria ac Pontia insulis allatos venerabundus in vrnas condidit, ac Mausolæo intulit, atque inferias his annua religione publice instituit. Mensem Septembrem Germanicum in honorem patris appellauit. *Suetom. c.9.* *Suet. c.15.*

AN. MVN. & CHRISTI.

Auiæ Antoniæ fratrem Tiberium Drusi filium die virilis togæ adoptauit, appellauitque Principem iuuentutis. De sororibus auctor fuit, vt in relationibus Consulum adijceretur: QVOD BONVM FELIXQVE SIT C. CÆSARI SORORIBVSQVE EIVS. Libellum de sua salute oblatum non recepit, contendens nihil sibi admissum, cur cuiquam inuisus esset, negauitque se delatoribus aures habere. Opera sub Tiberio semiperfecta templum Augusti, theatrumque Pompei absoluit. Aquæ ductum regione Tiburti & Amphiteatrum iuxta septa inchoauit. Edidit & certamen Græcæ Latinæque facundiæ, quo certamine victos victoribus præmia contulisse, eorumq; laudes cōponere coactos fuisse ferunt. Eos quoque qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere iussos fuisse: nisi ferulis maluissent obiurgari, aut flumine proximo mergi. Munera gladiatoria in Amphitheatro, & in septis aliquot edidit: quibus inseruit cateruas Afrorum Campanorumque pugilum ex vtraque regione selectissimorum.

*Sueton. c. 21.*

*Sueton. c. 18.*

Floruit nunc APOLLONIVS Apollonii F. in Tyana Cappadociæ vrbe natus Pythagoreus Philosophus, siue, vt vulgus loquitur, magus; qui intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scythas, Messagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum latissimo Phison amne transmisso peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentem aureo inter paucos discipulos de natura, de motibus syderum ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syrios, Phœnices, Arabes, Palestinos reuersus Alexandriam perrexit in Æthiopiam, vt Gymnosophistas & famosissimā solis mensam videret in sabulo. Inuenit vbique vir ille quod disceret, vt semper proficiens, semper se melior fieret. Fuit vero taciturnus, plurimæ lectionis ac memoriæ firmitate Simonidem superans. Cecinit Mnemosinæ hymnum, in quo scribit: *Omnia quidem tempore marcescere, ipsum vero tempus Mnemosynæ beneficio & senectutis & mortis esse expers.*

*Hieron. in Prologo Galeato ad Paulinum.*

Porro Claudius Agrippam à Tiberio vinctum è carcere euocatum diademate donauit, atque Regem constituit super Tetrarchias Philippi ac Lysaniæ, atq; altero Principatus sui anno in Palestinam ordinandi regnum caussa nauigare permisit. Quare & externorum fauorem sibi conciliauit. Nam Artabanus Parthorum Rex odium semper contemptumque Tiberii præ se ferens: amicitiam eius vltro expetiit, venitque ad colloquium legati Consularis Vitellij, & transgressus Euphratem aquilas & signa Romana Cæsarumque imagines adorauit. Cum vero ad eum reges venirent vndique, atq; se Regum fastigium excessisse putaret, diuinam maiestatem asserere sibi cœpit. Templum nam-

*Suet. c. 14.*

amque numini suo, & sacerdotes atque excogitatissimas instituit hostias. Stabat in templo simulacrum eius iconicum aureum, amiciebaturque quotidie veste, quali ipse vtebatur. Iudæis, qui eum pro Deo colere noluerant, valde infestus fuit. Nam Philonem virum doctissimum missum Alexandria deprecatum, vt permitteret Iudæis suis vti ritibus, aspernatus est. Et Herodem cum Herodiade sua ad se venientes misit exulatum Lugdunum: conferens Tetrarchiam eius Agrippæ. Videbaturque deinceps monstrum ex diuersis inter se pugnantibus naturæ studiis cupiditatibusque conflatum. Nam cum omnibus sororibus stupri consuetudinem habuit: & Drusillam L. Cassio Longino collocatam abduxit, & in modum iustæ vxoris propalam tenuit. Eaque defuncta iusticium indixit: in quo risisse aut cænasse cum parentibus aut liberis capitale fuit: perque nomen Drusillæ deierabat. Reliquas vt adulteras, & quasi insidiarum aduersus se conscias condemnauit. Liuiam Horestillam C. Pisoni nubentem ad se adduci imperatam, repudiatam relegauit. Lolliam Paulinam C. Memmio Consulari ac rectori exercitus nuptam è prouincia euocauit, breuique repudiatam, vlli in perpetuum nubere vetuit. Ex Cæsonia ex altero viro trium filiarum matre infantem Iuliam Drusillam tulit: Quoties os vxoris aut amiculæ exoscularetur addebat: *Tam bona ceruix simul ac iussero demetur.* Lautiore conuiuio in cachinnos effusus, quærentibus Consulibus, qui iuxta cubabant blande quidnam rideret: *Quid*, inquit, *nisi vno meo nutu iugulari vtrumque vestrum posse.* Sæpe in cunctos Senatores, vt matris ac fratrum delatores inuectus est. Equestrem quoque ordinem assidue proscidit. Infensusque plebi, *Vtinam Populus Romanus vnam ceruicem haberet*, dicebat, atque identidem cædes exercituum, famem, pestilentiam, incendia atque hiatum aliquem terræ optabat. Nullusque fuit tam abiectæ conditionis, tamque extremæ sortis, cuius non commodis obtrectaret. Cogitauit etiam de Homeri carminibus abolendis dicens, cur sibi non liceret, quod Platoni licuisset, qui eum è ciuitate, quam constituerat, eiecerat. Sed & parum abfuit quin P. Virgilii & T. Liuii scripta & imagines amoueret ex omnibus Bibliothecis: quorum illum vt nullius ingenii ac minimæ doctrinæ, hunc, vt verbosum in historia negligentemque carpebat. Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superabat: dictitans *aut frugi hominem esse oportere aut Cæsarem.* Lollia Paulina cæna mediocrium sponsalium ad lucernas spectata fuit, ita operta smaragdis ac margaritis, vt summa earum æstimaretur quadringenties H-S. hoc est: 937300. ducatis. Ipse quoque non integro anno-

AN. MVN. ET CHRISTI.
Suet. c. 22.
Suet. c. 24.
Suet. c. 25.
Suet. c. 33.
Suet. c. 32.
Suet. c. 30.
Suet. c. 34.
Suet. c. 37.
Plin 9.36.

AN. MVN. ET CHRISTI.

anno vicies septies millies H S. absumpsit, hoc est: 6598125o. ducatos. In circo pegma duxit in quo fuere argenti pondo 124. id est: 186. marcæ. Quare exhaustus atque egens ad rapinas conuertit animum, vario atque exquisitissimo calumniarum, & auctionum ac vectigalium genere: ita vt nullis rebus hominibusque omissis, cunctis tributa imponerentur. Militiam semel attigit, cum admonitus esset de numero Batauorum, quos circa se habebat, augendo in Vilumbria. Vnde cum subito in Germaniam mouens Adminio, Cibellini * Batauorum Regis filium, qui à patre pulsus fuerat, cum exigua manu in deditionem cepisset, quasi vniuersa tradita insula magnificas Romam, litteras misit, quas in æde Martis frequente Senatu Coss. tradendas mandauerat. Cumque quasi perpetraturus bellum, directa acie in litore Oceani, ac balistis, machinisq; dispositis repente militem conchas legere imperasset, galeas ac sinus replere vocans spolia Oceani Capitolio Palatioque debita, turrim altissimam in indicium victoriæ excitauit, ex qua, vt ex Pharo noctibus ad regendos nauium cursus ignes emicarent, pronuntiatoq; militibus donatiuo centenis viritim denariis, Caninefatibus ludibrio expeditionis huius contemptum sui mouit. Nihil admirabilius in mari visum naue, quę Obeliscũ (hic in circo Vaticano positus fuit) eius iussu ex Ægypto vexit, cum ei pro saburra esset 120000 modiorum lentis, id est vltra 1110. onera Amstelredamensia: maliqne crassitudo impleret quattuor hominum complectẽtium vlnas. Inuitauit Caium cum esset auri cupidissimus spes, vt ex auripigmento in Syria effosso excoqueret aurum: & fecit plane aurum excellens, sed ita parui ponderis, vt detrimentum senteret; quare id postea tentatum non fuit ab vllo. Futuræ cędis eius exstiterunt multa prodigia, & inter alia cum Asturæ Antiũ remigraret Echeneis pisciculus semipedalis (Remora Latinis dicitur) gubernaculo adhærens retinebat nauem frustra obnitentibus remigibus quam plurimis, nouissime enim tum reuersus est in vrbem. Vbi consulenti de genitura sua, Sulla mathematicus certissimam necem appropinquare affirmauit. Nouo ergo Kal. Februarius egressum ad spectacula Cassius Chærea cohortis Prętoriæ tribunus ceruicem cæsim gladio percussit grauiter, telisque aliorum 30. vulnera suscepit, cum vixisset annos 29. & tres annos, decem menses, ac octo dies regnasset. Confossa est simul vxor Cesonia gladio Centurionis, & Iulia filia parieti illisa. Cadauer semivstum in hortis Lamianis leui cespite obrutum fuit. Notatumque est Cæsares omnes, quibus Caij prænomen fuerat ferro periisse.

Plin. 3. 33.

* .. codd. habent Britannorum, & ita Dio lib. 55.

Sueton. c. 57.

DRVSVS CLAVDIVS NERO, qui despectus suis fuerat

AN. MVN. ET CHRISTI.

& præter segnitiei notam etiam ebrietatis atque aleæ infamiam subierat, & ludibrium aulæ habebatur: 50 ætatis anno imperare cœpit: cum à gregario milite latens inuentus imperator esset salutatus: atque ductus ad exercitum armatos iurare in nomen suum passus est, promittens singulis militibus quinadena H-S. id est plus minus 351. ducatos: primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pignoratus. Stabilito imperio omnium factorum, dictorum, quæ biduo, quo de immutando Reip. statu hæsitatum erat, veniam & obliuionem in perpetuum sanxit: tribunis ac Centurionibus paucis, quod suam etiam cædē depoposcerant interemptis. Et licet Caii acta omnia resc inderet. diem tamen necis eius, quamuis initium principatus sui inter fastos vetuit referri Nimios quoque honores recusauit Augusto, parentibusque officia pietatis exhibuit, adeo vt testatus per edictum etiam sit se petere, vt natalem patris Drusi celebrarent, quod idem esset & aui sui M. Antonii Tiberio marmoreum arcum decretum à Senatu & omissum iuxta theatrum Pompei peregit. Opera quoque magna quam multa perfecit; aquæductum a Caio inchoatum, & emissarium (Slusam nostrates vocant) Fucini lacus, portuque Hostiense, naue illa, quæ Obeliscum aduexerat, sinistro latere demersa, ac tribus molibus turrium altitudine in ea exædificatis. Claudias aquas, gelidos & vberes fontes, simulque riuum Anienis nouo lapideo opere in vrbem perduxit, diuisitque in plurimos & ornatissimos lacus. Vrbis enim annonæque curam sollicitissime semper egit. Arctiore annona ob assiduas sterilitates in foro conuitiis simul ac fragminibus panis infestatus, negotiatoribus certa lucra proposuit, quo etiam tempore hyberno commeatus inueherent: suscepto in se damno, si cui quid per tēpestates accidisset. Præstitit & magna commoda fabricantibus mercaturæ caussa naues. Bellum ciuile mouebat Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ Legatus, verum intra quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramentum mutauerant, tactis pœnitentiæ religione, cum nec aquila ornari, neque signa conuelli mouerique possent. Quod ob aduentum Apostoli Petri in vrbem, & tenera Christianorum germina, vix dum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia accidisse complures fuerunt opinati. Porro cum quarto anno imperii vellet iusti triumphi decus acquirere Britanniam, ne tentatam vlli post Iulium Cæsarem, tunc tumultuantem ob non redditos transfugas, potissimum elegit Cumque ab Hostia nauigaret bis pœne vehementi Circio demersus fuit prope Liguriam. Quare à Massilia pedestri itinere venit Gessoriacum: quod Slusas Flandriæ ciuitatem

*Suet. Claudio cap. 13.*

*Sueton. c. 17.*

AN. MVN. AT CHRISTI. esse medio inter Iccium portum & Scaldis ostium sitam ex Ptolomæo liquet. Vnde transmittens sine vllo prœlio aut sanguine intra paucissimos dies partem insulæ in deditionem recepit atque insulas Orcades vltra Britanniam in Oceano positas Romano addidit imperio. In Batauis quoque ad Rheni ostium armamentarium exstruxit. Et sexto, quam profectus erat mense, reuertens Romam triumphauit maximo apparatu. Inter coronas aureas vnam septem pondo habuit, quam contulerat Hispania citerior, alteram nauem, quam Gallia comata, sicut titulus indicabat. *Plin. 33. c. 1.* Inter hostilia spolia naualem coronam iuxta ciuicam fastidio Palatinæ domus fixit, traiecti & quasi domiti Oceani insigne. Currum eius Messalina vxor carpento secuta est, deinde triumphalia ornamenta eodem bello adepti: tam ciuilem ac modestum se exhibens, vt A. Plautio, qui in ea expeditione multa egregia fecerat, ouatione decreta, ouantem ipse prosequeretur: & conscendenti Capitolium læuus incederet. Eadem humanitate ad hæc spectacula non solum Præsidibus prouinciarum permisit commeare in vrbem, sed etiam exsulibus quibusdam. Gladiatoria munera plurifariam ac multiplicia exhibuit, atq; etiam venationes.

Appion Grammaticus Alexandrinus, qui Romam venerat accusaturus Iudæos, quod Alexandriæ diuinos honores exhibere Caio abnuerant, refert lib. 5. Ægyptiacorum, se in vrbe Roma, cum in Circo maximo exhiberetur munus amplissimæ venationis, vidisse inter varias belluas leonem vastitudine corporis, fremituque sonoro terrificum: eumque conspexisse introductum seruum Dacum Androdum nomine, inter complures alios ad pugnam bestiarum destinatos, atque sensim ac placide tamquam noscitabundum ad illum accessisse, caudaque blande mota, crura, manusque iam prope metu exanimati Androdi lingua leuiter demulsisse. Dum interea Dacus animum recipit, paullatimque leonem intuendo agnoscit. Fit maximus clamor populi toto circo, dum feram ac seruum sibi inuicem gratulari cum gaudio contemplantur. Accersitus ergo à Cæsare Androdus atque interrogatus, cur ille leonum acrocissimus ipsi vni pepercisset; respondit, quod cum proconsulari imperio Dominus eius obtineret Africam, se iniquis ac quotidianis verberibus ad fugam fuisse coactum, atque in arenarum solitudines concessisse. Ibique cum specum remotam latebrosamque intrasset, venisse eo & leonem pede vno debili ac cruento, qui mitis quasi ac mansuetus sublatum pedem ostenderit, gemitu ac murmure dolorem ac cruciatum vulneris indicarit, pede porrecto opem postulans. Se itaque excussa formidine stirpem ingentem vestigio pedis inhærentem reuulsisse,

saniem

saniem intimo vulnere expressisse: atq; detersisse cruorem. Belluam opera medelaque eius sanatam, posito deinde pede in manibus eius recubuisse atque quieuisse suauiter. Sicque per triennium vno in specu eodemque victu, quem ille adferebat, vixisse: donec tandem pertæsus formæ vitæ, absente Leone, aufugerit; comprehensusque à militibus ad Dominum Romam ex Africa deductus sit. Qui eum rei capitalis damnãdum, dandumq; ad bestias curauerit. Intelligo itaque, dicebat, Leonem quoq; captum, nunc gratiam mihi beneficij ac medicinæ conferre. Itaque populo petente Androdum, pœna solutum fuisse, atque Leonem ipsi donatum tradit Appion. Trahenteq; Leonem loro per vrbem Androdo acclamatum fuisse: *Hic est Leo hospes hominis: hic est homo medicus Leonis.* AN. MVN. ET CHRISTI.

Cæterum *Claudius* spectacula quoque complura magnifica edidit: non vsitata modo ac solitis locis; sed & commenticia, & ex antiquitate repetita, & vbi præterea nemo ante eum. Erat enim non ignarus antiquitatis. Nam Historiam in adolescentia hortante T. Liuio, & adiuuante eum Sulpicio Flauo, scribere aggressus fuerat, initium sumens à morte Cæsaris. Porro Claudius his moribus multum fauoris amorisq; populi Romani collegit, atque prouincialibus exterisque erat acceptus. Prouincias Achaiam & Macedoniam, quas Tiberius ad suam curam transtulerat, senatui reddidit. Antipatri regnum Herodis quoq; concesserat, & Iliensibus, quasi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum dimisit. Rhodiis ob pœnitentiam veterum delictorum libertatem reddidit: quam Lyciis ob exitiales inter se discordias ademit. *Sueton c. 21.* *Sueton c. 41.*

Cæterum cum Iudæos inter se dissidentes ac tumultuantes ob fidem Christi Romæ prædicatam omnes promiscue Roma expelleret: atque sacra Eleusinia in vrbem transferre ex Attica conaretur: & cum Regibus in foro iceret fœdus porca cæsa, ac vetere fæcialium præfatione adhibita; multum mali & sibi & Reipubl. conciliauit. Nam repudiatis primo Plautia Herculana, ex qua Drusum & Claudium sustulerat; deinde Ælia Petina, quæ Antoniam genuerat, Valeriam Messalinam Octauiæ matrem ob adulteria supplicio affecit. Per ius osculi alijsque illecebris pellectus in amorem Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ, subornauit qui in Senatu dicerent cogendum ipsum ad eam vxorem ducendam, quasi Reipubl. maxime interesset: dandam cæteris veniam talium coniugiorum, quæ ad id temporis incesta habebantur, ac vix vno die interposito confecit nuptias sibi exitiales. Die nuptiarum in triginta-quinque Senatores, trecentosque amplius equites Romanos tanta facilitate animaduertit, vt de nece consularis viri nuntiante Cen- *Suet. cap. 25.* *Suet. cap. 26.* *Suet. cap. 29.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

turione factum esse quod imperasset, negaret quidquam se imperasse, nihilominus rem comprobare Liuias, alteram Drusi, alteram Germanici filiam crimine incerto, nec defensione vlla data, occidit. Cn. Pompeium Antoniæ maioris filiæ maritum, & L. Syllanum Octauiæ sponsum mori coegit: collocans filiam Neroni, quem etiam adoptauit: adeoque sæuum & sanguinarium se ostendit, vt quocumque gladiatorio munere etiam forte prolapsos iugulari iuberet maxime retiarios, vt exspirantium faciem videret. Cum par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos paruulos ex vtroque ferro in vsum sibi fieri sine mora iussit. Bestiariis, meridianisque adeo delectabatur, vt etiam prima luce ad spectaculum ascenderet: & meridie dimisso ad prandium populo persederet. Contigere, si alias vmquam, Claudii principatu varia prodigia ac signa. Nam Phœnix eius censura allatus fuit in vrbem: atque in Ægæo mari repente insula emersit 80. stadia in longum extensa. Orca quoque, eo exædificante portum, visa, & oppugnata est in portu Ostiensi. Prætensis itaque plagis multiplicibus inter ora portus: profectus Cæsar cum Prætorianis cohortibus populo Romano spectaculum præbuit: lanceas congerente milite, è nauigiis assultantibus, quorum vnum reflatu belluæ oppletum vnda mergi se vidisse testatur Plinius secundus. Visus quoque eo Principe infans in aluo serpentis boæ occisæ in Vaticano. Tres quoque Soles visi eius Consulatu Cornelio Orphito collega. In ludo eius gladiatorum duo erant, qui omnino contra minationem aliquam non conniuerent, & ob id inuicti. Inuentum sub eo lapidem pingere & auro signare. Fuere & sub eo agrimensores Higinius & Iulius Frontinus, qui de vrbis aquæductibus scripsit. Floruit & Pompon. Mela insignis Geographus, Tingintera (nunc Tariffa) Bœticæ vrbe ortus. Vettius Valens Medicus, pariterque eloquentiæ affectator, adulterio Messalinæ Claudii nobilitatus, nactus potentiam nouam medicinæ instituit sectam. Q. Stertinius imputauerat principib. quod quingenis H-S. annuis contentus esset: sexcena enim sibi quæstum vrbis fuisse, numeratis domibus ostendebat. Par & fratri eius merces à Claudio refusa est. Et quamquam census exhausti Neapoli operibus exornata, heredi 300 H-S. id est, 703125. ducatos reliquere. Floruere sub eo Cæsius Bassus quoque Poeta Lyricus, & Cornutus Philosophus Lepti Africæ ciuitate ortus, cui in litteris operam A. Persius Flaccus Volaterranus dedit.

Suet. c. 34.

Plin. lib. 9. cap. 6.

Plin. lib. 8. cap. 14.

Plin. l. 2. c. 31.

Plin. l. 11. c. 37.

Plin. l. 35. 1.

Boet. Geomet. 2.

Romana arma illo Principe primum in Mauritania bellauere, Ædemone liberto vlciscente Ptolomæum Regem à Caio Cæsare accersitum è regno, atque repente interemptum, quod animad-

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

nimaduerteret illum ingressum spectacula, conuertisse hominum oculos in se fulgore purpureæ abollæ; vestis militaris nimirum. Refugientibus tum Barbaris ventum constat ad montem Atlantem. Nec solum consulatu perfunctis, atque è senatu ducibus, qui tum res gessere; sed equitibus quoq; Romanis qui ex eo præfuere ibi, Atlantem penetrasse in gloria fuit. Ad Claudii tépora Mauritaniæ regna fuerant. sæuit ia eius diuisa in duas prouincias. Quarum vna, à traducta Iulia Colonia Tingi, Tingitana: altera Cæsariensis, à Cæsarea Colonia deducta Lixos. Cæterum Claudius, vt erat ignauus arbitrio libertorum atque vxorum regebatur: vt non Principem, sed ministrum agere videretur. Exhibenti ei naualis prœlii spectaculum: Agrippina assidebat induta paludamento ex auro textili siue alia materia. Sub exitu vitæ signa non obscura pœnitentis de matrimonio Agrippinæ dedit, deque Neronis adoptione: Britannicum arctius complexus, hortatus est vt cresceret: cumque impubi teneroque adhuc togam dare destinasset, adiecit, vt tandem populus Rom. verum Cæsarem habeat. Plin. 5. c. 2. Plin. 33. c. 3.

Veneno occisum conuenit. vbi autem & per quem dato, discrepat; eorum sententia vero accedit magis, qui Agrippinam in domestico conuiuio boletum medicatum auidissimo ciborum talium obtulisse referunt. Eius necis conscius Nero, boletos quasi cibum Deorum posthac prouerbio Græco collaudare solitus est. Certe omnibus rerum verborumque contumeliis mortuum insectatus est: modo stultitiæ, modo sæuitiæ arguens. Excessit tertio Idus Octobris Asinio Marcello & Acilio Auiola Coss. LXIV ætatis: imperii 14. anno. Funeratusque est solemni Principum pompa, & in numerum Deorum relatus. Quem honorem Nero destituit postea aboleuitque, & bustum eius consepiri nisi humili læuique materia neglexit. Inter maxime memoranda montem ad emittendum lacum Fucinum, quod nec concipi animo, nisi ab iis, qui videre: neque humano sermone enarrari posse scribit Plinius. Similiter & Curtum & Cæruleum fontes à 40. lapide sic influentes in vrbem, vt in omnes montes eius leuarentur. Sueton. cap. 44. Plin. 36. 15.

## ECCLESIA.

Circa hoc tempus Petrum Apostolum venisse Romam asserunt ibique prædicasse *Christi* fidem: quæ breui tam alte radices egit: vt annuntiaretur in vniuerso mundo. Rom. 1.

Porro Antiochena Ecclesia, quo Barnabas & Saulus redierant, assumpto Ioanne qui dicebatur Marcus, florebat etiam valde; cum in ea essent Prophetæ ac Doctores: Simon Niger, Lucius Cyrenensis, Manahen & alii. Quibus sacrificantibus

& ieiu

AN. MVN. ET CHRISTI.

& ieiunantibus solenniter dictante Spiritu sancto, segregati sunt Saulus & Barnabas; qui post orationes & impositionem manuum dimissi abierunt Seleuciam, indeque nauigauerunt Salaminam Cypri prædicantes in Synagogis Iudæorum verbū Dei, vnde venerunt Paphos, vbi restitit ipsis Elymas magus: quem cum cæcitate affectum vidisset ad verbum Sauli Sergius Paullus Proconsul Rom credidit perculsus super doctrina Domini. Dehinc videbis legendo vlterius nomen *Pauli* indicium mansisse Apostolo. A Papho nauigauerunt Pergen Pamphiliæ, inde Antiochiam Pisidiæ, vbi post lectiones legis & Prophetarum, quæ Sabbatho recitatæ erant in Synagoga, Paulus mox exsurgens testimoniis Scripturarum demonstrat IESVM esse Christum, & resistentibus ei atque blasphemantibus Iudæis, conuersi sunt ad Gentes: quæ gaudentes ac glorificantes verbū Dei crediderunt omnes, quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Suscitauerunt itaque aduersus eos ibi tumultus Iudæi, sicut & fecerunt Iconii; vnde contumeliis affecti ac lapidati fugerunt Lystram Lycaoniæ: vbi cum Paulus claudum ex vtero matris sanasset, populum ac sacerdotem Iouis, Barnabæ vt Ioui, ac Paulo vt Mercurio volentes sacrificare, ægre compescunt, ne immolent ipsis hostias Lapidatur quoque ibidem Paulus ac pro mortuo relinquitur: resurgensque proficiscitur postera die Derben. Inde reuertentes Lystram, Iconium & Antiochiam exhortantur discipulos, vt permaneant in fide, quoniam oporteat per multas tribulationes intrare regnum Dei: constituunt quoque Presbyteros: non ratione ætatis, sed maturitatis morum, sapientiæ, dignitatis atque honoris bene dictione Apostolica à vulgo segregatos. Transeuntes deinde Pisidiā, Pamphiliam, loquentes Pergæ verbum Domini, ex Attalia redierunt nauigio Antiochiam super Orontem, vnde missi fuerant, renuntiantes, quomodo Deus aperuisset Gentibus per ipsos ostium fidei. Cumque ibi longo morarentur tempore cum discipulis, venerunt quidam Iudæi docentes sine circumcisione Moysis neminem posse saluari. Ad quam hæresim à Pharisæis ortam opprimendam indictum fuit legitimum Concilium Hierosolymæ celebrandum: quo Petrus Roma, Ioannes etiam Asia Apostoli venere, quodque Apostolica forma rite fuit celebratum hoc modo:

Gal. 2.

4015. XLIX.

*Primo* missi Antiochia, vbi maxime feruebat seditio. Paulus, Barnabas, Titus, at alii deducuntur ab Ecclesia, ac transeuntes Phœnicen, & Samariam narrant conuersionem gentium fratribus.

*Secundo*, vbi ventum est Hierosolymam ad signatum Concilio locū suscipiuntur missi ab Eccle. & Apostolis ac Presbyteris.

*Tertio*

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Tertio*, Adsunt quoque ex hæresi Pharisæorum credentes, qui asserunt: quod oporteat circumcidi & præcipere quoque seruare legem Moysis.

*Quarto*, Fit conuentus Apostolorũ, ac Presbyterorum, quibus incumbit etiam scripturam peruestigare, causas bene disponendas Episcopis præbere, & adiudicandas quæstiones Ecclesiasticas in Synodis Episcopis assidere vt videant de verbo hoc.

*Ignat. ad Trall. & Magnes.*

*Quinto*, Multa inquisitione facta, dicuntur sententiæ ex scripturis, Petro Apostolorum Principe omnium dicente suam.

*Sexto*, Tacente vero multitudine, atq; consentire Petri dictis se taciturnitate indicante quodammodo, enarrant quoque Barnabas & Paulus, quanta Deus fecerat signa & prodigia in Gentibus per eos.

*Septimo*, Nullo à Petri sententia itaque dissentiente, Iacobus vti Hierosolymæ Episcopus Concilio præsidens, de re controuersa censet, decernit ac iudicat solemnibus hisce verbis: *Act.* 15.

PROPTER QVOD EGO IVDICO, NON COINQVIETARI EOS, QVI EX GENTIBVS CONVERTVNTVR AD DEVM, SED SCRIBERE AD EOS, VT ABSTINEANT SE A CONTAMINATIONIBVS SIMALACRORVM, ET FORNICATIONE, ET SVFFOCATIS, ET SANGVINE.

Cuius sententiæ subscribit totum Concilium per hæc verba:

VISVM EST SPIRITVI SANCTO ET NOBIS, &c.

Conscribuntur ergo Decreta Concilij, atq; deinceps etiam

Eliguntur probatæ fidei viri Iudas & Silas Prophetæ, qui cum Paulo & Barnaba Decreta Concilij ad Antiochenam, aliasque inferiores Ecclesias perferant. Dantur quoque à Iacobo, Cepha, & Ioanne columnis dexteræ societatis Paulo ac Barnabæ.

Has nonnullas legis ceremonias iusserunt Apostoli obseruari, vt quasi iam tum mortuas quodã honore ducerent ad sepulcrum teste *Augustino*.

Canones Apostolorũ nunc quoque conscriptos fuisse plerique asserunt.

*Gal.* 2.

* Orta vero seditio Hierosolymæ in diebus Azymorum est, cum miles Romanus super porticum templi reductis turpiter vestimentis inclinans, posteriora sua vertit ad faciem Iudęorum cum clamore. Ad quam sedandam cum Cumanus præses armatos porticibus templi immitteret, subito fugientibus Iudæis, tanta obtritio facta est, vt conculcatione mutua supra 10000. hominum consumpta sint. *4016. L.

*Ioseph. de bello Iudaico.*

Ecclesia vero Antiochena lectis litteris Decretalibus Concilij Apostolici gaudet super consolatione: reuertiturque Iudas Hierosolymam, Sila manente vltro Antiochiæ. Vbi Paullus & Barnabas docebant; atq; euangelizabant cũ aliis pluribus verbum Domini. Dissentientibus deinde Paulo cum Barnaba, ob Ioannem Marcum secum accipiendo, hic cum Marco Cyprum nauiga-

AN. MVN. ET CHRISTI. *Act.16.* nauigauit: ille vero cum Sila perambulans Syriam ac Ciliciam confirmat Ecclesias præcipiens eis custodire præcepta Apostolorum ac Presbyterorum. Perueniens vero Derben & Lystram: vbi assumptum Timotheum circumcidit ob Iudæos; qui sciebant eum patre gentili genitum: itaque noluit Paulus illis esse scandalo. Transeuntes Phrygiam & Galatiam, vetiti sunt loqui verbum à Spiritu sancto in Asia. Cum venissent in Mysiam, non permissi sunt adire Bithyniam, venerunt ergo Troadem: vbi Paulus per visionem rogatus venire in Macedoniam vt euangelizet, soluens inde venit Samothraciam, sequenti die Neapolim, & inde Philippos Macedoniæ: vbi hospitio exceptus à Lydia purpuraria baptizata præcepit spiritum pythonem (erant hi ventriloqui) relinquere puellam se subsequentem. Quare Paulus cum Sila virgis cæsi carceri traditi fuere, pedibus ipsorum strictis intra ligna. Cumque orantibus illis terræ motu facto vincula soluerentur, foresque paterent, custodem carceris sibi manus inferre volentem ad fidem conuerterunt; itaque exorati à Magistratu per Amphibolim & Apolloniam inierunt Thessalonicam, vbi cum *Christum* annunciassent ac quæsiti essent nocte dimissi peruenerunt Bereæam, vbi excitantes Iudæi tumultum cum venissent, dimiserunt fratres Paulum (remanentibus Sila & Timotheo) ad mare, & deduxerunt Athenas vsque. Cum Paulus appulsus illuc Silam & Timotheum exspectaret, obambulans ad portum Palerum vidit ibi Aras ignotorum Deorum, variaque simulacra passim in vrbe: disserendo quoque cum Iudæis, Epicureis ac Stoicis deducitur ab ipsis in Areopagum, vbi stans captata occasione ab aris Phaleræis profert sententiam præclaram ex Phænomenis Arati Cilicis Poetæ atque annuntiat *Christum*, ita vt quidam ei adhærerent credentes: inter quos fuit Dionysius Areopagita, ac Damaris mulier, & alii: Athenis scripsit ambas epistolas ad Thessalonicenses, quas per Tychicum diaconum & Onesimum acoluthum transmisit collaudans eos, quod accepto verbo Dei persiterint in fide.

Vide *Cal. Ant.* 8.10. de Pythonibus, & *Greg. Nyss.* Orat.

*Act.17.*

4017. LI. Athenis venit Corinthum, vbi Aquilam Ponticum Iudæum cum vxore sua Priscilla Roma pulsum inueniens, operabatur apud eos tabernacula faciendo, vsus hospitio Titi iusti, disputabat cum Iudæis & Græcis instans IESVM esse *Christum*. Ita vt Crispus Archisynagogus cum tota sua domo multisque Corinthiis baptizarentur Post sesquiannũ accusatus frustra apud Proconsulem Gallionem migrauit tonso Cenchris portu Corinthi
4019. LIII. capite Ephesum cum Priscilla & Aquila. Vbi priore Epistola cõscripta misit eam per Timotheum Corinthum: quo seductos Philoso-

Philosophiæ eloquentia ac secta Iudaicę legis reducat ad veram fidem & sapientiam Euangelicam. ANNI MVNDI ET CHRISTI.

Aquila cum vxore Ephesi manentibus proficiscitur Paulus in Syriam: cumque ex itinere salutasset Ecclesiam Cæsareæ, venit Antiochiam.

Venerat interea Ephesum Apollo Iudæus Alexandrinus, vir doctus atque eloquens & valde versatus in scripturis, cui cum fiducia in Synagoga docenti, quæ erant IESV, Priscilla & Aquila diligentius exposueruut viam Domini. Apollo acceptis a fratribus literis commendatitiis etiam profectus est Corinthum, ostendens & ibi per scripturas *Christum* esse IESVM.

Paulus vero cum aliquantum temporis Antiochiæ mansisset, peragratis Galatiæ ac Phrygiæ partibus venit Ephesum: vbi ostendens discrimen Baptismi Ioannis & Christi, ac ponens manus super eos qui baptismate Ioannis tincti baptizati iam erant in nomine IESV, venit Spiritus sanctus super duodecim viros, qui loquebantur linguis, ac prophetabant. Faciebat vero Deus virtutes quaslibet per manũ Pauli: ita vt suadaria & semicinctia eius delata toto biennio super ægros languentes sanarent & expellerent dęmonia. Quod cum Scæuæ sacerdotis Iudæi septem filii vellent imitari, male à dæmonio mulctati fuere. Scripsit Ephesi eam, quæ est ad Galatas epistolam, cum illi seducti essent à Iudaisantibus in errores. Scripsit & epistolam ad Colossenses Phrygas, qui verbum Dei ab Archippo acceperant, quam ad eos detulerunt Tychicus diaconus & Onesimus. Cadente vero timore Domini super Iudæos & Gentiles: multi credentium veniebant confitentes & annũtiantes actus suos. Multi quoque qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus: quorum precium plus minus æstimatum fuit 7812. ducatis. Itaque crescebat verbum Dei & confirmabatur. 1.Corin.3.

Proposuerat Paulus peragratis Macedonia & Achaia ire Hierosolymam dicens: *Postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Itaque conscripta epistola priore ad Corinthios, tradidit illam Timotheo & Erasto perferendam. Corinthii enim seducti vana philosophiæ eloquentia, & Iudaicis persuasionibus in diuersas sectas se dimiserant, & permittebant in incestu publice viuentem, litigabantque coram iudicibus Ethnicis, atque se inuicem despiciebant. Reuocat ergo illos ad veram fidem, Euangelicam sapientiam, & charitatem perfectam hacce sua epistola. Cæterum cum tardaret in Asia Paulus, excitauit aduersus eum seditionem grauem Demetrius quidam argenti cælator. Erat Ephesi famosum templum Dianæ vniuersæ Asiæ Act.19. Plin. 36. 14.

opera

AN. MVN-DI ET CHRI-STI.

opera annis 210. constructum. Quo vndique Gentiles soliti fuerant conuenire, offerentes ædiculas ex argento cælatas simulacro, quas Demetrius vendebat, præstans artificibus aliis non modicum quæstum. Quos conuocatos docet prædicatione Apostoli illum quæstum cessare oportere. Hinc tumultus oritur clamante passim polo: *Magna Diana Ephesiorum:* rapiunturque facto impetu in theatrum Gaius & Aristarchus Macedones comites Pauli. At seditionem sedat oratione sua Alexander Iudæus, cum ea duabus horis præualuisset. Postquam vero cessauit tumultus, vocatis ad se discipulis valedixit. Paulus proficiscens in Macedoniam; vnde scripsit Tito, cum putaret se Nicopoli Epiri oppido hyematurum. Peruenit quoque in Græciam, atque insignem illam epistolam ad Romanos, qua Iudæos & Gentes in Christo per vinculum gratiæ conuertit per Phœben Cenchrensem Corintho transmittit. Cæterum postquam in Græcia iam egerat tres menses, clanculum ei insidiati sunt Iudæi, nauigaturo in Syriam. Præcesserat Sosipater, Aristarchus, Secundus, Caius, Timotheus, Tychicus, & Trophimus exspectantes eum Troade. Vbi per Macedoniam venit, quinto die postquam discesserat Philippus. Mansit itaque Paulus Troade septem diebus scribens eam, quæ secunda est ad Corinthios epistolam, atque eamdem transmittens per Titum. Hic quoq; post peractũ diem Sabbathi, cum initio noctis, quæ nox vtique ad diẽ Dominicum, hoc est, ad vnam Sabbathi pertinebat. Eutychim cadentem è tertio cænaculo ad vitam reuocasset, frangens panem, sicut frangitur in Sacramento corporis *Christi*, sermonem in lucem vsque produxit, sicque post Sacramenta celebrata relinquens apud Carpum penulam, libros ac membranas profectus die Dominico Assona, quo Lucas ceterique eius comites vecti eum exspectabant. Inde nauigauerunt Mitylenem, deinde Samum, & die sequenti Miletum. Vbi celebraturus Concilium prouinciale mittens Ephesum vocauit Presbyteros Ecclesiæ, referens quomodo vigilauerit voluntarie Episcopus super gregem sibi commissum, non quærendo lucrum: admonens eos quoque, vt attendant gregi, in quo Spiritus sanctus ipsos posuerat Episcopos, regere Ecclesiam Dei. Prædicens post suum decessum venturos hæreticos, vt abducant discipulos post se. Quæ cum dixisset, positis genibus suis orauit cum omnibus illis Magnus deinde fletus omnium factus, & osculati eum deduxerunt ad nauem. Recto ergo cursu venit Coum, sequenti die Rhodum, & inde Pataram: vnde relicta ad sinistram Cypro venerunt Tyrum. hic mansit Paulus septem dies admonitus, ne ascenderet Hierosolymam. Deductus foras ab omnibus, atque in litore fusis è geniculis

*Act. 20.*

*August. Epistola 86.*

*2. Tim. 4.*

ctilis precibus nauigio peruenit Ptolomaidam: vbi die salutatio- ANNI
ne fratrum consumpto venit Cæsaream. Vbi exceptus hospitio MVNDI ET
à Philippo Euangelista vno ex septem diaconis, cui quattuor CHRISTI.
erant filiæ virgines prophetantes: huc superueniens ex Iudæa Agabus Propheta ligans seipsum manus ac pedes zona Pauli dixit: *Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt Iudæi Hierosolyma, & tradent in manus Gentium: Paulo existente parato vel mori Hierosolyma propter nomen Domini IESV.* Post dies ergo aliquot præparati ascendebāt Hierosolymā adducentes secū Cæsarianos discipulos, & Iasonē Cyprium veterem discipulum, vt in eius ædibus hospitarentur. Postridie postquam excepti benigne essent à fratribus introiuit Paulus cum suis ad Iacobum fratrem Domini, omnesque collecti sunt presbyteri in modum Synodi. Quos cum salutasset, narrabat quæ Deus fecisset in gentibus per ipsum. Atq; consilio Iacobi ac Seniorū obtēperans cum quatuor viris votū habentibus purificatus ascen- 4019.
dit in templum. Vnde à Iudæis excitato tumultu extractus à Cl. LIII.
Lysia tribuno apprehenditur, atque catenis vincitur duabus. Sublatum in castra permittit Tribunus loqui ex gradibus ad populum vociferantem eum tollendum è terra, nec fas ipsum viuere. A Tribuno iussus flagellis cædi ac torqueri, liberatur à tortura, dicendo se ciuem esse Romanum. Postridie coram Sacerdotibus ac toto concilio productus Paulus Principem Sacerdotum Ananiam Nebedæi filium, quem Herodes Aristobuli filius succedere iusserat Iosepho destituto Pontificatu, parietem dealbatum dicit, quod iusserat eum in faciem percuti: excusans tamen se, ac dicens nescijsse illum summum esse sacerdotem. Porro cum permixtim ibi Saducæi ac Pharisæi essent, dicebat se iudicari ob resurrectionem mortuorum, vnde orta dissensione inter sectarios Paulus iussu Tribuni deductus fuit in castra. Sequenti nocte assistens ei Dominus, vt constans sit, hortatur, oportere enim ipsum sicuti Hierosolymæ de eo testificatus fuerat, etiam Romæ testificare. Detecta deinde coniuratione quadraginta virorum de occidendo Paulo mittitur noctis hora tertia cum præsidiariis militibus 200. equitibus 70. ac stipatoribus 200. Antipatrida cum litteris ad Præsidem Felicem libertum Cæsaris Claudii, ac trium reginarum maritum. Qui iussit eum Cæsareæ in prætorio Herodis Aristobuli custodiri. Post quinque dies veniente Anania Pontifice cum senioribus Cæsaream accusatur Paulus coram præside à Tertullo oratore. Ipso se autem defendente, quod accusetur ob resurrectionem mortuorum; distulit cognitionem caussæ in aduentum Tribuni Lysiæ Felix. Iussitque eum humanius tractari,

Val. Publi. colæ lex erat de non verberando ciue Romano. *Cicero pro Rabirio & in Verr.*

*Ioseph.* 20. 4.

*Suet. Claud. cap.* 28.

AN. MVN. ET CHRISTI. Ioseph.10.5. nec voluit quemquam suorum prohiberi ministrare illi, audiuitque ab eo fidem quæ est in *Christum* IESVM vna cum vxore sua Drusilla. Quæ nuptui data cum esset à fratre Agrippa Azizo Emesenorum Regi circumciso fraude Simonis Cyprii Iudæi pro mago se gerentis dementata, relicto marito nupsit Felici præsidi, eique genuit Agrippam filiam.

Contigit per hocce tempus illud dissidium Iudæorum cum Syris Cæsareæ incolis. Dum illi Herodem Judæum eam exstruxisse, hi Stratonis turrim olim esse dictam, & sui iuris religionisque dictitarent. Sed compressit tumultus Felix, atque minaci edicto præcepit contumeliosos vrbe discedere: non parentium autem immissis militibus interfecit non paucos, quorum etiam bona direpta sunt: Sedauerat vero & paullo antea motus Iudææ, quos Ægyptius præstigiator excitauerat, circumducens quatuor milia sicariorum ad montem Oliueti, vnde sperauerat se posse descendere Hierosolymam, atque depulso Rom. præsidio potiri vrbe & dominari. Plurimi ex his fuere comprehensi ac vinculis traditi: Ægyptio cum paucis elapso.

## TEMPORA EXTERNA.

## ÆGYPTVS.

Annii Phacami, qui maris rubri vectigal à fisco redemerat, libertus circa Arabiam nauigans Aquilonibus raptus præter Carmaniam 15. die Hippuros Taprobanes portum inuectus hospitali Regis clementia sex mensium tempore imbutus alloquio, percontanti postea enarrauit Romanos & Cæsarem: mirum in modum in auditis Iustitiam ille suspexit: quod pares pondere denarii essent in captiua pecunia, cum diuersæ imagines indicarent a pluribus factos. Ex hoc maxime sollicitatus ad amicitiā, legatos quatuor misit, principe eorum, Rachia. Ex iis cognitum quingenta esse oppida, portum contra Meridiem, appositum oppido Palesimundo omnium ibi clarissimo ac regiæ 200000. plebis. Stagnum intus Megisba 275000. pass. ambitu, insulas pabuli tantum fertilis complexum. Ex eo duos amnes erumpere. Palesimundum iuxta oppidum eiusdem nominis, influentem in portum tribus alueis, quinque stadiorum arctissimo, quindecim amplissimo. Alterum ad Septemtrionem Indiamq; versus Cydara nomine. Proximum Indiæ esse promontorium; quod vocetur Colaicum, quatridui nauigatione, medio in cursu solis insula occurrente. Mare id colore peruiridi præterea fruticosum arboribus, iubas earum gubernaculis deteren-

ANNI MVNDI, ET CHRISTI.

ferentibus. Septemtriones Vergiliasque apud nos veluti nouo cælo mirabantur, Lunam quidem apud ipsos non nisi ab octaua ad decimam sextam supra terram adspici fatentes. Canopum lucere noctibus sydus ingens & clarum. Sed maxime mirum iis erat, vmbras suas in nostrum cælum cadere non in suum: soléq; à læua oriri, & in dexteram occidere potius quam è diuerso. Iidem narrauere latus insulæ, quod prætenderetur Indiæ X M. stad. esse, ab oriente Hyberno vltra montes Emodos. Seras quoque ab ipsis adspici, notos etiam commercio: patrem Rachiæ commeasse eo. aduenis ibi feras occursare. Ipsos vero Seras hominum excedere magnitudinem rutilis comis, cæruleis oculis, oris sono truci, nullo commercio linguæ. Cætera eadem, quæ nostri negociatores Fluminis vlteriore ripa merces positas iuxta venalia tolli ab his si placet permutatis: non aliter, odio iustiore luxuriæ, quam si perducta mens illuc vsque cogitet quid & quo petatur & quare. *Hactenus Plinius libro 6. cap. 22.*

## HISPANIA.

Gades insula augusto freto à Turdetania distãs incolarũ in nauigãdo strenuitate, & aduersus populum Romanũ charitate, eo felicitatis incrementique nunc peruenit, vt licet in extremo sita sit orbe terrarum vniuersas tamen nominis celebritate excellat. Ad Bætim, cum eius Limus eiectus vadosum redderet profundum, atque conspicuo aliquo opus haberet signo ad nauigantium salutem Cepionis turris in petra, alluente circumcirca pelago sicut Pharus ædificata fuit.

## GALLIA.

Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis penitus Claudius aboleuit. Zenodorus statuarius facto Mercurio in ciuitate Galliæ Auernis omnem amplitudinem statuarum vicit, fecit per annos 10. 400000. H. S. inani pretio. Vibio Auito prouinciæ præsidente; cuius duo pocula Calamidis manu cælata quæ eius auunculo Cassio Syllano præceptori suo Germanicus Cæsar donauerat. æmulatus est vt vix vlla differentia sit artis. *Sueton. in Claudio cap. 25.*

*Cannascus* natione Caninefas, auxiliarius & diu meritus, post transfuga, leuibus nauigiis prædabundus Gallorum maxime oram vastabat, non ignarus dites & imbelles esse.

## GERMANIA.

Germani legati in popularia deducti cum animaduertissent Parthos & Armenios sedentes in Senatu, ad eadem loca *Sueton in Claud. c. 25.*

AN. MVN. ET CHRISTI. sponte transierunt; nihilo deteriorem virtutem aut condicionem suam prædicantes.

Quorum simplicitate & fiducia motus Cl. Cæsar permisit ipsis sedere in Orchestra.

4017. LI. *Agrippina Augusta* in Vbiorum oppidum ad Rhenum deduxit Coloniam anno 51. post natum *Christum*.

*Claudius* petentibus Cheruscis dedit eis Regem Italum Arminii ex Flauio fratre nepotem Romæ educatum.

## BRITANNIA.

Agitasse Caium Cæsarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pœnitentia, & ingentes aduersus Germanos conatus frustra fuissent. Diuus Claudius auctor operis, transuectis Legionibus auxiliisque, & assumpto in partem rerum Vespasiano. Domitæ gentes, capti Reges & monstratus fatis Vespasianus.

Consularium primus Aubus Plautius Britanniæ præpositus, ac subinde Ostorius Scapula redactaque paullatim in formam prouinciæ proxima pars Britanniæ. Addita insuper veteranorum Colonia. Quædam ciuitates Cogiduno Regi donatæ.

### *Monarchia Romanorum.*

*Suet. Nero, cap. 8.* POstquam de Claudii morte palam factum erat inter horam sextam septimamque processit DOMIT. NERO CLAVDIVS ad excubitores, proque palatii gradibus Imperator consalutatus lectica in castra, & inde raptim appellatis militibus in curiam delatus est. Discessit inde vesperi ex immensis quibus cumulabatur honoribus tantum Patris Patriæ nomine recusato propter ætatem, cum tantum septemdecim annos natus esset: Sub *Suet. Nerone cap. 9.* noctē excubanti Tribuno signum dedit, Optimam matrem. Exorsus Principatū à pietatis ostentatione Claudium apparatissimo funere laudauit consecrauitque. Domitii Ænobarbi patris omni ex parte vitæ detestabilis memoriæ honores maximos habuit Matri summā omniū rerum publicarū priuatarumque permisit. Deduxit Antium Coloniam adscriptis veteranis è prætorio, & portū sumptuosi operis ibi fecit. Grauiora vectigalia aut *Cap. 17.* aboleuit aut minuit. Cum admoneretur, vt ex more subscriberet de supplicio cuiusdam capite damnati: *Quam vellem*, inquit, *nescire litteras*. Recitauit & carmina non modo domi, sed in theatro: declamauitque sæpius publice. Omnes ordines subinde ac memoriter salutauit, neque liberalitatis, neque clementiæ, neque comitatis exhibendæ vllam occasionem *Cap. 57.* omisit. Vti à Annæo Seneca didicerat, cui Senatori in disciplinam traditus fuerat, cum vndecimo ætatis nano à Clau-

AN. MVN. ET CHRISTI.

Claudio erat adoptatus. Erat vero *Seneca* Hispanus, Corduba ortus, professione Philosophus Stoicus in omni genere eloquentiæ versatus, ingenium ei facile & copiosum, plurimum studii, & multarum rerum cognitio. Tractauit omnem fere studiorum materiem, *Epistolas*, *Dialogos*, *atque rationes* conscribendo. Egregius vitiorum insectator: multæ in eius scriptis insignes claræque sententiæ, ad formandos mores perutiles. Tanti olim æstimatus D. Hieronymo, vt etiam eum inscripserit Ecclesiasticorum scriptorum catalogo: Et nuper D. Erasmo, vt eius sententias à se collectas curauerit typis excudi. Fuere Senecæ fratres doctrina præstantes Annæus *Gallio*, & *L. Annæus Mela*. Melæ filius fuit *M. Annæus Lucanus*, qui bellum ciuile Pompeii ac Cæsaris spiritu ac sono Historico numeris ingeniose conclusit. Gallioni vero *L. Annæus Seneca*, quem vnicum ex antiquis Latinis Tragicum nunc habemus. Florebat eo tempore *C. Silius Italicus*, qui Punicum bellum cecinit, quem etiam Hispania aiunt ortum.

AVLVS quoque PERSIVS scribendo Satyras exiguo libello, multum & veræ gloriæ meruit cum moreretur annos natus viginti nouem.

Respondebant de iure Cassius Longinus & Proculus. Erat Neroni Medicus Andromachus doctissimus, qui imitatus Mithridatem Ponti regem theriaces compositionem inuenit, quæ Galeni testimonio, a venenis seruauit plurimos Rom. Imp. aliosq. complures Principes viros, qui etiam oportune sumpserant. Thessalus in omnis æui medicos rabie quadam perorando cuncta delebat maiorum placita, monumentoque suo via Appia Iatronicem se inscripsit. Crinas Massiliensis auctoritate cum præcedens arte geminata ad siderum motus ex Ephemeride Mathematica cibos, obseruando horas, dabat Charmis ex eadem Massilia, damnatis prioribus Medicis ac balneis, frigida etiam Hybernis algoribus lauari suadens, mersit ægros in lacus; ita vt & senes Consulares vsque ad ostentationem conspicerentur rigere. Alcon vulnerum medicus, cui damnato Claudius 100. H-S. ademerat, in Gallia exulans, & deinde a Nerone restitutus, non minus intra paucos annos acquisiuit. Cæterum in principio principatus Neronis apparuit Cometes, terrificum sidus: & deinde assiduum prope ac sæuum. Spectaculorum plurima & varia genera edidit. Munere quod in Amphiteatro ligneo, in regione Martii campi intra anni spacium fabricato dedit, neminem occidit, ne noxium quidem. Inter cæteras disciplinas tempore pueritiæ imbutus & Musica, statim vt imperium adeptus est, Terpnum citharœdum vigentem tunc præter alios accersiit: diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem adsi-

*Plin. 2. c. 25.*

*Sueton. c. 11. & 12.*

*Suet. cap. 20.*
*Idem cap. 26.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI. *Cap.27.*

adsidens paullatim & ipse meditari exercerique cœpit Petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, sensim quidem primo & occulte, veluti iuuenili errore exercuit: sed vt tunc quoque dubium nemini foret, naturæ illa vitia non ætatis esse. Paullatim vero inualescentibus vitiis iocularia & latebras omisit, nullaque dissimulandi cura ad maiora palam erupit. Epulas è medio die ad mediam noctem protrahebat: refotus sæpius calidis piscinis, ac tempore æstiuo niuatis. Cænitabat nonnumquam & in publico inter scortorum totius vrbis ambubaiarumque ministeria. Indicebat & familiaribus cœnas, quorum vni mellita quadragies H-S. constiterunt: alteri plura aliquando rosaria. Memoranda res est quod Nero tepide (vase vinario) biberit, quam parauerit 300. sestertiis: quodque T. Petronius Consularis moriturus, quo mensam illius exheredaret, fregerit trullam murrhinam etiam trecentis H S. emptā sibi Triclinaria Babylonica Neroni stetere quadragies H S. Thapsiæ herbæ claritatē initio imperii dedit, nocturnis grassationibus conuerberatam faciem illinens sibi thure & cera, & sequenti die contra famam cutem sinceram circumferens. Equorum studio vel præcipue ab ineunte ætate flagrauit, ostentabatque Hermaphroditas subiunctas carpento suo equas, in Treuerico Galliæ agro repertas: seu plane visenda res esset Principē terrarum insidere portentis. Vxores præter Octauiam duas postea duxit: Poppeam Sabinam quęsto io patre natam & equiti Romano ante nuptam: dein Statiliam Messalinam: qua vt potiretur, virum eius Atticum Vestinum Cons. in ipso honore trucidauit. Poppea delicatioribus iumentis suis soleas ex auro inducere solebat: & in cæteris vitæ suæ portentis capillos Poppeæ quodam carmine succina appellauit. Ex eo hic color cœpit expeti à matronis. Ex hac filiam tulit Claudiam Augustam, quam infantem amisit. Poppeam ipsam quoque ictu calcis occidit: quod se ex aurigatione sero reuersum, grauida & ægra conuiciis incesserat. Antoniā filiā Claudii Cæsaris post Poppeæ mortem, recusantem suas nuptias, quasi molitricem nouarum rerum interemit. Priuignum Rufinum Crispum Poppeæ filium impuberem adhuc, quia ferebatur ducatus & imperia ludere interfecit: Tuscum nutricis filium relegauit, quod in procuratione Ægypti balneis in aduentum exstructis lauisset. Poppeæ vrendæ tantum cinnamomi ac casiæ concrematum, vt periti rerum asseuerarent non ferre tantum annuo fœtu felicem Arabiam. Iusserat Nero Colossicū se pingi centum, & viginti pedum in linteo: cumque ea pictura peracta esset in Lamianis hortis, accensa fulmine cum optima hortorum parte conflagrauit. Libertus eius cum daret Antii munus gladiatorum publicas porti-

*Plinius 37. cap. 1.* *Plin. 8. c. 48.* *Plinius 13. cap. 22.* *Sueton c 22.* *Plinius 11. cap 49.* *Sueton. c. 35.* *Plin. 37. c. 3.* *Plin. l. 12. cap. 18.* *Plin. 35. c. 7.*

porticus inuestiuit pictura gladiatorum, ministrorumque omnibus veris imaginibus redditis. Zenedorus statuarius ab Aruernis Romam accitus a Nerone fecit ipsius simulacrum Colossum centum & decem pedum. Plinius secundus testatur se vidisse Iaspidem vndecim vnciarum, formatamque inde effigiem Neronis thoracatam. Erant Neroni oculi, nisi cum conniueret, ad prope admota hebetes, quare gladiatorum pugnas spectabat smaragdo. Diuitiarum ac pecuniæ non alium fructum putabat quam profusionem. Quare nec largiendi nec absumendi modum tenuit. Pompei theatrum operuit auro in vnum diē, quod Tyridati Regi Armeniæ ostenderet. Erat is Magus, Magosque secum adduxerat, fueratque suo comitatu prouinciis grauis. Nauigare noluerat, quoniam exspuere in maria, aliisque mortalium necessitatibus violare elementum illud fas non putabat. Fauebat nemo vmquam validius vlli artium quam Magiæ Nero. Non tamen cum ei regnum daret, hanc ab eo artem accipere valuit. Nam, quod vix credibile videatur, octingenta nummum millia diurna in eum erogauit, abeuntique super H-S. millies contulit. Non mirum ergo & Simonem Magum Samaritanum etiam in vrbem se contulisse: quando & Appion Grammaticus, aduersus quem duos libros conscripsit Iosephus: etiam sub Caio Romam veniens asseruit, se euocasse vmbras ad percontandum Homerum, qua patria, quibusque parentibus genitus esset: non tamen ausus profiteri, quid sibi respondisse diceret. Cæterum Rubinæ Vestali virgini vim intulit: & portentosas nuptias cum Sporo puero & Doryphoro liberto celebrauit: Nullam vestem bis induit. Quadringenis in punctū H S. aleam lusit: piscatus rete aurato, purpura coccoque retibus nexis. Numquam carrucis minus mille iter fecisse traditur. Domum à Palatio Esquilias vsque fecit: quam incendio absumptam restitutamque auream appellauit: quare ita exhaustus & egenus factus est, vt stipendia militum & commoda veteranorum protrahi ac differre necesse esset; calumniis rapinisque intendit animum. Nulli delegauit officium, vt non adiiceret: *Scis quid mihi opus sit: & hoc agemus ne quis quidquam habeat*. Incendit vrbem palam, & per sex septemue dies ea clade sæuiente hoc incendium è turri Mæcenatica prospectus lætusque flammæ pulcritudine captum Ilium in suo illo scenico habitu decantabat. Afflixit & Christianos, & exquisitissimis pœnis eos affecit: Pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerētur. Hortos suos, qui apud Vaticanum erant, ei spectaculo obtulerat. Et Circense ludicrum edebat habitu aurigæ permistus plebi; vel circulo

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Plin. 37. c. 9.*
*Plinius 11. cap. 37.*
*Idem 37. cap. 5.*
*Idem 33. cap. 3.*
*Plin. 30. c. 2.*
*Suet. cap. 30.*
*Suet. c. 28.*
*Cap. 29.*
*Cap. 30.*
*Cap. 31.*
*Cap. 32.*
*Cap. 38.*
*Cap. 16. & Corn. Tacitus.*
*Cap. 21.*

AN. MVN. ET CHRISTI. insistens. Miseratio oriebatur quod tot innoxii sæuitia vnius absumerentur. Lucanum Poetam, sequenti anno, quo Persius obiit, quasi conscium Pisonianæ coniurationis, incisa vena interfecit. Saluidieno Orfito, Peto Thraseæ & Cassio Longino Iurisconsulto ac luminibus orbato mori iussis, non amplius horarum spatium dabat. Senecam præceptorem suum ad necem compulit. Burro præfecto remedium ad fauces pollicitus, toxicum misit. Libertos diuites ac senes veneno partim cibis, partim potionibus indito, intercepit. Accesserunt tantis ex Principe malis, annonæ caritas, & pestilentia; qua 30000. funerum vnius autumni in rationem Libitinæ venerunt: clades Britannica, qua duo præcipua oppida magna ciuium sociorumque cæde direpta sunt: ignominia ad Orientem Legionibus in Armenia sub iugum missis, ægreque Syria retenta. Neapoli de motu Galliarum cognouit die ipso, quo matrem occiderat: adeoque lente ac secure tulit, vt gaudentis etiam suspicionem præberet, tamquam occasione nata spoliandorum iure belli opulentissimarum prouinciarum. Cum maledicta & conuitia hominum patienter ferret, etiam carmina: nihil æque doluit, quam vt citharœdum malum se increpitum, ac pro Nerone Ænobarbum appellatum. Anno principatus eius supremo in agro Marrucino, qui Samnitum est, prædiis Vectii Marcelli equitis Romani procuratoris rei Neronis mirum ostentum visum pratis oleisque intercedente via publica in contrarias sedes transgressis: quod nullo pacto aliter euenire potuisse persuasum habeo, quam fide & iussu illorum, quibus IESVS dixerat, si habueritis fidem sicut granum sinapis, diceris monti huic, *Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Amnes quoque retro fluere videtur supremis eius annis: quod quo alio pacto fieri, quam fide possit non video. Prolapsa & Cuppressus æquæua pæne vrbi. Cum ex oratione eius, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu daturos pœnas sceleratos, ac breui dignum exitum facturos, conclamatum est ab vniuersis: *Tu facies Auguste.* Auspicanti Sporus annulum muneri obtulit: cuius gemmæ sculptura erat Proserpinæ raptus. De Mausoleo sponte foribus patefactis exaudita vox est eum nomine citantis. Postquam Galbam & Hispanias desciuisse cognouit, collapsus, animoque male fracto, diu & sine voce, & prope intermortuus iacuit. Vtque resipuit, veste discissa, capite conuerberato, actum de se pronuntiauit. Nuntiata interim cæterorum exercituum defectione, litteras prandenti sibi redditas concerpsit, mensam subuertit: duos scyphos cristallinos gratissimi vsus, quos Homericos à cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit: & sumpto à Locusta veneno, in auream pyxidem condito, transiit in hortos Serui-

Corn. Tacitus.
Suet. c. 35.
Cap. 39.
Cap. 40.
Cap. 41.
Plinius 2. cap. 83.
Matth. 17. v. 20.
Plinius 2. cap. 103.
Idem 17. cap. 1.
Sueton. c. 46.
Sueton. c. 42.
Plin. 37. c. 2.
Suet. c. 47.

seruilianos. Deinde misere fugiens in suburbanum Phaontis An. MVN. ET CHRISTI.
liberti ferrum iugulo adegit, iuuante Epaphrodito à libellis, at-
que defecit exstantibus rigentibusque oculis vsque ad horro-
rem formidinemque visentium. Funeratus est impensa ducen- *Idem cap. 49*
torum millium. Reliquias Egloge & Alexandria nutrices cum *Cap. 50.*
Acte concubina gentili Domitiorum monumento condiderũt,
quod prospicitur e campo Martio impositum colli hortorum.
Obiit trigesimo secundo ætatis anno, die quo quondam intere- *Cap. 57.*
merat Octauiam vxorum, cum quatuordecim annis imperasset.
Tantumq; gaudium publice præbuit, vt plebs pileata, quasi à
seruitute liberata, tota vrbe discurreret.

## ECCLESIA.

Bienniο expleto, postquam Paulus captus fuerat, successit in prouincia Felici Portius Festus a Nerone missus. Dedisset-que pœnas Felix a Iudæis accusatus apud Neronem, ni Princeps eum donasset precibus fratris Pallantis, qui apud Claudium à rationibus cum esset, præmiis ingentibus erat valde ditatus.

Porro cum apud tribunal Festi accusatus esset Paulus: appellauit Cæsarem. Quod post aliquot dies præses Agrippæ cum Bernice ad eum salutandum venienti enarrat. Coram quibus postridie sistitur Paulus, & referendo suæ ad *Christum* conuersionis ordinem, exclamat Festus ipsum ex nimia litterarum scientia insanire. At Agrippa dicit eum posse dimitti, ni Cæsarem appellasset.

Postquam ergo indicatum fuit, vt nauigarent in Italiam; tradiderunt Paulum, & quosdam alios vinctos Iulio Paulo Centurioni cohortis Augustæ. Nauigarunt autem primo Sidonem: vbi permisit Centurio Paulum adire amicos & curam sui habere. Inde ob ventum contrarium infra Cyprum per Cilicium ac Pamphilium maria vecti peruenerunt Myram. Vbi intrantes nauem onerariam Alexandrinam aduerso vento fere vsi, magnisque tempestatibus acti, postquam Cretam legerant, iactum fecerunt, atque etiam armamenta nauis proiecerunt, nec sole nec sideribus per plures dies apparentibus nulla videbatur nauigantibus spes vitæ, cum etiam quatuordecim dies essent ieiuni. Erant autem in naui numero 267. Hos omnes iussit Paulus bono esse animo, nullum enim ex ipsis periturum. Deferebanturque in Adriam, atque dimissa bolide perceperunt maris altitudinem esse orgyas 20. & deinde 15 (est enim orgya longitudo hominis, hoc est, sex pedum) Timentes vero decidere in vada aut breuia emissis anchoris quatuor exspectabant lucem. *Act. 27.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*Chrys. hom. 7. in 2. Ad Cor.*

Iussit quoque Paulus abscindi funem, atque permittere scapham mari, ne fugerent nauicularii. Tum adhortatus omnes, vt se reficerent, accepit ipse panem, benedixitque eum, gratias agens Deo in conspectu omnium, & cum fregisset, cœpit manducare: sed & de manu sua porrexit Lucæ & Aristarcho Thessalonicensi. Cæteris deinde etiam cibum sumentibus post iactum frumenti factum, sublatis anchoris se committebant mari, passusque est iam quartum naufragium Apostolus; cum Troade scripsisset se ter naufragium fecisse. Eiecti in Melitam insulam Africæ humaniter à Barbaris excepti fuere, exstruentibus pyram sarmentis, quo se vuidi siccarent, ac calefacerent frigore torpentes. Pauli vero sarmenta pyræ iniicientis manum cum inuasisset vipera, putabant Barbari eum scelestum ac punitum à Deo: sed cum vidissent illum nihil mali passum, dicebant ad se inuicem ipsum esse Deum. Exhibuit Publius insulæ princeps triduo quibus opus habebant. Cuius patrem laborantem febri ac dysenteria Apostolus sanauit, complures etiam alios infirmos. Narrant in ea insula nullum malefici generis animal gigni, neque illatum nocere ab eo tempore, quo viperam excussit Paulus. Non video probabiliter illud à Cælio Curione allatum contra receptam opinionem, quod hoc à natura huic insulæ datum dicat: cum vipera eiusque mortiferi morsus incolis essent notissimi Sicuti etiam Meliten, vnde canes Melitei dicuntur sitam in Adriatico mari, non appulisse Paulum omnis nauigandi ratio facile conuincit. Nec etiam incolæ fuissent à Luca appellati Barbari cum Græce Melitæi hi loquantur: alii vero Punica semper vsi fuerint lingua Græcis ignota, ac pro Barbara ipsis habita. Sed complures receptas persuasiones in dubium vocando eruditionis famam aucupari gaudent. Recte Clementi Alexandrino visus est dixisse Empedocles, prauis hoc esse familiare, velle, quæ sunt vera, vincere, ex eo quod non credant.

*Cæl. Curio de bello Melitensi.*

*Clement. Alexand. Stromat. 5.*

*Plutarch. de amore frat. Chrys. S. 4. in cap. 28. Act. Tom. 3.*

Post menses autem tres nauigauerunt naui Alexandrina, cui insigne erat Castor & Pollux illos solitos in mari Deos inuocari, iisque adscribi narrant id numinis: quod geminæ stellæ antennis aliisque nauium partibus insidentes vocali quodam sono, & vt volucres sedem ex sede mutantes salutares & prosperi cursus prænuntiæ sint, earumque aduentu fugari diram illam ac minacem solitariam Helenam appellatam, mergentem nauigia; & si in carinæ ima deciderit, exurentem. Et antiqua Dioscurorum simulacra erant, duo ligna æq; distantia duobus transuersis sic connexa: Vocabant ea Lacedæmonii δόκανα. Videtur vero Philadelpho huius statuæ Deorum propriam hanc esse rationem, quod illorum omnia fuerint communia & indiscreta. Hac

ergo

ergo naue vecti Syracusas, inde Rhegium, vnde, inter Scyllam & Charybdim nauigantes venere Puteolos. AN. MVN. ET CHRISTI.

Puteolis rogatis à fratribus mansere dies septem. Inde fama Romæ sparsa, eos ibi esse, occurrerunt fratres ad Appii forum 49 milliariis ab vrbe: alii ad tres tabernas quæ via Appia 31. milliariis distant. Itaque Paulus Deo gratias agens, cœpit habere fiduciam. Cumque Romam ventum esset, permissum ei fuit manere cum custodiente se milite. Post tertium diem conuocatis Iudæis exponit caussam sui aduentus, qui de ipso nōdum quidquam audierant, aut receperant litteras. Venerunt deinde complures certo die constituto ad eum in hospitium: quibus exponebat, testificans regnum Dei, suadensque eis de IESV ex lege Moysis & Prophetis a mane vsque ad vesperam: ita vt quidam ex iis crederent, aliis non adhibentibus dictis eius fidem. Circa hæc tempora Marcus rogatus Romæ a fratribus missus a Petro Aquilegiam, cum ibi religionis Christianæ fundamenta iaceret, breue Euangelium scripsit. Quod cum Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit. Lucas quoque medicus Antiochiensis Pauli inter peregrinandum assiduus comes, sicuti ex Apostolorum relata acceperat, Euangelium suum a principio diligenter ordine scripsit. Scripsit autē & Paulus ad Ephesios epistolam, quam per Tychicum eo misit: laudans eos quod persstiterint in fide. Scripsit & ad Timotheum secundam epistolam adhortans eum vt ad se veniat, cum Lucas solus secum esset Fueratis constitutus ab eo Episcopus Ephesi; sicuti Titus Cretæ ordinatus. Post aduentum Timothei misit Onesimum ad Dominum suum Philemonem deprecans culpam, quod discesserat ab eo. Scripsit postremum ad Philippenses, cum iam familiarior esset Neronis domesticis. Adeo æstimatus L. Annæo Senecæ Stoico Philosopho, ac Neronis magistro, vt diceret se optare eius loci esse apud suos, quo Paulus erat apud Christianos. Postquam igitur biennio in proprio conductu, suscipiens omnes, docuisset quæ sunt de Domino IESV *Christo* cum omni fiducia, ac sine vlla prohibitione edidit Lucas quæ conscripserat *Acta Apostolorum*. Paulusque eam, quæ ad Hebræos est epistolam per Timotheum transmisisse refertur ex Italia. Nam cum pro se in iudicio respondisset, traditum est eum ad Euangelium passim prædicandum se denuo recepisse. & Barnabam Cyprium Mediolani septem annis Episcopum sedisse atque Naruum Brixiæ, & Anatoliū Bergomi Episcopos constituisse. Itaq; hic versus quadrattum in Apostolos, tum in ætatē mūdi: *Imperiū nunc tradet, quod tenet imperiū ipsis: cū iā hortus ille cōclusus Ecclesia multifariā cœpit abūdare frug-*

*F. Leand. in 18. Reg. Hieron. in Catal. script. Luc. 1.*

*Philipp. 4. Hieron. in Catal. script. & August.*

4024. LVIII.

4026. LX.

ANNI MVNDI ET CHRISTI. *frugiferis arboribus.* Marcus enim Alexandriam perrexit, assumpto secum quod conscripserat Euangelio, atque ibi *Christum* prædicauit tanta doctrina ac vitæ innocentia, vt constituendo ibidem Ecclesiam omnes *Christi* sequaces ad exemplum sui se instituere prouocaret. Referunt vitæ suæ institutum ad eum qui dicuntur Canonici regulares lineo amictu Ægyptiorum more superinduti, ac veteris Ecclesiæ more viuentes in communi. Tanta breui æstimata fuit ea Ecclesia, vt etiam Romanæ, Hierosolymitanæ, atque Antiochenæ annumeraretur: ad quas cũ deinde accesserant Bizantina seu Constantinopolitana ac Carthaginensis senarium complentes numerum: Duo Asia antiquissima, duo Africa doctissima, & duo Europa amplissima sibi vindicabant. Vigebant in Asianis religionis obseruantia, in Africanis doctrinæ Christianæ traditio, in Europæis si inata diuinitus summa potestas. cum purpureis Martyrii flosculis florerent omnes. Cæterum Apollinarem quem vnum ex septuaginta-duobus discipulis *Christi* fuisse narrant à Petro Rauennam, & Prosdocimum Patauium ad euangelizandum esse missos: Vitalem, Geruasium & Prothasium Galliæ Cisalpinæ claros Martyres fidem Christi docuisse monumentis traditũ est. Sicuti & Lazarum cum sororibus Martha ac Maria, & Maximino, aliisque nauigio Massiliam deuectos Galliæ Braccatæ, quæ & Narbonensis dicitur, fidem *Christi* annuntiasse: Trophimũ à Paulo missum etiam Arelatum primum Episcopum egisse, & Crescentem Viennam ad Rhodanum: Frontonem Petragorios: Martialem quoque (quem puerum illum à *Christo* medium inter Apostolos constitutum fuisse aiunt) Aquitanos apud Lemouices: & Saturninum apud Tolosates religione Christiana imbuisse. Dionysium insuper Areopagitam Athenientium Episcopum cum Rustico presbytero & Eleuterio Diacono Celtis prædicasse Lutetiæ Parisiorum tunc oppidulo in medio Sequani fluminis exstructo: quod ab vtraque ripa deinde in tantum excreuit, vti cum maxima Europæ vrbe de amplitudine certare audeat. Cum vero in tanto honore Dionysium haberent Gallorum postmodum Reges; vt illum suum appellarent Iouem. Fl. Michael Balbus orientis Imp. eius libros de cælesti & Ecclesiastica Hierarchiis, diuinis nominibus, mystica Theologia, atq; epistolas latine translatas dono Ludouico Pio Caroli Magni filio ac successori misit sub annum Domini 825. Qui & anno 1498 Parisiis typis impressi fuerunt; Treuiris, Tungris aliisque Belgis Euangelium annuntiasse: Maternum D. Petri discipulum, Valerium & Eucharium tradunt. Titus à Paulo Creta euocatus, etiam profectus erat in Dalmatiam. Crescens quoque in Galliam remissusque fuit Roma Epaphroditus Philippos, quorum e-

*Act. 2. 3.*

*Rom. 16.*

*G. Paradinus 16. de Burgundi.*

*Am. Marcel.*

4020.
LIV.

*Tit. 1.*

sum erat Apostolus & Timotheus Ephesum. In Hispaniam mis- ANNI
si sunt Torquatus, Secundus, Cæcilius, Esitius, Tisiphon, In- MVNDI ET
datecius & Euphrasius. Qui Paulum a Nerone dimissum in Hi- CHRISTI.
spaniam profectum referunt; non dissona scribunt ab eius epi- 2. Timoth. 4.
stola, qua significat, cum fruitus foret ex parte Romanorum a- Philip. 2.
spectu se sperare vt deduceretur ab ipsis in Hispaniam annun- Rom. 15.
tiaturus Euangelium Dei.

Cæterum dum ita per Europam cœpit germinare Ecclesia; synagoga ad exitium tendere videbatur: Pontifices enim contra Sacerdotes & vrbis optimates insurgebant, eo impudentiæ atque audaciæ prorumpentes, vt seruos suos mitterent vi abrepturos decimas sacerdotibus debitas ex areis ipsorum. Succreuit vero & latronum factio, quæ sicis sub vestibus occultatis inter alios dignitate præstantes viros etiam Ionatham Sacerdotum principem trucidarunt: quos oppressit Festus.

Agrippa exstruens domum in regia Assamonæorum, irascitur Iudæis, qui prospectum in templum muro ædificato impediebant. Quem ne diruerent miserunt Ismaelem pontificem cum Chelcia custode sacri ærarii, ac decem eximiis ciuibus Romam. Interea Agrippa confert Pontificatum Iosepho Cabi, Simonis quondam Pontificis filio. Quo mox vitam priuatam Ioseph 20.
agere iusso dedit sacerdotium Anano secta Saducæo viro auda- 7. 8.
ci ac praeferoci, Anani illius filio, qui cum illa dignitate ad satietatem perfunctus fuerat, quinque suos filios conspexit Pontificatu ornari. Hic ergo nouus Pontifex cernens Festum obiisse, & Albinum in itinere esse, quasi opportune nactus tempus concilium iudicum aduocat, atque Iacobum fratrem Domini impietatis accusat, ac lapidandum, decernit. Præcipitatum è pinna templi, ac lapidibus petitum à fullone vectem in caput illius illisum, vitamque beato ac felici Martyrii cruciatu finiisse narrat Egesippus. Cum vero cõtinuo precibus ex geniculis fundendis in templo fuisset intentus pro populo instar tergoris cameli genua eius obduruerant. Successit vero ei in Episcopatu frater eius Simon Zelotes Cana Galilææ ortus. Bernabas septimo Neronis ann. in Cypro martyrii coronam adeptus est tertio Id. Iunii. Porro Marcus Alexandriæ octauo Neronis anno quoque interfectus, vncoque tractus fuit septimo Calend. Maii, successitque ei Anianus in ministerium Ecclesiæ.

Romæ vero illustris illa aduersus Simonem Petri & Pauli Iustinus
congressio fuit. Qui cum Magicis artibus, vt se Deum proba- Apol. 1.
ret, duobus suffultus Dæmoniis euolasset; orationibus Aposto- Sulpit. Seuerinus Hist.
lorum fugatis dæmoniis, delapsus in terram populo inspectante Eccl. 2.
disruptus est.

Floruit per hæc tempora *Philo* Alexandrinus Iudæus, fa-

cundis

cundia Platoni, vt fertur par: qui vetustam gentis suæ doctrinam magna eruditione est persecutus, & de primo Marci apud Alexandriam Ecclesia quoque scripsit: atque Apostolorum a- Tacit. 13. micus fuisse traditur. De illo Græci dicebant: aut *Philo Platonizat, aut Plato Philonizat*. Pleraque eius scripta seruantur Romæ in Bibliotheca Vaticana: quorum quædam versa sunt à Lilio Tiphernate.

Cæterum Iudæi non vlterius ferentes iniurias Festi Flori præsidis sui successoris Albini rebellare cœperunt. Aduersus quós à Nerone missus Vespasianus proconsulari imperio multis grauibusque prœliis deuictos intra oppida, Hierosolymamque se continere compulit, quorum quædam cepit vi ac deditione, Hierosolymamque arcte obsedit.

## *Persecutio prima.*

4035. LXIX. NErone furente atque edicta proponente, quibus religio Christiana vexabatur, Tecla virgo Iconii nata, quæ relictis omnibus Paulum secuta fuerat, plurima sustinens tormenta pro fide *Christi* & pudicitia quieuit apud Seleuciam in pace nono Kalend. Octobris. In Tuscia Torpes ex domesticis Neronis bestiis obiectus, cum non læderetur ab illis tertio Kalend. decollatione Martyrium compleuit. Mediolani Nazarius cum Celso puero ab Anolino gladio percussi pridie Idus Iunii fuere.

Nerone iam exacerbato in cunctos mortales Petrus & Paulus capitis damnati sunt; quorum vni nempe Paulo ceruix gladio dissecta fuit extra portam trigeminam nunc S. Pauli dictam, Egesipp. 2. 2. via Ostiensi: Petrus vero ligatus in crucem sublatus est, capite in De crucis supplicio terram verso pedibusque in altum subleuatis, via triumphali, vbi ad Vaticanos montes horti ac circus Neronis; tertio Ka- Seneca de vita beata cap. 19. & Lipsius & Iacobus Gretserus. lend. Iulias, C. Fonteio Capitone, & C. Iulio Rufa Coss. Quæ non modo Egesippus prosequitur, sed & Eusebius Cæsariensis diligentissimus sacræ Bibliothecæ inuestigator Dionysium, qui circa annum Domini 150. Corinthi Episcopatu fungebatur, Eusib. 2. 25. ad Romanos ita scripsisse refert: *Petrum & Paulum, qui Romanos ac Corinthios primum in Ecclesiam* CHRISTI *insperserunt, prudenti quadam admonitione impulsi, in vnum locum conclusistis. Nam ambo cum & nostram Corinthi & vestram Romæ Ecclesiam fundassent: & eiusdem doctrinæ præceptis, tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore Martyrium subierunt.* Gaium præterea qui 200. a *Christo* nato anno circiter cum Proculo Cataphrygũ patrono disputauit, scriptis narrat prodidisse: *Ego Apostolorũ trophæa perspicue possum adjcendere. Nam si lubet in Vaticanum proficisci, aut in viam, quæ Ostiensis dicitur; te confe-*

*&, trophæa illorum, qui istam Ecclesiam suo sermone & virtute stabiliuerunt, inuenies.* Diuus quoque Irenæus eadem ętate Episcopatu Lugduni Galliæ fungens: *Ecclesia,* inquit, *Romana maxima atque antiquissima & omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo fundata & constituta, eam quam habet ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum traduxit vsque ad nos. Ad hanc Ecclesiam, propter potiorem principatum necesse est omnium conuenire Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt vbique fideles. In qua ab ijs, qui sunt vbique, conseruata est ea, quæ manauit ab Apostolis disciplina.* Quin etiam Tertullianus Carthaginensis presbyter libro de præscriptionibus contra hæreticos, non modo Petrum Romæ passioni Dominicæ adæquatum, & Paulum Ioannis Baptistæ exitu coronatum: sed Ioannem quoque Apostolum postquam in oleum igneum immersus nihil passus esset, in insulam relegatum narrat. Aduersus Marcionem quoque: *Videamus,* inquit, *quid Romani sonent, quibus Euangelium Petrus & Paulus suo sanguine signatum reliquerunt.* Arnobius exponens illud Psal. *Posuit terram fructiferam in salsuginem:* hæc ait: *Sed per Petrum in salsugine litterarum positam Romam, fecit eum fructum adferre.* Et infra: *Posuit desertum ab aquis, quæ peccata lauant, posuit in stagna aquarum. Abundant aquæ baptismatis, Martyrium pœnitentiæ, eleemosynarum abundantia, in deserto isto: quod ante Petri aduentum siccum fuit & aridum, hoc nunc excultum est, cum constitueretur in eo ciuitas Ecclesiæ, in qua quotidie seminantur agri, & plantantur vineæ, vt fiant fructus natiuitatis, quos benedixit Deus, & fecit vt multiplicarentur.* Chrysostomus homilia aduersus Gentes: *Peragrarunt itaque Apostoli orbem terrarum, & infirmum inuenientes ad sanitatem reduxerunt, in ruina positos ad stabilitatem reuocarunt, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes non eloquentia confidentes: sed erant nudi quidem sæculo, verum induti* CHRISTVM, *pauperes at diuites: pecunia indigētes, sed regnū cælorum possidentes, non habentes solatia humana, at habentes Dominum Deum suum: qui ipsis dixerat: Ego enim vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* De illis & Lactantius Firmianus Arnobii discipulus hunc in modum scribit: *Petrus & Paulus Romæ prædicauerunt: & ea prædicatio in memoriam scripta permansit. In qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt: vt post breue tempus immitteret Deus Regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum solo adæquaret, ipsos autem fame sitiq; confectos obsideret. Tum fore vt corporibus suorum vescerentur, & consumerent se inuicem. Postremo vt capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo vexari acerbissime cōiuges suas cernerent: violari ac prostitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos: omnia deniq; igni ferroq; vastari*

Iren. contra hæres. lib 3. cap. 13.

Tertull. aduers. Marcionem. 4.

Lactant. diuin. instit 4. 21.

ANNI MVNDI ET CHRISTI. *vastari, captiuos in perpetuum terris suis exterminari; eo quod exultauerint super amantissimum & probatissimum Dei filium. Itaque post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Iudaeorum nomen & gentem Vespasianus exstinxit, fecitque omnia, quae illi futura praedixerant.*

4036. LXX. Lucifer etiam Calaritanus à Constantio Imperatore in Palestinam relegatus Episcopus miræ constantiæ & præparati ad Martyrium animi, in eo libro, quem Imperatori legendum misit. *In insulam,* inquit, *relegatus est Apostolus Ioannes, crucifixus est beatus Petrus, alligatus est beatus Apostolus Paulus, reclusus in carceribus, flagellatus est, & sæpe lapidatus, interfectus est postremo. Sed hi cuncta illa gratissime sustinendo, quod amici Dei facti fuerint, qui aduertimus, & ipsi crudeli manu tua mactari malimus, quam tuæ cedere carnificinæ.* Cæterum vt reticeam Iustini Martyris & Irenæi atque vlteriora Cornelii ac Damasi, Leonis Magni ac Gregorii Rom. Pontificum, Hieronymi, Aurelii Prudentii, Pauli Orosii, Sulpicii Seueri, Bedæ Anglici aliorumque infinitorum scriptorum conformia testimonia; non possum tamen non referre Ioannis Antiocheni cognominati Chrysostomi summi admiratoris ac interpretis Pauli Petrique encomium vrbis Romæ, quæque de illis senserit Apostolis: Ego, dicens, *possem Romam aliunde laudare: nempe à magnificentia, ab antiquitate, à pulcritudine, à multitudine, à potentatu, à diuitiis, & à rebus in bello fortiter gestis. Sed relictis istis omnibus ob id illam beatam prædico: quod erga Romanos Paulus, dum viueret, adeo fuit beneuolus, adeo illos amauit, coram disseruit, & postremo vitam apud eos finiuit: vnde & ciuitas ista huic facta fuit insignis plus quam à reliquis omnibus. Et quemadmodum corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres, illorum videlicet, Pauli & Petri corpora. Non ita cælum splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit; quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens. Hinc rapietur Petrus, hic rapietur Paulus. Considerate ac horrete quale spectaculum visura sit Roma. Paulum nimirum repente ex theca illa cum Petro resurgentem in occursum Domini sursum ferri. Quales rosas* CHRISTO *mittet Roma? qualibus coronis duabus ornatur vrbs? Qualibus catenis aureis cincta est? Quales habet fontes? Propterea celebro hanc vrbem, non propter copiam auri, non propter columnas; neque propter aliam phantasiam: sed propter columnas illas Ecclesiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre puluerem corporis illius: quæ adhuc deerant in* CHRISTO, *adimpleatis, stigmata illius gestantis, prædicationem Euangelii vbique seminantis? Oris huius puluerem videre vellem, per quod Christus magnalia & ineffabilia locutus est: per quod admiranda ille oracula orbi protulit Spiritus sanctus. Christus certe discipulos suos etiam tum, postquam obierunt effulgere fecit.*

Iust. Apol. 1.

Chrysost. ho. 66. ad popul.

*Quid*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*Quid dico discipulos? Cum & eorum loca ac sepulcra simul & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu vero mihi ostendas sepulcrum Alexandri, & profer diem in quo vitam finiuit. At nihil horũ insigne: sed omnia destructa sunt & exterminata:* CHRISTI *vero seruorum & sepulcra clara sunt, regiam assecuta ciuitatem: & dies notissimi, mundo festam afferentes lætitiam. Et illius quidem loculum & Græci nesciunt proprij: horum autem sciunt & Barbari. Seruorum namque* CHRISTI *sepulcra regiis aulis sunt clariora: non modo magnitudine & ædificiorum pulcritudine (in hoc enim & superant) sed quod multo maius est, conuenientium studio. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit illa complexurus sepulcra: & fastu deposito, stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant. Et scenarum fabrum ac piscatorem etiam mortuos quasi protectores orat, qui diademate redimitus est. Quod si liberum fuisset per curas Ecclesiasticas, & corpus habuissem validum, nihil vtique causatus fuissem, quo minus tanta suscepta peregrinatione, catenas dumtaxat & carcerem, vbi ligatus fuerat Paulus, vidissem. Vellem sane & nunc in illis esse locis, vbi vincula Pauli esse dicuntur. Celebrarem vero viros istos merito: qui tanti desiderii erga* CHRISTVM *fuerunt. Cuperem videre catenas illas; quas quidem verentur & horrent dæmones, venerantur autem Angeli,* hæc Chrysostomus. Quid vero August.? *Nunc videtis ipsas* ait, *huius sæculi potestates, quæ aliquando pro simulacris populum Christianorum persequebantur, victas atque domitas; non à repugnantibus, sed à morientibus Christianis: & contra eadem simulacra, pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse. Et imperij nobilissimi culmen eminentissimum ad sepulcrum piscatoris Petri, submisso diademate supplicare. Ostendatur mihi Romæ in tanto honore templum Romuli, in quanto tibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? sumus enim Christiani non Petriani.* Quid? quod præter Eusebium etiam Augustinus referat pluribus locis Petrum & Paulum cum *Christo* solitos fuisse videri pictos: quia merita Petri & Pauli propter eumdem passionis diem celebrius & solenniter Roma commendaret? Erat nouicium hoc inuentum Romæ à M. Varrone excogitatum: cum omnes cupere eum scire perspiceret, qualis fuerit aliquis; inseruit fecunditati voluminum suorum non nomina modo 700. illustrium virorum, sed & aliquo modo imagines: non passus eorum intercidere figuras, aut vetustatem æui contra homines valere. Itaque non solum iis immortalitatem dedit; verum etiam in omnes terras misit, vt præsentes esse & conspici possent. Asinius quoque Pollio cum ingenia hominum rempublicam faceret, Bibliothecam primus dicando, eorum figuras illic posuit; quorum immortales animæ illic loquebantur. Hoc & Romani postea in Petri

*Act.18.* *Ioan.20.* *Chrysost. hom 8. in 4. ad Eph.* *August. 42. Epist. & in Psal.44.* *August. de Con. Euang. 1.10.* *Plin.35.2.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

*Claud.* Per cineres Pauli per cani limina Petri.

Posset huc etiam adduci quod *Petro* fuisse filiam Petronillam narrant, quæ spreto connubio nobilis Romani *Flacci* nomine post triduum obierit pridie Kal. Iunii Romæ: Et quæ Dionysius *Alexandrinus* refert de vxore *Petri*, quam cum videret duci ad Martyrium appellans nomine dicebat: *Heus tu memento Domini* Clem. Strom. 7.

Paulique vultibus pingendis spectasse videntur: cum statim etiam nunc Petri (cani epitheto a Cl Claudiano Poeta ad locobum Magistrum equitum donati) imaginem ex caluitie, latiore fronte atque ore statim percipimus atque barba detonsa: cum Paulus ea tem demissa, vultuque magis erecto, ac comatus pingi conspiciatur. Sed recte admonet Augustinus *Christum* & Apostolos potius in sanctis codicibus, quam in pictis parietibus esse quærendos. Ex quibus dum vera indagare pigeat, ignorantiæ pudore mentiri non piget Haud alio fidei proniore lapsu; quam vbi falsæ rei auctor existit. Habuit & Petrus vxorem, inquit Hieronymus epistola ad Iulianum, sed cum reti eam & nauiculam reliquit.

Vice coronidis hic adiiciam quæ præclarus ille confessor Cyrillus Hierosolymæ Episcopus sæpe pulsus sede sua atque receptus: dum à Constantii ætate vsque ad Theodosii Principatum, sub quo octo annis inconcussum Episcopatum tenuit. Is ergo Catechesi illuminatorum 6. *Est autem*, inquit, *varia & multiplex Hæreticorum doctrina: cum enim à via rectitudinis exciderint, tunc in multa præcipitia incidunt. Et omnis hæreseos auctor & inuitor est Simon Magus. Simon, qui vt in Actis Apostolorum legitur, inæstimabilem Spiritus gratiam argento se posse comparare existimans audiuit: Non sit tibi pars neque hereditas in sermone hoc, & quæ sequuntur. De quo scriptum est etiam, quod ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis. Si enim essent ex nobis, permansissent nobiscum. Hic autem cum esset Romæ, posteaquam ab Apostolis reiectus est; & Græcam quamdam Selinen meretricem circumducens, ore nefando ausus est dicere, seipsum esse Deum; qui in monte Sina tamquam pater apparuit: ac deinde apud Iudæos non in carne, sed in imagine tamquam* CHRISTVS IESVS *visus est: atque postea tamquam Spiritum sanctum à* CHRISTO *mittendum se esse promissum. Et ita seduxerat ciuitatem Romanam, vt Claudius illi statuam erexerit, cum ea inscriptione in lingua Romana:* SIMONI DEO SANCTO. *Dilatato autem errore par amicorum bonorum Petrus & Paulus, cum essent Præsules Ecclesiæ, & ostentantem se iustum Simonem statim exstinxit. Cum enim prædicaret Simon in cælos se ascensurum, & vehiculo dæmonum in aerem esset sublatus: flexis genibus serui Dei, & concordiam ostendentes, de qua dixit* IESVS: *Quod si duo ex vobis concordauerunt, de quacumque re, quam petierint, fiet ipsis. Concordiæ ergo hoc telum per orationem emittentes in Magum, deiecerunt illum in terram. Nec fuit mirum: Petrus enim erat qui claues regni cælorum portabat. Neque mirandum: Paulus enim erat, qui in tertium cælum raptus fuerat, & in Paradisum, & audiuerat arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex aere in terram depresserunt eum, qui se Deum appellabat, deinceps ad inferos detrudendum,* Hæc Cyrillus.

Restat

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

Restat iam videre qui Petro quoque ordine successere: quæ præterea euangelizandi forma, qua gentes conuertebantur ad fidem; quis denique & methodus Christianæ doctrinæ: quique ordines etiam in Ecclesia antiquitus erant ministrorum. Porro illud sciscitari liberet ab illis qui Petrum Romæ fuisse negant, quis ille nam fuerit qui Romanis prædicauerit fidem *Christi?* quæ, vt Paulus ad Romanos scribit, tanta erat vt annuntiaretur in vniuerso orbe. Quis quoque ille fuerit, cui Romani præstiterint obedientiam? quæ, vti idem vltimo capite testatur, in omnem locum diuulgata erat. Quod siquid negasse satis fuerit, negabo & ego Petrum illo tempore cum hæc è Corintho scriberet doctor Gentium, fuisse alibi quam Romæ, & si habeant testes per quos doceant, vt Iurisperiti loquuntur, alibi hisce meis testibus grauiores, fatebor merito me caussa cadere. Hæc hactenus: Optatus Mileuitanus Episcopus, quem & D. Augustinus sequitur aduersus Parmenionem scribens Donatistam circa annum 374: *Negare non potes*, inquit, *scire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Episcopalem esse collocatam: in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in qua vna cathedra, vt vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: vt iã schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedra vnica, quæ est prima de dotibus sedit prior Petrus: cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus.* Alios deinde ordine enumerans adusque suæ ætatis pontificem, eumq; suum nominat socium; dicens totum orbem cum commercio Formatarum in vna communione societatis concordare. At Ignatius, Irenæus, Eusebius Petro Linum, Lino Cletum, (Hieronymo Anacletum dictum) Cleto Clementem successisse scribunt. Quibus libentius ideo etiam subscribo, quod eo ordine in prece etiam recitantur; omissis recentioribus, qui & inter se non satis conueniunt.

*August. in Epistol. 42.*

Formatæ Epistolæ erant communicatoriæ Episcoporũ, tamquam consensionis Symbola, quarũ meminit *Aug. Epist.* 163.

Cæterum cum Iudæis persuaderetur ex lege, Psalmis ac Prophetis, *Christum* esse IESVM; eaque forma esset euangelizandi illis: Gentes quibus lex non erat, nec mouebantur auctoritate scripturæ, dedocebant primum Apostoli simulacra esse Deos, tum eos instruebant vnum esse Deum, qui manufactis templis non posset comprehendi, cum sit immensus: ipsique curam esse de nobis. Debere ergo ipsos pœnituisse erroris, & conuertere se ad *Christum*, Deo præbente fidem, qua credant illum resurrexisse à mortuis. Quoque perspicacius fidem in diuinis eloquiis traditam summatim animo conciperent, duodecim articulis conclusam Symboli instar eam doceri cupidis exhibebant. Quidve ex fide professa ipsis sperandum esset oratione

*Igna. Epist. ad Mariam. Irenæus 3.1. aduers. Valen. Euseb. hist. Eccl. 2.11. 5.6. Rom. 2. Act. 17.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

dominica demonstrabant. Mandabant quoque volentibus ingredi ad vitam seruare decalogum legis, non solum externo operum apparatu, sed perfecta caritate erga Deum & homines, cumque declarassent mirificum illud opus Dei, quo ex iniusto & impio per gratuitam suam misericordiam, remissis merito *Christi* peccatis, iustum facit ac pium: vera communicatione atque impartitione iustitiæ *Christi*: qua mens & voluntas iustificati o culta inspiratione imbuitur ac transformatur: vt iam sentiat se iustitia quadam inhærente ferri spiritualibus desideriis; nec succumbere concupiscentiæ adhuc in membris hærenti: sed ei accepti iã Spiritus virtuti feliciter obluctari. Baptizabant eos *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: exhortantes vt vellēt sobrie, iuste ac pie viuere in hoc sæculo exspectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu *Christi*. Hic enim ipsis catechisandi erat ordo. Deinde manus imponebant, quo acciperent Spiritum sanctum. Imponebant quoque manus presbyterii ac diaconatus, aliorum quoque ordinum inferiorum post ieiunia atque orationes solennes Apostoli, cum ipsi *Episcopi* ministerio verbi, exhortationi & doctrinæ attenderent, synodos celebrarent, formatas litteras mitterent, sacris mysteriis occuparentur, visitarent suas diœceses, & intenderent sibi & vniuerso gregi, in quos Spiritus sanctus eos Episcopos, hoc est, speculatores posuerat. *Presbyterorum* vero munus erat baptizare, Episcopis adesse consiliis, orationibus esse intentos, frangere panem in commemorationem *Christi*, annuntiando mortem eius: orare super infirmos vngētes eos oleo in nomine Domini. *Diaconorum* vero erat ministrare mensas, thesaurum Ecclesiæ dispensare, Euangelium prædicare, interpretari scripturas, atque etiam baptizare. *Acoluthorum* officium erat sequi Episcopum ipsique seruire; Catechumenorum nomina in catalogum redigere, & super eos solennes preces effundere, luminaria quoque Ecclesiæ procurare atque accendere. Talem Onesimum fuisse narrant. *Exorcistæ* autem eos, qui à dæmonibus vexabantur, liberabant solennibus precibus spiritus malignos expellendo. *Lectores*, quos Pastores Apostolo nominatos putat Ambrosius, matutino tempore Prophetarum Apostolorumque scripta legebant, ac populum diuinis lectionibus quasi pascebant. Successit mox & ordo *Subdiaconorum* & *Ostiariorum*: quorum hi solenni voce indignos se subtrahere Synaxi iubebant fungentes officio ianitorum: illi oblationes fidelium recipiebant, vitas Martyrum atque agones conscribebant, & epistolas Apostolorum populo declarabant. Sicque nullus qui ordinatus non esset, audebat præsumere officium, quod sciret sibi non creditum: singulique suis fungebantur

muniis

Marginal notes: 1. Ioan. — Matth. 28. — 1. Petri 2. — Act. 19. 13. 6. 20 — 1. Tim. 4. — 2. Tim. 1. — 1. Cor. 11. — Iac. 5. — Ephes. 4. — Iustin. Apol. 2.

munis ad ædificationem Ecclesiæ secundum traditiones Apostolorum.

Prima hac persecutione à Nerone in Christianos mota truncati capite fuerunt via Aurelia *Processus* & *Martinianus*, qui cum custodirent Petrum & Paulum in Mamertino carcere ad montem Tarpeium erant baptizati, quorum corpora Lucina in prædio suo sepeliuit sexto nonas Iulias. *Torpetus* quoque in Tuscia Domesticus Neronis. 2.Thess. 2. 1.Corin.11.

*Hermas*, cuius D.Paulus epistola ad Romanos meminit, dicitur auctor libri, qui inscribitur Pastor, & apud quasdam Græcas Ecclesias publice legitur, *revera*, (inquit Hieronymus) *utilis liber*. Impressus est Argentorati anno 1522.

Venit vero & inimicus homo & superseminauit zizania (quæ apparuerunt bono semine crescente in messem) vsus ministris, qui circa fidem naufragium fecerant. Qualis erant *Alexander* & *Hymenæus*. Item *Nicolaus Antiochenus*. Cuius impura hæresis vigebat Pergami, cum ibi occisus esset Antipas Martyr fidelis. *Menander* quoque *Samarites* per baptismum à se datum, in hac vita perpetuas fore pollicebatur. *Ebionitæ* obseruari volentes legem *Christi* fidem ad salutem sufficere negabant. 1.Tim. 1.

Surrexit & *Cerinthus*, qui post resurrectionem terrenum *Christi* regnum futurum affirmabat.

Persecutione à Nerone excitata, & sub Vespasiano etiamnum durante, coronam Martyrii adepti sunt Rauennæ *Apollinaris* antistes. *Vrsicinus* medicus, & *Vitalis*, *Valeria* eius vxor, filiique *Geruasius* & *Prothasius* interfecti sunt Mediolani: Capuæ *Rufus* patricius Romanus omnes ab Apollinare fidem *Christi* edocti: Remis in Gallia *Xystus* discipulus D.Petri.

## ÆGYPTVS.

Neroni bellum Æthiopicum cogitanti missi ab eo Prætoriani cum Tribuno ad explorandum, renuntiauere ipsum oppidum Meroen ab introitu insulæ abesse 70000 pas. Ædificia oppidi pauca Regnare feminam Candacem, quod nomen multis iam annis ad reginas transiit. *Plin.6.29.*

## GRÆCIA.

Nero Græcos liberos fecit, cum pro Achaia populo Romano Sardiniam dederat. In Achaia Isthmum perfodere aggressus Nero Prætorianos pro concione ad inchoandum opus cohortatus est, tubaque signo dato, primus rastello humum effodit. &

AN MVN. ET CHRISTI.

corbulæ congestam humeris extulit infausto incœpto, vt exitu patuit. *Suet. cap.* 19.

Idem 500. æneas imagines abstulit Delphis ex fano Apollinis Ex Olympo quoque imaginem Vlyssis Romam transtulisse fertur. Sunt in Olympo eius donaria corona vna oleastri folia imitata altera ilicis.

## GALLIA.

Alpium regnum defuncto Cottio Nero in prouinciæ formam redegit *Suet. cap.* 18.

Nerone 3 & Valerio Messala Coss. L. Vetus, quem exercitui præfecerant, in Gallia ex Mosella nauigabilem alueum perducere in Ararim aggressus est, vt sic ex Rhodano per Ararim Fossam, Mosellam in Rhenum ad Oceanum vsque posset nauigari. Ab hoc tam vtili conatu deterruit eum Helius Gracilis Belgicæ Legatus.

Inter Lugdunenses & Viennenses vetus discordia accensa fuit, cum Galba Viennenses honore afficeret, in illos iratus.

## BRITANNIA.

Cogidonus Rex populo Romano fidissimus mansit. Vbi Didius Gallus parta à prioribus præpositis continuit, paucis castellis in vlteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur Didium Veranius excepit, isque intra annum extinctus est. Suetonius hinc Paulinus biennio res prosperas habuit subactis nationibus, firmatis præsidiis: quorum fiducia Momam insulam, vt vires rebellibus ministrantem aggressus, terga occasioni patefecit.

## GOTHIA.

Neronis comminatio ad Caspias vsque portas tendere dicebatur: cum peteret illas, quæ per Iberiam in Sarmatas tendunt, vix vllo propter oppositos montes aditu. *Plin.* 6. 13. & *Sueton. cap.* 19.

## GERMANIA.


Neronis principatu aurum inuentum in Dalmatia, singulis diebus quinquagenas libras fundens.

Rex Germaniæ misit Neroni dono 13000. librarum succini. est enim plurimum ac optimum in Germania. Solin. 23 teste.

Nerone 3. & Messala Coss. ignis ex terra ortus in agro opidi Vbiorum arua, villa vicos exussit. Qui quoniam materia erat bituminosa neque pluuiis, neque aquis plunialibus, nec alio quouis humore poterat restingui: sed saxis & vestibus vsu pollutis oppressus est.

Antiqui-

Antiquitatem Batauiæ curiosi persuasum habent Ordeonium Flaccum circa hanc ætatem ad frugiferum illum vberrimæ glebæ clauum cis Ordburgum seu Voirburgum in Batauis villam exstruxisse probe munitam. Et quoniam hi Flacci dicebantur, quibus prægrandes auriculæ dependerent perfacile insulsi Chronographi Midam quemdam Batauum asininis auribus, quem Eselorium vocarent, excogitassent, vt suis fabulis aures demulcerent Batauos, quæ rudi illa ætate miram voluptatem ex huiusmodi narratiunculis capiebant. Certe signum familiæ Burgicæ alueolo transuersim auro incluso Italicam præ se fert formam, crediturque huius villæ colonus sibi illud reseruasse, atque deriuatum deinde fuisse in gentem rure emigratam in vrbem Burgum villam antiquis Batauis etiam fuisse dictam paulo eminentiorem, indicio sunt villa Cornelii Susii quondam Hollandiæ Præsidis Riisuici. Redenburgum olim ad ripam Rheni, Neoburgum apud Caninefates, Blijenburgum, compluresque aliæ villæ Magnatum. In agro huius Flacci erutum fuit ingens saxum instar pilæ, quod cum nullis sit inscriptum litteris, videtur fuisse terminus cursorius. Præter varia quoque antiqua numismata, fuit etiam aræ pars inter rudera ibidem eruta cum hac inscriptione:



AN. MVN. ET CHRISTI.

DIANÆ
IVNIANIVS
AMABLIIS
I IIII I. VIR
AVG. C. V. T. EX
IVSSV IPSIVS
L. M.

Quæ significat Iunium Amabilem Seuirum Augustalem cõmuni voto templũ Dianæ extruxisse iussu ipsius libens merito.

Apud Batauos Iulius Paulus & Claudius Ciuilis regia stirpe multo cæteros nunc anteibant. Paulum Fonteius Capito falso rebellionis interfecit: iniectæ Ciuili catenæ: missus ad Neronem, & à Galba absolutus, sub Vitellio rursus discrimen adit, flagitante supplicium eius exercitu. Inde caussæ irarum, spesque ex malis nostris. Ciuilis ingenio sollers, & vno oculo ore dehonestatus, cum iussu Vitellii Batauorum iuuentus ad delectum vocaretur, primores gentis & promptissimos vulgi specie epularum in sacrum nemus (Schakers-bosch ob latrones sine clementia grassantes ibidem dictum) vocatos luculenta

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

oratione ad delectum abnuendum, atque mouendam seditionem incitat: multa inuidia Romanos onerans, & auctores tumultus ciendi componens. Adactis patriis exsecrationibus & ritu Batauo illis in suam sententiam, missi ad Caninefates, qui consilia sociarent simul & Britannica auxilia fuere sollicitata. Bienno in Caninefatibus claritate natalium insigni dux delectus, quod rebellis familiæ omine placeret. & scuto impositus, atque sustinentium humeris ex more vibratus, accitis Frisijs 2. cohortium hyberna, proximo occupato Oceano, irrumpit. Capta direptaque castra, lixæ negociatoresque Romani pacis more effusi comprehensi dissimulante illud Ciuili. Qui mox ad vim paratus cum Caninefatibus, Frisiis ac Batauis, Tungrorum cohorte ad se signa ferente perculsos proditione Rom. milites haud procul à flumine Rheno cædit. Ita vt ad eum quasi libertatis vindicem Germani missis legatis auxilia offerrent, & Galli societatem. Acciti Bataui ac Caninefates ad Vitellium ex itinere redeunt, vt Ciuili quoque iungerentur. Quos dum Ordonius Flaccus & Herennius Gallus, qui Bonnam obtinebat, non coercent; fraude Legatorum bellum excitari suspicio erat Flacco à suis interfecto, coniuratio inter Ciuilem & Classicum, Iulium tutorem Treuirem, Iuliumque Sabinum Lingonem palam in lucem prorupit. Classico præfecto alæ Treuirorum regium genus, & pace belloque clara origo: seque à maioribus suis hostem populi Romani potius quam socium iactabat. Claudius Labeo, qui captus in Frisios amandatus fuerat, corruptis custodibus profugit, acceptaque peditum equitumque modica manu, quosdam Neruiorum Betasiorumque in arma traxit, & furtim magis quam bello Caninefates Marsacosque incursabat. At Ciuilis in fidem receptis Agrippinensibus, Betasios quoque ac Neruios copiis suis adiunxit, & Cl. Labeonem capere aut exturbare nitebatur. Interim Tutor cum Treuirorum, Vangionum, Caracatium, ac Tribocorum copiis a Sextilio Felice fusus, sic vt eius copiæ omissis armis per agros palantes profugerent. Pugnatum deinde fuit varia fortuna inter Ciuilem Classicumque atque Romanos, donec Perilius Cerealis Romanorum dux nauali prœlio, vbi Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano affundit cõmisso insulam Batauorum hostiliter populatus agros villasque Ciuilis, nota arte Ducum, intactos reliquit: & superinfusus amnis palustrem humilemque insulam in faciẽ stagni oppleret. Tum Cerealis per occultos nuntios Ciuili veniam, Batauisque pacem ostentans admonebat, cæsos Treuiros, receptos Vbios, ereptam Batauiam patriam: neque aliud Ciuilis amicitia peractum quam vulnera, fugas, luctus; exsulem eum & extorrem recipientibus oneri esse; ipsos satis peccauisse,

sauisse, quod toties Rhenum transcenderint. Si quid vltra moliantur, inde iniuriam & culpam, hinc vltionem & Deo fore. Miscebantur minis promissa, & concussa Transrhenanorum fide inter Batauos quoque sermones orti, non protogandam vltro ruinam, nec posse ab vna natione totius orbis seruitium depelli, quid perfectum cæde & incendiis Legionum, nisi vt plures validioresque accirentur? Si Ciuilis & Classicus Vespasiano bellum nauauerint; Vespasianum rerum potiri. Sin populum Romanum armis prouocent, quotam partem generis humani Batauos esse? Respicerent Rhætos, Noricosque, & cæterorum onera sociorum. Sibi non tributa, sed virtutes & viros indici. Proximum id libertati. Etsi dominorum electio sit, honestius Principes Romanorum, quam Germanorum feminas tolerari. Quibus verbis virginem Volledam nationis Bructeræ notabant, quæ cum late fatidica imperitaret, coram adire alloquique eam negabatur. Arcebantur quippe eius adspectu, quo venerationis plus inesset. Ipsa edita in turre; delectus è propinquis consulta responsaque, vt internuntius numinis, portabat. Hæc ergo vulgus. Proceres atrociore Ciuilis rabie, semet in arma trusos. Illum domesticis malis excidium gentis opposuisse: tunc infensos Batauis Deos, cum obsiderentur Legiones, interficerentur Legati, bellum vni necessarium, ferale ipsis sumeretur. Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant, & noxii capitis pœna potentiam fateantur. Quæ cum inclinatio Ciuilem non falleret, petito colloquio in abrupto Nabaliæ fluminis ponte, apud Cerealem se excusat, dicens se epistolis Antonii accitum ad bellum ne Germanicæ legiones & Gallica iuuentus ad auxiliandum Vitellio Alpes transcenderent: veterem enim sibi erga Vespasianum obseruantiam fuisse, & cum ille priuatus esset, amicos vocari solitos. Porro Domitianus admodum adhuc adolescens etiam tendebat in Batauos. Illi autem expeditionis fama perculsi, ei se permiserunt: lucrum hoc ex ea re maximum nacti, quod sine clade pristino iugo subiicerentur. Omnibus itaque circa Galliam quoque, vt oportuit ordinatis, ne facile rursus vmquam turbarentur: Domitianus clarus atque insignis ætatem superantibus factis, & patrium decus afferentibus, Romam regressus est.

Cum supradicta Germanorum defectione, iisdem diebus etiam Scytharum conuenit audacia. Nam qui appellantur Sarmatæ, maxima multitudine clam transgressi flumen Istrum, violenti atque sæuissimi, propter inopinatum impetum, multos Romanorum, quos in præsidiis offendere, interficiunt: & Consularem legatum Fonteium Agrippam, qui ipsis obuius fortiter

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

pugnauerat, interficiunt: proximasque regiones ferendo atque agendo, omniaq; incendendo peruagabantur. Vespasianus autem hoc facto, & vastitate Mœsiæ cognita; Rubrium Gallum mittit pœnas de eis sumpturum. A quo multi quidem in prœliis trucidati sunt. Qui vero salui esse potuere cum timore domum refugerunt. Hoc autem bello finito Magister militum etiam futuri temporis cautioni consuluit: pluribus enim & maioribus præsidiis loca circumdedit: vt omnino Barbaris nō esset transitus. Ea itaque celeritate in Mœsia debellatum fuit.

*Monarchia Romanorum.*

## SERGIVS GALBA.

### IMP. VII.

*Suet. Galba. Cap. 2.* Neroni SERGIVS GALBA successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum: sed amatus à Liuia Augusta, & à Claudio in amicorum cohortem receptus Inter liberales disciplinas attenderat & iuri. *Cap. 5. Cap. 7.* Itaque cum de proprietate iumenti apud eum lis esset orta, & leuibus argumentis ac testibus hinc inde vterentur litigantes, decreuit vt ad lacum, vbi adaquari solebat, duceretur iumentum capite inuoluto: atque ibidem reuelato: eius esset, ad quem sponte se à potu reciperet. *Cap. 8.* Ob res in Germania & Africa gestas ornamenta triumphalia acceperat; & Tarraconensis Hispania ei oblata est; vbi per octo annos primum seuere & *Cap. 9.* postmodum segniter ac desidiose prouinciam rexit. Carthagine noua conuentum agens, tumultuari Gallias comperit Legato Aquitaniæ auxilia implorante superuenerunt litteræ vindicis hortantis, vt humano generi se assertorem ducemq; accommo-*Cap. 10.* daret. Consalutatus Imperator Legatum se Senatus populique Romani profitebatur. Sed cum tributa grauiora Hispaniarum *Cap. 12.* Galliarumque ciuitatibus extorsisse, & quosdam præpositos procuratoresque cum vxoribus ac liberis supplicio capitis affecisse nuntiatum fuisset in vrbe: non erat aduentus eius perinde gratus. Maiore certe fauore & auctoritate adeptus erat imperium, quam gessit: dum trium se tradens arbitrio modo acerbior parciorque, modo remissior ac negligentior esset, quam conueniret. Germanorum cohortem à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam multis experimentis fidelissimam *Cap. 16.* dissoluerat, ac sine vllo commodo remiserat in patriam. Cumque in verba eius absentis iurantibus militibus præpositi donatiuum grandius solito pronuntiassent, noluit illud ratum habere, subinde iactans se legere militem, non emere consueuisse. Prætorianos metu & indignitate commouit: dum subinde quosdam quasi suspectos remouit. Sed maxime fremebat

superioris

superioris Germaniæ exercitus, fraudari se præmiis nauatæ aduersus Gallos & vindicem operæ. Ergo primi obsequium rupere, ac se Kal. Ianuarii adigi Sacramento, nisi in nomen Senatus recusarunt: statimque legationem ad Prætorianos cum mandatis miserunt displicere imperatorem in Hispania factum, eligerent ipsi quem cuncti exercitus comprobarent. Admonitus caueret periculum, non longe abesse percussores: atque cognoscens teneri castra ab Othone, loricam linteam induit. Sed persuasus Othonem occisum processit in forum: vbi equites desertum à suis contrucidarunt. Iugulatus fuit ad lacum Curtii, & gregarius miles caput à se amputatum inserto per os pollice ad Othonem detulit. Quod lixæ calonesque hasta suffixum non sine ludibrio circum castra portarunt. Argius eius dispensator sero illud cum trunco corporis in priuatis eius hortis Vitæ Aureliæ sepulturæ dedit. Itaque periit septimo imperii anno, natus an 73. Cap.19. Cap.20.

Sperauerat fore OTHO SILVIVS vt adoptaretur à Galba, sed postquam Pisone prælato spe decidit: ad vim conuersus fuit, instigante super animi dolorem etiam magnitudine æris alieni. Missis qui Galbam ac Pisonem trucidarent, ad conciliandos militum animos pollicitationibus, nil magis pro concione testatus est, quam id demum se habiturum, quod sibi illi reliquissent. Vergente iam die ingressus Senatum, positaq; breui ratione, quasi raptus de publico, & suscipere vi imperium coactus, gesturusq; omnium arbitrio Palatium petiit. Appellatus ab infima plebe *Nero*, nullum indicium recusantis dedit. Neronis statuas & imagines reponi passus est: & procuratores atque libertos ad eadem officia reuocauit. Sub hoc tempus Germaniciani exercitus in Vitellii verba iurauerant. Quod vt comperit, auctor Senatui fuit mittendæ legationis: quæ doceret, electum iam Principem, quietem & concordiam suaderet. Et ipse per internuntios & litteras consortem imperii, generumque se Vitellio obtulit. Aduenientibus copiis, quas Vitellius præmiserat, vniuersus pæne Senatus excitato tumultu internecione deletus fuisset: requirentibus nocte vbi Imperator esset prætorianis. Qui etiam perrumpentes in triclinium vsque non destiterunt, nisi viso Othone. Expeditionem autem impigre & præpropere aduersus Vitellium inchoauit: & licet temerarie duo prœlia vicit, alterum circa Placentiam, alterum ad Castoris: tertio apud Bebriacum fraude superatus: Pudore itaque magis, quã diffidentia copiarum, cum præter eas, quas apud se habebat, è Dalmatia, Pannonia, Mœsia aliæ superuenirent, se pugione traiecit infra læuam papillam. Funeratus celeriter est apud Veliternam, vt præceperat, nonagesimo quinto imperii die, cum vixisset annos triginta octo. Suet. Otho cap.5. Cap.6. Cap.7. Cap.8. Cap.11.

An. mvn. & Christi.

Suet. Vitell. cap.3. Cap.4. Cap.7. Cap.10.

Avlvs Vitellivs, cuius genituram à Mathematicis prædictam parentes exhorruerunt, & Caii, Claudii ac Neronis indulgentia amplissimis honoribus auctus fuerat, & à Galba quoque in inferiorem Germaniam contra opinionem fuerat missus De Bebriacensi victoria & Othonis exitu certior in Gallia factus; quidquid Prætorianarum cohortium fuit, vt pessimi exempli vno edicto exauctorauit, iussas tribunis tradere arma. Centum viginti, quorum libellos Othoni datos inuenerat exposcentium præmia ob editam in cæde Galbæ operam conquiri, & supplicio affici imperauit Cumque triumphantium more per ciuitates veheretur, ac per flumina nauigiis variarum coronarum genere redimitis, nulla familiæ aut militis disciplina, rapinam ac petulantiam omnium in iocum vertebat, profusissimis obsoniorum vtens apparatibus: erat enim notabilis

Cap.13.

graui sæuitia, ingluuie quoque ac voracitate. Notissima certe cœna memoriæ mandata est, quam ei frater Vitellius exhibuit: in qua super cæteros sumptus duo Millia piscium, septem

Plin.35.12.

millia auium apposita traduntur. Quin ipse Aulus in principatu suo patinam condidit 200 H S. Id est $4687\frac{1}{2}$. ducatis Cui faciendæ fornax in campis extædificata fuit Quoniam eo peruenerat luxuria, inquit Plinius, vt etiam fictil a pluris constarent, quam murrhina. In ea scarorum iocinera, Phasianorum & pauonum cerebella, linguas phænicopterum, murenarum lactes à Carpathio vsque Fretoque Hispaniæ per nauarchos ac triremes

Sueton. c.14.

petitarum. Condiscipulos & æquales suos blanditiæ tantum nó ad imperii societaté allectos, vario genere fraudis occidit Nullis erat infensior quam vernaculis & mathematicis, vt quisque deferretur, inauditum capite puniebat Exacerbatus quod post edictum suum, quo iubebat intra Kalend. Octobris vrbe Italiaque Mathematici excederent, statim libellus fuerit propositus, & Chaldæos dicere, bonum factum, ne Vitellius Germanicus intra eundem Kalendarum diem vsquam esset. Suspectus & in mortem matris fuit, quasi ægre præbere cibum prohibuisset.

Cap.15.

Octauo imperii mense desciuerunt ab eo exercitus Mœsiarum atque Pannoniæ. Item ex transmarinis Iudaicus & Syriacus: atque pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba iurarunt. Salutem sibi millies H S. a Flauio Sabino Vespasiani fratre pepigerat; quem postridie mutata sententia cum Flauianis nihil metuentibus vi subita in Capitolium compulit, succensoque templo Iouis Opt. Max oppressit, cum & prœlium & incendium è Tiberiana prospiceret domo inter epulas. Non multo post pœnitens facti, & in alios culpam conferens, vocata concione iurauit, coegitque iurare cæte-

Cap.16.

ros, nihil sibi antiquius quiete publica fore. Cum nuntiatum

esset

esset hostem appropinquare, Zona se aureorum circumdedit, confugit in cellulam ianitoris Palatij: vnde extractus religatis post terga manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus est, inter magna rerum verborumque ludibria per totum viæ sacræ spatium: reducta coma à capite, ceu noxii solent: atque etiam mento mucrone gladii subiecto, vt visendam præberet faciem; tandem apud Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus atque confectus est: & inde vnco tractus in Tiberim. Periit cum fratre & filio, quem prope elinguem titubantia oris ex Galeria Fundana tulerat, anno vitæ suæ quinquagesimo septimo. Oppressus fuit ab Antonio Primo Vespasianarum partium duce, cui Tolosæ nato cognomen in pueritia fuerat Beco: id valet, gallinacei rostrum. Putabant hunc eius exitum respõdere ostento, quod Viennæ Galliæ pro tribunali iura reddenti gallinaceus supra humerum, ac deinde in caput adstiterat.

AN. MVN. ET CHRISTI. Cap. 17. Cap. 18.

## GRÆCIA.

Cum Græci seditionem intestinam mouissent; libertatem, quam eis Nero dederat abstulit, tributum non posuit, & parere præfecto iussit. *Paus.* 7.

## ITALIA.

*Incendium Capitolii vt finem Imperij adesse crederent homines impulerat.*

## HISPANIA.

Vniuersæ Hispaniæ vlterioris iuridici conuentus quatuor Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus & Hispalensis. Oppida omnia numero 175. citerioris Hispaniæ conuentus septem Carthaginensis, Tarraconensis, Cæsaraugustanus, Cluniensis, Asturus, Lucensis & Braccarus continet oppida 294. Accedunt insulæ complures vniuersæ Hispaniæ Vespasianus Imp. Augustus iactatus Reip. procellis ius Latii tribuit. *Plinius* 3.1.3.

## GALLIA.

Fatali nunc igne signum cælestis iræ datum, & possessionem rerum humanarum transalpinis gentibus portendi superstitione vana Druydæ canebant.

## GERMANIA.

In Germania molitur res nouas Fonteius Capito. Germaniæ prædo-

AN. MUN. ET CHRISTI. prædones singulis arboribus cauatis nauigant: quarum quædam & triginta homines ferunt *Plin.* 16.14.

Sub Vespasiano, velleda dui apud plerosque numinis loco habita fuit ad Luppiam amnem in Bructeris, vbi late dominabatur Virgo fatidica.

Domitianus, cum Germanos qui in armis erant, vellet opprimere profectionem suam sensu obtexuit Galliarum, sicque inopinato bello, contusa ferocia immanium nationum, prouinciis consuluit. Cumque Germani suo more è saltibus & obscuris latebris subinde impugnarent Romanos, tutosque regressus siluarum haberent: militibus per 120000 pass. actis mutato statu belli subiecit suæ ditioni, cum refugia eorum nudauerat.

Bellum ciuile motum in Germania à L. Antonio confecit absens Domitianus felicitate mira; cum ipsa hora dimicationis resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias Barbarorum inhibuisset.

## ROM. PONTIFICES.

2. Tim. 4. II. S. LINVS *itaque natione Thuscus, quem* Paulus *Timotheum scribit salutare, succedens in cathedra Petro, sanctissime Ecclesiam moderatus est: instituens ne qua mulier, nisi velato capite Ecclesiam* Matth. 13. *ingrederetur. Hic & dæmones fugasse & mortuos in vitam reuocasse traditur. Cumque Saturnini Consulis filiam à dæmonibus liberasset, capitali supplicio afficitur atque iuxta D. Petri corpus sepelitur nono Kalend. Octobris; cum sedisset annos vndecim menses tres, dies duodecim.*

III. S. CLETVS *patria Romanus adhortante Clemente Pontificatum suscepit. Creauit* 25. *presbyteros, & nihil quod ad augendam Ecclesiam faceret prætermisit, coronaturque Martyrio, & in Vaticano sepelitur* 6. *Kalend. Maij, cum sedisset annos* 12. *mensem vnum, dies* 11.

Tertull. l. 4. aduers. Marcionem. Hieron. in Catalogo. Augustinus contra Gaudent 2. Epistola 2.19. Apoc. 2. Hieron. in Epist. ad Galatas. Ioannes Apostolus *cum relegatus in Patmos insulam ex Speradibus vnam sacra Apocalypseos librum conscripsit, ( quem etsi* Marcion, *inquit* Tertullianus, *respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit auctorem: ) rogatus ab Asiæ Episcopis quando ab exsulio redierat Ephesum, orsus est Euangelium scribere à diuina generatione* IESV CHRISTI, *ob hæreses Cerinthi & Ebionitarum asserentium* IESVM *ante Mariam non fuisse. Rexit vero Asiæ Ecclesias, charitatem præcipue commendans. Cum ergo decrepitus Ephesi ad Ecclesiam inter manus discipulorum deferretur, nihil aliud solebat proferre per singulas collectas nisi hoc:* Filioli diligite alterutrum. *Tandem discipuli & fratres, qui aderant, tædio affecti*

*dixe-*

*dixerunt* : Magister quare semper hoc loqueris ? *Quibus respondit*: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit. *Archetypum Apocalypsis manu Ioannis descriptum ostendunt in vicu-lo Iuramontis in Sequanis religiose, asserentes eo deportatum ab Ouantio & Lupicino Euangelij præconibus. In quorum honorem & Chilpericus Gallorum Rex, ibi monasterium exstruxit.* AN. MVN. ET CHRISTI.

*Dormijt Ephesi* 68. *anno post passionem* CHRISTI. *Plurimi asseuerant Ioannem cum* CHRISTO *& Maria, quæ Virgo ei Virgini commendata erat, resuscitatum in cælestibus vestiri immortalitate: quia in sepulcro eius (vt fertur) non nisi manna inuenitur, quod & scaturire cernitur. Verumtamen quid horum verius censeatur, ambigimus. Melius tamen Deo, cui nihil impossibile est, committimus, quam aliquid temere definire velimus auctoritate nostra, quod non probamus.* Hieron. 102.

IV. S. CLEMENS *patria Romanus in Cælio monte natus, quem adiutorem suum vocat Paulus Apostolus, quartus creatus est ponti fex: nam licet eum Petrus suum esse successorem voluisset; præclara modestia* Linum & Cletum *sibi eo honore prætulit. Scripsit* Recognitionum *libros decem, & diuersas epistolas. Crediturque epistolam, quã Paulus vernaculo sermone ad Hebræos conscripserat, Græce transtulisse. Hic cum doctrina ac religiosa pietate ad* CHRISTI *fidem multos conuertisset, atque in insulam relegatus ad secanda marmora à Traiano complures ibidem ad* CHRISTVM *traduxisset, colligata ad collum anchora in mare præcipitatus est.* nono Kalend. *Decembr. Traiano & Pato Coss. cum sedisset annos* 9. *menses* 2. *dies* 10. Philipp. 4.

V. *Substitutus epulanti* S. EVARISTVS *natione Græcus, patre Iudæo natus, sedit annos* 9. *menses* 10. *dies* 2. *Diuisit presbyteris titulos in vrbe Roma, & septem Diaconos custodire Episcopum prædicantem statuit; & ne plebis accusatio aduersus Episcopum admitteretur. Creauit Episcopos quinque per diuersa loca, presbyteros sex, diaconos duos. Tandemque Martyrio coronatur ac sepelitur in Vaticano VII. Kalend. Nouembris Trebonio Gallo & M. Attilio Coss. Vacatque sedes* 19. *dies.*

VI. ALEXANDER ROMANVS, *repulsis superstitionum erroribus, mandauit panem tantum & vinum aqua mixtum offerri in Synaxi, passionemque Domini in Sacramentorum oblationibus miscendam, vir fide ac sanctitate incomparabilis: quare cum maximam partem Senatorum ad* CHRISTVM *conuertisset, Adriano imperante, iudice Aureliano punctis creberrimis per cuncta membra via Numentana interfectus fuit cum* Euentio & Theodoro *Diaconis: sepultusque fuit* 7. *ab vrbe lapide* 5. *Nonas Maij Aeliano & Vetere Coss. Cum sedisset annos* 7. *menses* 5. *dies* 19. *Vacatque sedes mensem vnum. dies* 4. 108.

VII. XY-

AN. MVN. ET CHRISTI.

116. VII XYSTVS *successit sexto idus Iunij patria Romanus, qui constituit ne Episcopus ad sedem Apostolicam ob caussam aliquam euocatus sine formatis seu litteris Apostolicis ad suam Ecclesiam reuerteretur: vt cognosci à subditis & vicinis possit quomodo ipsius aliorũque caussa discussa sit. Præcepit quoque ne profani mysteria sacraque contingerent vasa. Coronatus martyrio in Vaticano sepultus fuit. 8. Idus Aprilis Vespronio Vero & Biuullio Pio Coss. cum sedisset annos 9. menses* 10.

126. VIII. TELESPHORVS *Græcus constituit, vt ieiunium solenne quadragesimale deinceps obseruaretur ante Pascha: Terque presbyteri natali die* CHRISTI *sacris operarentur.* Et Gloria in excelsis Deo *caneretur. Qui postquam tredecim Episcopos, presbyteros quindecim, diaconos septemdecim creasset, martyrio coronatus fuit, atque sepultus in Vaticano Nonis Ianuarii, Sulpicio Camerino & Quinctio Nigro Coss. cum sedisset annos* 11. *menses* 8 *dies* 28.

138. IX. HIGINIVS *Atheniensis gradus Clericorum prudenter ordine distinxit: vt patrimus saltem vnus ac matrima adsint infantibus baptizandis constituit. Et ne templorum materia in vsus prophanos converterentur. Postquam creasset sex Episcopos, quindecim presbyteros, quinque diaconos martyrio coronatus sepelitur in Vaticano tertio Idus Ianuarii Ser. Corn. Scipione Orfito & Q. Nonio Prisco Coss. cum sedisset annos* 11. *menses* 3. *dies* 4.

149. X. PIVS *Aquileiensis pœnitentiam quadraginta dierum constituit ijs, qui negligenter sacramenta Corporis ac Sanguinis Dominici tractarent, cumque Episcopos decem presbyteros nouendecim, diaconos viginti & vnum creasset, interfectus, sepelitur in Vaticano quinto Idus Iulij Brutio præsente & Antonio Rufino Coss cum sedisset annos* 4. *menses* 5. *dies* 27.

## *Monarchia Romanorum.*

*Suet. Vespas. cap.* 5.

Suscepit occiso Vitellio imperium D. VESPASIANVS, quod capta Iotapata Galilææ opido futurum prædixerat Iosephus volenti ipsum mittere ad Neronem: *Ad Neronem*, inquiens, *me mittis? quid ita? Tu es Cæsar Vespasiane & Imperator, & hic filius tuus: me autem colligatum arctius tibi asseruato. Nam Dominus quidem non mei solius es tu Cæsar, verum etiam terræ marisque, ac totius hominum generis: me autem ad maiorem pœnam custodiri oportet; si ex tempore & subito in Dominum ista confingo.* Sed & variis ex aliis ostentis id iudicasse ipsi complures narrant. Eaq; fama vbique dispersa venit in vrbem, nihilque habens antiquius quàm prope afflictam, nutantemque Rempublicam stabilire primo, deinde & ornare. Deformis vrbis veteribus incendiis ac ruinis erat: vacuas ergo areas occupare & ædificare, si pos-

spossessores cessarent, permisit Ipse restitutionem Capitolii ag- AN. MVN. gressus, ruderibus purgandis manus primus admouit, ac suo ET CHRI- collo quædam extulit. Ærearum tabularum 3000, quæ simul STI. conflagrauerant, restituēda suscepit, vndique inuestigatis exē- Cap. 8. plaribus Instrumentū imperii pulcerrimū ac vetustissimū confecit; quo cōtinebantur pene ab exordio vrbis senatusconsulta, plebiscita de societate ac fœdere, ac priuilegio cuicūq; cōcessis. Cómiserat bellū Iudaicum Tito filio, qui totus huic incumbebat, cum Alexandria à patre rediisset, atq; Hierosolymā aggere turribusq; cingeret Fuit sane bellum atrox ac sæuū, cum obsessi excursiones frequentes facerent, obsidentesq; eos vi pellerent in vrbem. Sæuiebant Iudæi & in res suas & in vitam quoque suam. Erant duo horti quondam Regii, alter viginti iugerum non amplius, alter pauciorum. In his solis crescebat balsamum, nulli alteri terræ concessum. Pugnatum pro his arbusculis, dum eas euellere perdereque Iudæi, Romani defendere satagunt. Tanti quippe fecerunt hanc arbusculi Vespasiani, vt illam etiam ostenderent vrbi cum triumpharent: Balsamum enim omnibus odoribus præfertur. Porro post clades varias, ac perpessam famem inauditam capta fuit Hierosolyma 6. Idus Septembris, ac cum templo tota vastata. Neque enim antiquitas, neque ingentes diuitiæ, neque per totum orbem terræ diffusa fama, nec magna religionis gloria quidquam iuuit, quo minus periret. Fl. Iosephus à condita vrbe vsque ad excidium eius 2177. annos fluxisse numerat. Bello confecto laudare vniuersum exercitum Titus, & pro rebus fortiter gestis debita viris fortibus pręmia persoluere. Per que Palestinæ ac Syriæ vrbes spectacula celebrare, vbi multi Iudæi bestiis obiecti, alii cateruatim more hostium inter se pugnare coacti. Simonem & Ioannem captiuorum duces cum septingentis magnitudine corporis præstantibus viris in triumphum ducendos in Italiam præmisit. Cum patrem filiumq; Senatus triumphare decreuisset; simul tamē voluerunt vno triumpho frui, amicti Chlamydibus purpureis ac lauris capita redimiti. Ferebantur simulacra ex pretiosa materia artificiose facta: vestes quoque picturatæ ac gemmæ omnis generis. Producebantur & animalia diuersa suis ornamentis induta: captiuis quoq; non deerat suus ornatus. Portabantur & pegmata picturis, quibus diuersæ bellorum imagines exprimebantur, exornata. Inter spolia ferebantur mensa aurea & candelabrum aureum templi. Nouissime portabātur tabulæ decalogi legis: quibus omnib. subsequebantur simulacra ex auro & ebore victoriæ gestantes. Post hæc præcedebat Vespasianus, sequebatur Titus, Domitiano equo albo Suet. cap. 9.

ANNI CHRISTI.

adequitante Quæ omnia etiamnum a:cui triumphali Vespasiano insculpta conspiciũtur. Post hæc Imperator Pacis templum foro proximum ædificauit, quod tabulis & signis mire ornauit, atque Iudæorum instrumenta in eo posuit. præter legem & velũ templi, quæ in Palatio conseruari voluit. Restituit etiam ædes honoris ac virtutis, quas Corn. Pinus & Actius Priscus pinxerunt. Ingenia enim & artes mire fouebat. Primus è fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit. Præstantes Poetas, nec non & artifices coemit. Tradunt *M. Fabium Quintilianum* stipendia primum è fisco accepisse: qui inclinanti iam eloquẽtiæ manus salutares afferre conatus est: dum inuitando Ciceronem Oratorem perfectum maximo iudicio, singulari acumine & prudentia, variis ac selectissimis documentis accurate docteque instituit. Modo quippe natum puerum & susceptum educat, informat, instruit, atque exornat. nihil prætermittens in omni disciplinarum genere, quod necessarium videatur Oratori futuro. E cuius certe ludo magni viri in litteris profecti sunt Saleio Basso pangendis Heroicis insigni Poetę 5000. H-S. donauit Vespasianus. Floruerunt eius tempore *Statius Papinius, & Valerius Flaccus*, qui Apollonii imitatione Argonautica conscripsit. *Iunius* quoque *Iuuenalis* in Satyra ad carpendum valde vehemens. In Historia scribenda consequebatur apud eum filiumque Titum & Agrippam haud exiguam laudem *Fl. Iosephus* Iudæorum calamitatem, cui & interfuerat, ac præfuerat etiam, accurate Gręce conscribendo: & Hebræorum quoque origines copiose ad suam ætatem deducendo. C. denique *Plinius Secundus* Nouiocomensis varium & multiplex de omni parte Naturæ opus ei dedicauit. Quod ex scriptoribus prope innumerabilibus, insertis quoque suis obseruationibus diligentissime comportauit: omnem latini sermonis opulentiam, quæ alioquin interiisset, in explicandis tam variis rebus comprehendens. Magno is fuisset honore dignus, ni Epicuri sectæ damnatæ à cæteris Philosophis addictior longius ab ipsius naturæ auctore supremo Deo recessisset, atque honorem Deo debitum mortali adscripsisset, mediocritatem suam pristinam numquam dissimulantem. Periit vero *Plinius* Vesuuii montis ardentis crassiore caligine spiritu obstructo, ac stomacho clauso anno ætatis 56. Cæterum suscepit Vespasianus etiam censuram, qua collegere mœnia vrbis ambitu 13200. pass. agri-mensores. Contigit vero Vespasiani tertio Consulatu intra quatuordecim dies Solem & Lunam eclipsari: Quod cum sit maxima incommoda fieri Hermes in Centiloquiis testatur, in mundo. Contigit & hoc anno 1518. & sequenti, cum discordes opiniones in religione Christiana orirentur: vt tum

Plin. 35. 10
Sueton. c. 18.
Plin. 2. 13.

quoque

quoque à Iudæis id non temere fuit visum. In Vespasiano elucebat obliuio offensarum; ita vt & Vitellii hostis sui filiá splendidissime etiam maritauerit, dotaueritque, atque etiam instruxerit. Sola, in qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas fuit. Tributa auxit prouinciis & vectigalia noua excogitauit. Negotiabatur quoque coemendo quædam tantum, vt pluris postea distraheret. Erat enim ipsi odor bonus ex re qualibet, licet prouenisset ex vectigali vrinæ: quod Romæ instituerat. Erat quoque dicacitatis plurimæ, etiam scurrilis ac sordidæ. Cum aquæ frigidæ creberrimo vsu intestina vitiasset aluo soluta inter manus sublleuantium exstinctus fuit, dicens Imperatorem stantem mori oportere, octauo Kalendas Iulias consulatu suo nono, cum vixisset annos 69 mensem vnum, dies septem. — ANNI CHRISTI. Sueton. c. 14. Cap. 16. Cap. 23. & Iuuenalis. Suet. cap. 24.

TITVS filius successit ei, qui non modo odio ac vituperatione caruit: sed etiam amor & deliciæ humani generis dictus fuit. Hic tribunus militum in Germania & Britannia meruerat: & Iudæam subiugauerat. Collega patri fuit in Tribunitia potestate & septem consulatibus. Quædam ipso Principe tristia acciderunt, vt conflagratio Vesuuii montis in Campania: incendium Romæ triduanum, & pestilentia, quanta non temere alias multa restitutioni afflictarum ciuitatum tribuit: & cuncta prætoriorum suorum ornamenta operibus ac templis vrbis incendio conflagratis destinauit. Ferebatur Berenicæ Reginæ sorori Agrippæ nuptias pollicitus: quam inuitus inuitam ab vrbe dimisit. Nulli ciuium quidquam ademit: atq; abstinuit alieno, vt si quis vmquam: ac ne concessas ac solitas collationes recepit. Dedicato Amphitheatro thermisque exstructis munus edidit apparatissimum largissimumq;: Dedit & nauale prœlium in veteri Naumachia; ibidem & gladiatores, atq; vno die 500 omne genus ferarum. Conuiuia instituit iucunda magis quam profusa. Solitus erat dicere: *Non oportere quemquam tristem à sermone Principis discedere*. Recordatus quondam super cœnam quod nihil cuiquam toto die præstitisset, laudatam eam vocem edidit? *Amici diem perdidi*. In domo eius erat Laocoon, opus omnibus & picturæ & statuariæ arti præferendum. Ex vno lapide eum & liberos, draconumque mirabiles nexus de consilii sententia fecerant summi artifices Agesander, Polydorus & Athenodorus Rhodii. Vt vero erat armorum equitandique peritissimus, ita Latinæ ac Græcæ linguæ, vel in orando vel in fingendis poematib⁹ prõptus ac facilis, nec musicæ rudis. Perscripsit quinto suo consulatu præclaro carmine de Cometa Acontia tunc vita. Notis quoq; excipiebat velocissime, ac poterat imitari Chirographa quæcumque vidisset. Excessit è vita Idibus Septembris post biennium ac menses duos, diesque viginti quam patri successerat: — Suet. Titus cap. 1. Cap. 4. Cap. 6. Cap. 8. Cap. 7. Cap. 8. Plin. 36. 5. Suet c. 5. Plin. 2. 25. Suet. cap. 11

ANNI MVNDI ET CHRISTI

quadragesimo primo ætatis anno maiore hominum damno quam suo. Senatus tantas mortuo gratias egit laudesque, quantas congessit ne viuo quidem aut præsenti vmquam.

Suet. Domit. cap. 2. Ac frater ei succedens FL. DOMITIANVS defunctũ nullo præterquam conseruationis honore dignatus fuit: sæpe etiam carpsit obliquis orationibus & edictis. Hic inter initia Principatus aliquamdiu se varium præstitit, mixtura inæquabili virtutum ac vitiorum: donec virtutes omnes in vitia deflexit. Erat enim (Suet. cap. 3.) super ingenii naturam etiam inopia rapax, ac metu sæuus: Solitus erat secretum sibi horarium sumere quotidie & muscas stilo præacuto configere: vt cuidam interroganti, essetne aliquis intus cum Cæsare, non absurde responsum esset à Vibio Crispo: (Cap. 10.) *Ne musca quidem.* A clementia, cum primo vsque adeo ab omni cæde abhorreret, vt edicere etiam destinauerat ne boues immolarentur, aliquanto celerius ad sæuitiam desciuit, quam ad cupiditatem. Complures Senatores, in his aliquot Consulares interemit, & in exsulium egit. Ælium Lamiam ob suspiciosos quidẽ, verum ob veteres & innoxios iocos. Metium Pomposianum, quod depictum orbem terræ in membranas concionesque Regum ac Ducum ex T. Liuio circumferret, & Genesim Imperatoriam habere vulgo ferebatur. Hermogenem Tharsensem, eum ni fallor, quem ab ipso se auertisse Paulus scribit, occidit propter quasdam in Historia figuras, librariis etiam, qui eam descripserant, crucifixis. Patremfamilias, quod Thracem Mirmilioni parem, ipsi munerario imparem dixerat, detractum è spectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo: *Impie locutus parmularius*: volens significare illum Thraci parma pugnanti fauisse. Philosophos omnes vrbe Italiaq; submouit. In Christianos quoque persecutionem secundam mouit: & Iudaicus fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebantur, qui velut professi Iudaicam intra Vrbem viuerent vitam; vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent: ita vt frequentissimo consilio à procuratore fisci inspiceretur nonagenarius (Suet. cap. 20.) senex an circumsectus esset. Initio imperii Bibliothecas incendio absumptas impensissime curauerat reparari, exemplaribus vndique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentq;. Numq̃ tamen aut Historiæ carminibusve cognoscẽdis operã vllã, aut stilo etiã necessario operã dedit. Præter acta enim Tiberii Cęsaris nihil lectitabat: & epistolas, orationes edictaq; (Suet. cap. 4.) alieno formabat ingenio. Spectacula magnifica & sumptuosa edidit: non in Amphitheatro modo, verum & in Circo non virorum modo pugnas, sed & feminarum. Fecit & ludos sæculares computata ratione temporum ab anno, quo eos ediderat Augu-

stus.

stus. Floruit eius tempore *M. Valerius Martialis* Hispánus, qui breuibus, iucundis, argutis Epigrammatis; sed immodica scribendi licentia, poesim exercuit. Satyras quoque scribendo liberius. *Iunius Iuuenalis* exsulium promeruisse apud Pentapolim Lybiæ vrbem fertur Aquino Volscorum opido oriundus. *Asconius Pedianus* suis commentariis etiam Ciceronis orationes interpretatus est. *Aulus* quoque *Gellius* ex varietate lectionis non contemnenda protulit; & *Taurus* ac *Fauorinus* in eius libris erudita nonnulla referunt. Vixit quoque Plinii æmulus (ni fallor) *C. Iulius Solinus*: atque *Palladius* omnem agriculturæ scientiam per mensium tempora distinguens. *Apollonius Tyaneus* lõgis peregrinationibus totius Orientis confirmatus multa admiratione digna referens, pro incantatore fuit habitus: qui, cũ Domitianus eum punire vellet, in iudicio repente non comparuit. Eius res varias maximis commentis *Philostratus* postea cõsecutus est. *Epictetus* hoc tempore licet seruus tamen eximius Stoicus præcepta vitæ tranquillæ agendæ breuissime conclusa reliquit atque abstinendo & sustinendo philosophiam Stoicam compleri testatur. Excessit vrbe, cum Domitianus s. c. Philosophos illinc eiiceret. Eius admiratio tant' fuit, vt fictilis lucerna, ad quã scribere solitus erat venierit 3000. dragmis: hoc est 281. ducatis, cũ quadrante, emptorem deridente Luciano Samosateno, qui hac quoq; tempestate impietatem suam euomere facunde cœpit: non contentus irrisisse Gentilium Deos, Philosophiã lacerasse, ac venum sub auctione exposuisse Philosophos: ni etiam blasphemus esset in *Christum*. Porro Domitianus plurima & amplissima opera incendio absumpta restituerat, in his & Capitolium quod rursus arserat, sed omnia sub titulo tantum suo, ac sine vlla pristini auctoris memoria. Templum Flauiæ gentis, Ædem in Capitolio Ioui Custodi, forum quod postea Neruæ dictum, stadium, Odeum, in quo certamina musica fiebant, Naumachiam exstruxit. Quamobrem exhaustus impẽsis, nihil pensi habuit, quin prædaretur omni modo. Tantæ quoque superbiæ erat, vt cum procuratorum suorum nomine formalem dictaret epistolam, sic inceperit: *Dominus ac Deus noster sic fieri iubet*: vnde institutum posthac, vt ne scripto quidem ac sermone cuiuspiam appellaretur aliter. Statuas non nisi aureas & argenteas certi ponderis sibi in Capitolio poni permisit. Fl. Sabinum & Fl. Clemẽtem patrueles interemit. Fratris filiam alteri collocatam corrupit, viuo etiam tum Tito; mox patre ac viro orbatam ardentissime palamque dilexit: vt etiam caussa mortis exstiterit coactæ conceptum a se abigere. Ante paucos quam occideretur menses, cornix in Capitolio locuta est: ἔςαι πάντα καλῶς. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur.

*Lact. 5. 3. vide sup. pa.*

*A. Gell. 15. 11.*

*Suet. c. 5.*

*Suet. c. 13.*

*Cap. 15.*

*Cap. 22.*

*Cap. 23.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI. Cap. 17.

*Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix*
EST BENE *non potuit dicere, dixit* ERIT.

Occisus est septem vulneribus 14 Kalen. Octob. anno ætatis quadragesimo quinto: imperii decimo quinto. Cadauer eius sandapila populari per Vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funerauit, ac reliquias clam templ[illegible] Flauiæ gentis intulit.

*Io. Xiphilinus ex Dione*

Post cædem eius COCCEIVS NERVA Imperator designatus est. Flagrabant odio in Domitianum adhuc ciues, quare statuæ eius omnes tum aureæ tum argenteæ statim conflatæ fuerunt. Arcus præterea euersi in eius nomen & titulum constructi. Cæterum *Nerua* omnes, qui impietatis in Deos rei fuerant absolui voluit, & exsules in patriam reduci Edicto vetuit, ne liceret tamen impietatis aut Iudaicæ sectę quempiam dehinc insimulari. Attamen multorum nomina falso delata: inter quos Seta Philosophus condemnatus fuit. Ad sustentandam ciuium vitam (spoliauerat enim Domitianus complures) decies quinquagies centena millia nummum erogauit: & quosdam Senatorii ordinis elegit, qui agros emerent, & eos egenis diuiderent: omnia sua, præter admodum necessaria vendens. Tanta illi erat integritatis fiducia, vt sæpe iactauerit, se nihil tale fecisse, quo minus deposito imperio, securus priuatã vitã ageret. Cum ob senectã amittere reuerentiam sibi videretur, in Capitolium ascendit atque *Quod felix faustumq; S. P. Q. R. & mihi ipsi sit*, præfatus, *M. Vlpium Traianum* Hispanum Tudertanum adoptauit. Ad quem, cum tunc præesset Germaniæ atque Agrippinæ existeret, imperii iura ac insignia ad eum hoc versu misit:

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν.
*Telis Phœbe tuis lacrimas vlciscere nostras.*

Itaque TRAIANVS adoptatus à Nerua, deinde primus peregrinus & alienigena Imperator est factus, quo meliorem se non habuisse Romani testati sunt. His confectis moritur *Nerua* cum vixisset annos sexaginta quinque, menses decem, dies decem: imperasset annum vnum, menses quattuor, dies nouem. Eo, quo abiit, die solis defectio facta est. Floruit sub eo *Mettius Epaphroditus* Cheronęus, Marci Mettii libertus, & Archię Grammatici alumnus: qui ad 30000 Voluminum traditur emisse, & multos relinquendo scriptis morbo intercutis periisse. Conspicitur & eius statua Romæ sinistra manu volumen occultans. *Traianus*

*Ioan. Xiphilinus ex Dione.*

porro vbi imperium assumpsit edictum ad Senatum misit: Numquam suo iussu bonũ virum occisum iri, aut ignominia notari: quod etiam sacramento firmauit. Dimissis Æliano ac Prætorianis, qui seditionem aduersus Neruam fecerant, Romam veniens multa in emendationem publicorum negotiorum, &

bene-

beneficium bonorum, quos vehementer amplexabatur, constituit: & in puerorum alimenta in Italia multa elargitus est. Vxor quoque eius Plotina in summa potestate ita modeste se gessit, vt de illa nullus iure conqueri potuerit. Erat vero quadraginta & vnum annos natus cum imperare cœpit: sic vt non per iuuentutem quidquam stulte aut temere aggrederetur, neque etiam per senectutem languescente corpore segnis ac timidis a magnis rebus retardaretur. Bonos & eruditos viros honoribus & dignitate auxit: nullus in eo liuor, nulla ve malignitas apparebat. Iræ ita moderabatur; vt numquam ab ea vinceretur. Quod vero errore deceptus edictum persequendis Christianis dederit; inde videtur ortum, quod antiquorum hæreticorum flagitiosæ vitæ fama passim dispersa, vniuersi Christiani Thyestæas cœnas & incestus Oedipodis: falso incusati fuerunt celebrare; quare Hæterias seu illicitos conuentus prohibens Imperator; voluit etiam Christianos Diis sacrificare. Verũ litteris Plinii secundi admonitus leuioribus rescriptis edicta sua temperauit. Erat *Plinius* Nouiocomensis C. Plinii ex sorore Plinia nepos, proconsul Bithyneæ à Traiano missus: qui studio atque diligentia non paruã in dicendo laudem meruit, & locuples præceptorem Quintilianum iuuit, atque etiam insignem instituit Bibliothecam. Eius Panegyricus Traiano dictus vehementer laudatur. Leguntur quoque illius epistolæ omni rerum varietate plenissimæ, & oppido elegantes.

C. Plinius secundus Veronensis.

| C. Plinius secundus Historiæ naturalis Scriptor. | Plinia & Cæcilius Nouiocomensis. |
|---|---|
| | C. Cæcilius, qui ab auunculo adoptatus C. Plinius Cæcilius secundus dictus est. |

Erat ei amicitia iunctus *Cornelius Tacitus* eques Romanus, & rationum Belgicæ Galliæ procurator: qui prudenter res domi bellique gestas ab Augusto ad sua tempora graui oratione exquisitaq; diligentia perscripsit. Quando etiam C. *Suetonius Tranquillus* duodecim Cæsarum dicta factaque & vitæ omnem cursum libere atque eleganter conscripta orbi legenda concessit. Verum summum locum inter scriptores huius sæculi promeruit *Plutarchus Chæroneus* Traiani præceptor à diligentia, integritate & iudicio commendatus: siue dum illustrium Græcorum & Romanorum imperatorum vitas: siue selectos ex omni varietate locos accurata collatione exemplorum atque

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

similitudinum diligenter tractat; tanta sanctitate, vt plerisque clancularie Christianus fuisse credatur. Porro *Traianus* in Dacos mouens Decebalum Gothorum Regem eo pepulit armis, vt trāsfugas redderet, castella & arces deductis præsidiis euerteret, omni terra, quam de finitimis per vim cepisset, decederet: eos deniq; amicos & inimicos haberet, quos Senatus cēsuisset. Hinc Dacicus dictus deinceps. Rebellantem deinde Decebalum armis aggressus Dacos subegit, caputq; Decebali, qui sibi mortem consciuerat, Romam delatum fuit: Traianus Daciam in prouinciam redegit, vrbes condidit, & colonos deduxit, atque thesauros occultatos à Decebalo, Bicile captiuo indicante, inuenit. Impensa itaque ingenti atque incredibili lapideum pontem in Istro fecit. 20. stant ex quadrato lapide pilæ: quarum altitudo 150. pedum præter fundamenta, distant inter se 170. pedes. fornicibus vero iunguntur, continetq; latitudo pontis 60. pedes. Caussa exstruendi fuit, vt expeditius traducendi præsidia facultas foret: quoties Romani, qui trans Danubium erant, armis à Barbaris infestarentur. Per idem tempus Palma Syriæ prefectus Arabiam Petræiam domuit. Romam repetentem Imperatorem Indorum legati, aliæque plurium Barbararum gentium legationes adiere. Spectacula magnifica per centum viginti dies Romæ edidit. Iugulatæ sunt aliquando 1000. interim 10000. bestiæ, Bibliothecas exstruxit. Columnam coclidem 128. pedes altam, habentem 185. gradus, fenestras 45. in foro suo statuit. Subegit Armenos, Nisabi & Ecbatanis mox potitus vocatus est *Parthicus*. Antiochiæ dum ageret, vrbs terræ motu insigni strage vastata est, vicinis vrbibus clade quoq; affectis. Subegit gentem quoque Adiabenorum, Arbela & Gaumala cepit. Recepta deinde Ctesiphonte ad Erythræum mare contendit, conquestus quod præ ætate ad Indos non penetraret. Agarenos expugnare non potuit. Relicto P. Ælio Adriano in Syria cum legionibus, versus Italiam nauigare cœpit: atque apud Selinuntem Ciliciæ vrbem, quæ deinde Traianopolis fuit dicta; aqua intercute extinctus fuit, cum regnasset annos octodecim, mēses sex, dies quindecim, ætatis sexagesimo secundo anno, mense nono, die quarto. Ossa collata in vrnam auream, in foro sub columna eius sita sunt.

Iudæi per hoc tempus circa Cyrenem Andrea constituto duce Romanos & Græcos sine discrimine obtruncabant: nec cæde contenti humanis carnibus vesci cœpere. Quorum intestinis stillante adhuc sanguine cincti, tum pellibus obuoluti, multos per medium vsque ad verticem dissecuere, plures bestiis obiecere, alios inter se digladiari coegere; vt 200000. homines & amplius eo furore & armis Iudæorum interierint. Ingens cædes ab

eisdem

eisdem etiam in Ægypto patrata fuit. Nec minore clade Cyprij affecti fuere. In ea enim insula Duce Artemio circiter 240000. capita trucidarunt. Qua facti atrocitate nullus de cætero Iudæus illo appellere potest: quod si vel vi tempestatis, vel errore aliquis eo delatus sit, statim morte mulctatur. Salomonis sepulcrum sponte discussum corruit, quod Iudæi in summa reuerentia habebant.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

## ÆGYPTVS

Marcus Memphis ortus ex Ægypto profectus in Galliam, deinde in Hispaniam proficiscitur, vt Gnosticorum sectam Basilidis illuc inferat.

## HISPANIA.

Marcus Pyrenęum transiens Hispaniam occupauit; & hoc studio habuit, vt diuitum domos & in ipsis feminas maxime appeteret: quæ ducuntur variis desideriis, semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes.

## GALLIA.

Marcus quidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens primum ad Gallias venit: & eas partes, per quas Rhodanus & Garumna fluunt, sua doctrina maculauit. Maxime nobiles feminas, quædam in occulto Mysteria repromittens hoc errore seduxit. Magicis artibus & secreta corporum voluptate, amorem sui concilians.

## ECCLESIA.

### *Persecutio Secunda.*

PErsecutione secunda excitata à Fl. Domitiano *Nicomedes* Presbyter plumbatis diutissime cæsus Romæ via Numentana Martyrii coronam promeruit.

*Onesimus* quoque Romam perductus lapidatus fuit XIIII. Kalen. Martii.

*Timotheus* Ephesi post multos agones XI. Kalend Februarias Martyrio coronatus est.

*Dionysius Areopagita* cum *Eleutherio* & *Rustico* Parisiis capite truncati VII. Idus Octobris.

*Flauia Domitilla* in Pontiam fuit relegata, Flauii Clementis patruelis Domitiani ex sorore neptis.

*Nereus* & *Achilleus* fratres via Ardeatina post varia tormenta capite cæsi, IIII Idus Maii.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

## *Persecutio tertia.*

Tertia persecutione *Simon*, qui Iacobo Iusto fratri Domini in Episcopatu Hierosolymæ successerat, eo quod de stirpe Dauidis erat, à Traiano interfici iussus, annos natus centum & viginti Martyrio coronatur XII. Kalend. Martij.

*Phocas* Episcopus Synopensis in Ponto hostia Deo mactatur pridie Idus Iulij.

Euseb. 3. 30. *Ignatius* Antiochenæ Ecclesiæ antistes, qui Euodio D. Petri successori successerat, Romam ex Syria vocatur, atque in itinere Ecclesias Asiæ piis adhortationibus ac litteris confirmat admonendo vt ab hæresibus tum emergere incipientibus se præcaueant: proiiciendus bestiis: *Frumentum*, inquit, *sum Dei, bestiarum dentibus molor & subigor, vt panis mundus efficiar* CHRISTO.

Extant eius vndecim epistolæ Græcæ, & ab Hieronymo Verlenio eleganter Latine versæ, Martyrio coronatur Kal. Februarii tertio anno Traiani.

Euseb. 3. 33. Vixit & hac ætate *Papias* Episcopus Hierapoli in Asia quinque libris explanationum sermonum Domini conscriptis clarus. Qui in exordio operis scribit: *Si quis presbyter mihi forte occurrebat, qui cum Apostolis versatus fuisset, dicta Apostolorum diligenter ab eo sciscitabar: nempe quid Andreas dixisset, quidve Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus quid Ioannes, aut Matthaus, aut quis alius discipulus Domini. Quæ denique Aristion & Ioannes presbyter, qui & in numero discipulorum Domini habiti essent, locuti erant. Existimaui enim ex eorum sermone me multum subsidij allaturum, qui adhuc in vita erant.* Hic quoque Martyrio decoratus est 8. Kalend. Martii.

Perseuerante persecutione sub Adriano *Eustachius Placidus* in æneo tauro flammis necatus fuit Romæ Kalend. Octob. Vxor quoque *Theospis*, & filii *Acacius* & *Theospitus* necati Martyrio omnes insignes.

Tibure *Symphorosa* vxor Getuli Martyris, ex quo septem filios sustulerat, saxo ad collum appenso in præterfluentem amnem præcipitata est, eiusque corpus ab Eugenio fratre sepulturæ datum decimo sexto Kalend. Augusti. Postridie filii singulis stipitibus alligati sunt: *Crescentius* per guttur ferro transfixus: *Iulianus* perpectus: *Nemesius* per cor: *Primitiuus* per vmbilicum. *Iustinus* membratim dissectus: *Stacteus* multis lanceis confixus: *Eugenius* à pectore in partes inferiores scissus. Corpora nouo ab vrbe lapide via Tiburtina in præaltam fossam deiecta fuere.

*Seraphia* virgo Antiochiensis Romæ diuersata in domo

beatæ

beatæ Sabinæ, quasi maga à Beryllo Præside vstulata ac fustibus cæsa, decollata fuit trans arcum Faustini, ibique sepulta a Sabina tertio Nonas Septembris. ANNI CHRISTI.

*Hegesippus* venit Romam ex Iudæo quoque Christianus: qui historiam a CHRISTI passione ad sua tempora quinque libris Græce conscripsit: qui Latine versi à *D. Ambrosio*, vt ferunt, nunc passim leguntur. Mansit vero Romæ ad Eleutherum vsque.

## Persecutio quarta.

POlycarpus non solum ab Apostolis edoctus, & conuersatus cum iis qui Dominum viderant, sed etiam ab Apostolis Smyrnæ in Asia constitutus Episcopus, docuit semper, quæ ab Apostolis didicerat, quæ & Ecclesiæ tradidit, & sola sunt vera: vt & epistola eius, quæ exstat testatur. Fuit autem Smyrnæ, quod in *Christum* conuicia dicere, & Cæsaris fortunam iurare nollet, in igne transfossus gladio, & seipsum offerens in holocaustum Deo ad cælestia regna migrauit septimo Kalend. Februarii, persecutione quarta a populo, vbique excitata sub Antoninis fratribus Marco & Lucio Vero. Præcipue in Gallia ad Rhodanum, vbi *Photinus* Lugdunensis Episcopus nonaginta annos natus. *Vetius Apagatus* Christianorum aduocatus, *Blandina* multique alii martyrio coronati sunt, quarto Nonas Iunii. Spoleti *Pontianus* virgis cæsus, & plumbo ardenti perfusus, gladio percussus est 18 Kalen Febr Smyrnæ 14 Kalend Febr *Germanicus* in Amphitheatro bestiæ dentibus comminutus fuit spectante populo. Pergami *Carpus* Episcopus, *Papyrius* Diaconus, & *Agathonica* Idibus Aprilis ob fidem *Christi* occisi fuerunt.

*Artemon* hæreticus *Christum* tantum hominem ex Maria natum profitebatur, Prophetis virtute præstantiorem.

*Cataphrygarum* hæresis nunc oritur auctoribus Montano, Priscilla & Maximilla, insanis mulieribus, asserentibus nemini Spiritum sanctum esse datum, quam ipsis.

Passa fuit *Cecilia* Virgo cum *Valeriano* sponso, & *Tiburtio* eius fratre edoctis per eam fidem *Christi*.

*Miltiades* nunc scripsit contra Gentes volumen egregium. Gaius quoque vir eloquentissimus floruit: qui sub Zepherino Romæ disputationem instituit contra Proclum Phrygum.

*Theophilus* Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus sextus nunc floret, qui librum contra Marcionem, & alterum contra hæresim Hermogenis: tria præterea volumina ad Autolycum gentilem fidei Christianæ calumniatorem, quæ Conradus *Clauserus* Tigurinus Latine transtulit dignissima lectu: præcipue historiæ studiosis & iucunda & vtilia. Primum volumen docet, quis Gesnerus.

Deus

ANNI MVNDI ET CHRISTI. Deus sit, quem Christiani colunt: secundum Idololatriam & impias opiniones Gentilium refellit: tertium ostendit antiquitatem fidei Christianæ, enumerans tempora ex LXX. interpretatione à condito homine ad vsque M. Aurelii Antonini Veri ætatem.

Floret & *Tatianus*, qui sibi ex arte Rhetorica non paruam gloriam comparauerat, Iustini Martyris sectator: magnus in Ecclesia quamdiu ab eius lacere non discessit. Ex infinitis eius scriptis exstat liber contra Græcos inter cætera eius scripta præcipue insignis. Quem Conradus Gesnerus Tigurinus Medicus Latine interpretatus est. Verum postea *Tatianus* inflatus eloquentiæ timore cum Bardasane nouam condidit hæresim nuptias damnantem, quæ Eucratitarum, id est, Mundorum dicitur: quam postmodum Seuerus auxit à quo eiusdem partis hæretici Seueriani ad ætatem Diui Hieronymi vsque appellabantur.

## ROMANI PONTIFICES.

XI. S. ANICETVS *Syrus constituit vt Clerus non nutriret comam secundum Apostoli præceptum. Hic etiam Polycarpum excipiens libenter ei persuasisset, vt Romano more etiam celebrasset Pascha: cum ille 14. Luna id obseruandum affirmaret. Et quamuis in hoc non conuenirent, communicabant tamen inter se mutuo: &* Articetus *permisit ei ob reuerentiam potestatem obeundi ritus in Ecclesia, quiis Eucharistia peragi solent: atque tandem cum pace alter ab altero discessit. Coronatus Martyrio est decimo-sexto* Kalend. *Maij in cæmiterio Calisti Iunio Rustico 2. & Vectio Aquilino Coss. cum sedisset annos 8. menses 8. dies 24.* (Euseb. 4. 1.)

162. XII. S. SOTER *Fundanus Campanus constituit ne qua Monialis seu Nonna sacras vestes attingeret in Ecclesia, neque incensum poneret. Hic opes in sanctos reficiendos delegatas non modo benigne subministrauit: verum etiam fratres ad ipsum aduentantes tamquam pater indulgens ac clemens in liberos beato ac pro sermone ad virtutem cohortabatur. Cæterum martyrio decoratus, sepultus fuit in cæmiterio Calisti, decimo Kalend. Maij L. Iunio Claro, & M. Aurelio Seuero Cethego Coss. cum sedisset annos 7. menses 11. dies 18. cui successit.*

170. XIII. S ELEVTHERIVS *Græcus, ad quem cum Lucius Coilli filius Rex Britonum scripsisset, petens sibi mitti Doctores Catholicæ fidei, libenter eius precibus annuit: atque legatos misit. Ad quorum prædicationem conuersi fuerunt plurimi referente Beda. Capite vero obtruncatus est octauo Kalend. Iunij L. Triario Materno, & M. Attilio Metilio Bradua Coss. cum sedisset annos 15 dies 13.*

XIV S.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

XIV. S. VICTOR *Afer illi succedens, doctrinam fidei adulterantibus generose restitit, & Theodorum Coriarium Bysantinum ab Ecclesia proscripsit, qui Artemonis discipulus peioris quoque opinionis erat. Scripsit Victor formatas ad Theophilum Cæsareæ Palæstinæ Episcopum: cum multum disceptarent Episcopi, quando celebrandum esset Pascha. Cum ergo exigeret eorum sententias Victor, varijs locis concilia celebrata fuere per prouincias Palæstini secundum Romanæ Ecclesiæ morem Dominica post decimam quartam lunam. Approbarunt hoc & Achaici Bacchilio edente eorum sententias. Roma quoque celebratum concilium maiorum sententias de ea re approbauit. Præcepit ergo Apostolica auctoritate sub vinculo anathematis die Dominica Pascha celebrandum. Hanc seueritatem ægre tulit Irenæus, quod & litteris ad Victorem datis testatus est. Polycrates vero Ephesiorum Episcopus nihilominus perstitit 14. Luna, quando Iudæi azyma edebant, celebrare. Victor pro CHRISTI nomine interfectus fuit quinto Kalend. Augusti. App. Cl. Laterano & M. Mario Tito Rufino Coss. cum sedisset annos 12. mensem 1. dies 28.* 185.

XV. ZEPHYRINVS *Romanus constituit vt ordinationes presbyterorum multis adstantibus publice fierent: & nisi docti ac moribus probati ad hoc munus admitterentur. Quodque ij qui ad pubertatem peruenerant singulis annis publice solenni Pascha die communicarent. Vetuit de occultis alieni cordibus temere iudicari: scribens eum, cuius opera non nisi bona viderentur, iniquum esse reprehendere; cum eorum quæ hominibus sunt incognita, solus iudex Deus sit. Martyrio coronatus sepelitur in cœmeterio Calisti septimo Kalend. Septemb. Brutio præsente & Extricato Coss. cum sedisset annos 20. dies 17. Vacante sede 6. dies successit.* 197.

XVI. S. CALISTVS *Romanus instituit vti quater singulis annis ieiunia seruarentur, cum id ter fieri solebat, quodque iisdem temporibus ordines Ecclesiastici conferrentur, quando id mense Decembri tantum fieri consueuerat, via Appia, vbi multorum Martyrum cineres antea repositi fuerant cœmeterium de suo condidit. Erat enim magnus antiquitus vsque cœmeteriorũ, quæ & cryptas vocabant: vt quo fideles soliti erant conuenire, atque Synaxes celebrare. Erant enim in terrarum profunda defossa ex vtraque parte habentia Martyrum sepulcra, foramine lumen admittente desuper, ac horrorem tenebrarum temperante.* Calistus *cum Episcopos octo., presbyteros sedecim, diaconos quatuor creasset, martyrio coronatus sepultus fuit tertio ab vrbe lapide via Aurelia in cœmeterio Calopodij: pridie Idus Octobr. Maximo secundo & Papyrio Aeliano Coss. cum sedisset annos 6. mensem 1. dies 13. & post 6. dies successit.* 217.

Hieron. in Ezech. 40. Prud. Hymno 11. Perist.

Monarchia

ANNI CHRISTI.

## Monarchia Romanorum.

*Ælius Spartianus in Adriano, & Ioan. Xiphylinus è Dione.*

ÆLIVS ADRIANVS Italicæ Hispaniæ Beticæ vrbe ortus patre Ælio Adriano Afro, matre vero Domitia Paulinâ Gadibus orta consobrina Traiani ad imperium euectus fuit: postquam operam dante Plotinâ vxore Traiani tandem adoptatus esset ab illo. Hic ergo præposito Syriæ Catilio Seuero per Illyricum Romam venit. Cumque Senatus ei triumphum Traiano debitum decerneret, eum ipse recusauit; atque imaginem Traiani curru triumphali vexit, vt optimi Imperatoris manes non viderentur amisisse triumphi dignitatem. Nomen *Patris Patriæ* à Senatu distulit. Aurum coronarium Italiæ remisit, in prouinciis minuit; expositis interim ambitiose ærarii difficultatibus. Audito tumultu Sarmatarũ & Alanorum præmisso exercitu Mœsiam petiit: cum Rege Alanorum pacem composuit. Pannoniæ Daciæque præfecit Martium Turbonem Mauritaniæ præfectum antea: & pontem à Traiano Danubio impositum quatenus ex aqua exstaret, demoliri voluit: veritus ne pulsis aut oppressis legionibus, feræ & indomitæ gentes per eum Cisdanubiana loca inuaderent atque Mœsiam popularentur. Romam reuersus cõgiarium duplex præsens populo dedit, ternis iam per singulos aureis se absente diuisis ad comprimendã famam sæuitiæ, quod quatuor Consulares, Palma Teracinæ, Celsus Baiis, Nigrinus Fauentiæ, Lusius in itinere occisi fuerant: quod ei in venatione insidias struxisse dicerentur: & potentia, opibus atque gloria multum pollerent. Græco sermone doctissimus Latino facundissimus fuit. Militaris quoque disciplina illi magnopere curæ erat. Milites exercuit ad omnem speciem pugnæ: quibus vt exemplo esset, duro & aspero victu vtebatur. Caloris ac frigoris iuxta patiens. Alpinas & Gallicas niues, & Ægypti ardores intecto capite perferebat. Adeo peritos & laborum patientes exercitus habebat, vt equites Bataui eius armati Danubium tranatarent, vt testatur Dion. Cassius. Imo & ipse Adrianus Epitaphium Sorano Batauo scripsit illud testans.

Epitaphium Sorani Bataui Æl. Adriano Imp. Cæs. Aug. auctore.

*Ille ego Pannoniis quondam notissimus oris*
*Inter mille viros primus, fortisq; Batauos,*
*Adriano potui qui iudice, vasta profundi*
*Æquora Danubii cunctis tranare sub armis*
*Emissumq; arcu, dum pendet in aere telum,*
*Ac redit, ex alia fixi fregiq; sagitta.*
*Quem neq; Romanus potuit, neq; Barbarus vnquam*

*Non*

*Non iaculo miles, non arcu vincere Parthus,*
*Hic iacuis, hic memori saxo mea facta sacraui:*
*Viderit anne aliquis post me mea gesta sequetur,*
*Exemplo mihi sum, primus qui talia gessi.*

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

Interim Iulius Seuerus euocatur ex Britannia, atque cum exercitu mittitur contra Iudæos. Hic leuibus prœliis & intercludendo eos alimentis ac commeatu tardius sed minori cum periculo illos oppressit. Viri ab ipso Seuero 50000. cæsi fame, morbis atq; igni ingens multitudo absumpta est. Viri 985. diruepti, & mox igne consumpti sunt. Arces 50. dirutæ. Non fuit incruenta Victoria Romanis, cum multi eorum occubuissent. Porro *Adrianus* disciplinam ciuilem non aliter tenuit, quam militarem. Senatores & equites Romanos semper in publico togatos esse iussit: nisi cum a cœna reuerterentur. Ipse cum in Italia esset semper togatus processit. Cum iudicaret non solum amicos & comites in consilio habebat; sed Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, aliosque a Senatu probatos iurisconsultos. Fisci aduocatum primus instituit: quatuor quoque Consulares iudices constituit per Italiam: eorumque sumptus ad antiquum modũ redegit. Ab epistolis & libellis primus equites Romanos habuit. Suetonio Tranquillo epistolarum eius magistro multisque aliis, qui iniussu eius familiarius, quam reuerentia aulæ poscebat, apud Sabinam vxorem egerant, successores dedit. Vxorem quoque, vt asperam ac morosam fuisset dimissurus, si, vti dicebat, priuatus vixisset. Fuit memoriæ ingentis: sic vt vno tempore scripsit, dictauit, audiuit, & cum amicis fabulatus est. Libros statim lectos & ignotos quidem plurimis memoriter reddidit. Facultatis quoque fuit immensæ, nam orationes ipse dictabat, & ad omnia respondit. Fuit poematum & literarum omnium studiosissimus. Arithmeticæ, Geometriæ, picturæ & Plasticæ peritissimus, psallendi quoque ac cantandi. Mathesin sic scire sibi visus est, vt sero Kal. Ian. scripserit, quid ei toto anno possit euenire. Diuinationibus ac Magicis sacris quoq; vsus. *Epictetum* & *Heliodorum* Philosophos, variosq; artifices in summa familiaritate habuit. Dedicauit ei librum suum *Ælianus* de instruendis aciebus, cum apud Sext. *Iulium Frontinũ* esset diuersatus. *Diogenianus* Heracleotes Ponticus Grammaticus sub eo omnis generis vocabula ordine Alphabetico libr. 5. exposuit. Porro *Adrianus* peregrinationis ita erat cupidus, vt omnia quæ legerat de locis orbis terrarum, præsens vellet addiscere. Britanniã ergo petiit, in qua multa correxit, murumq; per 80000. passuũ duxit: primus qui Barbaros Romanosq; diuideret. Inde transgressus Galliã venit in Hispaniã, Maurorum motus compressit. Post in Siciliam nauigauit, in qua Ætnã montem conscen-

*Hieron. ad Magn. Oratorem.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

conscendit, vt solis ortum videret arcus specie, vt dicitur, variũ. Inde Romam venit, mox in Africam, prouinciisque Africanis multum beneficiorum attribuit. Vnde per Romam perque Athenas Orientem versus proficiscentem Quadratus Apostolorum discipulus, & Atheniensium Episcopus oratione coram habita, compellat: atque Apologiam pro religione Christiana inuisenti Eleusinæ sacra obtulit. Qui tantæ admirationi omnibus fuit, vt persecutionem grauissimam sedarit eius excellens ingenium. *Aristides* quoque Philosophus Principi pro Christianis Apologeticum tradidit contextum Philosophorum sententiis. Athenis mille ferarum venationem in stadio exhibuit, & Archon fuit. Marius Maximus dicit eum natura crudelem fuisse, & iccirco multa pie fecisse, quod timeret ne sibi eueniret; quod acciderat Domitiano. Per Asiam iter faciens à Capadocibus seruitia castris profutura accepit. Toparchas ac Reges ad amicitiam inuitauit. Cosdroe regi Parthorum remisit filiam, quã Traianus ceperat. Armenis Regem habere permisit, cum legatum habuissent. Ab Armeniis non exegit tributum. Albanos & Hiberos amicos habuit. Reges Bactrianorum legatos ad eum amicitiam petentes miserunt. Multas ciuitates Adrionopoles appellauit. Hierosolymã euersam pridem, rursus habitari iussit atque vrbem Æliam Capitolinam appellauit. Ioui item ex aduerso templi ædem excitauit, externorum Deorum imagines in ea constituit; & externa sacra fieri procurauit. Vnde noua inter Iudæos ac Gentes seditio bellumque. Ælius Lampridius refert eum etiam iussisse templa in ciuitatibus sine simulacris fieri ad vsus Christianorum: sed prohibitus fuit, quod dicerent omnes futuros Christianos, & templa deserenda fore. Peragrata Arabia Pelusium veniens Cn. Pompei tumulum magnifice exstruxit addito tali carmine.

*Ossa viri magni tenui quam clausa sepulcro.*

Alexandria in μυσεῖο locorum studiosorum multas quæstiones proposuit professoribus, & propositas dissoluit. In reprehendendis aliis facilis erat, & quæstionibus illos semper exagitabat Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salustio Cæcilium præferebat: & Homeri poemata abolere cogitabat, & pro eo Antimachum in scholis legendum inducere, ad cuius imitationem Catacuianos libros obscurissimos conscripsit: amabat enim genus dicendi vetustum. Floruit eius principatu *Pausanias*, res gestas, describendo Græciam, ex antiquitatis memoria singulari diligentia in omni varietate persecutus. Variã Historiam *Ælianus* eius discipulus, atque animantium vitam Græce feliciter descripsit *Arrianus* Alexandri Magni res gestas eloquenter & accurate repetiit, & Epicteti doctrinam litteris commenda-

scendauit. *Appianus* quoque Alexandrinus bella ciuilia, aliarũq; gentium res gestas diligentissime conscripsit. Coniicitur etiam hoc tempore *Diogenes Laertius* vixisse, qui ex quam plurimis ingeniorum monumentis, quibus iniuria temporis caremus, antiquorum Philosophorum mores, sectas, ac placita, epitaphiaq; congregata posteritati exhibuit. L. quoq; Florus exiguo libello bella populi Romani complexus insignẽ laudem promeruit: per ætates quodã modo hominis progressum imperii distinguendo. Quod etiam & Senecam fecisse traditum est. D. Erasmus aliique nonnulli indignantur Floro quod Epitomen conscripserit in T. Liuii Decades: asserentes ea de caussa tot libros Liuii periisse.

AN. MVN. & CHRISTI.

Cæterum *Adrianus* Saluio Iuliano studio doctrinæ iuris conseruandæ iniunxerat, vt Prætorum edicta in vnum colligeret, atque eos qui fiducia studiorum suorum niterentur, idoneos ad respondẽdum de iure voluit; idque liberum deinceps fecit; *Macrobium Ambrosium Aurelium* hoc tempore vixisse creditum est, qui Platonis studiosus somnium Scipionis vigilanti cura interpretari orsus est. Saturnaliorum insuper eruditos libros conscripsit: Virgilii virtutes, & mutuationes non indiligẽter enumerans. *Fauorinus* Philophus cum in disputatione Adriano Principi cederet, rogantibus aliis, cur id faceret: *non cederem*, inquit, *illi cui viginti legiones sunt?* Quod prudenter ab illo erat dictum: nam *Adrianus* ad ingenium supremo Principatu rediens Apollodorum architectum Traiani occidi iussit. Seruianum sororis suæ Paulinæ virum nonaginta annos natum, quod in sedili regio iuxta lectum posito sedisset mori coegit. Sabinam eius vxorem non sine veneno defunctam ferunt. Adoptauerat Cejonium Commodum Verum inuitis omnibus, eumque Ælium Verum Cæsarem nominauerat: verum eo statim mortuo iã morti proximus adoptauit Arrium Antoninum ea lege, vt ille sibi simul adoptaret Marcum Antoninum & Annium Verum Commodi filium. Catilius Seuerus præfectus vrbis ob affectatum imperium dignitate priuatus est.

Adrianus deinceps tædio vitæ gladio se transfigi à seruo iussit: statimque testamentum scripsit. Obstitit Antoninus dicens, parricidam se futurum, si id permiserit. In cuius conspectu postea obiit Baiis 6. Idus Iul. cum imperasset annos viginti, menses vndecim, ætatis anno sexagesimo secundo mense quinto, die sexto, sepultus Puteolis in villa Ciceroniana.

Iussos ab eo occidi Antoninus seruauit, & templum ei pro sepulcro posuit, quare PII cognomen fuit adeptus à Senatu, & vxorem *Anniam Faustinam* Annii Veri filiam Augustam appellari permisit. Factus itaque Imperator T. AEL. ADRIAN. ANTONI- *Ex Iulio Capitolino.*

ANNI CHRISTI.

nus Pius 17. annis Præsides bonos in prouinciis detinuit. Per legatos bella gessit. Britannos per Loliũ vrbicum vicit, alio muro cespitio submotis Barbaris ducto. Mauros ad postulandam pacem coegit, & Iudæos rebellantes contudit. Procuratores suos modeste suscipere tributa iussit. Iis, quos Adrianus damnauerat, in Senatu indulgentias petiit. Patris Patriæ nomen cum ingenti gratulatione suscepit: tantaq; diligentia subiectos sibi populos rexit, vt omnia & omnes quasi sua essent, curarent. Victus eius talis fuit, vt esset opulentia sine reprehensione, parcimonia sine sordibus, & mensa eius per proprios seruos, proprios aucupes, piscatores & venatores instrueretur. Imperatorũ fastigium ad summã ciuilitatem perduxit. Prouinciæ sub eo cunctæ florebant. Cum grauem diceret prouincialibus comitatũ Principis, in vrbe fere semper consedit. Quo vt vndique ad ipsum venire possent scripsit, *Itinerarium* omniũ prouinciarum. In quo primum longiorem distantiam miliariorum designatam, mox per inter medias vrbes per miliaria distinguit. Cuius exemplum rudium huiusmodi itinerum hic proponemus: Cum a Roma Centumcellas vsque millia pass. lxix. esse ostenderit, sic viam diuidit deinceps: a Roma in portum M. P. xix. inde Fregenas M. P. ix. inde Alsion M. P. ix: deinde ad Turres M. P. iiii. mox Pyrges M. P. xii. Deinde Castrum nouum M. P. viii. denique centum cellas M. P. viii. quæ diuisiones omnes continent distantiam illam 69. miliarium Italicorum. Hæc imperitorum gratia dicta sunt, qui aliter forte fructu Itinerarii vtilissimo carerent. Porro huius *Pij* tempore *Cl. Ptolomeus* correctis Marini Geographi erroribꝰ Geographiã subtilissime & exactissime tractauit, ordinem cæli constituendo, in terra per longitudinum ac latitudinum gradus. Cuius scientiæ an gnarus esset Iob rogauerat eum Deus. Idem Musicam & Astronomiam Alexandriæ insigniter descripsit: nec defuit quoque iudiciariæ Astrologiæ, arti non satis firmis innitenti fundamentis, & a doctioribus mire flagellatæ. Cui tamen non desint sui patroni. Nunc & totius Græciæ fundamentum *Cl. Galenus Pergamensis* floruit, qui Mathematicis & Philosophicis naturæ atque differendi literis imbutus Asiatica dicendi vbertate breuia illa atque acuta Hippocratis certissima præcepta apertissime atque vtilissime explicauit. Sectas suorum omnes excussit, & optima quaque excerpens atque vniuersitatem Medicæ doctrinæ animo comprehendens fidelius & absolutius, quam superiorum quisquam optima methodo eamdem pertractauit, atque salutare omnibus mortalibus beneficium præstitit. *Seruidius Scæuola* Iurisperitus regularum iuris, quæstionum ac Responsorum libros conscribens auditores habuit Septimium Seuerum atque Æmilium

*Iob.38.*

Papinia-

Papicianum. *Apollonius* Stacius Philosophus Chalcide euoca- ANNI CHRISTI.
tus Romam à Pio M. Antoninum docuit. Qui Marcus cum educatorem suum fleret, & ab aulicis à pietatis illa ostentatione auocaretur; *Permitte*, inquit Pius, *illi vt homo sit, neque enim Philosophia aut Imperium tollit affectus.* Sanxerat edicto Imperator, vt Christiani publicis abstinerent sacrificiis, contentique essent priuatis. Quare Pius Pontifex in domo Potentianæ & Praxedis sororum faciebat sacra: quod diebus Solis seu Dominicis conueniebant ex vrbe & agris Christiani, vt etiam testatur Iustinus Philosophus, qui cum Valentinus & Cerdo magister Marcionis hæretici Romam venerant, eo se quoque contulerat: atque librum Anton. Pio filiisque eius ac Senatui tradidit, in quo defendit ignominiam crucis contra Gentes, prædicans Christi resurrectionem summa libertate: eaque Imperatorem benignum erga Christianos homines fecit. Puellas publice alimentari Pius Imperator instituit, appellatas Faustinianas ab vxoris Faustinæ nomine, quæ tertio Imperii eius anno obierat. Filiam Faustinam nuptum dedit M. Antonino, quem adoptauerat. Edidit munera in quibus elephantos, crocutas, tigrides, rhinocerotes, & crocodilos atque etiam hippopotamos: centum præterea Leones vna missione edidit. Rhetoribus ac Philosophis per omnes prouincias & honores & salaria dedit. Multa de iure sanxit, vsusque est Iurisperitis Viudio Vero, Saliuo Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello & Iaboleno. Intra vrbes sepeliri mortuos vetuit. Moriturus Rempublicam & filiam M. Antonino commendauit. Obiit anno ætatis septuagesimo, cum imperasset annos viginti duos, septem menses, dies viginti sex. Solus omnium Principum sine ciuili sanguine vixit: comparatusque fuit Numæ.

M. AVRELIVS ANTONINVS PHILOSOPHVS post excessum Pii à Senatu coactus regimen publicũ capere. *L. Aurelium Verũ Commodum* fratrem Cæsarem Augustumq; dixit: & ex eo pariter cœperunt Rempublicam regere. Pii corpore Adriani sepulcro illato, vterque Patrem pro rostris laudauit. Dabat se Marcus totum Philosophiæ, amorem ciuium affectans: Audierat Sextum Chæronensem Plutarchi nepotem, Claudium Maximum & Cinnam Catullum Stoicos. Peripateticos audiuit Cl. Seuerum, & præcipue Iunium Rusticum, cum quo omnia publica priuataque consilia communicauit. Studuit & iuri, audiens L. Volusium Metianum. Frequentauit & declamatorum scholas publicas; operã præterea pingendo dedit. Tantum honoris magistris suis detulit, vt imagines eorum aureas haberet in larario, & sepulcra illorum honoraret. *Ex Iulio Capitolino.*

Erat ipsi consors Imperii L. ÆLIVS COMMODVS VERVS

ANNI MVNDI, ET CHRISTI.

ANTONINVS tanta concordia vt Diui fratres dicerentur. Verus vt non inhorruit vitiis, ita nec abundauit virtutibus: vixit enim non libero Pincipatu, sed sub Marco in simili ac pari Maiestatis Imperio. Fuit tum Parthicum bellum indictum à Vologeso, fugato Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat. Obtulit Imperatoribus tunc temporis *Polianus* Macedo octo libros Stratagematum insignium a se conscriptos. Verus veniens in Syriam, luxui atque amoribus, aleæque se totum dedit. Marcus pudere, ne reprehenderet fratrem, hæc dissimulabat. At cum audiciat illum conuiuio concelebrato consumpsisse sexagies centenis millibus H-S (id est, 140625. ducatis) datis muneribus conuiuis, ingemuisse dicitur, & publicum fatum doluisse. Statius Priscus, Auidius Cassius, & Martius Verus duces per quadriennium confecerunt Parthicum bellum, ita vt Babylonem, & Mediam peruenirent, & Armeniam vindicarent, ipsique pararent nomen *Armenici, Parthici, & Medici*, cum interim risui esset Syris, quorum theatra multis locis & dictis in eum personabant: præcipue cum arbitrio vulgaris amicæ barbam posuisse diceretur. Venienti Romam obuia facta est Lucilla vxor Ephesi missa à patre M. Antonino Romæ Verus cum fratre Marco simul triumphauit.

Persecutione excitata iam quartum obtulit secundam Apologiam Imperatoribus *M. & L. Antoninis Iustinus* Prisci filius Philosophus ex Neapoli Palestinę oriundus pro religione Christiana. Crescente Cynico eamdem traducente apud Principes, cuius dolo etiam postmodum Romæ interfectus est Iustinus Idibus Aprilis. Tradidit & ipsis *Apollinarius* Hierapolitanus sacerdos librum insignem pro fide Christianorum. Porro L. Vero apoplexia apud Altinum 11. imperii anno, ætatis 42. mortuo, Marcus bellum Marcomãnicum solus administrauit. Præcipua Marcomannorum gloria viresque in equitatu, vt nomen quoque sonat. Nam *Marcam* equum apud Gallos sonare etiam Pausanias testatur. Sedes olim pulsis Boiis virtute parta: nunc Bauariæ pars transdanubiana. Hic cum exercitus Marci siti laboraret, milites Christiani precibus suis à Deo impetrarunt largũ imbrem ad sedandam sitim Hostibus præ metu fulminum quoque fugientibus. Vocauit legionem illam *fulminatricem* Imp. & rem omnem per litteras Senatui significauit. Cumque domum cum victoria reuersus cum Commodo filio iam Cæsare triumphasset, æquanimior fuit Christianis. Cumque amore omnium imperasset nouemdecim annos; sexagesimo-primo vitæ clausit extremum diem. Floruit sub eo *Athenæus* Naucratita qui quindecim libros Dipnosophistarum, hoc est ægure, sciteque disserentium inter conuiuandum conscripsit.

*Vide Ioan. Goropium Becanum in Gigantomachia pa. 150.*

Successit

Successit M. Patri M. ÆL. AVRELIVS COMMODVS adultera matre Faustina natus: de quo dubites impuriorne fuerit an crudelior. Habuit morem, vt omnia quæ turpiter, quæ impure, quæ crudeliter, quæ gladiatorie, quæ lenoniue faceret, actis vrbis indi iuberet. Cum adulterum matris Consulem designasset, appellatus est *Pius* Gladiatorum certamina subiit, & pugnasse 735. dicitur. Ferarum autem diuersarum occidit multa milia: virium enim tantarum fuit vt elephantem transfigeret. Eum qui Suetonii Tranquilli librum, vitam Caligulæ cõtinentem legerat, feris obiici iussit: quia eumdem diem natalem habuerat, quem & Caligula. Nepotem ex sorore Antoninũ occidit. complures quoque Consulares viros Apollonium senatorem à seruo, quod Christianus esset, proditum, cum insigne volumen a se compositum in Senatu legisset, capite truncatũ XIV. Kal. Maii memoriæ proditum est. *Pontianus, Vincentius & Peregrinus* Romæ VIII. Kal. Septembris plumbatis mactati. Et *Faustinus* Mediolani VII. Idus Aug. interemptus, Martyrii omnes coronas promeruerunt. Debiles aliquot sagittis confecit Commodus: in exsiliũ acti sunt *Æmilius Iunctus, & Attilius Seuerus.* Lucillam sororem cum eam compressisset, occidit: cæteris quoque sororibus constupratis. Vni ex concubinis matris nomen imposuit & vxoris Colossi caput, quod Neronis erat, ademit & suum imposuit Per athletam Kalen. Ianuarii strangulatus fuit. Qu. Ælio læto hoc procurante, cum imperasset annis 12. menses 8. dies 14. Mira acclamandi ratione vsum fuisse Senatum, vt vnco traheretur refert Mar. Maximus. Clam vero nocte fuit sepultum eius cadauer, & iussu Pertinacis in monimentum Adriani illatum Ex operibus eius præter lauacrum, quod Cleander eius nomine fecerat, nulla exstant. *Iulius Pollux Naucratita* Onomasticum suum ei dedicauit, qui Athenis decessit annos natus 58.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

*Ælius Lampridius in Commodo. Vide & Herodianum.*

Iussus est imperare post eum P. HELVIVS PERTINAX Libertino patre genitus iam sexagenarius verbis affabilis, re autem illiberalis ac sordidus, Prætorianorum dato symbolo, MILITEMVS, statim odium incurrit, ac scelere Iuliani Tausius quidam è Tungris in iram ac timorem seditiosos milites loquendo adducens, hastam in pectus eius obiecit, cumque ille caput operiret à cæteris confossus est, cum imperasset menses duos, dies viginti octo. Caput eius conto fixum milites, qui eum occiderant, per vrbem in castra detulerunt. Iulianus corpus eius in Palatio inuentum cum honore funeratus est. Sub Seuero cum Pertinax Senatus ingens testimonium habuisset, funus imaginarium ei & censorium ductum est, & ab ipso Seuero laudatione funebri honoratus fuit.

*Iul. Capitolinus & Herodianus.*

ANNI CHRISTI.

Sulpitiano Præfecto vrbis ac socero Pertinacis imperium in castris sibi vindicante monuit M. Didius Iulianus vir nobilis & iuris peritissimus, nepos Saluii Iuliani, qui sub Adriano perpetuum edictum composuerat, prætorianos; ne eum Imperatorem facerent, qui generum vindicaret: itaque ipse Imperator appellatus fuit, & vespere ad Senatum venit, totumq; se Senatui permisit: factoq; Senatusconsulto Imperator declaratus est. Rebellarunt statim ei Pescenninus Niger in Syria, & Sept. Seuerus in Illyrico cum exercitibus quibus præsidebant. Iulianus impetrauit in Senatu, vt Seuerus hostis renunciaretur, militibus dies præstitueretur, vltraquem, si cum eo manserint, hostiũ numero haberentur. Seuerus statim ad plurimos Romam scripsit, & occulte misit edicta, quæ proposita sunt. Fuit in Iuliano hæc amentia vt per Magos pleraque faceret, quibus putabat vel odium populi quod credebatur eius consilio interfectus Pertinax, vel militũ arma compesci posse. Seuerus classem Rauennatem occupauit: & milites in Vmbria transierunt ad eum. Appellatus deinde Seuerus Imperator: & missi a Senatu, quorum cura Iulianus in Palatio occisus est per militem gregarium, fidem Cæsaris, hoc est, Seueri implorans, annos natus 56. menses 4. cum imperasset menses duos, dies quinque. Corpus eius à Seuero Vxori Manliæ Scantillæ ac filiæ Didiæ Claræ ad sepulturam est redditum, & in proaui sui monimentum translatum miliario quinto via Lauicana. Reprehensum in eo præcipue quod eos, quos regere auctoritate sua debuerat, sibi Præsules ipse fecisset.

*Aelius Spartianus & Herodianus.*

Successit ergo I. SEPT. SEVERVS Sexti in Africa natus. Latinis ac Græcis litteris eruditissimus & matheseos peritissimus: qui cum Romam ingressus esset, milites in empta diripientes ant. vastationem vrbi minitãtes. Quare quo odium effugeret fieri senatusconsultum coegit, ne liceret Imperatori inconsulto Senatu occidere Senatorem: ac se *Pertinacem* vocari iussit. Parcus admodũ fuit, natura sæuus, & bella multa feliciter gessit. Albinum, qui exercitui Britannico præerat ficte Cæsarem dixit: nam postq. à Pescenninũ Nigrum apud Cyzicum deuictum occidi curauerat, piloque esset eius caput circumlatum: contra Albinum apud Tinurtium in Gallia feliciter pugnans corpore eius semineci allato caput abscindi iussit, Romamque defert: cadauer ante propriam domum exponi ac diuidi. Equum ipse residens expauescentem in illud, vt preteréret, egit: genus quoque eius extinxit. Albini, vxoris, liberorumq; corpora in Rhodanum projici voluit: Romam veniens Commodum in Senatu & concione laudauit: atq; sine caussæ dictione quadraginta & vnum illustres viros trucidauit. Multos quasi de sua salute Chaldæos consuluissent, occidit. Parthis bellum intulit, captaque

Ctes-

Ctesiphonte fugatoque Rege *Parthicum* nomen meruit. In Palæstinis plurima iura fundauit: Iudæos fieri sub graui pœna vetuit. Idem etiam de Christianis sanxit, quos acerbe & crudeliter persecutus est. Alexandriæ vnum iudicem constituit, multaque iura Alexandrinus inuitauit. In Ægypto Memphim, Pyramides & Labyrinthum diligenter inspexit, iucundam eam profectionem sibi esse ob Ægyptiorũ religionem, nouitatẽ animalium & locorum dicens. Opera publica eius exstant thermæ & Septizonium, quorum ruinæ etiamnum nuper admirationem attulerunt contemplantibus. Armamentarium in Batauis etiã restitui voluit. Cum Abagarum Persarum Regem subegisset, Arabas in deditionẽ cepisset, Adiabenos tributarios fecisset: in Britannia (quod maximum eius Imperii decus est) muro per transuersam insulam ducto vtrinque ad finem Oceani muniuit: vnde etiam Britannici nomen accepit. Mortuus est Eboraci (*Yourck* nunc) morbo grauissimo extinctus iam senex, Imperii anno decimo septimo, mense octauo, die tertio. Reliquit duos filios Bassianum & Getam. Reliquiæ eius Romam delatæ in Antoninorum sepulcro conditæ fuerunt, funusque exhibitum amplissimum à Senatu liberis gentilibusque.

ANNI CHRISTI.

*Aur. Victor Cap. 20.*

Floruerunt hac ætate *Seruius Honoratus Grammaticus*, cuius commentarii in Virgilium exstant. *Philostratus* qui Apollonii Tyanei vitam descripsit, & Sophistarum vitas ad suam vsque ætatem enumerauit. *Alexander* quoque *Aphrodisæus*, qui Aristotelicam Philosophiam amplexus, plurima in omni disciplinarum genere scripsit: ex cuius schola prodiit *Ammonius Alexandrinus*, qui consonantiam IESV & Moysis, & de passionibus Apostolorum aliaque edidit: & *Plotinum* Platonis sectatorem erudiuit, cuius Enneades sex etiamnum leguntur Platonis eruditionem spirantes. A quo doctus fuit, qui Christianis aduersatus est *Porphyrius*, atque scribit se iuuenili ætate excitum fama Origenis Alexandriam perrexisse, ibique eum iam senem talem tantumque vidisse, vt qui arcem scientiæ iam conscendisset. Opposuit se etiam *Proclus* Platonicus Christianis: sed aduersus ambo pro illis scripsit *Ioannes* Grammaticus à diligentiæ magnitudine *Philoponus* dictus. E schola *Æmilij Papiniani*, qui cum Sept. Seuero Seruidium Scæuolam audiuerat, profluebant quam plurimi Iuris- peritissimi viri: ita vt Philosophia ac Iurisprudentia quam maxime vigerent. Conscripsit tum & *Oppianus Cilix* poema de piscibus & venatu, pro cuius singulis versibus singulos aureos nummos dicitur à Caracalla accepisse.

ANTONINVS CARACALLA BASSIANVS ante dictus imperium excipiens patre superbior fuit. Fratrem *Getum* in Palatio occidi fecit, eiusque corpus statim præcepit cremari: atque

*Aelius Spartianus & Herod.*

AN. MVN. ET CHRISTI.

parum abfuit, quin mulieres cum Getæ matre nouerca sua flentes occideret. *Letum*, qui suasor mortis Getæ fuerat, primum misso veneno ad mortem coegit: multos quoque illius mortis conscios interemit. Fratrem patruelem Afrum etiam iussit occidi. Pompeianum quoque M Antonini ex Lucilla filia nepotem; & Heluium Pertinacem suffectum Coss. Imperatoris filium indicta caussa necari iussit: In conspectu eius Æmilius Papinianus securi percussus, cadauerq; eius per plateam tractum absq; vlla humanitatis reuerentia: sicque iuris Azylum, & doctrinæ legalis thesaurum, quod parricidium fratris excusare noluisset, tractauit filio quoque eius interfecto. Parentes eius mœsti hocce Cenotaphium filio posuerunt:

ÆMILIO PAVLO PAPINIANO
PRÆFECTO PRÆTORIO IVRIS-
CONSVLTO, QVI VIXIT ANNOS
XXXVI. DIES X. MENS. III.
PAPINIANVS HOSTILIVS
EVGENIA GRACILIS TVRBATO
ORDINE IN SENIO
HEV PARENTES FECERVNT
FILIO OPTIMO.

Occisi & innumeri, qui Getæ fauerant: liberti quoque eius, qui res eius administrauerant. Q. Serenus Sammonicus Poeta, cuius carmina de curandis morbis exstant, inter cœnandum occisus. Magnam cædem Alexandriæ quoque fecit. In Parthos profectus inter Edersam & Caraas octauo Idus Aprilis die natalis sui insidiis Macrini, dum ventris soluit onus interemptus est, cum vixisset annos quadraginta tres, imperasset annos sex, menses duos, dies quinque. Romæ Thermas nominis sui Antoninus fieri curauit, & viam nouam sub thermis muniuit, quæ omnium pulcertima erat platearum. Successit in imperio tertio Idus Aprilis *M. Orpilius Aurelius Seuerus Macrinus*, qui suscepto bello contra Parthos profectus est magno apparatu, studens sordes generis (erat enim humili natus loco) & prioris vitæ infamiam victoriæ magnitudine abolere: sed cum esset Antiochiæ Mæsa seu Varia soror Iuliæ vxoris Seueri Pertinacis Afri, mulier ditissima dicebat nepotem suum Heliogabalum ex Semiamira Bassianum Varium dictum esse filium Antonini, cumque ita pellexisset ad se partem exercitus venit Heliogabalus contra Macrinum: qui victus prœlio ac fugiens in Bithynia occisus fuit, caputque eius perlatum ad Heliogabalum: occisus & filius eius Diadimenus. Fuerat Macrinus non imperitus iuris: sed man-

ditæ crudelitatis imperauit annum vnum, mensem vnum, dies viginti octo.

ANNI MVNDI ET CHRISTI.

ANTONINVS VARIVS HELIOGABALVS ex Semiamira consobrina clam stuprata Caracallæ filius imperium inuasit, homo omnium flagitiosissimus. Vrbem ingressus templum fecit in Palatino monte statuens omnia veneranda Romanis in illud transferre, id agens ne quis Romæ Deus nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea Iudæorum & Samaritanorum religiones & Christianorum deuotionem illuc transferendam: vt omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret. Fecit in colle Quirinali mulierum Senatum, quibus præerat eius mater. Quæ etiam in Senatum vocata, ad Coss. subsellia Senatus consulti conficiendi erat testis. Quod sub nullo fuerat visum Imperatore, vt mulier interesset Senatui. Fuit moribus, vita, improbitate atque atrocitate odibilis. *Sabinum* Consularem, ad quem Vlpianus libros scripsit, quod in vrbe manserat, cum subito Senatum vrbe excedere iussisset, occidi præcepit Centurioni, qui quod surdaster esset, non intelligens eduxit illum vrbe: sicque surditas Centurionis saluti fuit Sabino. Remouit & *Vlpianum*. *Siluium* vero Rhetorem, quem magistrum Cæsaris Alexandri filii sui adoptiui fecerat, occidit. Cumque perpetraret obscœna infanda verbis quoque non parcebat infamibus sine vllius velamento. Prætoriani cæterique milites facto in eum impetu, eoque in latrina, ad quam confugerat occiso: per publicum Circiq; spatia cadauer traxerunt. atq; in cloacam miserunt: quæ cum ægre corpus reciperet, illud ad pontem Æmilium annexo pondere ne fluitaret in Tiberim præcipitatum fuit. Imperauerat annos tres, menses nouem, dies quatuor. Numquam minus cænauit 100. H S. aliquando autem 3000. H S in lucernis balsamum exhibens. Occisa fuit cum eo mater Semiamira.

*Ael. Lampr. Anton. Heliogabalus.*

Porro successor eius fuit M. AVRELIVS SEVERVS ALEXANDER, qui deferente Senatu omnium primus vno die cuncta insignia & honorificentiæ genera simul recepit: acclamatumque est illi, ac rogatum a Senatu vt nomen Antoninorum restitueret in integrum, velletque nominari *Antoninus* ac *Magnus*: at vtrumque modeste recusauit. Fuerat enim à pueritia bonis artibus cum in patria (Arcenæ Syriæ vrbe in templo Alexandri quippe erat natus ipso, quo Magnus ille obiit die) tum Romæ vsus præceptore inter alios Iulio Frontino, qui de aquæ ductibus & Stratagematis scripsit. Ab eo ergo edoctus, cum de rebus bellicis tractaret, adhibebat milites veteres, & senes, bene meritos, ac locorum peritos, bellorum quoque ac castrorum: maxime qui Historiã norant: requirens quid in talibus caussis,

*Aelius Lãp. & Herodianus.*

ANNI CHRISTI.

quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores vel Romani vel exterarum gentium fecissent. Annonam militum diligenter inspiciebat, & seuere in delinquentes animaduertebat. Fuit præterea illi consuetudo, vt si de iure aut negociis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet. *Iul. Paullum & Vlpianum Tyrium*, qui Papiniani assessores fuerant in magno honore habuit: quorum hic magister scrinii eius fuisse dicitur. Nullam constitutionem sacrauit sine viginti iuris-peritis. Noluit minus quinquaginta sentētias sapientissimorum adesse in consilio quam Senatusconsultum conficeretur; & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quod quisque dixisset: dato tamen spacio ad disquirendum cogitandumque priusquam dicerent, ne de rebus ingentibus incogitati cogerentur dicere. Fuerunt in eius consilio præter *Dom. Vlpianum & Iulium Paullum*, *Pomponius*, *Alphenus*, *Africanus*, *Florentinus*, *Martianus*, *Calistratus*, *Hermogenes*, *Venuleius*, *Triphonius*, *Metianus*, *Celsus*, *Proculus*, *Modestinus*, *Fabius*, *Sabinus*. *Ælius Gordianus* Gordiani Imperatoris pater, *Claudius*, *Renatus* Orator amplissimus omnes discipuli Papiniani. *Catilius Seuerus*, cognatus eius Ælius. *Serenianus*, & *Quintilius Marcellus* viri lectissimi, omnes familiares, & amici Alexandri, etiam *Thrasybulus* Mathematicus. Ad Athenæum, locum Mineruæ dicatum, quo professores diuersarum disciplinarum conueniebant; audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel Poetarum caussa, sæpe processit. Cumque inter suos conuiuaretur, aut Vlpianum aut doctos homines adhibebat; vt haberet fabulas litteratas, quibus se recreari dicebat & pasci. Habebat cum priuatim conuiuaretur librum in mensa, legebatque sæpius Græca. Vsus conuiuii diurni hic fuit:

Triginta sextarii vini ad vsum diurnum.
Triginta pondo panis mundi.
Quinquaginta pondo panis secundarii.
Triginta pondo carnis diuersæ.
Gallinæ & oua aliquot.
Diebus festis addebatur anser: maioribus festis fasianus vel duo.
Quatuor sextarii mellis puri.
Duo sextarii mellis cum pipere.

Pomis vehementer indulsit, & leporem quotidie habebat. Cum igitur ex epigrammate Martialis in Gelliam, dicerentur ii, qui septem diebus vescerentur lepore, formosos futuros, lusit Poeta quidam ita in Alexandrum:

*Pulcrum quod vides esse nostrum Regem*
*Quem Syrum sua detulit propago;*

Venatus

*Venatus facit & lepus comesus,*
*Ex quo continuum capit leporem.*

Quos verſus cum ad eum detuliſſet amicus quidam, reſpondit Græcis verſibus in hanc ſententiam:

*Pulcrum quod putas eſſe veſtrum Regem*
*Vulgari miſerande de fabella;*
*Si verum putas eſſe; non iraſcor:*
*Tantum tu comedas velim lepuſclos,*
*Vt fias, animi malis repulſis,*
*Pulcer, ne inuideas liuore mentis.*

Liuorem odiumque valde deteſtabatur ſolitus ſæpe dicere (ſiue a Iudæis ſiue a Chriſtianis hoc audierat) ac clamare: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* *Dominum* ſe appellari vetuit, ac ſalutabatur tantum nomine *Aue Alexander*: & adulatores auerſabatur quam maxime. Molliorem ac contemptibiliorem imperii poteſtatem ſe hac nimia ciuilitate facere dicentibus Memmiæ Sulpicii filiæ vxori & Mammeæ matri reſpondit: ſed ſecuriorem atque diuturniorem. Multum tribuit matri mulieri religioſæ, quam etiam originem cæleſtis ſapientiæ ſtudio accumſſe tradunt hiſtoriæ Chriſtianos eſſe ergo paſſus eſt: *Chriſtoq;* templum facere voluit, eumque inter Deos recipere Cumque Chriſtiani locum quemdam occupaſſent; contra popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit: melius eſſe vt quomodocumque ibi Deus coleretur, quam popinariis dederetur. Habebat duo lararia vbi matutinis horis rem diuinam ſubinde faciebat. In vno *Chriſtum, Abraham, Orpheum, Alexandrum* maiorumque effigies habebat: in altero *Ciceronis* ſimulacrum, imagines *Achillis* & *Virgilii*, quem *Platonem poetarum* vocabat. Poſt actus publicos, ſeu bellicos, ſeu ciuiles, Græcos de Republica Platonis libros plerumque legebat, Latinos Ciceronis de officiis, Republica, & Poetas Horatium ac Serenum Sammonicum, quem nouerat. Legebat & vitam Alexandri Magni, & in eo ebrietatem atque crudelitatem in amicos condemnabat. Poſt lectionem operam palæſtræ aut ſphæriſterio, aut curſui luctaminibuſque dabat. In Perſas profectus Artaxerxem Regem eorum vicit, qui cum ſeptingentis elephantis, ac mille octingentis curribus falcatis, atque equitum multis millibus ad bellum venerat. Actæ quoque res feliciter in Mauritania Tingitana per Furium Celſum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem eius, & in Armenia per Iunium Palmatum. Interim ille ad Germanicum bellum profectus in Galliam veniens, mulier Druias eunti exclamauit Gallico ſermone: *Vadas nec victoriam ſperes, nec militi tuo credas.* Tumultu itaque militari interfectus fuit vna cum matre Mammea, quam ob auaritiam exoſam habebant

exer-

ANNI MVNDI ET CHRISTI. exercitus. Imperauerat autem annos tredecim, dies nouem, cũ vixisset annos viginti octo, menses tres, dies septem. Cenotaphium in Gallia, Romæ sepulcrum amplissimum meruit. Mammea vero mater Vesaliæ cis Rhenum Treuirensis Antistitis vrbe sepulta est. Alexandri temporis *Dion Cassius* Romanas res octoginta libris erudite complexus est.

Quarto Alexandri anno Artaxerxes Persarum Rex deuictis Parthis ac Artebano eorum Rege obtruncato gloriam ac regnũ Persis restituit: quod amplius quadriugentis annis apud Persas fuerat, postquam Arsaces eos asseruerat in libertatem. Persarum vero imperium ad Chosroen per quadringentos circiter annos mansit, grauibus prælijs, alternante fortuna cum Romanis interim gestis.

Porro MAXIMINVS Thrax patre Michea Gotho, matre vero Ababa Alana ortus, qui Alexandrum matremque Mammeam trucidari procurauit sine decreto Senatus, ab exercitu Imperator est creatus è corpore militari. Hic Cyclopem quam hominem se magis ostentauit: cum tantæ vastitatis corporis fuerit, vt eius proceritas esset pedum octo & fere semis: tantæ voracitatis vt in die comederet quadraginta libras carnis, biberitque amphoram vini: Tantæ denique crudelitatis, vt ignobilitatis tegendæ causa, omnes conscios generis sui interimeret omnesq; ministros Alexandri. Nobilem nullum circa se passus est: verebatur enim se ab illis contemni: Persecutionem etiam sextam mouit in Christianos. Filius eius Maximinus eo etiam fuit superbior: cum pulcritudine esset conspicuus. Aduersus Gordianos à Senatu imperatores declaratos, mouens ante Aquilegiã, quam obsederat, à militibus suis ambo sunt obtruncati. Capita pilis imposita ac Aquilegiensibus ostentata, Romam missa, ibique circumlata ac combusta fuerunt, corpora quoque nullo dignata fuere sepulcro: cum imperassent supra duos annos quatuor menses & quatuor dies.

GORDIANVS Proconsul Africæ originem ex Gracchorum genere trahens in Africa contra Maximinum Augustus declaratus Senatus auctoritate confirmatur. Erat enim testimonio Alexandri magnanimus, iustus, continens, bonus ac disertus. Scripserat *Antoniniadum* carmine libros triginta, Pij ac Philosophi bella, & publice priuatimque gesta describens. Laudes quoque omnium Antoninorum soluta oratione conscripsit: in tantum eos admiratus vt sibi & filio *Antonini* nomen impertierit. Hic cum esset octogenarius, cum filius eius legatus a Capeliano in bello esset cæsus, laqueo vitã cum imperio finiuit, quo euitaret Maximini crudelitatem, cum imperassent annum vnũ, menses sex. Kalendis Iulii ambo morientes. Iuniori Sereno

Sammo-

Sammonicus patris sui libros omnes moriens reliquerat: qui censebantur ad 2600. Vnde in famam hominum litteratorum peruenit. In patris domo, quæ Pompei fuerat memorabilis silua depicta erat, in qua continerentur ducenti cerui palmati, triginta equi feri, centum oues feræ, decem Alces, centum tauri Cybiratici, trecenti struthiones Mauri, triginta onagri, centum & quinquaginta apri, ducentæ ibices, ducentæ damæ. Quæ die muneris, quod sextum edidit, populo rapienda concesserat. ANNI CHRISTI.

Ad octauum Idus Iulii *D. Cælius Balbinus & M. Clodius Pupienus Maximus* Senatu cõsentiente dictis Verrii Sabini ex familia Vlpiorum Augusti ambo declarati sunt. Gordiano nepote Gordiani senioris Cæsare facto. Deferebant hi multum Senatui, leges optimas condebant, moderate caussas audiebant, & res bellicas pulcre disponebant. Cumque decretum esset vt Balbinus contra Germanos, contra Parthos Maximus proficisceretur, ambo Romæ occisi sunt, cum imperassent vna annum vnum. Hic a virtute ac fortitudine, ille à benignitate laudantur. *Iulius Capitol. Herodianus.*

*M. Antonius Gordianus Cæsar Augustus* declaratur à militibus natus annos tredecim, à Senatu quoque ac populo, merito aui ab illis dilectus. Sub eo populus Romanus voluptatibus ac deliciis vacauit. Venusto & Sabino Coss. Sabinianus à coniuratis Carthaginem ductus veniam sceleribus postulantibus.

Inde Imperator duxit filiam Misithei doctissimi viri vxorem, cuius consiliis multum adiutus est. Floruit sub eo *Herennius Modestinus*, quem non contemnendæ auctoritatis iurisconsultum vocat. Ipso iterum & Papiniano Coss. Persicum natum fuit bellum Quare Attico & Prætextato Coss. aperto Iano gemino profectus ad illud socerum præficiendo exercitui: in Mœsia ac Thracia ex itinere sæpius pugnauit, vicit ac hostes fugauit. Inde in Syriam veniens Saporem Persarum Regem Artaxerxis successorem frequentibus prœliis submouit. Antiochiam, Carras ac Nisibim recepit. Misitheo profluuio alui exanimato Arriano ac Papo Coss. Philippus Arabs præfectus prætorii factus eum occidi procurauit, cum imperasset annos sex. Eius sepulcrum apud Circeium castrum à militibus in Perside facto huiusmodi titulus Græcis, Latinis, Persicis, Iudaicis ac Ægyptiis litteris, vt ab omnibus legeretur, additus fuit: *Diuo Gordiano Victori Persarum, Victori Gothorum, Victori Sarmatarum, depulsori Romanarum seditionum, Victori Germanorum, sed non Victori Philipporum.* Quia in campis Philippis ab Alanis tumultuario prœlio victus abscesserat, simul etiam quod à Philippis videbatur occisus. *L. 5. C. ad exhibend.*

ANNI CHRISTI

M. IVLIVS PHILIPPVS ab exercitu Imperator renuntiatus relicta Syria ad vrbem properauit: vbi Marco, deinde Seuero Hostiliano a senatu creatis, mortuis ipse imperium obtinuit filio PHILIPPO consorte imperii assumpto.

Hic cum millesimus conditæ vrbis annus esset; ingenti ludorum apparatu illum celebrauit. Exhibuit, qui fuerant Romæ ad triumphum Persicum seruari a Gordiano duodecim elephantes, decem alces, decem tigres, sexaginta leones, triginta leopardos, decem hyenas, Hippopotamum, rhinocerotem, & gladiatorum fiscaliũ paria mille, decem camelopardos, viginti onagros, quadraginta equos feros, & decẽ archeleantes, & cætera huiusmodi animalia innumera, quæ vel donata vel occisa fuerant. Refertur Philippum (Christianus namq; erat) cum precationũ in die postremæ vigiliæ Paschatis vna cum multitudine particeps fieri vellet, non prius ab Episcopo (Fabianus is erat) permissum esse ingredi in Ecclesiam: quã confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumq; pœnitentiam agentibus præstiturũ occupabant, se sua sponte collocauisset, Episcopumq; dixisse eum nõ aliter, propter multa quæ ferebantur de eo delicta ab ipso in Ecclesiam receptum fore. Imperatorem vero alacri animo & iubenti Episcopo morem gessisse, & ingenuam modestiam religiosamq; affectionem Dei timore incitatam re ipsa declarasse narrant. Quod autem Philippus Christianus fuerit testimonium perhibuerunt epistolæ, quas ad eum Origenes Christiani magisterii auctoritate conscripserat. Porro accessit quoque mox Romam Origenes; vbi cum venisset in scholas, in quib. Philosophiam Plotinus profitebatur, Plotinus genas rubore suffusus assurgere voluit. At sermones continuare ab Origene rogatus respondit: Studium loquendi cessare, quando qui loquitur, animaduertit se ad illos, qui idem ipsi mouerint, verba facturum. Atq; ita cum pauca quædam disseruisset eum inde surrexisse narrat Porphyrius.

Euseb. 6. 27.

Cæterum Scythis excursiones facientibus in prouincias Romani imperii Marcus contra eos missus ab exercitu Imperator est salutatus. Mittitur ergo contra eum Decius, qui occiso eo tumultu militari, aduersus Scythas mouere iubetur. Qui quoq; à milite Imperator declaratus, persequitur Philippos & patrem Veronæ, & filium tredecim annorum interfici procurat, cum imperassent annos septem. Fertur filius fuisse Agelastus, & tidétem patrem ludis sæcularibus torue aspexisse. Floruit hoc tempore *Herodianus Alexandrinus* Grammaticus, qui vitas Imperatorum à Commodo ad Gordianum vsq; scripsit.

Zosimus Aur. Victor.

GN. MESSIVS QVINCTVS TRAIANVS DECIVS Bubaliæ inferioris Pannoniæ vrbe ortus, ab exercitu Illyricano Imperator

ratorfactus, à Senatu Augustus appellatus est. Dire hic perse-cutus est Christianos, in Episcopos atque presbyteros præcipue sæuiendo. Filium ex sententia senatus Cæsarem creauit: atque cum eo aduersus Scythas, qui omnia terra marique vastabant, profectus non sine proditione Galli, a Schytis filius interfectus, ille paludi immersus est: nec fuit vmquam cadauer inuentum. Vixerat annos quinquaginta, & duos imperauit.

C. VIBIVS TREBONIANVS GALLVS a legione quæ integra mãserat Imperator fuit creatus, & postmodum Augustus appellatus a Senatu: ad eum enim vt conseruarentur, qui ex Decii exercitu supererant, confugerant, & Hostilianus Perpenna à Senatu electus obierat peste. Pestilentia enim ab Æthiopia egressa, ac per Orientem diuagata cæteras orbis partes inuasit, & vix intra decennium finem inuenit. Gallus vero cum maximo dedecore nominis Romani fœdus percussit, vt tributi nomine imperium Romanum Barbaris ducentas aureas dragmas penderet. *C. Vibium Volusianum* consortem imperii fecit. Æmiliaus Sarmatico in Mæsia limiti præpositus Schytas depopulantes prouincias Romanas ad suas solitudines redire coegerat resq; nouas moliebatur. Aduersus quem cum pater Gallus cum filio Volusiano exercitum ducunt, à suis militibus Interanniæ Vmbriæ ciuitate interfecti sunt, cum imperassent annum vnum, menses sex & aliquot dies. *Zosimus. Aur. Victor.*

C. *Iulius Æmilianus* genere Maurus, cum dominatus fuisset quatuor menses apud Spoletum ad pontem Sanguinarium ab ipsius cæde dictum necatus fuit annos natus quadragintasex. *Zosimus & Aur. Victor.*

P. AVRELIVS LICINIVS VALERIVS VALERIANVS in Rhætia ac Norico agens ab exercitu Imperator salutatus, mox Augustus est factus homo iners, nec bellicis nec ciuilibus officiis aptus. Filium Galienum fecit Imperatorem, & Cornelium Valerianum nepotem Cæsarem. Bello à Sapore Rege Persarum superatus ac captus ignobili seruitute apud eum consenuit. Nam Sapor ad conscendendum equum eo vtebatur pro scamno: ipseq; persecutionis octauę motę in Christianos pœnã persoluit. Quorum sane precibus si Romanum imperium nõ fuisset suffultum, certe concidisset. Nam persuasum habebant Christiani amplitudinem imperii prodesse ad propagationem religionis, & deficiente imperio instare finem sæculi. Itaque pro Imperatoribus, atque mora finis soliti erant orare. Porro scripsere pro Valeriano ad Saporem Artabasdes Rex Armeniorum, Valerus Rex Cadusiorum, & Belsolus, cũ Galienus captiuitate patris videretur gaudere. Qui abdomini atque voluptatibus deditus, dies noctesque vino ac stupris perdebat orbem terrarum: cum vndique *Zosimus. Trebellius Pollio.*

Tyranni

AN. MVN. ET CHRISTI.

Tyranni exurgerent per imperium Romanum ad triginta vsque numero. Nam non viri modo, sed etiam mulieres eum contemptui habuerunt. *Cyriades* patrem fugiens, atque Saporem ad bellum hortator a suis occisus fuit. *Posthumus* à Gallis ad imperium vocatus Lolliano procurante interemptus fuit cum filio *Posthumo*: qui ita disertus erat in declamationibus, vt eius declamationes inter Quintiliani dicerentur insertæ. *Lollianus* inde à suis militibus occisus fuit. *Victorinus* qui Gallias cum Posthumo rexerat ob stupratam vxorem Notarii cuiusdam cum filio *Victorino* Agrippinæ percussus est: sepulcris inscriptum fuit; *Hic duo Victorini tyranni siti sunt*. Post hos *Marius* faber ferrarius cum triduo imperasset, ense quem ipsus confecerat, à gregario milite occisus fuit. Hæc in Galliis.

In Pannoniis *Ingenuus* a Mæsiacis legionibus Imperator creatus à Galieno deuictus occubuit, in omnesque Mæsiacos milites sæuitum, atque ciues etiam vsque, vt ciuitates plerasque vacuas à virili sexu relinqueret.

*Religianus* militari ioco regna promeritus in Illyrico ducatum gerens Imperator salutatus auctoribus Roxolanis consentientibus militibus interemptus fuit.

*Aureolus* in Illyrico quoque coactus ad imperium suscipiendum interfectus in conflictu à Claudio fuit: *Macrianus* cum filiis in Oriente Imperatores salutati à Domitiano deuicti pater & filius Macriani interfecti. *Quietus* filius & *Balista* ab Odenato interempti. Hic Palmyrenorum Princeps, parato contra Persas exercitu, Nisibim & Mesopotamiam receperat, Saporem persecutus capta magna præda ad Orientem vsque est: & à Mæonio consobrino suo cum *Herode* filio occisus fuit. *Maonius* postquã Imperator esset salutatus, breui à militibus interemptus. *Valens* in Achaia Imperator declaratus illico à militibus occiditur. *Piso* quo neque vir melior erat neque constantior in Thessalia assumpto imperio per Valentem iam erat è medio sublatus. *Æmilianus* in Ægypto seditione coactus imperium assumere misso Theodoro duce Galieno iubente, strangulatus in carcere fuisse perhibetur. *Saturninus* ab iisdem militibus, à quibus Imperator factus fuerat, interemptus fuerat. *Trebellianus* in Isauria se Imperatorem appellauerat, à Causisolæo Ægyptio victus & occisus est. *Celsus* in Africa Imperator creatus septimo die occisus fuit, corpusque eius à canibus fuit consumptum. *Tetricus* imperauit in Galliis cum filio: ad quod Victoria eum fuerat adhortata. Hæc se castrorum matrem dicebat. Cusi fuere eius nummi ærei, argentei & aurei, quorum forma exstabat apud Treuiros. Super omnes *Zenobia Syra* Odenati vidua, quæ se de Cleopatrarum & Ptolomæorum gente iactabat, omnes visa est superare,

cum

eam nomine *Herenniani* & *Timolai* filiorum nomine accepto Diademate imperaret: atq; Persarum Regum more adoraretur: Vtebatur vasis aureis gemmatis ad conuiuia, quibus & Cleopatra fuerat vsa: Loquebatur Ægyptiace ad perfectum modum, Historiæ Alexandrinæ atq; Orientalis ita perita, vt illam in epitomen redegisse dicatur. Latinam vero Græce legebat: linguæ tamen Latinæ non vsq; quaq; ignara. Filios Latine loqui iusserat, sic vt Græce difficile vel raro loquerentur. *Timolaus* tanti ardoris erat ad studia Romana, vt breui consequeretur, quæ insinuabat Grammaticus, & Rhetorem summum se Latinorum quoq; ostenderet.

Porro *Galienus* oratione, poemate aliisque artibus licet esset insignis: tamen cum lenonibus, scurris & mimis viuens, noctibus etiam popinas frequentabat. Igitur apud Mediolanum cum Valeriano fratre trucidatus fuit: & postmodum filius eius Saloninus interiit. Imperauit cum patre sex annis, & post eum captum nomen, nempe quindecim annis.

M. AVRELIVS FLAVIVS CLAVDIVS deinde suscepit imperium, qui cum variarent in Senatu sententiæ Gothos prius tyrannis aggrediendos censuit: quod hi Principis, illi Reipublicæ essent hostes. Vir parcus, modestus, & Reipublicæ gerendæ idoneus; sed crudelis erga Christianos. Armatarum 320000 gentium fuisse, quas Gothi concitauerant, quasque Claudius deuicerat, tradit Treb. Pollio, in laudem eius propensior, adulando Constantio Chloro; cuius proauunculus Claudius fuerat. Finito bello Gothico Claudius morbo exstinctus est, cum imperasset annum vnum, mens[e]s decem, dies quinque. Decreta ei in Capitolio fuit aurea statua.

*Trebellius Pollio Zosimus & Aurelius Victor.*

M. AVRELIVS QVINCTILLVS delatum sibi merito virtutum Imperium suscepit: Decimoseptimo die tumultu militum interfectus, nihil memoria dignum designauit.

L. DOMITIVS AVRELIVS VALERIVS AVRELIANVS obscuris parentibus ac obscuro vico in Dacia Ripensi, vt plerique volunt, ortus ad imperium sublatus Princeps necessarius magis quam bonus: cum esset seuerus, truculentus, ac sanguinarius: Filiam sororis occidit non magna, neque satis idonea caussa. Interfectis quoque qui Romæ seditionem excitauerant, interempti sunt & nobiles Senatores ob leue quiddam vel ab vno vilique teste obiectum Sic ergo timeri non amari cœpit: præcipue cum acerbe persequeretur Christianos. Interim vicit Marcomannos, Gothos, Tetricum quoque se dedentem atque ad eum scr[i]bentem è Galliis: *Eripe me his inuicte malis*: in triumphum duxit, vna cum *Zenobia* ornata gemmis ingentibus, ita vt ornamentorum genera ferre vix posset. Itaque Galliæ atque Orientis regionibus

*Flauius Vopiscus & Zosimus.*

ANNI CHRISTI.

recuperatis Tetricum cum filio correctorem Italicæ fecit,& Zenobiam cum filiis data possessione in Tiburti Romæ non longe ab Adriani domo viuere permisit. Illud in eo fuit memoratu dignum, quod cum Thyanam vrbem sibi portas occludentem cernens dixerat, *ne canem se illuc relicturum*: proditaque vrbe ab Heraclammone metu, iusserit proditorem patriæ necari, bonis eius liberis relictis. Quodque etiam militibus euersionem vrbis postulantibus dixerit: *Occidite canes omnes* In hoc leuitatem, in illo seueritatem ostendens. Cum vero properaret ad bellum Persicum inter Heracleam, & Byzantium fraude Mnesthei Notarii secretorum eius, & manu Mucaporis interemptus est, cum imperasset annis sex, minus paucis diebus.

Post interregnum mensium septem, dierum viginti octo M. CLAVDIVS TACITVS à Senatu Imperator declaratus est: videbaturque Respublica in antiquum statum rediisse. Prima eius cura fuit; vt omnes qui Aurelianum occiderent, interficerentur. Nihil magnum propter breuitatem temporis gessit. Sexto enim mense factionibus militaribus oppressus interiit. Cornelium Tacitum scriptorem Historiæ Augustæ (quod parentem eumdem suum diceret) in omnibus bibliothecis collocari iussit; librumque eius singulis annis decies scribi, ne interiret incuria, curauit. Scripsit ad eum Modestus de vocabulis rei militaris.

M. ANNIVS FLORIANVS Taciti frater imperium arripuit, & vix duobus mensibus illud tenuit. Occisus enim est Tharsi à militibus, qui audiuerant M. VALERIVM AVRELIVM PROBVM imperare, quem omnes exercitus Orientales legerant. Fuit hic oriundus è Pannonia ciuitate Sormiensi, moribus nomini *Probi* respondens. Animaduertit in eos, qui Tacito insidias fecerant: & Floriani sociis pepercit, quia non Tyrannum, sed Principis fratrem secuti fuissent. Galliis à Germanis liberatis, Proculum Albigaunum fugatum, atq; à Francis, ad quos confugerat, proditum interemit. Bonosum Hispaniensem Agrippinæ oppressu laqueo vitam finire coegit. Isauriam capto ac interfecto Palfurio latrone liberauit. Blemyas subegit. Facta pace cum Persis ad Thraciam rediit & 100000 Bastarnarum in solo Romano constituit. Triumphauit de Germanis & Blemyis. Bellum deinde Persicum parans à militibus suis in patria sua Sirmii, confugiens in ferratam turrem, quam pro specula ædificauerat, interemptus est, anno imperii quinto, mense quarto. Postea tamen ingens sepulcrum elatis aggeribus ei milites fecerunt: inciso marmori hoc titulo: HIC PROBVS IMPERATOR ET VERE PROBVS SITVS EST, VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

*Zosimus & Fl. Vopiscus.*
277.
277.

M. AVRE-

M. AVRELIVS CARVS Narbone natus Imperator à militibus declaratus nuncupatis CARINO & NVMERIANO Cæsaribus consensu militum bellum Persicum aggressus est. Mesopotamiam cepit & Ctesiphontem progressus fulmine periit, cum imperasset annum & aliquot dies. Succedunt vero filii M. AVRELIVS CARINVS & M. AVRELIVS NVMERIANVS. Erat *Numerianus* tantus orator, vt lecta eius oratione in Senatu, quam transmiserunt, decreta ei fuerit statua ponenda in Bibliotheca Vlpia, cui subscriptum erat: *Numeriano Cæsari oratori temporibus suis potentissimo*. Tantus quoque poeta, vt contenderet cum M. Aurelio Olympio Nemesiano Carthaginensi, cuius Cynegetica cum quattuor Eglogis Bucolicis etiamnum exstant longe elegantissima. Mortuo patre *Numerianus* cum nimio fletu oculis doleret atque lectica portaretur, factione Arrii Apri soceri sui, qui imperium inuadere conabatur, occisus fuit: fœtore cadaueris parricidium est proditum: cumque Diocletianus imperator ab exercitu esset creatus, Aprum educto gladio percussit. Narrant a Druide muliere in Gallia apud Tungros quondam fuisse prædictum tum ipsum imperaturum esse, quando occiderit Aprum. Cumque inter venandū apros iccirco persequeretur atq; occideret sæpiuscule, & multi interim Imperatores crearentur; dicere solitus erat: *Ego semper apros conficio, & alter semper vtitur pulpamento*; donec tandem hunc fatalem Aprum interfecisset.

ANNI CHRISTI. *Fl. Vopiscus* 282. *Fl. Vopiscus.*

CARINVS quo impurior ac sceleratior non erat, cū Occidenti Cæsar cum Imperatoris potestate esset relictus, cumq; comperisset patrem fulmine absumptum, fratrem à socero interemptum, & Diocletianum esse appellatum Augustum: quasi liber à domesticæ pietatis frœnis, indies maiora scelera edebat. Vigore quoque mentis ad vindicandum sibi imperium accēsus, contra Diocletianum multis prœliis conflixit. Sed commissa apud Murtium vltima pugna occubuit, trucidatus eius tribuni dextera, cuius vxorem dicebatur polluisse, cum sui eum deseruissent. *Fl. Vopiscus*

C. VALERIVS AVRELIVS DIOCLETIANVS Dalmata op do Diocleia ortus Amitini Senatoris Libertinus, cæso Carino à S. P. Q. R. magno honore exceptus fuit. Ab eius principatus primo anno soliti fuerant Christiani numerare subsequentes annos, iccirco, quod inde Patres Concilii Niceni auspicati fuerant Cyclum decennoualem aurei numeri. Donec Dionysius Exiguus an. à Christo nato numerare docuit. *Diocletianus* administrationis imperii difficultatem considerans *M. Aurelium Valerium Maximianum* Cæsarem secundo anno fecit, atque redeuntem ex Gallia Augustum nuncupauit: se Iouium, illum Herculeum cognominans, cum eum in Africam mitteret ad opprimendum *Aur. Vict.*

ANNI CHRISTI. Quinquegentianos Fl. Valer. Constantium Chlorum & C Valer. Galerium Maximianum Armamentarium Cæsares creauit Qui vxores repudiare compulsa Galerius Valeriam Diocletiani filiam, Constantius Theodoram Herculei Maximiani priuignam duxerunt. Cumq; res per orbem terrę turbatæ essent; varia bella gesta sunt. Galerius, qui quod infeliciter aduersus Narseum Persam pugnasset, cum ad Diocletianum esset profectus, cum ei in itinere occurrisset, ad aliquot mille passus ad vehiculum purpuratus currere coactus fuit, antequam audiretur. Deinde nouo accepto exercitu in Armenia pulso Narseo, castra eius diripuit, vxores, sorores, liberos multosque nobiles cum vniuersa Gaza Persica cœpit, quare reuersus ad Diocletianum ingenti honore susceptus est. Maximianus in Africa bellum profligauit. Erat *Diocletianus* subtilis ingenio, callidus ac sagax, qui imperio Romano primus Regiæ consuetudinis formam induxit. Adorari se iussit, cum ante eum cuncti salutarentur: ornamenta gemmarũ vestibus calceamentisque indidit: cum prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantum esset: reliqua communia. Herculeus licet ferus atque asper illi in omnibus sanioribus consiliis obsequebatur. Itaque ingrauescente ætate, volente Diocletiano & ægre obtemperante illo, post inclytum triumphum, qua Narsei coniuges & liberi ante currum ducti sunt, Nicomediæ Diocletianus, Mediolani Maximianus vno eodemque die insignia imperii deposuerunt: concesseruntque hic in Lucaniam: ille ad villam suam iuxta Salonam vbi in otio senuit.

308. FL. VALERIVS CONSTANTIVS CHOLORVS, & G. VALERIVS GALERIVS MAXIMIANVS Augusti declarati. *Constantius* Galliam, Hispaniam, Italiam & Africam: *Galerius* Illyricum, Asiam ac Orientem sibi partito sumpserunt. Hic Galerium Maximianum nepotem ex sorore Cæsarem fecit per Orientem: cumque Italiam ipsi cessisset Chlorus, Cæsarem ibi constituit Seuerum. Constantius vero non modo amabilis, sed etiam venerabilis erat Gallis: vbi quiete cultu modico agebat, diuitiis prouincialium ac priuatorum studens, & fisci cõmoda non admodum affectans, Christianis quoq; nequaquam infensus erat, quare suspectam Diocletiani prudentiã, & Maximiani sanguinariam temeritatem eius imperio euasisse se Galli gaudebant. Eius filiã Constantiam duxerat in vxorem Licinius Dacia oriundus, & filius eius in coniugem acceperat Faustam Maximiani Herculei filiam ac sororem Maxentii. Obiitque in Britannia Eboraci, principatus anno decimo tertio, imperii secundo, mense tertio, die quinto.

Floruerunt eius ætate *T. Calphurnius Siculus* Poeta, cuius Bucolica exstant. Historiæ scribendæ quoque manus admouentes

*Æli-*

*Ælius Lampridius, Iulius Capitolinus, Ælius Spartianus, Vulcatius, Gallicanus, Trebellius Pollio, & Fl Vopiscus* contenti fuerunt breuitate mediocri & vera rerum memoria commendare. ANNI CHRISTI.

Porro patri in imperio successit natu maior filius FL VALERIVS CONSTANTINVS MAGNVS natus ex Helena muliere Britanna, Augustus nominatus annitente præcipue Eroco Alemannorum Rege, auxilii gratia Constantium in Britanniam comitato.

Romæ interea Prætoriani MAXENTIVM Maximiani Herculei filium Augustum nuncupauerunt. Quo nuntio cum Herculeus ad spem resumendi imperii erigeretur Romam aduolauit, ac Diocletianum frustra per literas, vt rursum imperare velit, sollicitauit. Seuerus à Galerio missus cum obsideret vrbem scelere suorum militum fugere coactus, Rauennæ interfectus fuit Maximianus concione à filio ad se exercitum trahere orsus seditionem & conuicia militum tulit. Inde profectus in Galliam ad fraude occidendum generum Constantinum. Sed ea detecta per Faustam eius filiam vxorem Constantini, Massiliam fugit: vbi oppressus perfidiæ pœnas luit fractis laqueo ceruicibus sexaginta annos natus.

C. VALERIVS LVCINIVS Dacia oriundus à Galerio Imperator factus, à Constantino Mediolanum accitus Constantiam eius sororem in coniugem accepit. *Maxentius* qui crudeliter Romæ imperabat, mire erat infestus Christianis. Quemadmodum & *Galerius* in Oriente, & in Ægypto præcipue *Maximinus Alexander* Phryx Carthagine se Imperatorem constituens, victus à fautoribus Constantini iugulatus est. *Valens* quoque in Oriente occisus est. *Galerius Maximianus* consumptis genitalibus à vermibus è corpore ebullientibus defecit, cum eum pœniteret persecutum fuisse Christianos. Contra Maxentium profectus Constantinus conspecta cruce in aere cum inscriptione: IN HOC VINCES: tyrannum apud pontem Miluium vicit, submersum in Tyberi amne. Ex hoc instituit formari Labarum seu Fauonem in crucis morem, in cuius vexillo essent literæ XP. inscriptæ CHRISTI nomen significantes. Hocque signum iussit perpetuo deinceps vniuersum exercitum antecedere. Diocletianus increpitus, quod Maxentio fauisset, ac nunc faueret Maximino formidine morte voluntaria consumptus fuit. Maximinus, qui ebriosus multa mente corrupta aspera iubebat, bellum contra Licinium parans Tarsis Ciliciæ interiit. Licinium expellentem tamen quadam aula sua Christianos non meliorē manere sortem intelligemus: cum illum à Constantino interemptum fuisse Thessalonicæ legemus.

ANNI CHRISTI.

# ÆGYPTVS.

Alexandriæ ſeditio orta ob Apin: qui cum repertus eſſet poſt multos annos turbas inter populos creauit apud quem deberet locari omnibus ſtudioſe certantibus. *Adrianus* in Ægyptum veniens vrbem Antinoï condidit ſic dictam a puero Bithynio, quem cum in deliciis haberet, in Nilo fuerat, vt ferebat, ſubmerſus, quem etiam pro Deo voluit coli, vbique ei templa exſtruens.

*Antoninus Pius* in Ægypto rebelliones repreſſit.

Cum per Ægyptum Bucolici milites grauia multa feciſſent; *M. Antonino* Imperatore per Auidium Caſſium retuſi ſunt. Caſſium rebellantem perſecutus venit Alexandriam, & apud Ægyptios ciuem ſe egit.

# GRÆCIA.

Athenis Iouis Olympii ædem, Gymnaſium, & aram ſibi conſtituit *Adrianus*, eaque dedicauit. In æde Iouis impoſuit draconem ex India deportatum: fuit & eius ſtatua in ea. Pecuniam multam, annuum frumentum Athenienſibus elargitus eſt.

Corinthi lauacra exſtruxit. In Achaia rebelliones ſedauit *Ant. Pius.*

*M. Anton.* Athenis fuit, & inter alia Cereris templum adiit, & ſacrarium ſolus ingreſſus eſt.

# ITALIA.

Adrianus, *quatuor Conſulares iudices per Italiam conſtituit Romæ pontem per Tyberim, & molem exſtruxit Pantheon, ſepta, baſilicam Neptuni, forum Auguſti, lauacrum Agrippæ inſtaurauit.* Opera Antonini Pii *Romæ ſunt Templum Adriani, Templum Agrippæ, Pons ſublicius, Phari reſtitutio, Caietæ portus, Terracinenſis portus reſtitutio, lauacrum Hoſtienſe, Anciatium aquæductus, templa Lanuuiana.*

*In Italiam plurimi Marcomanni traducti ſunt à* M. Antonio. *Qui ex Ægypto nauigio Brundiſium veniens in Italiam togam ſumpſit: & milites togatos eſſe iuſſit: nec vmquam ſagati ſub illo fuerunt milites.*

# HISPANIA.

*Adrianus* per hyemem omnibus Hiſpanis in conuentum vocatis, delectumque iculariter detrectantibus Italicis, vehementiſſime cæteris prudenter & cautè conſuluit Taracone, vbi ſumptu ſuo ædem Auguſti reſtaurauit.

Mauri

Mauri Hispanias cum pæne omnes vastarent, res per legatos *M. Antonini* bene gestæ sunt. ANNI CHRISTI.

Compositæ quoq; res, quæ per Lusitaniam turbatæ erant.

## GALLIA.

*Adrianus* apud Nemausum Aremoricorum ciuitate (Nismes) in honorem Plotinæ vxoris Traiani basilicam opere mirabili extruxit. Gallos caussariis liberalitatibus subleuauit.

Res in Sequanis perturbatas *M. Anton.* censura & auctoritate repressit.

*Did. Iulianus* sub eo Belgicam sancte ac diu rexit. Ibi Cauchis Germaniæ populis, qui ad Albim fluuium accolebant erumpentibus restitit tumultuariis auxiliis prouincialium, Cattos etiam debellauit.

## GERMANIA.

*Adrianus* Germanis regem constituit & transiens Germaniam quasi vitam militarem ageret, cibis castrensibus, larido, caseo, posca in propatulo vescebatur. Multos præmiis, nonnullis honoribus donans, vt ferre possent, quæ asperius iubebat.

Germanos & Dacos rebellantes per præsides ac legatos contudit *Anton. Pius*.

Contra Cattos qui in Germaniam & Rhetiam irruperant missus & Aufidius Victorinus sub *M. Anton.* & *L. Vero*. *M. Antoninus* Vero mortuo contra Germanos res feliciter gessit: atque Panonias Marcomannis, Sarmatis, Vandalis, simul & Quadis exstinctis seruitio liberauit. Germanorumq; auxilia contra Germanos eunt.

## GOTHIA.

Exortum alterum bellum ab Alanis (sunt hi Massagetæ inquit Dion Cassius) auctore Pharasmane: sed accepta pecunia & donis, & metu Fl. Arriani, qui Adriani nomine Cappadociæ præerat, ab armis quieuerunt.

Alanos molientes sæpe bellum refrænauit *Antonin. Pius*. Pharasmanes Rex ad eum Romam venit, plusque illi quam Adriano detulit. Victouali, Sosibes, Sicobotes, Rhopolani, Bastarnæ, Alani, Ponconi, Costoboci coniurauerant sub *M. Antonino*.

## ITALIA.

*Maximo contra Maximinum ad bellum profecto inter Prætorianos, qui Romæ remanserant, & populum tanta seditio orta est, vt magna pars vrbis incenderetur, templa fœdarentur, omnes Plateæ pollurentur cruore, cum Balbinus senex seditionem sedare nō posset. Sed*

ANNI CHRISTI. *producto puero Gordiano purpurato, longissimi hominis collo imposito ad populum, se data tandem illa fuit.*

*Iterum seditiones ortæ, in quibus magna pars ciuitatis, & multorum diuitiæ perierunt.*

## VERONÆ AD PORTAM BVCSARCAM.

COLONIA AVGVSTA VERONA
NOVA GALIENIANA VELERIA-
NO II. ET LVCILLO CONS.
MVRI VERONENSIVM
FABRICATI EX DIE III.
NON. APRILIVM.
DEDICATI PR. NON. DE-
CEMBRIS. IVBENTE SAN-
CTISSIMO GALIENO
AVG. N. INSISTENTE
AVR. MARCELLINO. V. P.
DVC DVC. CVRANTE
IVL. MARCELLINO.

*Accepta clades sub Aureliano à Marcomannis; omnia enim ab ipsis circa Mediolanum vastata sunt: vnde ingentes Romæ seditiones motæ sunt. Postea tamen Marcomanni superati sunt & vagantes carptim Aurelianus occidit. Tanta enim cum facta constipatione exercitus sui concurrere vellet omnibus, apud Placentiam clades accepta fuerat, vt Romanū pene fuerit dissolutū imperiū Monetarij viciatis pecunijs & Felicissimo Rationali interfecto in vrbe rebellarunt: quos Aurelianus vltima crudelitate compescuit. Romam firmis muris cinxit.*

*Maximianus Herculeus thermas Mediolani vrbe insubrum ædificauit. Aquileiæ construxit palatium nouum, in quo Fausta eius filia erat effigiata, Constantino cui postea nupsit, galeam ex auro & gemmis nitentem offerens. Brixiæ quoque ædificauit Palatium Herculeum. Florebat tum vel maxime Mediolanum.*

Iulianus *in Italia Imperator effectus, victus à Diocletiani Ducibus acto per costas pugione, se in ignem proiecit.*

## GALLIA.

Gallia Germanorum vastationibus diripitur sub Alexandro.

Bellum ciuile in Gallia excitatum Decius oppressit.

Alemanni vastatis Galliis in Italiam penetrauerunt. Posthumius

mius per annos septem imperans in Gallia regionem ab omnibus circumfluentibus Barbaris validissime vindicauit.

Ciuitates & castra à Posthumio ædificata irruptione subita Germanorum direpta, & incensa fuerunt.

Narrant Rothomagi Mellonem primum eius vrbis Episcopum Rethidolum eiusque templum euertisse: quod & hymno Ecclesiastico Rothomagi decantari solito ostendere conantur.

Galliæ interfecto *Aureliano* à Germanis possessæ sunt, *Probus* ergo septuaginta ciuitates nobilissimas recepit: omnesq; Gallias penitus liberauit, præda omni recepta.

Proculus & Bonosus apud Agrippinam in Gallia arripientes omnes sibi Britannias Hispanias & Braccatæ Galliæ prouincias vindicarunt: sed *Probus* Barbaris iuuantibus eos vicit: Nam Germani ad auxilium rogati à Proculo, *Probo* potius perseruire maluerant. Gallis omnibus permisit habere ac conficere vinum etiam Probus.

Apud Neruios ciuitate Tornaco *pratus* martyrio fuit coronatus Kalend. Octobris. Et *Chrysolius* Comenæ apud Pleumosios ad amnem Leyam.

*Fuscianus & Victorius* Ambianis.

*Quintinus* vero in Veromanduis. Vnde & vrbi *S. Quintini* nomen inditum esse asserunt.

*Diocletianus* Augustus Maximianum aduersus irruentes Germanos factionem Bagaudarum in Galliam misit.

Rustici tumultũ in Gallia excitantes factioni suæ nomen Bacaudarum imponunt constituentes sibi duces Amandum & Ælianum: illuc missus Maximianus Cæsar ad eos subiugandos, leuibus aliquot prœliis agrestes domuit, & partem Galliæ reformauit. Constantinus in Galliis, & militum, & prouincialium ingenti fauore regnat, cæsis Francis atque Alemannis, captisque eorum Regibus, quos etiam bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecit.

## GERMANIA.

Maximinus ingressus Germaniam Transrhenanam per trecenta vel quadringenta miliaria, barbarici soli vicos incendit, greges abegit, prædas sustulit, plurimos Barbarorum interemit, militem diuitem reduxit, cepit innumeros, & nisi Germani per amnes & paludes & siluas confugissent omnem Germaniam in Rom. ditionem redegisset. Ipse præterea manu sua multa faciebat, cum etiam paludem ingressus circumuentus esset à Germanis, nisi cum equo inhærentem sui liberassent. Deniq;

ANNI CHRISTI. quaſi nauale prœlium in Palude fecit, plurimoſque illic intereunt.

Per hocce tempus Saxones Leonem in numiſmatibus ſuis circumtuliſſe ſcribit Methodius.

Germani Rauennam vſque venere vel infelicitate vel ignauia Valeriani & Galieni.

Pannonia a Sarmatis Quadiſque populata eſt.

*Pipa* Rex Marcomannorum per pactionem accepta parte ſuperioris Pannoniæ dedit matrimonii ſpecie Saloniam filiam Galieno Imperatori: dicta hæc erat Pipara.

*Aurelianus* tribunus ſextæ legionis apud Maguntiacum Francos irruentes, vt vagarentur per Galliam, ſic afflixit, vt ſeptingentis interfectis, trecentos vendiderit. Cumque antea mille circiter Sarmatas occidiſſet; de eo fuit facta cantilena, ad quam pueri puellæque ſaltabant. *Mille Francos, mille Sarmatas, ſemel occidimus, mille, mille, mille, mille, mille Perſas quærimus.* Idem contra Sueuos ac Sarmatas feliciter pugnauit.

Subacta late Germania à Probo, ad cuius pedes nouem diuerſarum gentium Reges ſupplices ſe proſtrauerunt, poſtquam 400000 hoſtium proſtrauiſſet, 16000. tyronum ex Germania recepit: quos per diuerſas prouincias ſparſit, ita vt numeris vel limitaneis militibus quinquaginta vel ſexaginta interſereret. Rebelles vltra Nicrum fluuiũ & Albam remouit. Inde tendens in Illyricum RHETRAS ita pacatos reliquit; vt illis ne ſuſpicionẽ terroris vllius reliquerit. Gepidæ, Grutumni & Vandali, quos Probus in ſolo Romano conſtituerat, fidem frangentes per totum fere orbem vagati ſunt pedibus nauigando, quos diuerſis viribus variiſque victoriis ille oppreſſit.

Pars Pannoniæ à Valeria Diocletiani filia nomen traxit.

Franci & Saxones per tractum Belgicæ & Aremoticæ infeſtant mare. Carauſius cum apud Bononiam in ſuſpicionem veniſſet cõnſulto à ſe permitti Barbaros prædari, vt exceptos cum præda inuaderet, atque ſe hac ratione ditaret: à Maximiano iuſſus occidi, purpuram ſumpſit & Britannias occupauit, & imperauit ibi annis ſeptem. cum ab Allecto ſocio ſuo occideretur. Qui poſt triennium ab Aſclepiadoro præfecto Prætorii eſt oppreſſus: vt ita Britannia decimo anno recepta ſit. In Galliis circa Lingonas à Conſtantio Cæſare pugnatum eſt, qui fere 60000. Alamanorum cæcidit.

## GOTHIA.

Pugnatum ſub Maximo & Balbino Impp. à Carpis Schytis contra Mœſos fuit: & Schytici belli initium & excidium Hiſtrię ciuitatis. Gordianus tumultuario prœlio deuictus ab Alanis

campis

campis Philippis excesserat. Argunthis ergo Schytarum Rex finitimorum regna vastabat.

Dacia quæ a *Traiano* vltra Danubium fuerat adiecta imperio amissa est Scythæ in Cappadociam peruaserunt: illic captis etiam ciuitatibus, bello diu acies quoque ad Bithyniam contulerunt. Scythæ nauibus factis Heracleam peruenerunt, atq; inde cum præda in solum proprium reuerterunt: quamuis multi naufragio perierunt nauali prœlio superati. Deinde Scythæ per Euxinum nauigantes Istrum ingressi, multa grauia in solo Romano fecerunt.

A Byzantiis Ducibus victi sunt Barbari circa Pontum. Gothi superati sunt nauali prœlio a Veneria, quo mortuo Cyzicum & Asiam, deinceps Achaiam omnem vastauerunt. Martianus Scythas varia fortuna bellorum agitauit: quæ omnes Scythas ad rebellionem excitarunt.

Gothi Burgundiones penitus exscindunt: rursus pro victis armantur Alamanni. Itemque Teruingi pars alia Gothorum adiunctâ manu Tarfalorum aduersus Vandalos Gepidas concurrunt.

Carpis & Bastarnis subactis & Sarmatis victis, ingentes copiæ captiuorum in finibus Romanis positæ sunt à successoribus Diocletiani. Constantinus Gothos post ciuile bellum varie profligauit. Pace his postremo data ingentem apud Barbaras gentes memoriam gratiæ collocauit.

## ÆGYPTVS.

Firmus sibi sine imperii insignibus Ægyptum vendicauit Sed eam statim Aurelianus recepit. Exstant apud Ægyptum opera, quæ Probus cum illam in Aureliani potestatem redegisset, per milites in plurimis ciuitatibus exstruxit Ora fluminum patefecit plerasque paludes siccauit, atque in his segetes agrosque constituit.

*Achilleus* in Ægypto Imperator effectus à Diocletiano Alexandriæ obsessus octauo fere mense superatur, atque bestiis obiicitur. Imperatore acerbe victoriam prosequente: cum totam Ægyptum grauibus præscriptionibus cædibusque fœdaret.

## GRÆCIA.

Græcia, Macedonia, Pontus, Asia vastata per Gothos. Gothi vastantes Achaiam ab Atheniensibus Duce Dexippo scriptore horum temporum victi sunt. Inde pulsi per Epyrum Acarnaniam, Boetiam peruagati sunt.

Galienus Gothis vagantibus per Illyricum occurrit, & fortuito

ANNI CHRISTI. tuito multos interemit. Quo comperto Scythæ coactis in vnum copiis per montem Gessarem fugere sunt conati.

Byzantium ciuitas clara naualibus bellis, claustrum Ponticum per Gallieni milites ita omnis vastata est; vt prorsus nemo superesset, qui antiquitatem generis, nobilitatemque repræsentaret: nisi si quis peregrinatione vel militia euaserat. Athenis captis cum Gothi libros censerent comburendos esse, vnus eorum, *Abstineamus*, inquit, *libris: quibus dum Græci incumbunt, minus idonei ad bella fiunt.*

## HISPANIA.

Germani vsque ad Hispanias penetrauerunt sub Galieno, & ciuitatem nobilem Tarraconem expugnauerunt.

Probus Hispanis omnibus permisit vt vites haberent, vinumque conficerent.

Habuit Hispania hoc tempore crudelissimos præsides mire in Christianos sæuientes *Dacianum* & *Calphurnianum*: quorum cum hic interfecisset *Eulaliam* Hispalensem virgunculam quarto Idus Decembris: alteram *Eulaliam* secundo Idus Februarii Barcinone variis tormentis interemit: gladioque percussit eius comitem Iuliam & *Engratiam* apud Cæsaraugustam. Martyrium quoque Legione passus est *Marcellus* cum vndecim filiis, decimo septimo Kalend Maii. Cæsaraugustæ passi fuere *Optatus, Lupercus, Successus, Martialis, Vrbanus, Iulius, Quintilianus.*

Hispaniæ pace fruebantur sub Constantio Chloro.

## BRITANNIA.

Britannia à Diocletiano & Maximiano Herculeio ita recuperata est: vt nationes terminis eiusdem insulæ cohærentes illorum nutibus obsequerentur.

Britannia adhuc in potestate Carausii erat. Quo ab Allecto socio occiso, Constantius aduersus eumdem Allectũ ex Sequana profectus illum prœlio vicit, atque etiam occidit, cæsis etiam tam ipsius, quam auxiliaribus Francis militibus. Itaque Britannia Gallia & Hispania, quæ postmodum Constantio cessere, non fuerunt persecutionem passæ. Qui etiam in Augusto Ciuensium opido Eumenium Rhetorem, qui ipsi magister memoriæ fuerat ornandæ ciuitatis, excolendæque iuuentutis caussa auditorio præesse iussit, attribuens illi salarium 600000. nummum, liberato opido ab obsidione, qua latrocinio Batauicæ rebellionis premebatur: illud nouis incolis & legionum hybernis ampliauit.

## ROMANI PONTIFICES.

223. XVII. VRBANVS *Romanus multos sanctitatis exemplo & singu-*

*singulari doctrina ad fidem* CHRISTI *traducens. Hic de vsu bonorũ* ANNI
*Ecclesiasticorum ita scripsit* : quod non debeant in alios vsus, CHRISTI.
quam Ecclesiasticos & fratrum Christianorum atque indigentium conuerti: quia vota sunt fideliũ & pretia peccatorum, atq; patrimonia pauperum. *Martyrio decoratus, sepultus fuit via Tiburtina in cœmeterio Pratextati octauo Kal. Iunij M. Aurel. Claudio Pompeiano & Feliciano Coss. cum sedisset annos 7. mens 7. dies 5. Post duos menses vero successit.*

XIIX PONTIANVS *Romanus qui sollicitatione Gentilium* 231.
*sacrificiorum in Sardiniam cum Philippo presbytero deportatus fuit. Vbi post multas calamitates ac miserias fustibus mactatus est. XIII. Kalend Decembris L. Catilio Seuero & L. Ragonio Vrinatio Coss. cum sedisset annos 4 menses 4. dies 27. Eius corpus à Fabiano postmodum Romam delatum sepultum fuit via Appia in cœmeterio Calisti*

XIX. ANTHERVS *Gracus eius successor Martyrium consummauit* 235.
*tertio Nonas Ianuarij L. Catilio Seuero & L. Ragonio Vrinatio Coss. cum sedisset mensem vnum dies 14. sepultus via Appia in cœmeterio Calisti. Post 13. dies successit ei.*

XX. FABIANVS *Romanus, qui septem Notarios constituit,* 236.
*vt Martyrum res gestas conscriberent. Statuens quoque vt Chrisma singulis annis combusto veteri, in die cœnæ Dominicæ innouaretur. Celebrauit etiam Romæ concilium sexaginta Episcoporum, ac totidem presbyterorum, in quo Nouatiana hæresis damnata est, simul & Helchesitarum asserentium non esse criminosum in tormentis* CHRISTVM *ore negare; modo corde ipsum confiteantur. Fabianus martyrio coronatus, sepultus est in cœmeterio Calisti XIII. Kalend. Febru. Imp. Decio secundo, & Annio Grato Coss cum sedisset annos quatuordecim, dies quatuor Cui post mensem & viginti sex dies successit.*

XXI. CORNELIVS *Romanus, qui ossa Apostolorum Petri & Pau-* 250.
*li à Catacumbis (vbi minus tuta videbantur) clam extulit, vsus ea in re opera Lucinæ piæ matronæ, quæ in suo prædio via Ostiensi Pauli ossa deposuit, & Cornelius Petri in Vaticano non procul, vbi fuerat passus. Cum vero complures ad fidem conuerteret, Centumcellas (nunc Cincellas dictas) opidum in Thuscia grauitate aeris infame in exsulium eum misit Imp. Decius: vbi cum litteris eum Cyprianus Carthagine missis consolaretur; à Valeriano quasi maiestatis reus plumbatis cædi iussus capitis obtruncatione vitam mortalem cũ immortali permutant decimo- octauo Kal. Octobr. Imp. Cæsare Gallo & Volusiano Coss. cum sedisset annos duos, menses quinque, dies viginti septem Lucina noctu sepeliuit eum in arenario prædij sui, non longe à cœmeterio Calisti. Postquam vacauerat cathedra mensem & quinque dies successit.*

XXII. LV-

ANNI CHRISTI.

253. XXII. LVCIVS *Romanus, qui ab exulio reuersus, constituit vt duo presbyteri & tres diaconi Episcopum comitarentur, quasi testes actionum eius. Episcopis septem, presbyteris quatuor & diaconis quatuor creatis iubente Valeriano occisus est, atque sepultus in cœmeterio Calisti quarto Non. Martij Impp Cæsare Valeriano secundo & Galieno Coss. cum sedisset annum vnum, menses quatuor, dies quatuordecim. Et post mensem ac quinque dies successit ei.*

255. XXIII. STEPHANVS *Romanus, qui constituit vt presbyteri aut Diaconi numquam sacris vestibus vterentur, nisi in Ecclesia atque operando sacris. Cumque traheretur vt Marti sacrificaret, atque id facere constanter recusaret, capite truncatus fuit, atque sepultus in cœmeterio Calisti tertio Nonas Augusti: Impp. Cæsar. Valeriano quarto & Galieno quarto Coss. cum sedisset annos tres, menses tres, dies viginti quatuor & post viginti duos dies successit ei.*

258. XXIV. XYSTVS *Atheniensis secundus ex philosopho Christianus factus, cum accusatus quod* CHRISTVM *contra Principum edicta prædicaret, & nollet Marti sacrificare ad supplicium ducitur, vbi interpellanti se Laurentio ac dicenti:* Quo progrederis sine filio pater? quo sacerdos sine ministro properas? *Respondit:* Non ego te desero fili, post triduum me sequeris sacerdotem Leuita: *Interim si quid in thesauris habes, pauperibus distribue. Interfectus cum sex diaconis,* Felicissimo. Agapyto, Ianuario, Magno, Innocentio, & Stephano: *sepultus fuit in cœmeterio Calisti octauo Idus Augusti Fuluio Æmiliano & Pomponio Basso Coss. cum sedisset annum vnum, menses vndecim, dies tredecim, & post dies quindecim successit ei.*

259. XXV DIONYSIVS *monachus, qui Ecclesias & cœmeteria in vrbe diuisit: Parochias & dioceses foris distribuit, quo quisque intra suos limites se contineret. passus est septimo Kal. Ianuarij Ouinio Paterno & Mariano Coss. cum sedisset annos nouem, menses quatuor, dies quinque. Successit post quinque dies.*

269. XXVI. FELIX *Romanus, qui cum constituisset templum (si de consecratione dubitabatur) denuo consecrari, dicens non iteratum videri debere, quod factum esse nesciretur: & Martyrum memorias singulis annis sacras celebrandas, martyrio coronatus fuit atque via Aurelia sepultus tertio Kalend. Iunij M. Claudio Tacito & Furnio Placido Coss. cum sedisset annos quatuor, menses quatuor, dies triginta. Post dies quinque successit.*

273. XXVII. EVTYCHIANVS HETRVSCVS *Lunensis, qui ducentos & quadraginta duos Martyres sepelisse narratur, atque Martyrio coronatus, sepultus fuit in cœmeterio Calisti sexto Idus Decembris Impp. Cæsare Aurelio Probo & Pomponio Victorino Coss.*

cum

*cum sedisset annos nouem, menses sex, dies nouem. Post dies tres suffe-ctus est ei* ANNI CHRISTI.

XXVIII. CAIVS DALMATA, *qui constituit ne quis laicus aut alius clericum accuset apud laicos iudices, ne etiam ethnicus aut hæreticus orthodoxos accuset apud quemcumque iudicem. Episcopum etiam debere fieri, postquam per omnes gradus Ecclesiastici ordinis ascenderit. Martyrio deinde ornatus cum Gabinio fratre, fratrisque filia Susanna sepultus fuit in cœmeterio Calisti decimo Kalend. Maij Numio Tusco & Anicio Cornelio Anullino Coss. cum sedisset annos duodecim, menses quatuor, dies sex. Successit ei post dies quindecim.* 282.

XXIX. MARCELLINVS ROMANVS, *qui cum minis ac terroribus inductus simulacra adorasset, pœnitentia ductus Sinuessum Campaniæ vrbem (vbi concilium centum & octoginta Episcoporum coactum erat) cilicio indutus ac squalidus venit, petens pro inconstantia ac scelere perpetrato iustis pœnis puniri. Verum à nemine damnatus fuit, cunctis clamantibus eadem animi infirmitate & Petrum deliquisse, ac veniam lacrymis fuisse assecutum à Deo. Reuersus ergo Romam Diocletianum increpat, quod se impulerit ad peccandum, qui iratus ipsum cum pluribus aliis supplicio affecit sexto Kalend. Maij Imperatoribus Cæs. Diocletiano octauo & Maximiano septimo Coss cum præfuisset annos septem, menses vndecim, dies nouemdecim. Cum vero corpora interfectorum iacuissent triginta sex dies insepulta iussu Diocletiani, Marcellus condidit ea in cœmeterio Priscillæ.* 295.

XXX. MARCELLVS *Romanus, qui percussus fustibus vrbe expulsus fuit iussu C. Galerij Maximiani. Intrauit vero clam domum Lucinæ, quæ media in vrbe via lata habitabat, sed Ecclesia quam ibi consecrauerat, conuersa in stabulum, coactus fuit ibidem à Maximiano iumenta curare. Scripsit duas Decretales tunc epistolas, atque glorioso Martyrio affectus decimo-septimo Kalend. Februarij: Imperatoribus Cæs. C. Galerio Maximiano septimo & Diocletiano decimo Coss Sepultus fuit via Salana tertio lapide ab Vrbe in cœmeterio Priscillæ, cum sedisset annos quatuor, menses sex, dies viginti & vnum. Successit post viginti dies ei.* 303.

XXXI. EVSEBIVS *Græcus quondam medicus, qui cum constituisset ne serico intinctoue panno, sed lineo consecrato sacrificantes vterentur, Martyrium suum consummauit sexto Non. Octobr. 11. P. C. Maximiani 7. August. & Diocletiano Iouio decimo Coss. cum sedisset annos duos, menses septem, dies viginti septem. Succedens ei* 308.

XXXII. MILTIADES *Afer instituit ne fideles die Dominico quintaque Feria ieiunarent, quod Manichæis tunc per vrbem inualescentibus solenne erat, multaque ad oblationes pertinentia: & quarto* 310.

ANNI CHRISTI. 313. *& quarto Idus Decembris confessione Martyrij clarus ad Dominum migrauit. Imperatoribus Cæs. Constantino tertio & Licinio tertio Coss. sederat vero annos tres, menses duos, sepultusque fuit via Appia in cœmeterio Calisti.*

*HVc vsque Pontifices Romani omnes fere glorioso Martyrio coronati fuerunt, & salua naue atque integris mercibus ad portum æternæ salutis, pacis & numquam finiendæ securitatis peruenerunt. Huc quoque vsque terra sanguine Martyrum tincta roseo rubet colore, & cælum coronis ipsorum decoratur: itaque templa memoriis illorum mox exornantur: tempora natalibus, quibus æternitati geniti sunt, distinguuntur: miracula ac sanitates merita eorum in memoriam reducunt. Quod si certamina eorum veneramur, imitemur & eorum pietatem. Honoremus eos, vt amicos Dei non seruitute sed charitate: scientes nihil debere coli ac adorari, quod factum conditumque sit à Deo: sed vnum ipsum Deum, qui fecit ac condidit omnia.*

*August. in Psal. 118. Nazian. orat. 16.*

*Ps. 118. Aug. Epist. 44. & de vera relig. 55.*

## ECCLESIA.

### *Persecutio quinta.*

SEd & *Ireneus* Papiæ Ioannis Euangelistæ auditoris discipulus, & Photini in Episcopatu Lugdunensi successor multis & eruditis scriptis inclaruit. Eius doctissimum scriptum quinque libris distinctum Valentini aliorumque veterum hæreticorum opiniones detegens atque confutans etiamnum exstant. Hic cum 9000 piorum sui gregis sub L. Septimo Seuero persecutione quinta fuit Martyrio coronatus IV. Kal. Iulii. Ab effusione tam multi sanguinis Araris fluuius dictus deinceps fuisse *Sangona* narratur. Sic appellatus etiam ætate Am Marcellini. Irenæi ossa religiose conseruata Lugduni anno 1562. combusta fuerunt, bello sacro per Galliam grassante.

Martyrium vero passi fuere sub Seuero *Leonides* pater Origenis Alexandriæ capite plexus. Eo vero & ex Ægypto veluti ad Amphitheatrum, athletæ *Christi* deducebantur.

In Mauritania mortuo in carcere *Secundolo*; *Reuocatus*, *Saturninus*, *Perpetua* & *Felicitas* bestiis obiecti fuerunt Non. Martij.

Iudæi nunc exorti sunt scribere Talmud.

Hoc tempore *Panthenus* Stoicæ sectæ Philosophus Alexandrinæ præfuit scholæ. Qui ob præcipuæ eruditionis gloriam à Demetrio Episcopo missus est in Indiam vt *Christum* apud Brachmannos & illius Gentis Philosophos prædicaret: apud quos Euangelium Matthæi Hebraicum inuenit.

Scripsit

Scripsit vero & nunc *Clemens* Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter (iudicio Hieronymi omnium doctissimus) VIII. stromatum libros, & tria Pædagogi volumina, in quibus omnia è media Philosophia, & antiquitatis memoria sunt deprompta. Hunc imitatus *Origenes* 10. scripsit Stromateas Christianorum & Philosophorum inter se sententias comparans, & omnia nostræ religionis dogmata de Platone & Aristotele, Numenio, Cornutoque confirmans. Magnus vir ab infantia, & vere Martyris filius, & ipse confessione clarus: tenuit Alexandriæ Ecclesiasticam Scholam Clementi succedens. Voluptates in tantum fugit, vt zelo Dei, sed non secundum scientiam ferro se castraret. Calcauit auaritiam, scripturas tenuit memoriter: in quibus tantum studii habuit, vt etiam Hebræam linguam contra ætatis gentisque suæ naturam edisceret. Et in explanatione scripturarum desudauit diebus ac noctibus: reliquitque posteritati innumerabiles commentarios. Habent eius scripta errores, de quibus pœnitentiam agens scribit ad Fabianum Romanum Pontificem: caussas temeritatis referens ad Ambrosium, qui eum sustentabat, quod is secreto scripta protulerit in publicum. Romam venit quo videret vetustos ritus Ecclesiæ. Conscripserat Biblia lineis ita distinctis vt versiones septuaginta Aquilæ Simmachi Theodotionis, & duorum aliorum nempe sex, responderet textui Hebræo. Vixit nonaginta annos, misereque mortuus est Tyri.

ANNI CHRISTI.

Apud Latinos *Hippolytus* Ostiensis Episcopus in visiones Danielis commentatus est, complures scripturæ libros *C. Iulius Africanus* temporum scripsit Historias.

*Q. Sept. Florens Tertullianus* presbyter Carthaginensis, quo vix vllus acutior, vix vllus doctior & omnis antiquitatis peritior inueniri potest. Cum ergo acris & ardentis ingenii non ferens insolentiam ac sæuitiam Gentilium, quam in Christianos exercebant, omnes ingenii neruos in eorum defensionem intendit, conscribens Apologeticum librū eruditionis & eloquentiæ vires ibidem ostentans. In aliis suis voluminibus omnes ritus antiquæ Ecclesiæ exponit: & quamquam de præscriptione Ecclesiæ contra hæreticos egregium conscripserit librum, in varios tamen errores prolapsus est. Nam Montani impostoris vecordiam, qui se missum à Patre paracletum dicebat, amplexus est, secundas quoque nuptias damnauit cum Cataphrygis: & de resurrectione sentiebat cum Chiliastis, quibus persuasum erat, facta resurrectione homines mille annis omni voluptate in terra fruituros: nec fugiendum esse in persecutione volebat. Tales errores in illo Origeneque fuisse permisit Deus: quo fides habendo tentationem, haberet etiam probationem: vt

ANNI CHRISTI. dum corda ac mentes hominum veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra manifesta luce clarescat.

## *Persecutio Sexta.*

QVod de hac sexta persecutione à Maximino excitata ostenditur cum Celerinus Diaconus in Africa inter Christi milites antesignanus emineret: cuius fidei fortitudinisque gloriam vulnerum cicatrices claram faciebant: dignusque prædicaretur sua cognatione. Quandoquidem auia eius *Celerina* martyrio erat coronata: & *Laurentius* atque *Ignatius* sęculi prius deinde *Christi* milites eius patruus & auunculus palmas à Domino & coronas illustri martyrio promeruerant: pro quibus sacrificia offerebant presbyteri tertio Non. Februarii: eorumdem passiones anniuersaria celebrantes commemoratione.

*Primum schisma.* *Nouatus* presbyter Carthaginensis negabat lapsos in persecutione per pœnitentiam redire posse ad Ecclesiam, nec eos recipiendos affirmabat. Habebat socium *Nouatianum*, quem Catharri (sic se appellabant) Episcopum Romæ constituerant. Eorum falsæ doctrinæ opposuerunt se præcipue *Fabianus* & *Cornelius* Pontifices, atque *Cyprianus* Episcopus Carthaginensis.

## *Septima Persecutio.*

PErsecutione septima odio Philippi à Decio excitata, quicumque Alexandriæ à furente populo comprehensus esset, indicta caussa vel trahebatur pedibus ad mortem vel igni succendebatur. Fuit ibi *Cointha* virgo nobilis vinctis pedibus trahendo per plateas fœdo supplicio discerpta sexto Idus Februarii.

*Apollonia* quoque virgini senili ætate dentes sunt omnes extracti, detestantemq; adorare idola flammis combusserunt quinto Idus Februarii.

*Iulianus* senex podagra laborans cum ministro *Euno* camelis impositi, ac per vrbem circumducti flagris ad mortem laniati sunt tertio Calend. Martii.

*Serapion* omnibus membrorum iuncturis dissolutis ex loco excelso præcipitatus fuit decimo octauo Kalend. Decembris.

*Seirion* præacuta sude per media viscera transuerberatur vndecimo Kalend. Ianuarii.

*Epimachus* & *Alexander* cum quatuor mulieribus igne consumpti sunt pridie Idus Decembr.

Fuit in Sicilia Catanæ *Agatha* virgini post fidiculas & equuleū

mamma

mamma dissecta, ipsa permanente in fide constanter, ita vt hoc etiam Quintiano Proconsuli diceret: *An non pudet in me laniasse, quod te per matrem aluit?* Cumque mortua fuisset, reperta in eius sarcophago fuisse narratur tabula marmorea, tribus membris distincta hanc orationem continens: *Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo, patriæ liberationem.* Quibus indicatur virginem non modo sancte vixisse, sed & sponte ac libenter pro *Christo* mortem oppetiisse. Deinde comprobatur eam Deo vero ac viuo in spiritu seruiisse, ac Seruatorem tam credendo, quam operando honorasse. Postremo significatur eam tam exemplo, quam intercessione patriæ profuisse, cum illi semper optarit cognitionem *Christi*, perque eum redemptionem. ANNI CHRISTI.

*Nestor* Episcopus cruci affixus Peroen Pamphiliæ, migrauit ad Dominum, quarto Kalend. Martii.

*Hippolytus* presbyter Antiochenus, vt equis discerperetur ductus, se fuisse seductum à Nouatianis queritur, & ad Petri cathedram se reuersum gaudet tertio Kalend. Februarii.

Cęsareæ Cappadociæ *Germanus, Theophilus, Cæsarius* & *Vitalis* martyrio coronati. *Absadi* in Saxonia fidem *Christi* palam professus equuleo appensus & flammis mire cruciatus constantia atque patientia conuertit Tribunũ *Respicium* ad fidem *Christi*, & *Nympham* virginem, itaque quarto Idus Nouembris simul trucidantur.

Hoc tempore *Paulus* annos natus quindecim, Græcis & Ægyptiacis litteris apprime doctus Deum valde timens fugit in desertum, vbi ingressus officinam furtiuæ monetæ quondam, cum Antonius Cleopatræ esset iunctus: vbi cibum & vestimentum ei vetus palma præbebat, & fons lucidissimus potum; ibiq; in orationibus & solitudine omnem ducit ætatem per nonaginta octo annos.

*Restituta* virgo loco ili[illegible]lęstræ apto, vbi Cicero natus, atq; de legibus, vt scribit, disputauit, suscepto fidei certamine tortorum sæuitiam vicit, cum capite obtruncaretur sexto Kalend. Iunii cum aliis compluribus Martyribus. Vnde Fibrenum amnem deinceps *Carnellum* ex hac cæde dictum quasi Carniuorum narrant: illamque sepultam esse apud Soram coloniam Roman. in propinquo Arpino.

Sub hæc tempora noua apud Iudæos hęresis exorta, quæ libro conscripto *Talmud* nomine continetur. Sunt ergo apud eos Cabbalistæ aut Talmudistæ, qui scripturam interpretantur. Accessere & Philosophi, quorum primus fuit Moyses Ægyptius, qui longo post tempore in Pentateuchũ commentatus fuit. Sicque cæca atque incredula gens triplici interpretatione dementatur, vanaque imbuitur superstitione.

ANNI CHRISTI.

*Vitam Cypriani Iac. Pamelius dedit, operibus præfixam.*

Ornamentum illud Ecclesiæ *Cæcilius Cyprianus* ex Rhetore Episcopus Carthaginensis, qui pure ornateque loquendo, facilis explicando, & potens in persuadendo pœnitentiam defendit, ac Nouati errores detexit imo expugnauit: coronamque Martyrii adeptus est decimo octauo Kalend. Octobris.

*Cypriani* successor *Agrippinus* primus mortalium contra diuinum Canonem, Ecclesiæ regulam, sensum Episcoporum, morem & instituta maiorum rebaptizandum censebat. Quæ præsumptio non hæreticis solum, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuit erroris. Reclamabant vbique ad rei nouitatem sacerdotes: sed præcipue Papa Stephanus Apostolicæ sedis Antistes resistebat ei scribens in Africam nihil nouandum esse, ex iis quæ fuerant tradita. Explosa est igitur nouitas retenta antiquitate. *Paulus Samosatensis* quoque Antiochiæ fuit damnatus. Per hæc tempora doctrina & miraculis claruit Neocæsareæ Ponti *Gregorius.*

## *Persecutio octaua.*

LAurentius Hispanus Xysti secundi diaconus, post erogatos Ecclesiæ thesauros in pauperes, à Valeriano super ferream craticulam positus & assatus fuit quarto Idus Augusti.

*Hippolytus Commentariensis* ab ipso cum vniuersa domo eius baptizatus ad colla equorum ligatus pedes, atque per dumeta & inuia tractus Idibus Augusti emisit spiritum; *Concordia* nutrice eius plumbatis ad mortem cæsa, & nouem-decim de eius familia decollatis, quod Christiani essent. Quos mira atrocitate etiam persecutus Galienus quadraginta milites pro confessione veræ fidei via Lauicana trucidari voluit Idibus Ianuarii.

*Protus* & *Hyacinthus* securi percussi tertio Idus Septembris.

*Claudius* secundus non minus crudelis illo, *Valentinum* Romanum presbyterum in ædes Asterii vinctum iussit duci, vbi is filiæ cæcæ sui custodis cum restituisset visum, ipse Asterius accepto baptismate apud Ostiam occisus fuit duodecimo Kal. Nouem. *Valentinus* deinde fustibus percussus gladio cæsus est XVI. Kalend. Martii. Ipsis quoque Kal Martii iussit ducentos & sexaginta ad fodiendam arenam damnatos Christianos in Amphitheatro militum sagittis interfici.

## *Persecutio nona.*

POrro nona persecutione ab Aureliano excitata Augustodini Heduorum *Andochius* presbyter, *Tyrsus* diaconus & *Felix*, quos Polycarpus in Galliam prædicatum miserat, vestibus in colla

collis impactis trucidati sunt octauo Kalend. Octobris. Eodem tormenti genere insuper lancea corpore perforato, eorum socius *Benignus* presbyter Dinione Kalend. Nouemb. interfectus est. *Symphorianus* quoq; ab eis fidem *Christi* edoctus, quod sacrificare recusasset cæso capite Augustoduni martyrium compleuit vndecimo Kalend. Septembris. Ita ergo in Burgundia. Romæ via Latina *Tertullinus* capitis amputatione coronam martyrii promeruit prid. Non. Aug.

ANNI CHRISTI.

*Dionysius Alexandrinus Episcopus*, summæ eruditionis vir, ac multis confessionibus clarus, cum etiam accusaretur hæreseos, dum vehementius obluctatur, Sabellio Apologia ad Dionysium Romanum Pontificem conscripta se excusat, moritur decimo quinto Kal. Decembris.

Apud Lauream in Norico Ripensi Martyrio coronatur *Maximilianus* quarto Idus Octobris, Episcopus & Præco verbi Dei apud Celeiam coloniam Caro imperante, & Carino ac Numeriano Cæsaribus.

*Manes* Persa nunc hæresim condit Manichæorum, qui licet vuis vescantur, in tantum tamen auersantur vinum atq; mustũ, vt illud fel cacodæmonum nominent.

## *Decima Persecutio.*

DECIMA persecutio excitata à Diocletiano longinquitate temporis & acerbitate suppliciorũ cæteras omnes superabat. Cum Christiani infames quoq; haberentur, ob id, quod ab hæreticis non discernebantur à Gentilibus Orthodoxi.

Cum ergo Cataphryges ac Gnostici iam passim innotescerent, qui infantis anniculi sanguine & turpitudine multiplicis concubitus suas Synaxes polluebant, ferebantur hæc etiam fieri ab Orthodoxis. Cum antea vel Heliogabalo deuotio Christiana esset nota, atque religio eorum etiam Aureliano. Qui cum ad Senatum se difficilem præbentem ad Sibyllinos libros aperiendos scriberet, ita orditur: *Miror vos Patres Conscripti tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum Ecclesia non in templo Deorum omnium tractaretis.* Non deerant qui suis scriptis Orthodoxos defenderent, atque hanc infamiam propellerent à nomine Christiano. Præcipue *Minutius Felix*, qui tum Romæ non ignobilis erat causidicus. Eius dialogus *Octauius* etiamnum exstat, ignorantia Typographi excusus sub titulo libri octaui Arnobii, libellus mire lepidus est & lectu dignus. Hac ergo captata occasione Diocletianus sæuitiem suã exercuit in Christianos iure quodammodo Heterias volẽs tollere, & comburere libros improbatæ lectionis ex sententia Vl-

ANNI CHRISTI.

piani summi sub Alexandro Iurisconsulti Itaq; decimo nono imperii eius anno sub festū Paschę edicta proposuit, vt ecclesiæ vbiq; demolirētur, sacræ exurerentur scripturæ, quas ab Ecclesiarū præpositis iubebat tradi: Christiani haberentur infames, & serui permanentes, Christiani non possent consequi libertatem. Post addūtur grauiora edicta, cum adhibitis exquisitissimis pœnis Diis sacrificare cogerentur aut mori. Vir astutus Diocletianus iamdudum miseriis Christianorum pascebat animum læuum, reiecta in alios inuidia. Maximianus enim plane barbarus & ingenio inciuili, vultuq; tetrico minister eius immanitatis erat. Galliis enim præfectus in agro Sedunensi apud Agaunum Legionem Thebæorum bis, quod sacrificare recusarat, decimatam trucidauit, vna cum *Mauritio, Exuperio, Candido, Innocentio* & vitali præfectis X. Kal. Octobris.

*Victor* quoque emeritæ militiæ veteranus alterius legionis detestatus sæuitiam iugulatus etiam fuit.

Agrippinæ *Gereon Mallosus* cum aliis trecentis & octodecim pro vera pietate patienter colla gladiis subdiderunt sex o Idus Octobris. Suessione *Crispinus* & *Crispinianus* gladio percussi sunt octauo Kalend. Nouembris.

In Hispania Dacianus Præses *Vincentium* Oscha ortum, qui Euangelium à Valerio Cæsaraugustano Episcopo edoctus, illud pro eo, quod blæsa esset lingua, annuntiabat, ad se adductum Valeriam miris cruciatibus ad abnegandum *Christum* cogere tentat: modo verberibus alliciendo, modo ferreis vnguibus exarando, modo rursum craticulæ cum ardentibus prunis impo-nendo, donec tandem in carcere spiritum Deo obtulit in odorem suauitatis vndecimo Kalend. Februarii. Quemadmodum etiam *Leocadia* virgo Toleti dira carceris custodia macerata impollutum spiritum Deo reddidit quinto Idus Decembris: cum postridie *Carpophorus* presbyter & *Abundus* Diaconus Hispalis gladio percuterentur. Et *Eulalia* virguncula tredecim annorum Emeritæ. Quando ipsis Idibus Decembris *Lucia* virgo Syracusana a Paschasio Consulari excarnificata transfixo gutture efflauit animam. Nulla enim ætatis sexusve ratio

293. habebatur. Nam Romæ *Beatrix* virgo, quod truncata corpora fratrum *Simplicij* & *Faustini* Martyrum è Tiberi extracta sepelierat; præfocata fuerat in carcere quarto Kalend. Augusti. *Agnes* quoque virguncula agens decimum-quartum ætatis annum a præfecto vrbis *Symphronio* gladio percussa duodecimo Kalendar. Februarij titulum castitatis Martyrio consecrauit. Ad cuius tumulum post biduum orans *Emerentiana* virgo Agnetis Collectanea catechumena lapidata fuit. Præceperat Diocletianus & *Luciam* nobilem matronam & *Geminianū* post acerba

acerba tormenta gladio feriri decimosexto Kalendar. Octobris. ANNI CHRISTI

MAXIMIANVS AVGVSTVS appellatus ad Quinquegentianos subigendos profectus thermas Carthagine ædificans Christianorum opera ad lapides arenamque fodiendam abutebatur, nec interim à cæde temperabat. Tebestinæ Anolini quoque Proconsulis iussu *Crispina* virgo decollata fuit Nonis Decembris. Reuersus ex Africa, Diocletiano etiam thermas exstruere parabat, Christianos quoque ad laborem compellens. Quibus Trason vir prædiues alimoniam per Sisinnium, Cyriacũ, Smaragdum & Largum suppeditabat. Quos Maximianus via Salaria cum aliis viginti iussit decollari decimo-septimo Kalend. Aprilis. *Sebastianus* quoque Mediolano Romam veniens *Marcum* & *Marcellinum* fratres geminos præ acerbitate cruciatuum de idolis sacrificando vacillantes in fide confirmauit. *Claudium Commentariensem*, *Nicostratum* cum *Zoe* vxore, *Tranquillinum*, *Castorium*, *Victorinum*, & *Symphorianum* ad *Christi* fidem conuertit: itaque iussu Diocletiani iaculis militum confossus Martyrii palmam adeptus est decimo tertio Kalend. Februarii.

298. *Nazar. in Geneth. Maximin.* 301. 304.

*Thessalonicæ* Irenes virgo, quod libros sacros contra edictum Diocletiani occultasset: Dulcetio præside iubente igne crematur octauo Kalend. Aprilis: cum paullo antea eius sorores Agapis & Chionia essent eodem Martyrii genere necatæ.

Nicomediæ *Barbara* virgo a patre iugulata fuisse pridie Nonas Decembris narratur.

Antiochiæ *Margarita* quindecim annis nata, profligato fide ac precibus dracone magno, qui ei in carcere apparuerat, gladio percussa Martyrii coronam vnica illa margarita decoratam promeruit tertio Idus Iulii. Interim Draco ille rufus, cui capita septem, & cornua decem, hæreseos virus euomebat à Sabellio Lybico excogitatum de subsistentia diuinitatis ante annos quinquaginta, & Photini Galatæ Episcopi Ecclesiæ Syrmitanæ apud Pannonios nunc emergentis. Erat hic Græce, Latineque doctissimus, & vtraque lingua libros suos conscribebat, & Deum vnam personam cum Sabellio statuebat, *Christo* initium ex Maria adscribens, & trinitatem negans.

HOc anno cœpit *Indictio* (quod tributi genus olim erat) tẽporis cursum significare. Cœpitq; prima *Indictio* ante diẽ octauum Kalend. Octobris. Quo die Maxentius à Constantino victus, & pax Ecclesiæ Christianæ reddita fuit. Idque in Græcorum fastis inuenitur scriptum his verbis: ΙΝΔΙΚΤΙΟΝΩΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ ΑΡΧΗ.

# Catalogus Epiſcoporum præcipuarum Eccleſiarum ordine ſibi ſuccedentium.

## HIEROSOLIMÆ.

1. *Iacobus frat. Domini.*
2. *Simeon.*
3. *Iuſtus.*
4. *Zacheus.*
5. *Tobias.*
6. *Beniamin.*
7. *Ioannes.*
8. *Matthias.*
9. *Philippus.*
10. *Seneca.*
11. *Iuſtus.*
12. *Leui.*
13. *Effrem.*
14. *Ioſeph.*
15. *Iudas.*

Hucuſque ex circumciſione fuerunt omnes: ſequuntur ex gentibus.

16. *Marcus.*
17. *Caſſianus.*
18. *Publius.*
19. *Maximus.*
20. *Iulianus.*
21. *Caius.*
22. *Iulianus.*
23. *Capito.*
24. *Valens.*
25. *Dolicianus.*
26. *Narciſſe, quo abſente*
27. *Dius.*
28. *Germanion.*
29. *Gordius.*
30. *Narciſſus rediens.*
31. *Alexander.*
32. *Mazabdanus.*
33. *Hymenæus.*
34. *Macarius.*

## ANTIOCHIÆ.

*Petrus*
*Euodius.*
*Ignatius* 9.
*Heros.*
*Cornelius.*
*Eros.*
*Theophilus.*
*Maximinus* 11.
*Serapion.*
*Aſclepias.*
*Philetus.*
*Zebennus.*
*Babylas.*
*Fabianus.*
*Demetrianus.*
*Domnus.*
*Timeus.*
*Cyrillus.*
*Dorotheus.*
*Tyrannus.*
*Anatolius.*
*Stephanus.*
*Theodotus.*

## ALEXANDRIÆ.

1. *Marcus.*
2. *Anianus.*
3. *Abilius.*
4. *Primus* 12.
5. *Iuſtus* 11.
6. *Eumenes.* 13.
7. *Marcus.* 10.
8. *Celadion* 14.
9. *Agrippinus* 12.
10. *Iulianus* 10.
11. *Demetrius* 6.
12. *Heraclas.*
13. *Dionyſius.*
14. *Felix*
15. *Maximus.*
16. *Theonas.*
17. *Petrus.*
18. *Achillas.*
19. *Alexander.*
20. *Athanaſius* 47.

## ROMÆ.

1. *Petrus.*
2. *Linus.*
3. *Cletus.*
4. *Clemens.*
5. *Euariſtus.*
6. *Alexander.*
7. *Xiſtus.*
8. *Teleſphorus.*
9. *Higinius.*
10. *Pius.*
11. *Anizetus.*
12. *Soter.*
13. *Eleutherius.*
14. *Victor.*
15. *Zepherinus.*
16. *Calixtus.*
17. *Vrbanus.*
18. *Pontianus.*
19. *Antherus.*
20. *Fabianus.*
21. *Cornelius.*
22. *Lucius.*
23. *Stephanus.*
24. *Xiſtus* 2.
25. *Dionyſius.*
26. *Felix.*
27. *Eutichianus.*
28. *Caius.*
29. *Marcellinus.*
30. *Marcellus.*
31. *Euſebius.*
32. *Meltiades.*
33. *Silueſter.*

Poſt

ANNI CHRISTI.

Porro cum Margarita in Oriente, complures etiam Gemmæ, lapidesque pretiosi coronis martyrii fuerunt inserti. Quales *Anthimus* Nicomediæ Episcopus: qui quinto Kalendas Maii percussus fuit gladio. *Tyrannio* Tyri Episcopus: *Siluanus* Gazæ Episcopus, qui cum plerisque clericorum coronatus fuit martyrio quarto Nonas Maii. *Cosmus* quoque & *Damianus* Ægea Arabiæ vrbe orti professione medici, natura fratres, quia post varia tormenta obtruncati fuerunt quinto Kalend. Octobris. *Phileas* quoque & *Hesychius*, *Pachomius*, & *Theodorus* Episcopi Ægypti cum aliis compluribus acerbissimas pœnas patienter pertulerunt. *Pamphilus* Ecclesiæ Cæsariensis presbyter, qui amore sacrorum voluminum flagrans celeberrimam Cæsareæ Bibliothecam construxerat vndique conquisitis libris. In qua & Euãgelium Matthæi Hebraicum habebatur ætate Hieronymi, qui cum etiam quædam volumina eius manu exarata (descripserat enim omnia fere Origenis opera) reperisset; ea tanto dicebat se amplecti & seruare gaudio, vt se Crœsi opes habere crederet. Hic ergo à Maximino martyrio affectus Kalendis Iunii tam amicus fuit Eusebio Episcopo: vt ille cognomen Pamphili sibi sumpserit, eiusq; vitam conscripserit tribus libris. Affecit & variis tormentis Maximinus *Lucianum* Antiochenum presbyterum sacrorum insignem librorum descriptorem, cuius breues epistolæ exstabant ætate Hieronymi, quẽ & necauit Nicomediæ in carcere septimo Idus Ianuarii: cum pridie, ipso nimirum Epiphaniæ die, ibidem vt in extrema sua epistola refert, in orbem circumstantibus fidelibus, ritu Christiano signa sacrificii pectori imposita per consuetas preces ac diuina effando sanctificasset, & ipsius particeps fuerat Sacramentorum, & transmisit ad eos qui aberant. Res est admiratione digna, quod cum ille ob fidei Orthodoxæ sinceram confessionem Martyrii coronam promeruerit, complures eius discipuli Arrianæ hæreseos fuerint Coriphæi: vt *Eusebius* Nicomediensis Episcopus, *Maris* Calcedonensis, *Theognis* Nicænus, *Leontius* Antiochenus, *Antonius Tarsi* Ciciliæ Antistes nonnullique alii: cum ex schola Origenis, vnde Arrius virus suum hausisse creditur, prodierint innumeri Doctores, presbyteri, Confessores ac Martyres, vt fuerunt *Plutarchus*, *Serenus*, *Heraclides*, *Heronex*, *Serenus* alius, & ex mulieribus eius disciplina institutis *Rhais*, *Potamiana* & *Marcella*. Præclarus quoque *Dionysius* Episcopus Alexandriæ doctissimus, & confessor *Christi* eminentissimus. Porro hæc vltima persecutio tam fuit immanis: vt in Phrygia ciuitas, quod magistratus ciuesque dicerent se esse Christianos, circumdata sit à militibus, atq; tota concremata cum vniuersis incolis, inter quos fuit *Adauctus* patria & genere Italus, virtute præcipue excellens.

ANNI CHRISTI.

Alexandriæ *Catharina* virgo quoque doctissima; claris natalibus orta, post complures Philosophos suis disputationibus superatos gladio feritur septimo Kalend Decembris. Hanc illo honore dignatus fuit D. Ambrosius, vt nomen eius etiam voluerit recitari in prece sacerdotum Mediolani. Sic itaq; triumphos cælestes promerebant militantes *Christo*, non occidendo alios; sed suum pro eius nomine fundendo sanguinem. Non eburneis, sed virtutum quadrigis ad cæleste Capitolium cum clangore tubarum adscendentes: neque albicantes boues ex Menaniæ agris Clitumni annis aquis perfusis mactantes: sed spiritus contribulatos, & corda contrita atque humiliata sanguine agni purificata Deo vero, viuo ac immortali immolantes. Neque denique Nemesis numen inuocantes, sed voce magna dicentes: *Vsquequo Domine (sanctus & verus) non iudicas & vindicas sanguinem nostrũ de ijs, qui habitant in terra?* Fuere & qui sine cæde Guantes ingrederentur æternæ pacis vrbem, non myrto sed charitate coronati: non oues (inde Guationi nomen) cum concentu tibiarũ occidentes: sed puras mentes cum castis precibus offerentes redemptori suo *Christo*. Quorum quidam in solitudinibus, in montibus, ac speluncis, & in cauernis terræ errantes circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati & afflicti: Alij vero ludibria & verbera experti; insuper & vincula & carceres: omnes testimonio fidei probati. Qualis Felix ille Nolanæ Ecclesiæ presbyter, multa pro *Christi* nomine passus: quem cum Maximiano Episcopo defuncto vellent omnes Episcopum constituere, noluit ille consentire; sed alium ad honorem Pontificatus eligens, ipse duodecim post annos, persecutione cessante, Dominica die Mysteriis confectis dataque pace omnibus oraturus se in pauimentum proiiciens, anima de carnis ergastulo egrediente, feliciter ouans ad fere felicia regna conscendit decimo nono Kal. Febru. Et ab Helpidio presbytero in propinquo vrbi loco Pincis dicto, sepultus fuit, multis fulgens virtutibus ac miraculis, testibus Paulino Nolensi & Augustino Hipponensi Episcopis fide longe dignissimis. Porro quomodo apud memorias Martyrum miracula fiant atque Deus præbeat solatia hominibus, quibus in huius vitæ miseria ea iudicat esse præbẽda, res altior est, inquit Augustinus, quam vt à me possit attingi, & abstrusior vt à me valeat perscrutari. Nam quæstio ista vires intelligentiæ meæ vincit. Quid nos aliud ergo, nisi mirabilia opera tua sunt Domine Deus, dicemus, illo viro longe inferiores omnes?

*Vide Seruiũ in 3. Greg.*

*Apoc 6.*

*Heb. 11.*

*Paul. in Natal. Felic. Aug. Epist. 137. de ciuit. 22. 8. de cura pro mort. 16. & in Psalm. 108.*

Decem

Decem persecutiones sunt decem cornua Draconis, quibus ille ferit pios. ANNI CHRISTI.

1. sub *Nerone.*
2. *Domitiano.*
3. *Traiano.*
4. *Antoninus.*
5. *Seuero.*
6. *Maximino.*
7. *Decio.*
8. *Valeriano.*
9. *Aurelino.*
10. *Diocletiano.*

Quæ vel maxime decem continuis annis grassata est, vt vna non pauciores interemerit Christianos quam reliquæ omnes: singulis annis cornu excrescente.

Post *Cypriani* mortem (cui Agrippinus, & deinde Lucianus successerant) annis circiter quadraginta peractis, Diocletiano octauo, & Maximiano septimo Coss. traditio codicum Ecclesiasticorum facta est; vnde qui eos tradidissent, cæperunt appellari *traditores*. Hi libri vndique conquisiti, quasi improbatæ lectionis ignibus dabantur; vt testatur Arnobius, qui tunc Siccæ apud Africam Rhetoricam docens septem libros aduersus Gentes edidit, ac in Psalmos quoque commentabatur. Surrexit statim *Donatus* Numida, qui curante Lucilla Hispania muliere prædiuite, congregato apud Cirtham concilio Schisma excitauit. Vbi cum sibi traditionis crimen condonassent, Carthaginem profecti in odium Cæciliani Catholici Episcopi annitente Donato altero à Casis nigris Maiorinum suæ factionis ibi constituunt Episcopum: qui baptizatos à Catholicis rursum baptizabat nouo more.

Cum *Constantinus* Maxentium iam cæcidisset, modis omnibus fauere iam cœpit Christianis: nam misso Maxentij capite in Africam ad Annullinum Proconsulem, misit & edictum de immunitate Ceciliani Episcopi & Cleri Carthaginensis. Remisit vero Annullinus duos libellos accusatorios criminum Cæciliani a Donatistis ex parte Maiorini sibi oblatos, datos decimo septimo Kalendas Maias Carthagine. D. N. Constantino tertio Cos. Quibus acceptis voluit Imperator Cæcilianum cum suis & aduersarios quoq; venire Romá, vt ibi caussa coram Miltiade Pontifice, Materno Agrippinensi, Marino Arelatensi, & Rheticio Augustodunési Episcopis è Gallia euocatis agitaretur. Itaque Romæ præsidente Miltiade coram tribus Gallis & quindecim Italis Episcopis in domo Faustæ in Laterano Cóstantino tertio

ANNI CHRISTI. tertio & Licinio tertio Coss. sexto Nonas Nouembris: Donatus à casis nigris damnatus, & Cæcilianus omnium sententiis innocens est pronuntiatus. Cumque Donatum ab Episcopis appellasse audiret Constantinus: *O rabida*, inquit, *furoris audacia! sicut in caussis Gentilium fieri solet, sicne interposuerunt appellationem?* Periit vero Donatus, dum in Africam redire parat, & ob pacis bonum ad aliquot menses Cæcilianus Brixiæ manere iussus est. Missi Eunomius & Olympius Carthaginem, qui vt erant Episcopi inter partes per quadraginta dies, quærentes vbi esset Catholica Ecclesia, atque remotus Donato ac Cæciliano vnum ordinarent concordiæ conciliandæ ergo. Horum nouissima fuit sententia, illam esse Catholicam, quæ esset in toto terrarum orbe diffusa: & sententiam nouemdecim Episcoporum datam dissolui non posse. Sicque communicauerunt Clero Cæciliani, ac Romam reuersi sunt. Donatus mox Carthaginem redit: quo audito, Cæcilianus etiam ad suam plebem properauit. Atque hoc modo iterum renouellatæ sunt partes. Miltiades vero Pontifex Romanus damnato Donato, Donatistis, si resipiscere vellent (cuius optionem liberam eius faciebat) etiam communicatorias literas iis Episcopis, qui à Maiorino ordinati fuerant, se scripturum esse asserebat. Et si aliquibus in locis essent duo diuersæ patris Episcopi: eum qui prior ordinatus, se velle confirmari, vtque alter de regenda alia plebe prouideretur se curaturum dicebat. De qua summi Episcopi sententia ita Augustinus exclamat, dum eam refert: *Quam innocens? quam integra? quam prouida atque pacifica? O virum optimum! O filium Christianæ pacis! & patrem Christianæ plebis!* Cæterum fatigauit multum Constantinum per nouem annos hæc factio Donatistarum, quæ cum coerceri reprimive non posse credebatur, post Arelatensem ea de caussa Synodum congregatam, dedit ille se quinto & Crispo Coss. litteras, quibus Donatistis exsuliũ soluebat, & furorem eorum relinquebat Deo puniendum. Etenim ex modica scintilla magnum incendium tum per orbem oriebatur. Nam Arrius Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter nouam condiderat hæresim blasphemus in filium Dei, illum Patre minorem esse affirmans, fuisseque quando non erat: quare à Petro Theone in Ecclesia Alexandrina successore communione erat priuatus. Cumq; Petro præcepto Maximini in carcerem coniecto, venirent inter alios supplicaturi pro Arrio ad eum Achillas & Alexander presbyteri: dicebat illis Arrium esse anathematizandum; ne populus deciperetur eius erroribus, addens nocte se vidisse Dominum IESVM scissa veste ad se venientem. Quem cum rogasset, qui vestis eius sic esset scissa, dixisse: *Arrius hoc fecit, qui separauit à me populum hæreditatis meæ, comparatum mihi sanguine meo.*

Aug. Epist. 163.


Hic

Hic Sanctus Vir omnibus adornatus virtutibus, & in Scripturis diuinis nulli inferior, cum duodecim annis Ecclesiam gubernasset nono persecutionis anno septimo Kalend. Decembris capite obtruncatus est: & quam plurimi Episcopi, clerici, atque laici etiam cum eo simul trucidati fuerunt. Successitque ei Achillas, qui multis annis presbyter docuerat in schola Alexandrina. ANNI CHRISTI.

LIBRI QVARTI FINIS.



OPE.



# OPERIS CHRONOGRAPHICI ORBIS VNIVERSI

## LIBER QVINTVS.



OST amygdalorum persicarumque suaues rubentes flores, piri ac mali in hortis non si. ne candore florere quoque conspiciuntur: & lilia medio etiam prouentu rosarum incipiunt foliis paullatim sese laxantibus gratum naribus spirare odorem. Quæ & quam maxime rosas decent, neque est vlli florum excelsitas maior, languido semper collo, & quodammodo non sufficiente capitis oneri. Sic vt ea non male Virginibus adsimilauerunt olim Ecclesiastici scriptores: quemadmodum etiam violas, viduis. Quod non male conuenit ordini nostræ historiæ. Nam hic narraturi sumus, quæ licet humilia videantur scientiç fastu turgentibus, tamen non poterunt non placere piis viris. Quis enim, cui charitas cordi est, non grate leget Fabiolam omnem censum in pecuniam congregasse, & primam omnium Romæ instituisse νοσοκομεῖον: in quo ęgrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foueret. In quo morbis ac pædore confectos humeris ipsa portaret suis, lauaret purulentam vulnerum saniem, præberet cibos propria manu, & spirantia cadauera sorbitiunculis irrigaret. Huiusmodi viduas igitur aliquot pias recensemus. Et ne Calthæ horto concluso deesse videantur, quæ exoriente

exoriente sole cum folia expandant, ac occidente eadem in vnum colligant concludantque, sollicitudinis symbolum repræsentare creduntur referemus & quibus castum matrimonium chorusque immaculatus cordi fuit: alios quoque qui ex consensu mutuo, quo orationibus vacarent, vsu connubii abstinuerint. Quales Paullinus Consularis Romanus quondam & Thirasia. Lætari quoque deserta & inuia nunc, & exultare solitudinem, atque florere quasi lilium per Anachoretas Ægyptique solitarios ostendemus, secundum Vaticinium Isaiæ. Martyrum quoque templa exhibebuntur magnitudine iam præstantia, omnique ornatus genere variata, splendorem quodammodo pulcritudinis suæ late fundentia. In quibus singulis diebus Martyrum Deo laudes hymnique cantari, & sæpenumero dies festos celebrari demonstrabitur. Apud quorum sepulcra certa signa miraculorum declarare poterint, illum, quem Martyres coluerint, verum esse Deum creatorem cœli & terræ, cui laus, honor atque cultus diuinus debetur: cum sit benedictus in sæcula sæculorum. Pro cuius amore contemptis vitæ huius commodis, sanguinem quoque suum fundere non dubitarunt complures sanctissimi viri, & in suscepta Apostolica traditione fide ad mortem vsque fideles. Quos suo loco vna cum ijs, qui membrorum mutilationibus, atque exsuliis etiam mulctati ob sinceram fidei Orthodoxæ professionem Confessorum nomen promeruere, vt speramus, recensebimus: ostendentes & interim quomodo & inter illos ex sese subinde surgat & aspera silua, lappæque, tribulique: interque nitentia culta,

*Infelix lolium & steriles dominentur auenæ.*

Hæretici enim (vt Optati verbis vtar) veritatis exsules, sani & verissimi symboli desertores, de sinu Ecclesiæ sanctæ, quod bene fuerant geniti contemnentes, vt ignorantes & rudes deciperent, impiis sensibus deprauati de se nasci voluerunt. Cumque iamdudum vitalibus pasti fuerant cibis; corruptela malæ digestionis in perniciem miserorum disputationibus impiis venena mortifera euomuerunt. Qui multum etiam a Schismaticis distant. Schisma namque disparso coagulo veritatis generatur, liuore nutritur, æmulatione ac litibus roboratur, sicque à radice matricis Ecclesiæ inuidiæ falcibus amputati, errando longe rebelles abscedunt. Nec possunt nouum aliquid aut aliud quiddam agere; nisi quod iam dudum apud suam didicerunt matrem. Quam Catholicam esse facit simplex & verus intellectus Mysteriorum fidei & vnitas animorum. Quod exemplo Luciferi Calaritani in Sardinia Episcopi à Constantio Imperatore in Palæstinam relegati, acerrimi fidei Nicenæ defensoris

Optatus.

*Confess. fidei Constant.*

ANNI CHRISTI.

ſoris optime addiſcitur. Quamuis enim ille, inquit Ambroſius, pro fide exſulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet heredes; tamen non eſt fides in ſchiſmate: & licet fidem erga Deum teneret; tamen erga Dei Eccleſiam non tenebat, cuius patiebatur velut artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Eccleſiam *Chriſtus* paſſus, & *Chriſti* corpus Eccleſia ſit: non videtur ab his exhiberi *Chriſto* fides, à quibus euacuatur eius paſſio, corpuſque diſtrahitur. Quemadmodum ergo hortum Dei claudi hæreticis; ita & ſchiſmaticis colendi eum poteſtatem auferri, ne teneræ arbuſculæ lædantur, conteranturue flores pulcerrimi, hoc libro potiſſimum, perſequentes hiſtoriæ noſtræ ſynopſim, oſtendemus. Interim ad elucidationem Hiſtoriæ genealogiam Conſtantini adſcribemus: in qua hiſtoria hic Epiſcopos, illic Imperatores Romanos annotabimus: intermedia loca narrationibus implentes variis, ac diuerſis quaſi condimentis.

Fratres fuerunt

*Claudius Imp.* *Quintilius Imp.* *Criſpus, cuius filia Claudia nupta Eutropio peperit*

*Conſtantium Chlorum qui tulit ex*

*Helena Britanna.* *Theodora Max. Herculij priuigna*

*Conſtantinũ Magnum, cuius liberi ex* *Auitalinũ cuius filiꝰ* *Conſtantium cuius filii* *Conſtantiam nuptam Licinio qua filium habuit* *Eutropiam nuptam Nepoti, qua filiam habuit* *Anaſtaſiam*

*Dalmatius.* *Gallus. Iulianus.* *Licinianum* *Nepotianum.*

*Mineruina.* *Fauſta Max. Herculii filia*

*Criſpus.* *Conſtantinus.* *Conſtans.* *Conſtantius ex Fauſtina tulit filiã Conſtantiam, quam duxit Gratianus Imperator.* *Conſtantia nupta Gallo.* *Helena nupta Iuliano.*

CHRISTVS purpureum geminato textus in auro
Signabat labarum, Clypeorum inſignia CHRISTVS
Scripſerat; ardebat ſummis CRVX addita CRISTIS.

Monarchia

*Monarchia Romanorum.*

ANNI CHRISTI. 316.

Cum deuicto Maxentio *Constantinus* rediisset in Galliam, dicti fuere ipsi à Nazario, aliisque Panegyrici cum fausto omine, quod prolaturus esset imperium à Tusco Albula, ad Germanicum Album. Abnegato ergo Idolorum cultu, CHRISTVM ab omnibus colendum præcepit, templaq; illi erexit variis in locis, quæ & egregiis donis decorauit. Nec alia magis caussa acrius exarsit in Licinium, quã quod ille aduersaretur religioni Christianæ: cui, licet sororis Constantiæ maritus esset, bellum intulit. Atque primo eum in Pannonia, secundo apud Syballas bellum instruentem repentinus oppressit: omnique Dardania; Mœsia & Macedonia potitus est.

*Niceph. lib. 7. c. 49.*

Deinde post pacem reconciliatam, rursumque ruptam apud Nicomediã, se dedere Licinius coactus est, & Thessalonicę occisus fuit: & postmodum etiam eius filius Licinianus. Iussit vero & filium Crispum falso accusatum à Fausta Constantinus interimi Polæ in Istria. Cumque *Helena* mater præ amore ingenti nepotis eum increparet, Faustam in balneis ardentibus extinxit. A bellis ad pacis studia conuersus, optimum Principem egit. Leges sanctissimas tulit, litteratis fruitur, atq; ipse incubuit litteris. Scripsit enim *de re rustica. Contra Gentilium superstitiones, de prouidentia Dei. Confessionem fidei, Vita instituta ad filios, & de Synodo Nicæna.* Quam, quo extingueret Arrianæ perfidiæ incendium, euocatis ex omnibus orbis partibus Episcopis celebrari voluit in Bithynia Nicææ. Vbi præsens summæ pietatis ac prudentiæ exempla edidit. Nam cum honore excipiens Patres, illorum oculos, quos Maximianus cauterio inuri curauerat, etiam osculatus est. Cumq; aliquot Episcopi libellos controuersiarum inter se ab illo dirimendarum, vt putabant, obtulissent: ille omnes simul collectos in ignem proiecit; dicens: *Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem dedit vobis de nobis quoq; iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari: Quapropter Dei solius inter vos exspectate iudicium, & vestra iurgia, quæcumque sunt, ad illud diuinum reseruate examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos: sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos discernit. Ideoque his omissis, illa, quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorũ contentione distinguite.* Perscripsit & ad Sanctorum illum cætum sub festum Paschæ insigné Latinam orationem: in qua ostendit se non modo omnis Philosophiæ, sed & Theologiæ poeseos plane fuisse eruditum: cũ arcana quartæ Eglogæ Virgilii exponit, & versus Acrostichos Sibyllæ a Cicerone versos fuisse latine narrat. Quod si illos, quos

*al. Priscum.*

*August. l. 18. de Ciuit. Dei*

ANNI CHRISTI. Eusebius interpres Græce refert versus. M. Tullius iisdem capitalibus, vt debuit verterat litteris: potuisset etiam ostendere tot effluxisse annos à tempore, quo descenderit Spiritus Sanctus in discipulos, ad illam præclaram congregationem Nicænam et litteris numeralibus: nempe annos ducentos nonaginta: vt in quarto nostro libro videre licet.

Celebrato ergo concilio Cõstantinus ad Ecclesias omnes litteras dedit significans, quid in Concilio fuerat actum. Ad Alexandrinos scripsit separatim: & Meletius, qui contra Alexandrũ sederat, iussus est excedere vrbe. Pro Eusebio Nicomediæ Amphionem, & pro Theognide, Nicçæ Chrestum Ecclesiis præfici curauit. Anno vicesimo eius imperii peracto Concilio, omnes Patres solenni excepit epulo, eosque donis prosecutus est: atq; adhortatus, vt in fide concordes tranquille viuerent, atque pro se liberisque suis preces ad Deũ funderent, dimisit illos ad sedes reuerti suas. Adiiciens vero animum ad templa ædificanda Macario Episcopo Hierosolymæ iniunxit vt templũ ædificaret loco, vbi sepultus fuerat Christus ad Caluariæ montẽ suppeditans expensas. Similiter fecit Antiochiæ Syriç, & Nicomediæ Bithyniæ. Bizantii Apostolorum & Anathasiæ Ecclesias exstruxit: eãque vrbem vndecimo Kalendas Maij Oninio Pacatiano & Mecilio Hilarione Coss. *Constantinopolim* appellauit, ac Nouã Romam esse voluit, annuos Consules ibi quoq; constituendo. Decimo Imperii anno Constantinus, vicesimo Constantius, & trigesimo Constans ab Ipso Cæsares creati sunt, vt refert Eusebius: cui maior ne fides adhibenda sit, quam Onuphrio facile perspiciet vnusquisque. Eodem fere tempore prope quercum mambre, quæ adhuc stabat, etiam templum ædificari mandat: quod eo loco Abraham domicilium habuisse nouerat.

Venerunt tunc quoque legati ab Indis varia gemmarum genera & animalia natura à nostris discrepantia adferentes atque amicitiam postulantes.

Audiens persecutionem Saporis in Christianos post admonitorias litteras frustra missas, exercitum in Persas duxit. Sed cum illi Oratores pacem postulantes ad eum misissent, lubens cum iis amicitiæ fœdus iniit. Legem tulit, qua munera gladiatoria sustulit, quæ exstat in hæc verba: CRVENTA SPECTACVLA IN OTIO CIVILI ET DOMESTICA QVIETI NON PLACENT: QVAPROPTER OMNINO GLADIATORES ESSE PROHIBEMVS.

Habebat autem in summo honore crucem, eaque primus nummos signari voluit, cum altera parte effigies eius instar adorabundi exprimeretur.

Bellum aduersus Parthos moliens, qui Mesopotamiam fatigabant, anno trigesimo primo imperii, ætatis sexagesimo-sexto

Nico-

Nicomediæ in publica villa obiit; morte eius denuntiata per crinitam stellam inusitatæ magnitudinis, quæ per complures dies fulserat.

Corpus eius vectum fuit Constantinopolim, atque honorifice sepultum in æde Apostolorum. Reliquit vero imperium filiis, ac nepoti Dalmatio. quem milites paullo post occiderunt, Constantio sinente id potius, quam iubente.

## ROM. PONTIFICES.

XXXIII. S. SILVESTER ROMANVS *persecutione cessante ob deuictum Maxentinum à Soracte monte, vbi in Phaliscis delituerat. Romam veniens, ob famam summæ sanctitatis in* Milciadis *locum sufficitur, clauibus Petri ipsi commissis.* 316.

*Hic Imperatorem* Constantinum *optime erga Christianos iam animatum promptiorem ad bene merendum de Ecclesia Dei reddidit. Misit ei per Diaconum suum, cum illas expeteret Constantinus, imagines Apostolorum Petri & Pauli: Vtque Imperator varia templa ædificaret ad Dei honorem auctor fuit. Quorum primum in domo Lateranensi ædificatum dedicauit ac consecrauit quinto Idus Nouembr. ritu, quo etiamnum vtitur Ecclesia Romana, primus Pontificum vsus Phrygia mitra.*

*Consecrauit quoque Basilicam D. Petri exstructam in Vaticano in propinquo Apollinis templo quarto Kalendas Decembris. Fuerunt & à Constantino ædificata atque donis prouentibusque donata templa. D. Pauli via Ostiensi, S. Crucis in Cælio monte. Via Lauicana Marcellini & Petri Exorcistæ Laurentij in agro Verano extra muros. Sicque hoc Pontifice multum Christianismus excreuit, ac longe lateque diffusus est: Nam ad Indos vsque fides* CHRISTI *per Frumentum Tyrium seminata feliciter creuit: qui etiam Alexandriæ consecratus Episcopus in Indiam reuersus doctrina ac miraculis Indos ad* CHRISTVM *conuertit. Iberorum quoque Rex occasione miraculorum, quæ Deus captiuæ precibus rogatus fecerat, legatos ad Constantinum miserat pro Presbyteris qui populum suum fidem docerent: quod & factum fuit, lætante valde Imperatore.* Ruff. 10. 10. Eccl. hist. *Porro erat* Siluester *tantæ pietatis, vt sanctitas eius semper fuerit commendata. Cumque creasset sexaginta quinque Episcopos, quadraginta duos presbyteros, triginta sex Diaconos; obdormiuit in Domino pridie Kal. Ianuarij. Sepultusque est tertio ab vrbe lapide via Salaria in cœmeterio Priscillæ. Cum sedisset annos viginti tres, menses decem, dies vndecim. Vacauitque sedes dies quindecim.*

## ECCLESIA.

Insignes hoc Pontifice Episcopi fuerunt in Italia *Maximus* 316.

ANNI CHRISTI.

Ostiensis, *Secundus* Prænestinus, *Felix* Florentinus, alter *Felix* triũ Tabernatum, *Gaudentius* Pisanus, *Constantius* Fauentinus, *Stemmius* Ariminẽsis, *Theophilus* Beneuentanus, *Euandrus* Vrsinus. *Donatianus* Forclandiensis, *Merocles* Mediolanensis, *Florianus* Cesenensis, *Zoticus* Quinctianensis, *Constantius* Fauentinus, & *Proterius* Capuanus. Florebat in Hispania *Osius* Cordubensis Episcopus, & *Iuuencus* Presbyter, qui historiam Domini Saluatoris versibus explicauit, non pertimescens Euangelicam maiestatem sub metri leges mittere. *Nicolaus Patara* Lyciæ vrbe ortus Myrensi Ecclesiæ præerat: qui Pataræ tres sorores ob inopiam prostituendas à patre, auro clam donato à destinata turpitudine eripuerat: & in Ægyptum cum multis nauigans in maxima tempestate suis precibus ad Deum fusis naufragium auerterat, iussis aliis magna fiducia etiam Dei auxilium implorare. In Asia *Lactantius Firmianus* Arnobii discipulus Nicomediæ Rhetoricá docens septem libros diuinarum institutionum, vnum de ira, alium de opificio Dei, stilo purissimo conscripsit: atque inde accersitus Fl. Aurelio Crispo à patre Constantino magister fuit datus.

*Euseb. in Chron.*

*Paphnutius* homo Dei inter Episcopos illos, quos Maximianus Galerius effossis dextris oculis, dextro poplite succiso per metalla damnauerat, in Ægypto maxime fulgebat: cum prodigia & signa per eum Deus operaretur.

Ex eorum numero etiam fuisse dicitur *Spiridion* Trimithuntis in Cypro Episcopus: qui, cum Triphyllius Ledrensis ibidem Episcopus in Synaxis celebratione concionando dixisset: *Tolle stimpodem* (id lectum humilem significat) *& ambula*: *quid* dicebat, *tune melior illo, qui tolle grabatum tuum dixit, quod eius verbis vti pudeat*: sicque Triphyllium superbientem eloquentia ad modestiam erudiuit. Scripsit vero *Triphyllius* commentaria in Cantica Canticorum, quæ se legisse Hieronymus testatur. *Spiridion* hospitem defessum de via Quadragesimæ tempore excipiens, cogente necessitate, cum aliud non haberet, & suadente charitate, qua alterum reficere hospitaliter voluit; suillas apponi iusserat carnes: exemplo ac testimonio scripturæ, docens quouis tempore, necessitate cogente, sine scandalo cuiusquam quibuslibet licere vesci, cum delectu.

*Alexander* Byzantinus Episcopus etiam claruit, qui Philosophum debacchantem in Christianam religionem obmutescere fecisse, cum dixisset: *In nomine* IESV *Christi præcipio tibi ne loquaris*, commemoratur. Monasticum vitæ genus nunc etiam coli cœptum in Ægypto, ANTONIO Comapago Arcadum orto, hoc perfectis pietatis institutis & exercitationibus ad eam rem accommodatis ad summum perducente. Litteras hic non

magni

magni fecit, beatitudinem veram in Deo pura mente colendo & eius seruandis mādatis positam esse asserens. Mansuetudine, humanitate, prudentia ac animi magnitudine excelluit: iucundus his, qui in eius veniebant colloquium: illis quibuscum disserebat, etiamsi in contentione disputarent, non molestus. Erat cibus ei panis & sal, potus autem aqua, tempus prandii solus occasus. Laborabat ipse, & alios, ne otio torperent, hortatus est. In solitudinibus Ægypti degentem vitam cum magna nominis & famæ celebritate Constantinus Imperator propter eius virtutis splendorem sibi amicum fecit.

ANNI CHRISTI.

Cum CONSTANTINVS Donatistis Africanis suo arbitratu viuere permisisset, ex vna radice multi rami exorti sunt: inter quos pessimi erant *Circumcelliones*. Hi enim non modo infesti Catholicis, eos trucidabant; sed quasi insignes Martyres habendi sibi ipsis manus inferebant, aut præcipites ex locis excelsis dabant. Porro Maiorino successit *Donatus* Carthaginensis, qui hæresim illam auxit plurimum, cum libros inde ederet: eratque tum & *Vitellius* Afer illius acerrimus defensor. Colebatur summe à suis Donatus; ita vt per eum etiam iurarent. At ille interim Imperatorem cum contemptu despiciebat. Huic successit *Parmenianus*, aduersus quem *Optatus* septem suos libros primus scripsit. Post illum vero *Primianus*; contra quem eius Diaconus *Maximianus* ordinatus fuit à centum Episcopis. Sed rursum Concilio Bagitano trecentorum & decem Episcoporum Donatistarum Primianum in integrum restituerunt. Alii dicti fuere *Maximianistæ*, quos pro hæreticis habuerunt. Postquā ex caussidico factus *Petilianus* Episcopus Cirtensis, & deinde Cæsariensis acerrimus suæ hæreseos patronus in Augustini ætatem incidit, cum Ianuarius in Carthagine esset Antistes. 316.

## NICÆNVM CONCILIVM GENERALE PRIMVM.

COnuenerant Nicæam Bithyniæ trecenti & octodecim Episcopi, plures presbyteri aliique clerici, ex Ponto, Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Asia, Phrygia, Cilicia, Syria, Phœnicia, Arabia, Palæstina, Mesopotamia; erat vnus Persidis Episcopus; nec abfuit Scytha. Aderant Ægyptii, & ex Thebaide. Ex Africa nullus erat præter Cæcilianum Episcopum Carthaginensem Catholicum. Donatistis se ab hoc cœtu subtrahentibus, quemadmodū & Nouatianis. Ex Thracia, Macedonia, Achaia, Epyro, Italia quoque venerant viri lectissimi: sed præcipue Hispaniæ Corduba celebritate nominis & famæ miserat Osium suum Episcopum insignem. Cuius opera in reconciliando

*Epiphanius hæres. 68. & 96. Niceph. lib. 8. c. 14. Theodoretus lib. 1 c. 7. & alij.*

ANNI CHRISTI.

Arrio cum suo Episcopo iam vsus fuerat frustra Alexandriæ Cõstantinus. Siluester Romanus qui ætate præpeditus venire non poterat, misit suo nomine Vitum & Vincentiũ Presbyteros Rom. Adfuit Macarius Hierosolymæ Episcopus, Eustachius Antiochiæ super Orontem, & Alexander Alexandriæ, cuius Diaconus iuris peritissimus, & Theologus cõsummatus Athanasius ipsum senẽ suis consiliis multũ adiuuabat. Accersitus Arrius suas opiniones in medio proposuit discutiendas, non carens suis fautoribus. Cumque separare niteretur filium Dei ab æterna atque ineffabili Patris substantia, quod numquã antea venerat in quæstionem, complurimi Episcopi nil nouum contra fidem temporibus Apostolorum traditam statuendum esse censuerunt: multi quoque disserendi acumine Arrio restitere. Inter quos maxime emicuit Athanasius, ita vt Arrii fautores eum præcipue odio atque inuidia persequerentur. Concesserat enim Imperator Præsidibus concilii omnia, oratione Latine habita, altero eam interpretante: atque considens placideque ac cum attentione studio acri prolatas sententias excipiebat, omnesque ad concordiam reducere contendebat. Decretum ac iudicatum fuit a trecentis & vno Episcopis Filium Dei ὁμοούσιον hoc est, consubstantialem esse Patri. Exemplumq; professionis fidei ab Eusebio Pamphilo fuit conscriptum: Arriique ac Photini dogmata damnata. Et ad Pascha rite celebrandum *Cyclus* nouemdecennalis fuit compositus aurei numeri: cuius initium auspicaretur primo anno imperii Diocletiani. Canones quoque editi & Synodales litteræ missæ Alexandriam atque in Ægyptum, & ad alia loca, omniaq; subscripta ac signata fuerunt. *Thalia* liber Arrii, quem ediderat vetitus est. Imperator non solum Arrium mulctauit exsulio, sed & edictum dedit illum eiusque fautores impiorum numero ducerent: & si quis liber ab illis scriptus reperiretur, in ignem coniiceretur.

Conscriptus erat Canon à Patribus, vt Ecclesiastici cum vxoribus, quas ante ordinationem duxerant, non dormirent; at non editus, eo quod Paphnutius dixerat, veterem Ecclesiæ traditionem esse, vt qui cælibes gradum sacerdotalem consecuti essent, postea non ducerent vxorem: qui autem post nuptias ad eum ordinem vocati essent, hi ab vxoribus, quas habebant, minime separarentur.

Proditum quoque litteris D. Nicolao Myrensi Episcopo vsum Phrygiæ mitræ à concilio fuisse interdictum; idcirco quod Arrio in filium Dei blasphemanti zelo excandescens alapam dederat, dicentibus patribus: *Non oportet Episcopum esse percussorem*: illudque sic fuisse vindicatum aiunt.

Sozom. l. cap. 14.

Per idem fere tempus *Ammon* Ægyptius, cum impulsu suorum

tam vxorem duxisset, cum ea in virginitate vixit octodecim annos: deinde separatim vixere annis viginti duobus circa Sceten. Multæ ac diuinæ res eius caussa a Deo editæ sunt. Fertur quoque, cum mortem obiret, Antonium vidisse animam eius, diuinis potestatibus cum Psalmis ac Hymnis præeuntibus in cælum sublatum esse. ANNI CHRISTI.

In eremo quoque Chalcidos *Malchus* sub Abbate inter Monachos manuum labore victum quæritans, lasciuiam carnis refrænabat ieiuniis. Qui postmodum captus in solitudine Domini sui pascebat oues: orans iugiter ac canens Psalmos, quos in Monasterio didicerat. Cumque cogeretur concaptiuam alterius viri vxorem ducere, cum illa fugit atque caste vixit Maroniæ vico Syriæ triginta passuum millia ab Antiochia. Amboque religiosi studiose Ecclesiæ limen terebant. *Sozom. ib.*

Fuit & in Bithynia circa Olympum *Eutychianus*, vt ferunt, qui sanctum & seueram vitæ genus non sine laude colebat, sectam Nouatianorum tuebatur, qui virtute Constantinum familiarem & amicum sibi fecerat.

Erat & *Acesius* magni nominis Nouatianorum Antistes, quem cum ad se accersitum Imperator, edocuisset quid in ratione fidei & obseruatione Paschæ fuerat actum in Concilio; laudabat ille Concilii Decreta, dicens se ab ineunte ætate didicisse, sic tum credendum esse, tum festum Paschæ agendum esse. Cumque de lapsis non ignoscendum esse diceret; *Acesi*, ait *Imperator*, *erigito tibi scalam, & solus in cælum ascendito*: existimans recte homines minime a peccati labe vacuos esse.

Præter alios summo amore prosecutus est Constantinus *Eusebium* Cæsariensem Episcopum, qui eum in Concilium venientem Nicææ Patrum nomine oratione excepit; quæque Latine scripta exhibuit, in Græcam transtulit linguam: pro eo complures libros ad vsum Constantinopolitanæ Ecclesiæ in membranis describi procurauit: & in dedicatione atque Encæniis Ecclesiæ Hierosolymæ exstructæ trigesimo Imperii eius anno, cum eo vndique lectissimi Episcopi confluxerant, variis publicis orationibus illam celebritatem exornauit. Erat enim sacrarum litterarum, omnisque antiquitatis Græce Latineque doctissimus, vt etiam testantur, quos conscripsit, libri *Historiæ Ecclesiasticæ* decem: aliique *de demonstratione & præparatione Euangelica*. Nam complures perierunt: alii quoque describentium incuria non incorrupti manserunt, vt *Chronica* eius. *316. *Euseb. de vita Constant. Ruffinus lib. 1. cap. 7. & 8. Tripar. historia 2. cap. 18. Eusebius in Chronico*

*Post celebratum Nicææ Concilium *Helena* mater Imperatoris vidua religiosa visendi loca sacra caussa venit Hierosolymam: visaque est sibi operæ pretium facturam, si lignum venerandæ Crucis inuenire posset. Quod in Caluariæ mõte erutum cũ

ANNI CHRISTI. aliis Crucibus, indicio tituli à Pilato conscripti fuit cognitum, & miraculo sanatæ ex morbo lethali mulieris manifestatum. Cognito ergo ligno ex titulo, Regem, qui titulo inscriptus erat, adorauit: non vtique lignum gentili errore, sed illum, cui pependerat in ligno, & pro persecutoribus suis patrem orauerat.

Ex clauo vno frœnum filio Imperatori fieri curauit, sic vt esset super frœnum equi sanctum Domino, vt Zacharias erat vaticinatus 14. fore. Alius erat inter gemmas in aureo diademate collocatus: vtrisque ad se transmissis vsus est Constantinus non insolentia, sed pietate. Tertium ad deuotionem Helena vertit. Templa quoque augusta, alterū vbi Christus natus erat in Bethlehem, alterum in monte Olиueti, vbi in cælum ascenderat, extruxit, atque octoginta annos nata in pace quieuit: Constantino curante funus, atque Constantinopoli in Regali sepulcro corpus eius condiente. Qui his suis scriptis fidem eleuant: ij eadem opera improbi vanitatis accusant Cyrillum Hierosolymitanum, Eusebium Cæsariensem, Theodoritum Cyri, Ambrosium Mediolani, Paulinum Nolæ, Seuerum Sulpitium Bituricensem Episcopos, omnibus seculis à fide probatos. Vt interim Ruffinum, Sozomenum, Socratem ac alios Ecclesiasticæ historiæ scriptores sileam, qui eadem referunt. Quibus omnibus si minus credimus, eadem opera historiam tollamus è medio, atque omnem antiquitatis memoriam, atque pro nostris affectibus, quæ placent, fingamus.

## ROMANI PONTIFICES

339. XXXIV. MARCVS SECVNDVS ROMANVS *Prisci filius successit Syluestro decimo octauo Kalend. Februarij. Instituitque vt Episcopus*

340. *Ostiensis, à quo Romanus etiam consecratur, pallio vteretur. Quod est insigne Archiepiscopalis dignitatis: Eratque humerale indumentum ex lana agnorum candidorum à virginibus sacris contextum, cui ante & retro duæ lineæ dependebant, significantibus quatuor crucibus purpureis virtutes cardinales frustra innocentiæ adesse, nisi sanguine* CHRISTI *purpurentur.*

*Volater August in Breuiculo Cap. 1.*

*Erat vero etiam signum vnitatis cum Apostolica sede. Cum autem hinc ambitio, illinc auaritia persecutionibus cessantibus paullatim in Ecclesiam irreperent; vetuit Gregorius Magnus aliquid pro susceptione pallij solui. Quod eius salubre decretum confirmarunt Leo secundus & Vrbanus secundus Romani Pontifices. Porro voluit* Marcus *etiam diebus solemnibus statim post recitatum Euangelium Symbolum Nicanum à clero & populo decantari Cum vero ei conquestus fuerat per litteras D. Athanasius omnes suos libros esse combustos ab Arrianis, remisit ipsi exemplaria, sicuti petierat, actorum*

*Platina.*

*Concilij,*

*Concilij, quæ Vitus & Vincentius è Nicæa portauerant Pontifici Sil-* ANNI
*uestro, mittens litteras datas nono Kalendas Nouembris Nepotiano &* CHRISTI.
*Facundo Consulibus. Duas exstruxit Ecclesias, alteram in vrbe, alteram via Ardeatina, quas auctas magnis muneribus Constantinus exornauit. Cumque Ecclesiæ digne præfuisset mensibus octo, diebus viginti, mortuus sepultus fuit in cœmeterio Balbinæ, inter Appiam & Ardeatinam vias sito.*

XXXV. IVLIVS ROMANVS *Rustici filius successit ei post viginti dies. Sub quo, cum Oriens vniuersus ob hæresim Arrianam tumultuaretur, ipse in Occidente fidem à Patribus Nicææ professam tuebatur, satis tranquille agens sub Constante. Non dominando in cleris,* Tom.1. Concil.
*sed factus forma gregi ex animo scripsit ad Orientales, qui Antiochiæ concilium inter se indixerant, id sine ipsius auctoritate, qui Romanæ Ecclesiæ quæ cæteris praeerat, Episcopus esset fieri non posse. Quæ illi cum irrisione confutantes asserebant à se ad Occidentem Christianæ religionis Antistites primum commigrasse. Iccirco suas Ecclesias, vnde quasi è fontibus tanta gratia emanauerat, cæteris auctoritate esse præferendas. Hospitalem eum fuisse constat, quod Episcopos ad se venientes profugos benigne exceperit; præcipue Athanasium, Alexandrinum, & Paulum Constantinopolitanum. Quos celebrato in Sardinia concilio innoxios declaratos cum aliis extorribus, vt postliminio ad suas sedes redirent, per Constantem Orthodoxum Imperatorem procurauit. Ædificauit vnam basilicam apud forum Romanum, & alteram in Transtiberina regione. Tria quoque cœmeteria in viis Flaminia, Aurelia ac Portuensi. Voluit & omnia ad Ecclesiam pertinentia per Notarios, aut per Primicerium Notariorum conscriberentur. Constituit quoque ne sacerdos alibi, quam apud Iudicem Ecclesiasticum diceret caussam. Decessit pridie Idus Aprilis: sepultusque fuit tertio ab vrbe lapide via Aurelia in cœmeterio Calipodij: cum præfuisset Ecclesiæ annis sedecim, mensibus quinque, diebus sedecim. Cumque sedes vigintiquinque dies vacasset, creatur.*

XXXVI. LIBERIVS ROMANVS *Augusti filius. Inter complures* 355.
*præclaros viros, quos Constantinus Constantinopolim transtulerat, insignis erat* Zoticus *Romanus presbyter, qui illuc profectus Xenodochium, primus ibi instituit, & alendorum quoque orphanorum curam suscepit. Cuius præclarum elogium Leonis & Anthemij A A. exstat in Cod. l. omnia priuil. Cod. de Episc. & Cler.*

*In hanc etiam produxerat vitam* Macrina *auia paterna Basilij Magni, quæ cum ob persecutiones in Pontum se contulerat à Gregorio Neocæsariensi fidem Orthodoxam edocta, eam tradidit Basilio Nepoti, qui illam nutricem in fide nominat, atque gloriatur se lac purum ex eius pio pectore suxisse.*

*Vixit quoque circa hæc tempora* Leontius *Cæsareæ Cappadociæ*

ANNI CHRISTI. *Episcopus, qui cum Nicæam ad Concilium iret, ac Nazianzenum diuerterat, patrem Gregorij Nazianzeni baptizauerat, atq; plurimum contra Arrianos ac Gentiles decertauerat, cumque sudoribus multis defendendo fidem clarus esset, migrauit ad cælestem patriam Idibus Ianuarij.*

Eusebius *etiam Samosatenus Episcopus, qui tempore Constantij Imperatoris sub habitu militari incognitus Ecclesias Dei visitabat, atque in fide Catholica confirmabat: & tegula ab Arriana muliere in caput deiecta tandem occubuit vndecimo Kalendas Iulij.*

*Cum vero Constantius illi aliquando minatus fuisset, se eius manus abscissurum, nisi secum vellet sentire: ipse vtramque manum extendit, vt significaret libentius se illarum abscissionem passurum, quã facturum quod proponebatur de prodenda pietate. Quam animi magnitudinem cum laudaturus esset Gregorius Nazianzenus, qui eum maxime coluerat.* Vnde, *inquit*, tuarum laudum exordium ducam, & quo nomine te appellabo? an columnam & firmamentum Ecclesiæ te vocabo, aut luminare in mundo, aut glorificationis coronam aut Dei donum, patriæ adminiculum, an fidei regulam aut veritatis legatum? aut hæc omnia simul, & his plura? At hanc laudum exuberantiam, fidem prope excedentem, per ea quæ vidimus, confirmabo. *Hæc Nazianzenus.*

*Vixit quoque* Seruatius *Tungrorum Antistes vitæ sanctitate, ac fidei sinceritate per Gallias fulgens. Sicuti etiam* Hilarius *Pictauiensis, qui cum in Phrygiam esset relegatus, adiutus Græcis rerum diuinarum scriptoribus præcipue Origene duodecim libros de Trinitate grandiore orationis genere conscripsit; Arrianis se opponens quasi murum aheneum. Quare quasi Orientis perturbator, redire absque exsulij indulgentia iussus est, cum libros pro se obtulisset Imperatori Cõstantio. Cui quoque* Lucifer Calaguris *in Sardinia Episcopus sui oblitus, ex Palestina misit pro Athanasio libros duos detestans eius Tyrannidem. Vir mira in fide constantia, & præparati ad Martyrium animi: sed iudicij peruicacis, quando cum ijs qui quod in Ariminensi Concilio decepti actis subscripserant, licet pœniterent ex animo, communicare nollet: cum* Hilarius *contra ad pœnitentiam ac emendationem deceptos reuocaret: atque intra Gallias in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformaret, magno cum profectu.*

*Scripsit quoque* Eustochius Cappadox *Sophista contra Constantium, atque etiam Antiquitates Cappadocum ac reliquarum gentium.*

*Floruit hac tempestate quoque* Ephraim Syrus *compluribus libris conscriptis illustris: qui ipso etiamnum viuente ex Syriaco in Græcum sermonem conuersi fuerunt, seruata propria ac natiua elegantia.*

*Prætereà*

*praterea* Eusebius Emissenus *Episcopus eruditione & eloquentia percelebris: vt qui sacræ scripturæ libros Eusebij Pamphili Patrophilo magistro didicerat.* ANNI CHRISTI. Hieron. in Chronico.

Cyrillus *quoque Hierosolymæ Episcopus sæpe sede sua pulsus. Qui & Constantio per litteras significauerat de cruce lucida, quæ die Pentecostes circiter horam tertiam corusco splendore radios solares superans, vniuersæ ciuitati apparuerat super Golgotham vsque ad montem Oliueti. Et cum Iulianus volebat restaurari templum Hierosolymitanum prædicebat verbis Domini, non lapidem super lapidem esse mansurum. Itaque quando Alipius Antiochensis, qui Britannias procurauerat, instaret fortiter structuræ, iuuaretque Prouinciæ rector metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum, Hocque modo elemento igne obstinatius repellente cessauit inceptum, Porro extant etiamnum Cyrilli Catecheses Apostolicam spirantes fidei fragrantiam. Verum vt portentum illud Cyrillus prædixerat: ita quoque Nicomediæ cladis diuina visio fuit oblata Arsacio Persæ, qui miles, solitus Imperatoris leones nutrire insignis Confessor regnante Licinio factus fuerat: relictaque militia in arce Nicomediæ habitabat monasticam disciplinam exercens. Mandabat hic Clericis, vt orationibus instarent, niterenturque auertere iram Dei. Sed ludibrio habitus fuit, vsque donec corrueret vrbs, atque conflagraret: cum confugientes in arcem, eum in turri, quæ inconcussa permanserat orantis modo pronum inuenirent mortuum: quasi orasset à Deo, ne cladi tantæ vrbis superemineret.* Hier. Epist. ad Castrut. Cyril. Epist. ad Constant. Sozom. 5. 11. Sozom. 5.21. Amm. 23.

*Porro cum* Liberius *Romanæ præesset Ecclesiæ obnitebatur constanter Imperatori iubenti vt subscriberet condemnationi Athanasii, dicens nefas esse supremum hominem nec visum nec auditum condemnare.*

*Misitq; ad Imperatorem litteras per Luciferum Calaritanum Episcopum cum Pancratio & Hilario Romanæ Ecclesiæ clericis ad eum placandum & intercedendum pro Athanasio. Sed Arriani Constantium incitantibus pridie Idus Augusti concubia nocte Pontifex exportatus fuit vrbe, ob timorem populi, qui eius amore flagrabat.*

*Ne vero sedes exsulatu* Liberii *vacaret, Sacerdotes synodice congregati crearunt* FELICEM ROMANVM *Anathasii filium in Pontificem Romanum, virum sane Catholicum & bonum, sed nequaquam legitimum Pontificem: qui cum conuentu quadraginta octo Episcoporum Ecclesia separaret Vrsatium & Valentem presbyteros Arrij labe infectos, illis apud Constantium procurantibus, exactus fuit Pontificatu: &* Liberius *rursum Beroea Thraciæ reuocatus est in vrbem. Sicque secundum schisma in Ecclesia fuit exortum, ambobus Pontificibus Catholicam fidem profitentibus. Sedit vero* Felix 355. Sozom. l. 4. cap. 15.

annos

ANNI CHRISTI. *annos decem, menses tres, dies vndecim habens suos fautores: fuitque postmodum interfectus cum multis ab Arrianis.*

Liberius *autem ei superuiuens clericos omnes, qui Felici adhæserant, crimine absoluit. & suis locis, quibus Felice viuente caruerant, restituit. Obijt vero octauo Kalend. Octobris, postquam sedisset annos quindecim, menses quatuor, dies octodecim. Sepultusque fuit via Salaria in cœmeterio Priscillæ. Cumque vacasset sedes vno die creatus fuit* VRSICINVS *Romanus ab ijs, qui partiũ fuerant Liberij: & post septem dies.*

*Meminit Am. Marcel. lib. 27.*

## ECCLESIA.

Cæterum post celebratum Concilium edictaque ab Imperatore edita non quieuere Arriani. Erat Constantiæ Licinii viduæ ac Constantini sorori (in cuius gratiam Gaza Palestinæ vrbis dicta erat Constantia) presbyter secreto Arrianus, qui virus pestiferum guttatim aulæ instillabat. Quem illa moriens fratri summe commendarat: Illeque tam charum habuit, vt ei testamentum suum committeret post mortem exhibendum. Vnde & illi familiaritas atq; amicitia cum Constantio ac Constante obuenit. Arriani quoque alii, licet se miscerent Ecclesiæ corpori, animo tamen ab Ecclesiæ propositis dissentiebant. Manebat quoque in pectoribus eorum odium in Catholicos viros. Aduersus quos cum de fide disceptare non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisque criminibus appetebant. Præcipue Athanasium iam Alexandriæ Episcopum in locum demortui Alexandri suffectum Iurisconsultum & Theologum eximium fictis criminationibus, quod magus, violentus, atque altaris subuersor, accusant Tyri. Quo iam Episcopos suæ factionis conuenire procurauerat Eusebius Nicomediensis à Constãtino nuper sedi suæ restitutus. Cumque talia mendacia apud Imperatorem putarent pro nihilo duci, subornant Amantium, Anubionem, Petrum atque Abarthionem Episcopos suos, qui apud Constãtinum testentur, Athanasium dixisse, se procuraturum, vt Alexãdrini deinceps frumenta Constantinopolitanis nõ transmittant. Quibus credulus Imperator Athanasium in Gallias Augustam Treuirorum in exsulium relegauit. Vbi exceptus à Maximino Episcopo hospitio biennio ac quatuor mensibus *Symbolum Catholicæ fidei* conscripsit; q̃ exoriẽte Sole prima diei hora in Ecclesiis Catholicis deinceps solet recitari. Tanta quippe apud Orthodoxos sum̃i huius confessoris erat auctoritas, vt eũ Gregorius Nazianzenus: *oculũ orbis, sacerdotũ Antistitẽ, vocem sublimẽ fidei columen, lucernam* CHRISTI, *ac Præcursorem secundariũ* post recitatas eius laudes appellare nõ dubitet. Cuius & donatum, Antonio pallium tãti æstimauit primus ille Eremi cultor Paulus,

Paulus, quod rogaret Antonium apud se, duplicante Domino annonam ministerio corui, prandentem, vt rediens breui vellet illud secum ferre ad inuoluendum corpusculum suum, quod reddito Deo spiritu cum hymnis & psalmis secundum Christianum morem decantatis ab Antonio terræ commissum fuit anno D. trecentesimo quadragesimo-primo, quarto Idus Ianuarii, cum vixisset annos centum & tredecim. ANNI CHRISTI.

Mox cum Constans è viuis excessisset; pellitur rursum Athanasius Alexandria. Constantio Imperatore cunctisque Palatii officiis Arriana perfidia imbutis vniuersum pene imperium Romanum obsitum vepribus fuit: inter quos tamen nonnullæ nascebantur rosæ. Qualis *Lucius* Episcopus Adrianopoli, qui multa cum esset perpessus ab Arrianis in vinculis Martyrium consummauit. Nobiliores quoque ciuium, cum Arrianos in Sardicensi concilio damnatos recipere nollent, à Philagrio Comite capitalem sententiam exceperunt.

Eusebius etiam presbyter Romanus ob defensam fidem Catholicam per septem menses inclusus domus suæ cubiculo obdormiuit in Domino decimo-nono Kalendas Septembris. Quibus illi adscribi possunt Martyres, qui irruentibus in Ecclesiam Arrianis ac Gentilibus ipso die parasceues fuerant occisi. Alexandriæ Constantio 3. & Constante 2. Coss.

Porro Athanasius apud Constantium mire accusabatur, datumque illi fuit crimini ab Arrianis, quod Synaxim celebrauerit in magna Ecclesia ante dedicationis solennia & Encœniorum festum. Non inficiatur ille factum conscripta insigni Apologia: sed exemplo Alexandri præcessoris sui se tuetur atque defendit. Qui idem in Theonæ Ecclesia nondum exædificata, ad frequentiam hominum respiciens, fecerat *Quin imo frater tuus,* scribit, *Constans beata memoria in huiusmodi templo, cum Aquileia Synaxis haberetur, ipsus se eo quoque contulit: ita nimirum & ego quoque feci.* Ac Constantius ad rationes summi Antistitis non attendens Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens, dissidia plurima excitauit, quæ progressa fusius concertatione verborum alebat. Quoque omnes in suam pertraheret opinionem, eodem tempore concilium conuocauerat Nicomediam. quando vrbs illa terræmotu concussa est: & Cecropius ibidem Episcopus cum altero Bosphorano oppressi interierint. Deinde Episcopos Ariminum conuenire iussit, vbi Occidentales fraude Orientalium in vocabulo ὁμοούσιον decepti, quam plurimi erroris pœnituerũt. Tantumq; abfuit, vt in suum consensum alios traheret Imperator: vt triplex hæresis illico exorta sit Dum hic *Ætiani* illic *Eunomiani*, istic denique *Macedoniani* fidẽ conuellere nituntur. Ita tamẽ vt Constantinopoli vicinisq;

ANNI CHRISTI. nisque locis plurimi Episcopi ac monachi Macedonii errorem fuerint secuti.

At *Liberius* Romanus Pontifex scribens Imperatori Constantio: *ad istud officium, inquit, testis est mihi Deus meus, inuitus accessi. In quo numquam mea statuta, sed Apostolica, vt essent firmata & custodita semper perfeci: secutus morem ordinemque maiorum nihil addidi Episcopatui vrbis Romæ: nihil quoque minui passus sum, illam fidem seruans: quæ per successionem tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exstiterunt: illamque illibatam custodiri semper exopto.*

## TEMPORA EXTERNA.

## GOTHIA.

Sozom. l. 1. *Constantinus* subiugatis iam Sauromatis ac Gothis; ad extremum fœdera cum ipsis percussit. Ista quidem gens id temporis trans Isthmum fluuium habitauit: quæ cum esset tum propter multitudinem, tum propter corporum magnitudinem bellicosissima, & in re militari exercitatissima, alios quidem Barbares deuicit: Romanos autem habuit solos, qui ipsam bello æquarent, strenueque ei resisterent.

Gothi & gentes illis finitimæ, quæ ante ad ripas Istri habitauerant iam pridem fide in *Christum* recepta, se ad cultum & humanitatem ciuiliorem conuerterant.

## GALLIA.

Celtæ & populi Galliæ vltimi. qui proxime ad Oceanum habitant, fidem in Christum receperunt Nam Pictauii Aliphio Pascentius in Episcopatu successerat: sub quo Hilarius ex Græcia reuersus litteras Gallos docens, ibidem Christi fidem catechisabat, mortuoque Pascentio insede Episcopali locatus fuit.

In Belgica Augustæ Treuirorum Maximinus Episcopus oues Christi diuini verbi reficiebat, hospitalitate insignis.

## GERMANIA.

*Constantini* tempore latrocinium Batauicæ coniurationis fuit oppressum.

Gentes circa Rhenum accolentes fidei Christianæ se dediderunt.

*VVismaria* vrbs maritima ad mare Balthicum à Gulielmo Principe in ducatu Megalopolēsi nunc ædificata esse perhibetur.

Gundomarus & Vadomarius fratres Alamannorum Reges crebris excursibus vastabant confines limitibus terræ Gallorum.

Contra

Contra quos cum exercitus Constantii venisset prope Rauracum, illi petentes concessionem præteritorum & pacem, eam recipiunt, Constantio discedente Mediolanum. Paullo post Lentiensibus Alamannicis pagis indictum est bellum collimitia sæpe Romana latius irrumpentibus. Ad quem procinctum Imperator egressus venit in Rhetias camposque Caninos.

## ÆGYPTVS.

Alexandriæ hoc tempore variæ doctrinæ florent. Geometria ibi docetur, nec silet Musica, ac recalet consideratio mundani motus & siderum, ac scientia quæ fatorum vias ostendit. Medicinæ ita ibi augentur studia, vt sufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem: si Alexandriæ se dicat eruditum.

## GRÆCIA.

*Proheresio* Cæsariensi Sophistæ soli concesserat docere Christianos Iulianus, cum frequentissimo theatro, magno cum plausu habuisset orationem extemporaneam: sed eruditus homo indignatus atrox & Barbarum edictum Iuliani scholam reiecit non sine mœrore studiosorum.

## ITALIA.

*Romæ in Circo maximo obeliscus erectus est, quem Constantius naui, qua trecentis remis agitabatur, curarat portari Alexandria, cum eo delatus esset Thebis.* Amm. 17.

## HISPANIA.

Gnostici circa hoc tempus fuerunt in Hispania. *Agape* nobilis mulier & Helpidius Rhetor: à quibus fuit Priscillianus institutus. Qui acer, inquies, multa lectione eruditus, facundus, atque disserendi ac disputandi promptus; multos nobiles pluresque populares auctoritate persuadendi, & arte blandiendi, allexit in perniciosæ doctrinæ societatem.

## GALLIA.

*Siluanus* res nouas in Gallia molitus vigesimo-octauo die Principatus peremptus est, ad conuenticulum ritus Christiani tendens Agrippinæ. Quæ vrbs magnis Germanorum viribus fuit mox deleta.

Iulianus Alemanniam domuit, Galliam ex fauillis & cineribus exuit, eos deuicit, qui sub Constantino Gallos infestabant, quorum duces captos feris obiecit.

GOTHIA.

ANNI CHRISTI.

# GOTHIA.

Suadentibus Iuliano vt aggrederetur Gothos sæpe fallaces ac perfidos: hostes se quærere meliores dicebat. Illis enim sufficere Mercatores Galatas, per quos vbique sine condicionis discrimine vendebantur.

*Monarchia Romanorum.*

## FL. CONSTANTIVS Iunior.

Imperauit vero FL. IVLIVS CONSTANTIVS in Oriente, infectus hæresi Arriana, quam hauserat ex illo presbytero, cui pater moriens testamentum suum commiserat. CONSTANS autem imperabat in Italia, atque se vt Catholicum gerebat: CONSTANTINVS quoque, cui Occidens cum Galliis obuenerat, Athanasium ab exsulio Alexandriam vt reuertatur ilico procurat: excusans per literas parentis factum de eo relegando. Qui dum fratri bellum inferre molitur apud Aquileiam à Constantis militibus interfectus est, atque proiectus in flumen Alsum, cum imperasset annos tres.

*Nazian. in orat. de Hieronymo.*

Sic ergo Occidens parere cœpit vni Constanti. Cuius imperium strenuum aliquamdiu & iustum fuit: Mox cum & valetudine improspera & amicis prauioribus vreretur, ad grauia vitia conuersus, cum intolerabilis prouincialibus, militibus iniucundus esset, factione Magnentii apud Helenam opidum Pyrenæis proximum, à Guisone interfectus fuit, anno decimo-tertio imperii annos natus triginta.

*Hieron. in vita Pauli.*

Constantius vero *Fl. Constantium Gallum* patruelem suum Cæsarem creans: atque Constantiam sororem ei dans nuptui: præficit eum Orienti. Ipse autem contra Magnentium mouet: qui Popillium Nepotianum amitinum Constantii, hortantibus perditis, Augusti nomen sibi sumentem vicesimo-octauo die Romæ oppresserat: atque Decentium & Desiderium fratres Cæsares constituerat, cum Italiam, Africam, ac transalpinas prouincias obtineret. Sed in Illyrico res nouæ Constantinum detinuere: Vetarioue consensu militum ad imperium electo Quē grandæuum iam & cunctis amabilem diuturnitate ac felicitate militiæ ad tuendum Illyrium Principem creauerant. Erat is vir probus & morum veterum ac iucundæ ciuilitatis: sed omnium liberalium artium expers, adeo vt ne elementa quidem prima litterarum, nisi senex & iam imperator acceperit. Hinc abrogato Imperio, non vitam modo, sed etiam voluptarium otium concessit huic Constantius: cum militum consensu deponere insignia fuisset compulsus. Non multo post Magnentius apud Mursam profligatus acie est, ac pene captus. Ingentes vires Romani

mani Imperii ea dimicatione consumptæ fuerunt. Magnentius se in Italiam recipiens recollegit exercitum atque variis victus prœliis apud Lugdunum coangustatus gladio seipsum transfodit, & quinquagesimo ætatis anno exspirauit, cum dominatus fuisset tres annos ac sex menses. Eius Desideriique morte audita, Decentius laqueo ad collum posito vitam finiuit Senonis. Mox Gallus ad Tyranni mores accedēs, Isauros ad latrocinandū excitauit sua crudelitate. Nā apud Iconiū Pisidiæ in Amphitreali spectaculo quosdā captiuos feris obiecerat præter morē.

ANNI CHRISTI.

*Constantius* vero Arelate hybernans theatrales ludos atque Circenses ambitioso edens apparatu Gerontium Magnentianæ partis comitem exsulio mulctauit, complurimorumq; insontiū cædibus victoriam fecit luctuosam. Gallum quoque Imperator astu ad se vocatum ac capitali supplicio destinatum in modum noxii latronis procurauit obtruncari Polæ in Istria: se septimum & illo tertium Coss.

In cuius locum fratrem eius IVLIANVM suffecit, atque Helenā sororem suam illi in vxorem dedit: & ad pacandam Galliam cum exercitu misit. Qui cum Viennam ingrederetur anus quædam luminibus orbata exclamauit, illum aduenisse, qui templa Deorum Gentilium esset reparaturus Nec fefellit vetulę omen, in Gallia enim primum Christum denegauit: quod & per litteras significauit Maximo: cum res bellicæ illi feliciter euenirent. In campis enim Argentoratensibus cum exiguo exercitu infinitas Germanorum copias deleuit. Chodomarius enim Vestralus, Vrnis, Vrsicinus, Serapio, Suomarius & Hortarius reges atque alii Optimates triginta quinque millia armatorum ex variis nationibus contraxerant, Gallias vastantes. Chodomarius autem captus Romamque missus fuit: vbi in castris peregrinis in monte Cælio morbo Veterni consumptus est. Tunc & *Iulianus* acclamatione vniuersi exercitus Augustus est appellatus. Quod intelligens Constantius vrgere legationibus in statū nomenq; pristinū reuerti. Cui ille mandatis mollioribus refert, se sub nomine celsi Imperii multo officio suis pariturum.

*Ammianus Marcell. l. 16. & deinceps.*

Francis varia loca præsidiis prædantibus Iuliano in Alamannorum secessibus occupato occasio fuit Gallias studio cautiore custodire, & expeditionem mouere in Francos Salios, ausos olim in solo Romano apud Toxiandriā habitacula figere: quos sese dedentes cum opibus liberisq; suscepit. Chamani magis restiterunt, tandem & illis pacem tribuit, vt incolumes redirent ad sua. Vt etiam Suomario Alamannorum Regi fuit concessum.

Inde occupatis Castris Herculis, Quadribugo, Tricesinta, Niuesio Bonna, Autennaco, & Bingio: aduersus Burgundos Alemannosque, qui apud Moguntiacum conuenerant, quo Iulia-

ANNI CHRISTI.

num prohiberent flumine, mouet. Quare Macrianus & Hariobandus fratres & Reges pacem anxiis animis precati sunt. Venit & Vadomarius, cuius erat domicilium contra Rauracos precando quoque pacem pro Vrio, & Vrsino, ac Versulpo Regibus, quibus pax concessa fuit, vt captiuos restituerent, quos rapuerant frequentibus excursibus. Interea Schoti & Pictones gentes feræ vastabant Britanniam: Et Constantius profectus est in Persas, cum Sapor rex sibi posceret Mesopotamiam atque Armeniam. Cumque eo bello occupatus esset; Iulianus ad Illyricum obtinendum profectus est: Quod vbi Constantius cognouit, ad bellum ciuile conuersus, doloreque ardens in radicibus Tauri montis apud Mopsocrenem febri interiit anno æui quadragesimo quarto, Augusti imperii anno vicesimo quarto, mense quinto, die decimo tertio.

*Iulianus*, ad quem vnum nunc spectabat Imperium, gloriæ nimirum cupidus in Persas proficiscitur. Aliquot opida & castella in deditionem accepit, & expugnauit, Assyriamque populatus, castra apud Ctesiphontem statiua aliquamdiu habuit remcausque victor, dum se inconsultius prœliis inserit, hostili manu interfectus est sexto Kalendas Iulias ætatis anno trigesimo primo Imperii post obitum Constantii anno primo, mense septimo, die vicesimo septimo. Cadauer Tarsum Ciliciæ perductum in suburbana fuit sepultum adscripto hoc Epitaphio:

*Rex bonus & sanus bellator fortis in armis*
*Iulianus iacet hic ad Cydni fluminis vndas,*
*Dum ferus Amphrates, & Persica tela cruenti*
*Martis opus cœptosq; negant inire triumphos.*

## ECCLESIA.

Floruere nunc in Grammatica *Ælius Donatus*, breuia artis Grammatices præcepta tradens, & commentarios exhibens in Terentium ac Virgilium: *M. Victorinus Afer* Rhetoricam Romæ profitens, & postmodum scribens contra Arrianos: quibus præceptoribus institutus fuit *D. Hieronymus*: sicuti Basilius Magnus & Gregorius Nazianzenus, & Ioannes Chrysostomus a *Libanio* Sophista, qui se declamationibus exercebat, quibus etiam adulabatur Iuliano. Ad quem & *Oribazius Sardianus* Quæstor ab eo Constantinopoli constitutus complures Medicinæ libros conscripsit. Quemadmodum *Iulius Firmicus* Siculus ex Ægyptiorum atq; Babyloniorũ obseruationibus, doctrinã de astrorum indiciis non indiligenter tractauit. *Delphidius* orator acerrimus, qui cum impugnaret Numerium Narbonensis Galliæ paullo ante rectorem vt furem, & ante tribunal Iuliani exclamaret: *Ecquis fortissime Cæsar nocens esse poterit vsquam, si negasse sufficerit?* Ad quæ Iulianus ex tempore prudenter tunc respondit: *Ecquis,*

*Ammian. lib. 18. an.*

dicens,

dicens, *innocens esse poterit, si accusasse sufficerit?* At ille immemor tam præclari responsi, cum quadriennio post solus imperaret acerbissime omnium Christianos, Christi fidem plane impie detestando fuerit persecutus; trucidans illos indicta caussa. Quod in Ioanne præposito quondam, & Paulo Primicerio Constantiæ materteræ suæ ostendit: quos per Terentianum gladio feriri iussit sexto Kalendas Iunias intra proprias ædes in monte Cælio. Vetuit Magistros Rhetoricos ac Grammaticos Christanos docere. Quod si quem pœna afficeret, fingebat aliam, quam religionis caussam, ne is, qui afficiebatur, Martyris aut Confessoris loco haberetur. Permittebat multos impune occidi. Et ita *Pelinus* Brundusinus Episcopus à Pontificibus Gentilibus octoginta quinque vulneribus confossus fuit nonis Decembribus.

Discedens Gallia commiserat Sallustio prouinciam, professus suam apostasiam, qui de Christianis duras habebat quæstiones. Interemptus tum fuit *Eliphius* abscissione capitis, quod prædicaret Belgis Verbum Dei perseueranter.

Iulianus vero nec sexui muliebri parcebat. *Bibianam* enim virginem Fausto ac Draphosa Martyribus ortam, quod iussa ab eo Deos adorare, vnum Deum conditorem ac moderatorem vniuersitatis solum adorandum esse dixisset, plumbatis cædi ad mortem vsque mandauit. Quæ cum postridie Kalendis Decembribus trucidaretur, iuxta palatium Licinianũ sepulta fuit. *Donatus*, cuius parentes, iussu Iuliani interfecti fuerant ob professionem fidei Christianæ, profugiens Arretium cum Hilarione Monacho, ibidem creatus Episcopus à Quadratiano Præside Augustali securi percussus est, septimo Idus Augusti: cum *Hilarianus* fustibus interimeretur spectante præside. Infestus enim erat Iulianus doctis Episcopis, qui Gentiles ritus suis conatibus refellebant. Sic *Tatianum* Assyrium, qui eleganti oratione ostenderat, Græcos omnia à Barbaris accepisse, de quibus gloriabantur, Martyrio affecit. *Philippus* Episcopus etiam Adrianopoli cum *Eusebio & Hermete* post flagella flammis necati sunt nono Kalendis nouembris, quod contradixerant spoliationi Ecclesiarum. *Basilium* Ancyræ Presbyterum & *Eupsichium Patricium* Cæsareæ Cappadociæ oriundum interemptos tunc quoque refert Sozomenus.

Quanto odio prosequeretur Christianismum ex hoc liquet, quod etiam prçter ius Gentium gladio ab eo occisi fuerint, *Manuel, Sabel, Ismael* pacis causa ad eum missi Legati, quod eius idola nollent adorare.

Quin narrant illum omnes Christianos destinasse Lauienæ, si cũ victoria potuisset redire à Persis. Sed meritas *Christo* pœnas

 dedit,

ANNI CHRISTI. dedit, quando moribundus sanguinem plena manu ad cælum proiiciens dicebat: VICISTI TANDEM GALILÆE: CHRISTVM significans. Neque enim sæuitia solum, sed etiam astuta cauillatione atque eruditione impia magis persequebatur Christi religionem; quam armis Persas. Telis vtens aduersus Euangelia Porphyrii toxico infectis: quæ ægre refellere potuere Gregorius Nazianzenus & Cyrillus.

*Monarchia Romanorum.*

Post Iulianum FL. IOVINIANVS, Tribunus militum ad obtinendum Imperium consensu exercitus electus fuit: commendatione patris Varroniani notissimi Comitis magis, quam sua militibus notus. Fuit hic Pannonius Singidonensis, professione Christianus, insignis corpore, lætus ingenio, & litterarum studiosus Pacem cum Sapore iniit necessariam magis, quam honestam: cum Persis restitueret quinque prouincias, quas vltra Tigrim deuicerat Galerius Maximianus quondam Maiore accedente ignominia quod populus Romanus Arsaci Regi Armeniæ amico & fideli auxilium ferre contra Persas vetitus sit. Cùm itaque à Perside hieme aspera Constantinopolim accelerat, æmulum Imperii veritus, Dadastauæ in finibus Galatiæ repentina morte obiit annos natus quadraginta. Iusserat enim multas adoleri prunas ob graue frigus: vaporeque
316. earum, & odore cubiculi tetro, atque cruditate stomachi illum exstinctum putant, cùm imperasset menses septem, dies viginti-duos, relicto filio Varroniano ex Charito filia Luceliani. Fitque interregnum dierum decem.

*Ammianus lib. 27. & deincepts.* Tuncque nulla discordante sententia VALENTINIANVS agés scholam scutariorum secundam relictus apud Ancyram, electus est, atque nuncupatus Augustus in Bithynia. Vbi cum quæreret à Primoribus, quem ad Imperii consortium deberet assumere, silentibus cunctis Dagalaiphus equestris militiæ rector. *Si tuos*, inquit, *amas Imperator optime, habes fratrem: sin Rempub. quære quem vestigas.*

Verum Constantinopolim veniens VALENTEM (nullo audente refragari) Augustum pronuntiauit: atque participem legitimum fecit potestatis in modum apparitoris tunc ipsi morigerum Partito imperio Oriens VALENTI, Occidens vero Valentiniano cessit. Partiti itaque Comites, Ioninus Magister militum per Gallias & Dagalaiphus Magister militum præsentialis cum Valentiniano Mediolanum concessere. Victor ordinatus est vt sequeretur VALENTEM, cui iunctus est Arinthens. Lupicinus magister militum erat Orientis. Æquitius fuit præpositus exercitui Illyricano: & Sereanianus præfuit scholæ domesticorum.

Partiti

Patriti quoque sunt numeris militares Et palatium diuisum est. ANNI CHRISTI.
Sallustius potestate præfecti regebat Orientem. Mamertinus Italiam cum Africa & Illyrico: Germanus prouincias Gallicanas. Sicque fuit bipartitum imperium Romanum.

Iurabant Valentiniani milites per Deum & Christum & Spiritum sanctum: & per Maiestatem Imperatoris: vt refert *Fl. Vegetius Renatus*, qui ad illum Epitomen institutorum rei militaris scripsit.

## ECCLESIA.

Imperante Iouiniano Concilio Antiochiæ super Orontem conuocato, fides concilii Nicæni confirmata est, ibique omniũ sententiis decretum, vt filius Patri sine controuersia substantialis esse crederetur Gubernabat tum Ecclesiam Antiochenam *Meletius*. Hic cum aliis Episcopis ea de re litteras ad Imperatorem misere. Qui etiam spretis calumniatoribus *Athanasium* in Ægyptum ad suam sedem remisit. In quem etiam Valens diuina quadam virtute prohibitus nihil ausus fuit triste committere. Præfuit itaque quadraginta & sex annis Ecclesiæ Alexandrinæ: & post multos agones patientiæque coronas quieuit in pace sexto Nonas Maii, Gratiano secundum & Probo Coss. Eius eruditissima scripta Petrus Nannius Alcmarianus Latine vertit, nonnulla etiam Ioannes Capnion.

Delegerat vero sibi in successorem *Petrum* tribulationum suarum participem ac socium. Qui coactus fuit fugere Romam: cum Lucius Arrianus sedem occuparet Vir impietate simul & crudelitate nobilitatus: vt qui post turpia, flagitiosa ac nefaria perpetrata etiam ad Monasteria Ægypti furoris sui arma conuerterit, vastando eremum. Ducebant tum castra Domini per deserta *Macarius* Ægyptius & *Isiodorus*: alter *Macarius* Alexandrinus, *Heraclides* atque *Pambus* magni Antonii discipuli Quorum exercitus non telis lethiferis, sed religionis fide erat armatus; & effusione sanguinis sui Victor *Christum* sequebatur in cælũ Refert se in passionibus socium fuisse horum Rufinus: atq; dũ exspectarent in orationib. interfectores suos adductũ ad eos pedibus debilem oleo in nomine Domini perunxisse, dicentibusque illis, *In nomine* IESV CHRISTI, *quem Lucius persequitur, surge & vade domum*: continuo ipsum sanatum abiisse.

Persarum Rex *Sapores* manus Armeniis iniectabat, eos vi in suam ditionem redducere moliens, caussando quod post Iouiniani excessũ nihil obstaret, quo minus recuperaret, quę ad maiores suos pertinuerant. Erat hic Narsis filius ex humili vxore: qui Persarum consensu Rex salutatus fratrem Adarnassem cæciderat, & Narsen fratrem luminibus priuarat, ac Ormisdam cõiece-

ANNI CHRISTI.

rat in vincula. Qui lima sibi clam allata compedum fibulam dissoluit atque elapsus carcere ad Romanos profugerat, apud quos turmis equitum præfectus magnam sibi gloriam bellicam comparauit iaculandi arte in primis clarus.

Cæterum Valente contra Saporem profecto, Procopius Cilix, qui Iulianum propinquitate contingebat, Diuitensibus ac Tungricanis iunioribus promissis corruptis imperium Constantinopoli inuasit. Cuius rei nuntio perturbatus Valés, cum reuersus esset post annum ac decem menses à suis ductus in castra Procopi⁹ abscissione capitis ciuiles motus sepeliuit: Caput missum fuit Parisios: vbi Valentinianus hærebat. Sæuiit deinde Valens acrius in multos, quam errores vel delicta flagitabant. Erat enim natura crudelis, & à fratre moribus atque opinione discrepabat. Nam ab Eudoxio baptizatus fidei Arrianæ se addixerat: atque iniquo animo patiebatur, quod non posset omnes vi ad eadem secum opinioné amplectendam cogere. Itaque patribus, qui Lampsaci fidem Nicænam subscripserant; iussit in doctrina fidei cum Eudoxio consentirent, ni vellent in exsulium ire & Ecclesias suas aliis relinquere administrandas. Cum vero venisset Antiochiam Meletium Episcopum exsulio addixit: alios quoque communioné Eudoxii repudiantes expulit Ecclesiis, mulctauit pecuniis, verberibus cœdi, & alios tormentis affligi mandauit. Valens consulto fratre arma mouit in Gothos ratione iusta permotus, quod auxilia Procopio miserant. Missi ad illud bellum Victor magister equitum, simul & Arintheus Magister peditum: qui auctores fuere pacis inter Valentem & Athanaricū factæ in naui in Istro. postquá per trienniū fuisset pugnatū: Barbar⁹ enim se iuramēto teneri ne in solum Romanum transiret aiebat: & indecorū erat Imperatori ad eum accedere.

Porro Valens tulit legem, vt Monachi cogerentur militare: cumque ad eum iussus esset venire Aphraates monachus vilissimo pallio indutus, & canicie venerabilis, quem de Palatio Antiochiæ respexerant properantem, vt interesset collectæ Orthodoxorum extra vrbem: *Dic mihi*, inquit, *quo vadis? pro tuo maturus imperio* respondit. Tum Valens: *Oportebat te domi orasse monachorum more.* Sed ille: *optime*, ait, *dicis, si sic quoque permisisses, hoc me facere oportebat. Et hactenus feci, donec* CHRISTI *oues pace fruebantur. Verum cum tumultu maximo commouentur, & periculum illis incumbit, necesse est illo discurrere, easq ab imminente clade seruare. Quid si puella essem, Serenissime Imperator, & in cubiculo lana texendæ residens operam darē, nonne conflagrāte domo paterna confestim exilirem, quo ad flammas extinguendas etiam auxiliatrices conferrem manus? Hoc itaque nunc agitur, te succendente domū paternā nostram, itaque properaui ad exstinguendū ignem illam depascentem.*

Fremea-

Fremente Imperatore, cum cubicularius, qui asperius respon- ANNI
disset: post paullum in balneo, quo descenderat, inuentus fuit CHRISTI.
exstinctus

Repressit & furorem Valentis in persequendo Orthodoxos *Themistius* Philosophus Peripateticus oratione habita (hanc exstare in Italia audio) Antiochiæ: in qua referebat multo magis inter se dissentire Philosophos quā Christianos opinionibus: & tamen iccirco nullos fuisse necatos. Deum enim nullum exquisite comprehendere: quare varias de eo exstare opiniones: per quas eius gloria, quam incomprehensibilis sit manifestatur.

Cessauit vero omnino Gothis Thraciam vastantibus hinc Phrigiterne, qui cum suis Gothis, vt Imperatori gratiam pro concessis Thraciæ agris referret, Arrianā hæresim amplexus fuerat, sese defendente; illinc Athanarico ipsum eiusque subditos bello persequente. Dum ergo Antiochia veniens, Gothis contra Gothos auxilium fert, lachrymabili commissa pugna saucius sagittis in casam deportatur, vbi superuenientibus hostibus igni supposito tugurio flammis fuit concrematus, cum annos natus quinquaginta quatuor, imperasset annis quatuordecim, mensibus quatuor, diebus tredecim. Cumque illi nulla esset proles vniuerso imperio potitus fuit GRATIANVS eius ex fratre nepos. Tulerat *Valens* legem per Orientem, nequis vitulorum carnibus vesceretur, vtilitati agriculturæ volens prouidere: sicque scelus in Dalmatia putatur vitulos deuorare.

# GENEALOGIA VALENTINIANI Imp.

GRATIANVS *funarius apud Cabalas ortus filios habuit*

*Valentinianum, qui tulit ex* — *Valentem cui ex Dominica filius*

*Seuera* — *Iustina* — *Galates.*

*Gratianum* — *Valentinianum secundum.* — *Iustam.* — *Gratam.* — *Gallam nuptã Theodosio Magno.*

E Traiani ſanguine in Hiſpania erant fratres Theodoſius & Honorius qui ex Thermantia tulit

*Theodosium Magnum cuius liberi ex*

*Flacilla* — *Galla*

*Arcadius ex Eudoxia* — *Honorius* — *Plaudia nupta Constantio genuit*

*Theodosius secundus ex Eudocia Atheniensi genuit* — *Pulcheria.* — *Arcadia.* — *Marina.* — *Honorium.* — *Valentinianum tertium, qui ducta Eudoxia, ex ea tulit*

*Eudoxiam nuptam Valentiniano tertio.* — *Eudoxiam traditam nuptui Honorico Gotho* — *Placidiam nuptui datam*

*Thrasamundo Vandalo cui peperit* — *Olybrio*

*Hildericum quartum Vandalorum Regem.*

## ROMANI PONTIFICES

368. XXXVII. DAMASVS *Lusitanus opido Vilmariensi diœcesis Bracarensis, creatus ab ijs, qui fauerant Felici. Durauitq; schisma annum vnum ac mensem & aliquot diebus, quando Vrsicinus se Pontificatu abdicauit, factusq; fuit Episcopus Neapolitanus. Sic ergo schismate finito fuit Pontifex* Damaſus *Antonij filius, vir, si quis alius, fide, religione ac doctrina illustris. At inuidia non caruit, cum adulterij accusatus caussam diceret in publico Concilio. Vbi & innocens declaratus, Concordius & Callistus Diaconi accusatores damnati fuerunt, lata lege talionis in posterum contra falsos delatores.*

*Vide Socr. li. 3 &* — *Erat magna auctoritas* Apollinaris *Syri tunc in Ecclesia; qui cum*

cum Iulianus vetaret, ne Christiani Gentilium disciplinis instruerentur, veterem Hebraorum Historiam ad exemplar poematis Homeri in vigintiquatuor libros carmine distribuit Heroico, vsque ad regnum Saulis. ANNI CHRISTI. Sozom. lib. 5.

Comœdias quoque sacras composuit fabulis Menandri persimiles. Item Tragœdias Euripidis. & Lyrica carmina Pindari adumbratione adumbrauit, maxima felicitate. Scripsit quoque volumen aduersus Gentiles Philosophos pro veritate triginta libris distinctum: quo insanas Porphyrij calumnias magna probationum mole confundit. Quod cum legeret Iulianus, scripsit cuidam Episcopo: Legi, intellexi, improbaui. Rescripsit ille: Legisti quidem, sed non intellexisti. Nam si intellexisses, non improbasses. Hic ergo cum esset Laodiceæ Episcopus, ac contradicendi omnibus vitio laboraret, hæresim ex contentione generauit, qua astrueret corpus à CHRISTO, non etiam animam in susceptione humanitatis fuisse assumptum. Ad quam hæresim multos illecebris carminum ad animos attendendos induxit. Nam cum viri dum potabant, aut opera faciebant: tum mulieres, dum telas texebant, eius cantilenas canere consueuerant. Eam ergo cum late serpere hoc modo Damasus Pontifex & Petrus Alexandrinus Episcopus intelligerent, conuocato Romæ Concilio alienam ab Ecclesia Catholica esse pronuntiarunt: decernentes, si quis filium Dei (qui sicut verus Deus, ita & verus homo est) vel humanitatis vel Deitatis aliquid minus habuisse diceret, alienus ab Ecclesia iudicaretur. Porro Damasus se oblectans ocio litterato res gestas superiorum Pontificum memoriæ prodidit: librumque ad Hieronymum, qui Secretarium apud eum egerat, misit. Illiusque consilio, vt ad finem Psalmorum alternatim cantatorum: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto diceretur, instituit. Interpretationique Scripturarũ Hieronymianæ auctoritatem tribuit. Ædificauit vero Basilicam Diuo Laurentio apud theatrum Pompeij: & alteram via Ardeatina ad catacumbas. Dedicauit Platoniam, vbi corpora Petri & Pauli aliquando quieuerant: sanctorumque corpora ibidem sepulta versibus elegantibus celebrauit ad memoriam posteritatis. Cumque præfuisset Ecclesiæ laudabiliter annis sedecim, mensibus duobus, diebus decem mortuus est, atque sepultus via Ardeatina cum matre ac sorore in Ecclesia à se condita: cum prope ætatem in octoginta annos produxerat. Hocce Elogio ornatus ab Hieronymo, quod esset Vir egregius, doctus in scripturis, Virgo, & Ecclesiæ virginis Doctor. Hiero. Epist. ad Gerontiũ.

Floruere sub Damaso Optatus Mileuitanus in Africa Episcopus: qui sex libros contra Donatistas scripsit: in eos retorquens crimen traditionis librorum, quod illi in Catholicos calumniantes contulerant. Morienti vero successit ipsi Mileui in Episcopatu Seuerus. Hieron. in Catal.

ANNI CHRISTI.

Pacianus quoque Barcinonæ Tarraconensis Hispaniæ Antistes: qui Nouatianos suis scriptis oppugnauit senex grandæuus.

Miraculum humani ingenij quoque effulsit Didymo Alexandriæ Catechista, qui cæcus Geometriam, quæ visu omnino indiget didicerat: Perfecte callebat Dialecticam, ac multa nobilia atque erudita scripta reliquit.

Habuit vero etiam Cappadocia tres insignes viros, qui cum essent in humanis litteris edocti, Athenis ab Himerio & Protesio, atque Antiochiæ à Libanio Sophistis, multis annis in Monasterio remotis prophanis libris solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dederant: earumque intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate sequebantur; quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat. Quorum BASILIVS MAGNI cognomine decoratus ad Episcopatum Cæsareæ Cappadociæ, Mazaca olim dictæ, vocatus tanta doctrina ac sanctitatis fuit, vt & Valens abstinuerit ab expellendo eum sede, cum reuersus Cappadociam eum concionantem audyisset, atque venisset cum illo in colloquium.

GREGORIVS frater eius, Nyssæ Episcopus doctissimus, vt eius scripta testantur, sede pulsus in exsulium fuit Idibus Martii Modesto & Arintheo Coss. Quorum Consulatu pridie Idus Aprilis & Saba Gothus Episcopus, cum deterreret populum comedere de immolatis Dijs: à Gothorum Magistratu, qui sacrificauerant, fuit interfectus.

Cæterum tertium Cappadociæ lumen erat Sasimorum Episcopus alter Gregorius, qui post mortem patris, quem funebri oratione præsente Basilio laudauit, Nazianzi paruo opidulo ei in Episcopatu succ^ssit, & ob incredibilem diuinarum litterarum cognitionem Theologi cognomen digne adeptus est. Quibus si adiunxeris ipsorum discipulum Ioannem Antiochenum, qui declamandis Homilijs ad populum cognomen Chrysostomi promeruit: videbis Asiam non caruisse tum quadriga Domini aurigis. Cũ ex orientis quasi Paradiso Edom fluuius ille ingens eructaret huiusmodi quatuor limpidissimos amnes. Erat & Basilio Gregorioque frater Petrus Monachus, virtute non impar illis, verum litteris non tam imbutus, & soror Macrina virgo: cuius funus Nyssenus Gregorius ad Olympium eleganter descripsit. Quemadmodum & Nazianzenus fratrem suum Cæsariũ, atque sororem suam Gorgoniam mulierem, & pietate & scripturarum

*rum notitia excellentem suis scriptis celebrauit, tanta elegantia ani-* ANNI
*mi eius virtutes exprimens, vt nullus pictor in corporis lineamentis* CHRISTI.
*depingendis illi possit æquari. Magnam similitudinem certe picturam cum historia habere, asserit Basilius.* Nam res præclare gestas, aut fortiter, tum eloquentes homines, *inquit*, sæpe numero, tum pictores exprimunt, & vtrique multos ad virtutem excitant. Quæ enim sermo per auditum exhibet, ea pictura tacens per imitationem ostendit.

*Præerat & hac tempestate Ecclesiæ Iconij Pisidiæ* Amphilochius *Episcopus, qui de Spiritu sancto librum conscriptum Hieronymus legit. Fuit etiam Gothis Episcopus* Vlphilas: *qui sacram scripturam in linguam Gothicam conuertit: sicque Barbari illi cœperunt perdiscere eloquia Dei. Docuit hic non solum Phritigerni subditos, verum etiam eos, qui Athanarico parebant Christianam religionem.* Basil. hom. de 40. Martyr.

*Athanaricus itaque ægre ferens patriæ religionis instituta derelinqui, per multos* CHRISTI *religionem profitentes grauibus affecit suppliciis atque occidit. Sunt qui scribant* Vlphilam *Gothorum litteras inuenisse: at qui Gothorum concinnarunt historias, illis antiquitatem tribuunt: quorum sententiæ accedo.*

*Sub* Damaso *etiam, defuncto Mediolani Auxentio Arriano Episcopo, cum plebs tumultum concitaret ob diuersas partium dissensiones,* Ambrosius *Consularis prouinciæ in Antistitem communibus votis electus à Valentiniano Imperatore iubetur populi desiderium implere. Itaque cum esset Catechumenus baptizatur, atque deinde consecratus in sede Episcopali collocatur, populumque fide discordantem ad pacem & concordiam reduxit, septimo Idus Decembris. Gratiano tertium & Equitio Coss. Hic assidue infirmitatibus negociosorum hominum inseruiebat: quibus cum non detineretur corpus necessariis sustentaculis, & animum lectionibus reficiebat. Cum vero legebat, oculi ducebantur per paginas, & cor intellectum rimabatur quiescentibus lingua ac voce. Dominicis diebus omnibus populo strenue ministrabat eloquia verbi Dei. Componebat cum varia volumina: tum etiam hymnos & præfationes. ex illis ij sunt, qui ad horas diuersas cantantur in Ecclesiis: Ex his illam quæ ad cereum Paschalem canitur sabbatho sancto esse intellexi. Eius vero pietas tam longe fragrantiam nominis eius diffundebat, vt etiam ex Cappadocia ad illum scribens Magnus Basilius litteras, iis has etiam eius inseueres laudes. Qui olim quidem à gregibus ouium excitauit populo suo Principem & Amos à caprili senocatum, cum sancti sui Spi-*

Socrat. 4. 27. & Petrus Crinitus.
Paulin. epist. 10. ad Seuer. Augustin. Confess. 6.
Basil. Epist. 55.

ANNI CHRISTI·

*sui Spiritus gratia præmunijsset, ad Propheticam extulit dignitatem: nunc porro virum ex Imperatrice ciuitate profectum (cui Principis auctoritas gentis totius moderandæ fuerat concredita) virum, inquam prudentia & grauitate præcelsum, claritudine generis & vitæ splendore illustrem, virum orandi præstantia non minus, ac rebus per vitam præclare gestis cum primis spectabilem pertraxit ad pastoralem curam gregis Christiani. Qui excussis à se semel præcipuis quibusque vitæ istius bonis, ijsque detrimenti loco habitis, ut* CHRISTVM *lucrifaceret, amplissimæ ac quaquauersum celebratæ nauis Ecclesiæ, nimirum Dei moderandæ sibi delata gubernacula accepit, pro sucada, quæ in* CHRISTVM *est, fide. Agedum igitur tu, O homo Dei, quando non ab hominibus quidem accepisti* CHRISTI *Euangelium, aut edoctus es: quin ipse magis Dominus ex albo Iudicum terræ seuecatum te transscripsit ad hanc Apostolicam præsidentiam. Decerta mihi bonum certamen. Populi ægritudinem emendato. Si qua forte lues Arrianæ Vesaniæ suo illum attigit afflatu, tu ipsum innoua, Priscorum patrum ingressus vestigijs. Quod vtique vir sanctus fecit: in conseruandis enim Basilicis aduersus Iustinæ Imperatricis violentiam se fortem ac inuictum ostendit: & Symmachi præfecti vrbis petitionem de restaurandis sacris ad Valentinianum, & Victoriæ Concordiæque aris aptissimis confutationibus animose apud Imperatorem refellit. Inter cætera eius præclara opera illud imprimis laude dignissimum, quod mellita sua facundia grandem illum cetum in sagenam Ecclesiæ pertraxerit,* D. Aurelium Augustinum: Alipium *quoque ac* Nebridium. *Qua in re non paruam præstitit operam bonus senex* Simplicianus: *qui postmodum Ambrosio in Episcopatu successit, &* Potitianus *Afer. Quorum ille conuersionem quondam Victorini Afri Rhetoris Romæ docentis, se non erubescere publice* CHRISTVM *profiteri: cum non erubuerit antea Rhetoricam publice profiteri enarrat. Hic vero refert tres milites suos contubernales Treuiris ingressos Monasteriolum, ibique lecta vita S. Antonij Monachi, cœpisse mereri* CHRISTO *relicta militia sæculari. Porro versabantur apud* Ambrosium *etiam* Horatus *sacerdos Ecclesiæ Vercellensis:* Felix, *qui Bononiensis post est factus Episcopus:* Polemius & Castus *Diaconi atque* Venerius: *qui Simpliciano in Episcopatu successit. Frater quoque Ambrosij* Satyrus, *& socer* Marcellinus *summa sanctitatis erant. Erat Ambrosio summa familiaritas cum* Acholio *Thessalonicensium Episcopo, quem post obitum apud Anysium eius successorem, ac sacerdotes Thessalonicenses miris extulit præconijs. Porro* Ambrosius *omni religionis Catholicæ officio doctrinaque Ecclesiæ Dei præfuit, vt eius nomen non modo apud Latinos: sed & Græcos quoque atque Syros passim celebraretur, cum per viginti-octo annos præesset Ecclesiæ Mediolanensi. Quam vrbem tum plurimum excelluisse præ cæteris testatus est Dec. Ausonius his versibus suis:*

*Aug. in lib. Confess.*

Nam

ANNI CHRISTI.

Nam Mediolani mira omnia, copia rerum; *Auson.*
Innumeræ, cultęque domus; facunda virorum
Ingenia, antiqui mores; cum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, & inclusi moles cuneata Theatri.
Templa, Palatinæque domus, opulensque moneta
Et regio Herculei celebris sub honore lauacri.
Cunctaque marmoreis ornata Peristyla signis.
Mœnia in valli formam circumdata limbo.
Omniaque quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt, nec iuncta premit vicinia Romæ.

*Cum oborta seditione Thessalonicæ ciuitate Macedoniæ, impetu populi Tribunus militum fuisset occisus, & aliquot Magistratus, repente nuncij atrocitate succensus Theodosius, populum iusserat ad Circenses imitari, atque incautos, vt quisque occurrisset, gladiis trucidari. Cumque ad septem millia ad eum modum fuissent furore quodam interfecti, Imperator Mediolanum veniens, & vt sacris interesset, volens intrare templum, ab Ambrosio eius aditus prohibitus fuit, quasi ipso facto excommmunicatus: cumque arguendo ipsum ostenderet perpetratæ cædis enorme facinus ei Episcopus, agnouit delictum, culpamque cum lacrymis professus, per Rufinum Magistrum officiorum post octo menses absolui à peccati vinculis postulauit, atque publicam pœnitentiam in conspectu totius Ecclesiæ exegit, & iussu Ambrosii de pœnis protrahendis legem conscripsit: atque deinde solutis vinculis templum ingressus, & humi pronus se proiiciens hunc versum Dauidis recitauit:* Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum. *Lex vero etiamnum exstat* l. Si vindicari. C. de pœnis: *huiusmodi.*

IMPPP. GRATIANVS, VALENTINIANVS ET THEODOSIVS AAA. FLAVIANO PRÆFECTO PRÆTORII ILLYRICI. 380.

Si vindicari in aliquos seuerius contra nostram consuetudinem pro caussæ intuitu iusserimus: nolumus statim eos aut subire pœnam, aut excipere sententiam: sed per dies triginta super statu eorum sors & fortuna suspensa sit. Reos sane excipiat vinciatque custodia, & excubiis sollertibus vigilanter custodiat D. XI. Kal Septemb. Veronæ Antonie & Syagrio Coss.

*Conuenerunt Constantinopolim Euagrio & Eucherio Coss.* Timotheus *Alexandrinus,* Meletius *Antiochenus,* Cyrillus *Hierosolymitanus,* Aschonius *Thessalonicensis.* Diodorus *Tharsensis,* Acarius, *aliique Episcopi Catholici ad centum & quinquaginta numero. Et* Eleusius *Cyzici,* Marcianus *Lampsaci cum aliis triginta quatuor Episcopis, qui Arrij ac Macedonij errores sequebantur. Primo itaque Præfecto vrbis Nectario creato in Episcopum Constantinopolitanum; rogati Macedoniani an vellent acquiescere veritati Synodi,* 381.

ANNI CHRISTI. nodi, qui decretis editis declarauerat fidem Nicani Concilij ratam habendam, & Spiritum sanctum à Patre Filioque procedente secundum scripturas. Cumque mallent potius condemnari: conscriptum & editum fuit Symbolum, quod inter sacrificandum, ante Catechumenorum dimissionem cantari consueuit. Compositi & Canones fuerunt vt Episcopi propriis Ecclesiis suis praesiderent, nec extraneos temere inuaderent. Praeterea, vt quae in vnaquaq; Synodo Prouinciali, cuiusque nationis statuerentur, ea rectissime ordinarent & facerent. Ordo quoque Ecclesiarum statutus est, vt Romanus Episcopus habeatur primus. Secundus noua Roma scilicet Constantinopolitanus. Tertius Alexandrinus: Quartus Antiochenus. Quintus Hierosolymitanus. Non hi vero modo Papae nomine designabantur; sed etiam minores Episcopi. Significabat enim illa aetate Papa Graece ac Latine Papus, auum. Vt videre licet in hoc Ausonij illius aetatis Poetae versu:

———Papos auiasque trementes
Ante ferunt Patribus seri noua cura nepotes.

Et post Gregorij I. tempora haec vox caeteris adempta Episcopis, soli Romano Episcopo permansit: sicuti & ei Domini per syncopen pro Domini Apostolici, caeteris quatuor Patriarchis nomen attributum fuit. Obiit vero pridie Idus Februarij Constantinopoli post celebratum Concilium Meletius Antiochenus Episcopus, in cuius exsequiis funebrem orationem habuit Gregorius Nyssaenus. Quem etiã Chrysostomus Antiochiae, cum corpus illuc esset translatum, oratione laudauit, referens eius memoriam vsque fuisse gratam, vt non modo ad parietum ornatum eius passim conspicaretur depicta imago: sed etiam phialis insculperetur & annulis. Imperator salutauit Episcopos & praecipue allocutus Timotheum Alexandrinum, Diodorum Tharsensem, Pelagium Laodicensem, Amphilochium Iconiensem, Helladium Caesariensem Basilij successorem, Gregorium Nyssenũ, Ottenium Melitae, Terentium Tomorum, & Martyrium Marcianopolis Episcopos, eorum pietatem sedulam approbauit, commendans ipsis curam Ecclesiarum. Cumque vidisset Agetium Nouatianum, eiusque sectatores non dissentire à fide Nicana Synodi de Deo, aliosque non modo ab illis opinione, sed & inter se quoque dissentire, graues poenas legibus adscribebat, quae spectabant religionem, sed eas non exsequebatur, cum tantum studeret per eas subditis incutere metum. Mortuo Damaso cum sedes vacasset dies triginta, successit pridie Idus Ianuarij

383.

XXXIIX. SIRICIVS ROMANVS patre Tiburtio genitus. Magno hic religionis bono Manichaeos pepulit vrbe, cum multos seducerent, & vanis imbuerent superstitionibus. Haec haeresis initium sumpsit Alexandria Aegypti ab auctore Schytiano Aristotelicam Philosophiam profitente, cui Therebinthus fuerat discipulus haeres librorum atque

*atque errorum illius: cuius vidua seruus erat Curbicus Persa seipsum nominans* Manem, *quod Persica lingua sonat* disputatorem, *nam legendo quatuor Scythiani libros, quamuis esset Ethnicus semper Christianos prouocabat ad disputationem: cumque Regem Persarum suis decepisset prestigiis, atque eius heresis refutata esset ab Archelao Episcopo, iussit eum Rex lege Persica excoriari, atque pelle ante vrbis portam suspensa, carnem bestiis deuorandam tradi. Eius sectatores fuerunt Buddas, Hermas, & Thomas. Qui Euangelium scripsit Apocryphum: cuius meminit etiam Hieronymus, ne quis illud fuisse Apostoli. Hac vero heresis vt latissime serpserat, ita longissime durauit: licet mutato nomine, cum ante captam Constantinopolim à Turcis Pauliciani in Gracia eam profiterentur. Et ex Hispania centum abhinc annis eamdem vna cum Mauris expulerint Ferdinandus & Elisabeth Reges Catholici deuicta Granata.*

ANNI CHRISTI. *Libri Scythiani Euangelium, Capitum, Mysteriorum Thesaurorum erat inscriptio Cyrill. Catech. 6. Hieronym. prefat. comm. in Matth.*

*Caterum* Siricius *pœnitentes & Ieiuniis orationibusque se macerantes, atque ad Ecclesia gremium redeuntes, recipiendos esse censuit. Ordinauit quoque vt Symbolum Constantinopolitanum loco Niceni decantaretur in templis. Cumque Ecclesia cum laude prafuisset annis quindecim, mense vno, diebus vndecim, obiit octauo Kalendas Martij Casare Honorio quartum & Eutychiano Coss. Vacauit vero sedes diebus viginti.*

XXXIX. ANASTASIVS *Maximi filius successit Idibus Martij. Vir ditissima paupertatis & Apostolica sollicitudinis Hieronymo testante.* Cum enim, *inquit*, de Orientis partibus hæreticorum sæua tempestas simplicitatem fidei, quæ Apostoli voce laudata est polluere & labefactare conata esset; statim noxium perculit caput, & sibilantia hydræ ora compescuit. *Vetuit enim ne peregrini, maxime transmarini, reciperentur in numerum clericorum Romanorum, nisi quinque Episcoporum chyrographo commendati ad excludendum Manichaos. Fuit amantissimus Paulini Nolani, quem etiam ad natalem suum celebrandum inuitare dignatus est, cum eum prius Episcopis Campania per litteras pietatis & pacis plenas esset commendatus. Constituit quoque vt omnes in Ecclesia stantes venerabiliter Euangelium recitari audirent. Cumque mundus immeritus esset eius diuturniore vita frui, mortuus est quinto Kalend. Maij, Arcadio quintum & Honorio quintum Coss. Sepultusque fuit in cœmeterio ad Vrsum pileatum, cum sedisset annos quatuor, mensem vnum, dies tredecim. Vacauitque sedes dies viginti & vnum.*

*Hieron. Epistola ad Demetriadem.*

*Paul. Epist. ad Delph.*

*Hieron. Epist. ad Demet.*

XL. INNOCENTIVS *Albanus decimoquarto Kalendas Iunij fuit creatus: sub quo cum etiamnum viuerent & pullularent venenata plantaria hereseων, putauit Hieronymus pio charitatis affectu pramonendos suos, vt huius sancti Innocentij Apostolica cathedra, & supradicti Anastasij successoris tenerent fidem, vt testatur epistola,* 402.

ANNI CHRISTI.

*epistola quam ad Demetriadem misit, filiam Tyrannia Annicia Iuliana qua legatos à Chrysostomo ad Innocentium missos Pontifici commendauit. Cum ergo Chrysostomi caussa cognita exauditoq; deinde iniusto eius exsulio, in quo sanctus Episcopus, quem litteris consolatus fuerat obiisset; perspiciens Imperatorem nequaquam duci pœnitentia, nec se præbere sanandum, seueritate Apostolica vsus, animose eum missa hac epistola Constantinopolim excommunicauit: biennio antequam Roma foret capta à Gothis:*

Vox sanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deum contra te, ô Imperator, sicuti quondam Abelis iusti contra parricidam Caim: & is modis omnibus vindicabitur. Nec id modo admisisti: sed etiam pacis tempore persecutionem magnam aduersus Deum & Ecclesiam eius concitasti. Eiecisti è throno suo, re non iudicata, magnum totius orbis Doctorem: & vna cum eo *Christum* persecutus es. Neque de illo ita queror (sortem enim ac hereditatem cum sanctis Apostolis in Dei & Seruatoris nostri IESV CHRISTI regno consecutus est) quãuis intolerabilis iactura ea sit; sed affligor propterea quod primum de animarum vestrarum salute; deinde de eis, qui sapientissima spirituali & diuina doctrina & institutione eius orbati, fame verbi Dei conficiuntur, sum sollicitus. Non etenim Ecclesia tantum Constantinopolitana mellitæ illius linguæ iacturam fecit: sed & orbis sub sole totus ad orbitatem redactus est, viro tam diuino amisso persuasione vnius mulieris, fabulam hanc ac spectaculum exhibentis. Verum excipiet illa & præsentem hic pœnam, & futurum sempiternum supplicium, nõ post multos hosce dies ei adueniens. Tamen etsi enim beatus Ioannes vitam reliquit fide seruata, & fluctuãtibus confirmatis: in æterna tamen sæcula sempiternarum deliciarum, & immortalis vitæ hereditatem est consecutus. Noua autem Dalila Eudoxia, quę paullatim te erroris seu seductionis nouacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi introduxit, graue, & quod portari nequeat peccatorum pondus colligans; atque id prioribus suis peccatis superaddens. Itaque ego minimus & peccator, cui thronus Magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reiicio te & illam à perceptione immaculatorum Mysteriorum *Christi* Dei nostri: Episcopum etiam omnem, aut Clericum ordinis Ecclesiæ sanctæ Dei, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora, qua præsentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua decidisse decerno. Quod si vt homines potentes, quemquam vi ad id adegeritis, & Canones nobis à Saluatore per sanctos Apostolos traditos transgressi fueritis; scitote non paruũ id vobis peccatũ fore in horrendo illo iudicii die, cũ neminẽ honor huius vitæ ac dignitas poterit adiuuare:

arcana

arcana autem & abdita cordium sub oculis omnibus effundentur atque exhibebuntur. Arsacium, quem pro maximo in thronũ Episcopalem produxistis, etiam post obitũ exauctoramus vna cum omnibus, qui consulto communicarũt cum eo Episcopis: cuius etiam nomen non inscribatur sacro Episcoporum albo. Indignus enim eo honore est, vt qui Episcopatum quasi adulterio polluerit. Omnis siquidem plantatio, quæ à patre nostro in cælis plantata non est, eradicabitur. *Ad Theophili abrogationem addimus excommunicationem, anathematismum & absolutam à Christianismo alienationem.* ANNI CHRISTI.

*Porro accidit quoque, quo probaretur irruptionem illam vrbis Romæ magis indignatione Dei, quam hostis fortitudine fuisse factam: vt beatus Innocentius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, tamquam iustus Lot subtractus à Sodomis, occulta prouidentia Dei apud Rauennam tunc positus esset, ne peccatoris populi videret excidium. Instituit vero Innocentius, vt ritus Romanæ Ecclesiæ obseruaretur in consecrandis Mysterijs; atque eorum nomina, qui oblationes ad altare tulerunt, inter sacra Mysteria nominarentur: quodque osculum pacis in Symbolum charitatis vnanimis daretur. Et postquam Ecclesiæ præfuisset annis quindecim, mensibus duob⁹, diebus decem extremum clausit diem quinto Kalendas Augusti Imper: Cæsare Honorio secundum & Fl. Constantio Coss. Atque sepultus fuit in cœmeterio, quod in quinta vrbis regione Esquilina ad vicum vrsi pileati ædificauerat Anastasius eius antecessor: Cumque sedes vacasset viginti-duos dies, creatus est.* Oros.l.7.39.

XLI. ZOSIMVS *Abrahami filius, Cæsariensis, Cappadox: qui vetuit ne serui in clerum reciperentur: clericos quoque in publico bibere prohibuit. Cumq; sedisset annos tres, menses quatuor, dies septem, obijt octauo Kalendas Ianuarij: atque sepultus fuit via Tiburtina in Basilica sancti Laurentij extra muros: sicque secundo die creatus est.* 417.

XLII. BONIFACIVS ROMANVS, *Iucundi presbyteri filius: contra quem creatus* EVLALIVS *Romanus in schismate sedit menses tres, dies septem. Tuncque coactus se abdicare in Campania Episcopatu functus est. Bonifacius vero condidit cœmeterium S. Felicitatis oratorium: eius sepulcrum ornauit marmoribus & argento. Constituit ne Mulier vel Nonna sacratam pallam attingeret. Cumque sedisset annos duos, menses nouem, dies viginti octo, mortuus est octauo Kalendas Nouembris, ac sepultus in Basilica sancta Felicitatis Martyris. Cumque vacasset sedes dies nouem, creatus est.* 420.

XLIII. CÆLESTINVS ROMANVS *Prisci filius, diuino cultui intentus Palladium Episcopum creatum in Scotiam, misit ad prædicandum Euangelium Christi.* 423.

*Cumque Constantinopoli Nestorius Episcopus creatus doceret*

ANNI CHRISTI.

CHRISTVM *tantum hominem ex Maria natum; fuit eo Pontifice VV.CC. Basso & Antiocho Coss. celebratum Concilium Ephesi à ducentis Episcopis illuc conuenientibus. Cumque de sanciendis fidei regulis disceptandum esset, præter sacros vtriusque testamenti libros, decem auctores ex communi sententia statuerunt Martyrio aut confessione insignes: quorum expositioni ac sententijs se subscripturos esse confirmarent.*

*Itaque ex Orientis Patribus nominati sunt* Petrus Martyr, & *Confessor* Athanasius, *atque* Theophilus *Alexandrini Episcopi doctrina ac vitæ sanctitate præstantissimi: adhibita his sunt etiam Cappadociæ lumina* Basilius *Cæsareæ Episcopus, eiusque frater* Gregorius Nyssenus, *atque alter* Gregorius Nazianzenus. *His Græcis adiuncti sunt* Felix *Martyr, &* Iulius *Confessor vrbis Romæ Episcopi, quibus hinc* Cyprianus, *illinc* Ambrosius, *Carthagine ac Mediolani Episcopi additi fuerunt. Hi ergo sacrato Decalogi numero Magistri consiliarij, Testes ac Iudices fuerunt habiti, quorum doctrinam cum teneret, consilium sequeretur, testimonio crederet, atque obiret iudicio absque præsumptione odio ac gratia pronuntiauit sacrosancta Synodus*: Iesum Christum vnam esse personam, Deum & hominem perfectum ex corpore & anima *Itaque* Mariam Virginem esse ac vere dici Dei genitricem, secundum quod Gabriel dixerat: QVOD EX TE NASCETVR SANCTVM, VOCABITVR FILIVS DEI. *Cumque huius Synodi beatus Cyrillus Alexandriæ Episcopus lecta Capreoli Carthaginensis Episcopi epistola, qua continebatur, vt expugnata nouitate dogmatum antiquitas esset conseruanda atque defendenda, dixisset*: Et hæc, quæ lecta est, Venerandi & multum religiosi Episcopi Carthaginensis Capreoli fidei gestorum inseratur: cum eius sententia aperte sit, vt antiquæ fidei dogmata confirmentur; nouitia vero & superflue adiumenta, ac impie promulgata reprobentur atque damnentur, *Omnes Episcopi acclamauerunt:* Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est.

*Sic etiam Celestinus Papa pari modo, eademque sententia scripserat ad Gallorum sacerdotes arguens eorum conniuentiam, quod antiquam fidem silentio destituentes prophanas nouitates exsurgere paterentur.* Miserat *scribens*, caussa nos respicit, si cum silentio foueamus errorem. Ergo corripiantur huiusmodi, neque sit iis liberum habere pro voluntate sermonem. Desinat itaq; si ita res est incessere nouitas vetustatem. *Miserat porro & Germanum Antisiodorensem Episcopum in Britanniam Celestinus, quo deturbatis hæreticis insulares ad fidem Catholicam redigeret. Cumque sedisset annos octo, menses quinque, dies tres, obijt octauo Idus Aprilis VV. CC. Valerio & Aetio Coss. sepultusque est via Salaria in cœmeterio Priscillæ. Cumque vacasset sedes viginti & vnum dies successit*

XLIV. Xy-

XLIV. XYSTVS III. *Romanus Xysti filius: qui in epistola, quam de caussa Nestorij ad Antiochenum Episcopum misit*, Nihil vltra, *scribit*, liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetustati. *Perspicua enim maiorum fides ac credulitas nulla cœni permixtione debet turbari, vt scribit Vincentius, qui in Lyrinensi Monasterio tum temporis aduersus hereseωn nouationes scribebat pro fidei veritate: docens fidem muniri debere diuinæ scripturæ auctoritate, & Ecclesiæ Catholicæ traditione: Itaque traditione spectandum quod antiquitus semper, vbique concordi omnium consensu fuit creditum. Illud enim vim Catholici nominis declarare, eo enim spectare depositum, quod custodiri, deuitando prophanas vocum nouitates, Timotheo suo mandat Paulus Apostolus. Conciliorum denique suorum hoc perfecisse Ecclesiam: vt quod à maioribus sola traditione susceperat, hoc idem posteris etiam per scripturæ chyrographum consignaret: magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo: & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei sensum nouæ appellationis proprietate signando.* ANNI CHRISTI. 432.

*Sic itaq; doctrina Christiana omnis constat vel*
- *Scriptione nempe aut*
  - *Scripturæ vtriusque Testamenti.*
  - *Definctione SS. Conciliorum.*
  - *Constitutionibus summorum Pontificum.*
  - *Decretis Episcoporum.*
  - *Communi consensu SS. Patrum ac Scripturæ interpretum.*
- *Traditione seu moribus, quorum est præscriptio in Ecclesia Catholica.*

*Fuerat vero* Xystus *iniens Pontificatum à Basso accusatus: & in synodo quinquaginta septem Episcoporum caussam dicendo vno consensu absolutus: &* Bassus *damnatus vt calumniator, quē etiam post Valentinianus imperator in exsulium misit. Ferunt Basso pœnitenti exsulium ac moribundo extremum viaticum non modo non fuisse negatum: sed &* Xystum *eum mortuum suis manibus in maiorum suorum monumento ad sanctum Petrum sepelivisse.*

*Ecclesiam S. Mariæ Maioris historiis Musæo opere ornatam eum ædificasse significat titulus in frontispicio primi fornicis scriptus his verbis:* XYSTVS EPISCOPVS PLEBI DEI. *Auctor quoque fuit* Xystus *imperatori Valentiniano, vt Dei Ecclesias exornaret: ipse vero omnia sua exstruendo ornandoque templa ac pauperibus erogando*

ANNI CHRISTI. consumebat. In S. Mariæ Ecclesia quotannis annuus à CHRISTI passione cereus Xysti institutione solet inscribi: quod Monachos suos vidisse testatur Beda. Mortuus autem est Xystus ac sepultus via Tiburtina in crypta iuxta corpus S. Laurentij, quinto Kalendas Aprilis, cum sedisset annos septem, menses vndecim. Cumque vacasset sedes mensem vnum, & dies tredecim creatus singulari suffragantium concordia.

440. XLV. LEO MAGNVS Quinctiliani filius, Tuscus, è Gallijs, vbi Diaconus resarciendæ pacis inter Aetium & Albinum ergo missus erat, euocatur: Atque Romam veniens multa gratulatione excipitur. Curauerat hic iam inde ab adolescentia pectus suum exornari optimis disciplinis ac recondita sacrorum voluminum intelligentia: quam assidua lectione, multaque scripturarum exercitatione, sano iudicio, firmaque memoria sibi comparauerat. Vir qui sincero fortique animo, rationi nominis sui facile responderet; fidem charitate exornaret; eloquentiaque Ecclesiastici stili, & sapientia Christianæ pietatis Magni cognomen promereret. Nam non modo Nestorianis, sed & Eutychianis, qui auctore Eutycho Archimandrita, id est, Præfecto Monachorum sene versipelle, vna ex diuina humanaque naturis CHRISTVM compositum ac vnitum dicebant; vt nulla esset in vna persona substantiarum iam diuersitas, fortiter restitit. Attilæ quoque cum Hunnorum copijs in Italiam mouenti obuius processit, placatoque tyranno Italiam defendit, vrbemque seruauit. Habuit inter præcipuos amicos Flauianum Episcopum Constantinopolitanum, & Prosperum Aquitanum, Regiensem postmodum Episcopum, qui Chronica ab exordio mundi ad suam ætatem descripsit. Lusitque etiam epigrammatis, & de prædictionibus, libero arbitrio, & gratia commentatus est. Ad Flauianum vero eam scripsit epistolam, qua perplexam Eutychetis impietatem magna veritatis luce detexit atq; profligauit, cum legeretur in Concilio Chalcedonensi, ad quod maximus ex toto orbe Episcoporum numerus congregatus fuit ab Imperatore Martiano ad numerum sexcentorum & triginta vsque Martiano & Adelphio Coss. In quo excussis omnium præcedentium hæreseωn opinionibus, atque perlectis sanctorum Patrum veracibus sententijs declaratum fuit CHRISTI vnitatem in persona minime esse diuisibilem, atque essentiæ differentiam minime esse confusam. Carnis enim & diuinitatis in CHRISTO post coniunctionem manere differentiam: & verbum cum carne propria vnam esse personam. Sicque qui propter duarum in CHRISTO naturarum differentiam personæ vnitatem non agnoscit, condemnatur vt Nestorianus. Et qui in persona vnitate naturalem non concedit differentiam, damnatur vt Eutychianista. Exsecratur hæc itaque sacrosancta Oecumenica Synodus Eutychem atque Dioscorum Alexandrinum Episcopum; illum vt auctorem; hunc vero vt propugnatorem.

Additis

*Additis insuper Canonibus, quibus vtendum esset in diuersis nego-* ANNI
*cijs Ecclesiasticis. Sicq; Sancti, quod inuenerant in Ecclesia tenuerunt,* CHRISTI.
*quodq; didicerant, docuerunt, & quod à Patribus acceperant, posteris tradiderunt. Interfuerunt huic Concilio Chalcedoni vrbe Bithyniæ in templo sanctæ Martyris Euphemiæ celebrato, Vicarij Leonis Romæ antiquæ Pontificis,* Paschasianus *&* Lucentius *Episcopi, ac* Bonifacius *presbyter:* Anatolius *nouæ Romæ seu Constantinopoli antistes,* Maximus *Antiochiæ, &* Iuuenalis *Hierosolymæ Episcopi. Dioscoro Alexandriæ Episcopo in Concilio non fuit permissum sedere, cum quod istud mandasse Leonem dicerent eius vicarij, tum quod Eusebius Dorilaensis Episcopus exhibito supplici libello hæc verba adiecerat:* Mihi autem certe à Dioscoro facta est iniuria: & fidei etiam. Flauianus Episcopus ab eo interfectus est, cum vna mecum inique Episcopatu fuisset abdicatus.

*Porro Leo approbauit Concilium, & pro defensione eius scripsit. Cumque Gensericus cum Vandalis Romam vastasset, templa diffracta restituit, & via Appia S. Cornelij templum ædificauit. Fuitq; auctor vt Demetria via Latina tertio ab vrbe lapide S. Stephano Basilicam in fundo suo conderet. Sepulcris Apostolorum custodes posuit, qui cubicularij vocabantur. Cum digne præfuisset Ecclesiæ annis viginti, mensibus vndecim, mortuus tertio Idus Aprilis primus Pontificum sepultus in porticu ante Basilicam S. Petri in Vaticano. Et post dies septem successit.*

XLVI. HILARIVS SARDVS *Crispini filius, qui instituit, ne Pontifices successorem sibi deligerent. Confirmauit & Oecumenicas Synodos, damnans Nestorium, Eutychem & Dioscorum cum sectatoribus ipsorum. Aedificauit duas Bibliothecas, & tria oratoria in Basilica Constantina, in quorum vna lignum Crucis auro inclusum posuit ornatum gemmis. Stabat ibidem agnus aureus duarum librarum in columna Onychina. Exstruxit & Monasterium in vrbe. Sedulus fuit docendo, admonendo, castigando, atque egenis subueniendo eleemosynis. Cumq; sedisset annos sex, menses tres, dies decem, obijt quinto Kalendas Augusti, sepultus in crypta S. Laurentij. Cumq; sedes vacasset dies decem, creatur* 461.

XLVII. SIMPLICIVS TIBVRTINVS, *Castini filius, qui templum sancti Stephani in monte Cœlio, & S. Andreæ Apostoli, in quo erant carmina Musiuo opere descripta, testantia ipsum operis esse auctorem. Vrbem in quinque regiones diuisit presbyteris: quarum prima Petri, secunda Pauli, tertia Laurentij, quarta Ioannis Lateranensis, & quinta S. Mariæ Maioris erat. Scripserunt ad eum Acatius Constantinopolitanus Episcopus, & Timotheus, vt Petrum Alexandrinum Episcopũ Eutychetis imitatorem hæreseos damnare vellet. Quod ea conditione factum est, vt pœnitenti tempus adscriberetur. Cumque digne præfuisset Ecclesiæ annos 15. menses sex, dies viginti tres,* 467.

 mor-

ANNI CHRISTI. *mortuus sexto Nonas Martij, sepultus est in porticu ante Basilicam S.Petri in Vaticano, vacauitq; sedes dies sex.*

# ECCLESIA.

Porro cum fides Christiana iam in Syriæ partibus vbique floreret, delatus fuit à Magis Simeon Ctesiphontis vrbis Antistes apud Saporem Persarum Regem: quod amicus Constantino esset, eique res Persarum proderet. Quem catenis ad Regem ductum, atque nolentem Solem adorare Sapores obtruncari iussit. Mouit vero tantam in Christianos persecutionem Sapor Persa, vt in ea exquisitis tormentis vltra sedecim mille interfecti fuisse dicantur. Cæterum cum *Alexander* Constantinopoli Episcopopatu fungeretur, & *Maximus* Confessor Hierosolymæ Macario successisset: Alexandrum Alexandriæ Episcopum Eusebius sedi suæ apud Nicomediam restitutus minis cogere ad Arrium in Ecclesia recipiendum molitur. Ita sanctus Episcopus ad orandū Deum conuersus, hac vsus fuit precatione: *Iudica inter me Deus & Eusebij minas, atq; Arrij vim.* Nec destitutus fuit iudicio diuino. Nam intentis omnibus quæ Eusebii Arriique violentia atq; perseuerantia declinarent: ecce Arrius Eusebio aliorumq; Episcoporum ac populi multitudine stipatus ad Ecclesiam pergens necessitate exonerandi aluum, dum in publicam secedit cloacam; intestina, atque omnia viscera eius in cuniculum secessus defluxere: sicque tali loco mortem fœtida mente linguaque blasphema dignum obiuit. Genus hoc mortis eius simulatum fuit apud Imperatorem, ne ille persuasum haberet, vindicta Dei illud accidisse.

Vigebat vero Monasticum vitæ genus, nunc in Ægypto, aliisque in locis: in quo facile palmam obtinebat Antonius Coma pago apud Heracleam ortus; vt supra paullo diximus, qui diuenditis paternis bonis precium pauperibus distribuerat. Deo colendo eiusque legibus seruandis mentem puram intendens. Accedebat vero sæpius Alexandriam, vbi Athanasii fruebatur sancto colloquio: cumque ætatem prorogaret in centesimum & quintum annum vsque accesserat & Didymum cæcum scholæ Alexandrinæ Catechisticæ præfectum, virum tanti ingenii, vt etiam cæcus comprehenderet Mathematicas artes: tantæ doctrinæ, vt eius fama excitati ex variis orbis partibus Alexandriam plurimi ad illum audiendum confluerent. Quem cum aliquādo *Antonius* de diuinis rebus disserentē audiuisset, dicebat: *Non graue tibi neque molestum debet esse, Didyme, illis carere oculis, quorum mures, lacertæ, aliaq; animalcula participia sūt: sed iucundū potius ac beatum, quod oculos habeas similes Angelorum, quibus vere Deum contemplaris, & veram eius cognitionem perspicue exquisite.*

Tradi-

Traditum etiam est Antonium priusquam Gregorius aliique Arriani Ecclesiarum essent potiti gubernaculis, secundum quietem, imperante Constantio, vidisse mulas altari insultantes calcibus, & sacram mensam euertentes: illicoque prædixisse tumultum ex adulterinis, permixtisque doctrinis ortum. Refert de eo Hieronymus, quod cum ad visendum Paulum transiret desertum Thebaidis; viderit Hippocentaurum atque Satyrum: quorum ille palmarum fructus ad ipsum deferebat; hic vero dicens se fungi legatione gregis sui, precabatur, vt pro ipsis orationes suas fundere ad Deum dignaretur. Præterea quod videret Paulum niueo candore fulgentem inter choros Angelorum in sublime conscendere; vsusque fuerit Pauli tunica ex palmæ foliis contexta solennibus Paschæ & Pentecostes diebus inter suos Monachos, donec senex centum & quinque annorum moreretur decimo sexto Kalendas Februarii anni trecentesimi septuagesimi-sexti.

*Constantius* cum rerum iam solus potiretur ad Occidentales Episcopos fatigandos ac decipiendos se parat Ob quod Concilium Mediolanum, quo ex Gallia venerat, conuocari iussit, voluitque Episcopos in condemnationem Athanasii subscribere, quo facilior pateret aditus fidei destruendæ. Complures vero fuere decepti: sed Paulinus Treuirensis, Dionysius Albæ, Eusebius Vercellis, Lucifer Calaris Sardiniæ, Hilarius Pictauii, aliique aliis locis Episcopi dolum latere proclamantes in exsulium fuere trusi Arbetio & Lolliano Coss.

Verum vt Antonius in Ægypto; sic in Syria primus fundator & eruditor Monasticæ conuersationis fuit *Hilarion* vico Palęstinæ Tabatha à Gaza quinque circiter millibus passuum sito ortus, atque Alexandriæ Grammaticam edoctus solitus ibidem, licet parentibus Idolis deditis natus, in Ecclesiæ congregatione versari. Incensusque fama Antonii inuisendi, mutato pristino habitu duobus circiter mensibus iuxta eum mansit, contemplans ordinem vitæ eius, morumque grauitatem. Ad cuius exēplum defunctis iam parentibus, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est. Solitudinemque annos iam natus quindecim ingressus vastam, sacco membra cooperiebat, ac sago rustico, vitam post occasum solis duodecim ficis sustentās. Habitauit per quadriennium tuguriolo iunco ac carice texto, deinde cellula longa paulo plus sex pedes, lata quatuor, atque alta quinque: solitus post orationes & Psalmos Scripturas sanctas memoriter recitare: & lorica fidei indutus, cruceque *Christi* in fronte signatus, contra dæmonum ludibria fortiter prœliari. Clarus miraculis variis, humilitate clarior reddebatur. *Hieron. in eius vita.* Ita vt Hieronymus postquam complura enarrasset, diceret:

ANNI CHRISTI. *Mirentur alij signa, quæ fecerit, mirentur incredibilem abstinentiam, scientiam, humilitatem: ego nihil ita stupeo, quã gloriam illum & honorem calcare potuisse. Auarissima enim honoris humana mens, facilius honorem & opes, quam honorem spernit.*

Produxit Hilarion ætatem in octogesimum annum atque anno 372. Kalendis Nouembribus moriens dicebat: *Quid times? egredere anima mea: quid dubitas? septuaginta annis seruijsti* CHRISTO, *& mortem times?* Eaque in verba exhalauit spiritum, relinquens testamento opes suas scilicet Euangelium, tunicam saccеam, cucullam & Palliolum Hesichio. Qui eius corpus postmodum è Cypro Maioniam furtim detulit, atque in Monasterio condidit: prosequentibus Monachorum populorumque turmis.

Non debent præteriri silentio *Nonna* mater Gregorii Nazianzeni, & *Monica* Augustini parens, viduæ celebres, quarum nomina sonant velatam Deo sacratam mulierem, qualem reuera vtraque se ostendit.

Milites in exercitu Iuliani complures *Christo* militari quoque cœperunt: præcipue *Vitricius*, qui abiecto cingulo à Tribuno multis tormentis fuit affectus: cumq; vinculis solutis liber esset, postea Episcopus factus Morinorum atque Neruiorum gentes verbi prædicatione ad fidem perduxit, & demum in pace Rothomagi quieuit.

*Sulpitius Seuerus in eius vita.*

*Martinus* quoque Sabaria primæ Pannoniæ vrbe ortus, qui etiamnum Catechumenus Ambianus mendico rigenti frigore discissam paludamenti partem proiecit, qua nuda tegeret membra: cumque baptizatus esset, recusauit vlterius stipendia merere. Quem obiisse tertio Idus Nouembris, die Dominica, Consulatu Q. Clodii Hermogeniani Olybrii, & Sexti Anicii Probini Turonis, vbi annis viginti sex Episcopatu fuerat functus, anno ætatis eius sexagesimo primo, non difficulter nobis persuaderi patimur. Fuit hic hoc ornatus Elogio, vt *Gemma sacerdotum* diceretur.

Meruit sub Iuliano quoque *Ammianus Marcellinus*, qui licet impedita oratione, magna fide tamen ac diligentia aspersis ex veteri historia repetitis aliquot locis historiam conscripsit.

Interfuit & eius expeditioni in Parthos *Eutropius*: qui Romanam historiam ordine in arctum contrahens, illam ad Iouiniani ac Varroniani Consulatũ perduxit. Quem Sacerdotem Christianum fuisse vt vulgo fertur, mihi non persuadeo: quod Iulianũ religionis Christianæ insectatorẽ perinde fuisse dicat, vt cruore abstineret, Marco Antonino nõ absimilem. Cum potius deberet eum comparasse Neroni: qui vt sextus ac vltimus fuit Cæsa-

Cæsarum: ita & Iulianus Imperator sextus & vltimus Flauiorũ à Constantio Chloro auo suo: vir plane impius. Post cuius mortem terræ-motus totius orbis accidit, mariaque egressa sunt terminos suos, quasi Deus rursum diluuium minaretur, cum naues ad prærupta montium de latere penderent; & elementorum furente discordia inuoluta mundi facies miraculorum species vbique ostenderet, duodecimo Kalendas Augustas Valentiniano & Valente Coss. ANNI CHRISTI.

*Hilarius* autem Pictauis vita defunctus Idibus Ianuarii apud Apram filiam sepultus fuit Valentiniano & Valente secundum Coss.

*Eusebius* vero Vercellensis Episcopus ab Arrianis occiditur, Kalendis Augusti Valentiniano & Valente tertium Coss. Quo anno *Lucifer* quoque Calaguris Sardiniæ moritur. *Eudoxius* quoque Constantinopoli Arrianus, cum ibidem vndecim annis esset functus Episcopatu. Tum Orthodoxi *Euagrium* elegerunt, cui manus imposuit Eustachius Antiochenus, qui Constantinopoli latebat. Arriani vero elegerunt *Demophilum*. Valens itaque missa Nicomedia Constantinopolim militari manu Eustachium & Euagrium in exsulium misit. Arriani inter alia crudelitatis facinora naui exarmatæ ad Orthodoxos presbyteros imposuerunt, vndisque agitatam nauem incenderunt: sicque per ignem & aquam probati Martyres Christi in mari submersi fuerunt.

Quantus fuerit tum Martyrii ardor, quamque certatim in gloriosa certamina ruebatur, ostenditur exemplo, quod contigit Edesse vrbe Mesopotamiæ Vbi cum Valens cerneret conuẽtus Orthodoxorum fieri in campis, iusserat præfectum, qui Paganus erat, illos inde deturbari non sine sanguine. Qui consideratione humanitatis clam illud populo indicauit, vt illuc quam paucissimi conuenirent At fallebatur opinione, cum eo multo maiorem turbam currere cerneret. Quare apprehensam mulierem cum infante ad se deductam interrogat: quo tam festina illa properaret. Ad campum, illa respondente, quo Catholicorum populus conuentus habet. *An non*, inquit, *audisti Præfectum illuc pergere, vt omnes interficiat, quos inuenerit? Audiui*, ait, *& ideo festina vt ibi inueniar. Et quo istum paruulum*, inquit, *eo vt & ipse*, ait, *Martyrium consequi mereatur.* Quæ cũ audiret vir modestus redire satellitium, & vehiculum conuerti ad Palatium iubet. Ac ingressus, *Subire mortem*, dicit, *Imperator, si iubeas paratus sum. Opus vero quod præcipis, implere non possum.* Cumque enarrasset cuncta de muliere sibi dicta, repressit non parum Imperatoris vesaniam. Qui cum hæreticis, Iudæis, atque etiam Gentilibus permitteret sacrorum ritus: solis Nicænam fidem profitentibus

ANNI CHRISTI

sua interdixerat sacra. Quorum curam absente Melitio, Flauianus & Diodorus habebant. Qui auxiliatum venerant Iulianus, aliique anomachi.

Florebat tum maxime Monachismus non modo in Thebaide & aliis Ægypti locis, sed etiam in Syria, Cappadocia ac Ponto. Cum ex Monasteriis prodirent non modo athletæ fortissimi: sed etiam doctissimi Episcopi. Qualis *Moses* ille Saracenus, quē cum Mauia Saracenorum Regina suę gentis Episcopum designari postulauerat à Romanis. Qui illum ex deserto cum deduxissent, noluit ille à Lucio consecrari; sed ab exsulibus Episcopis consecratus, vt bellum Sarracenorum exstingueretur, atque Mauia pacem cum Romanis, desponsata filia sua Duci Victori, deinceps seruaret caussa fuit.

Qualis & *Epiphanius*, qui ab ineunte ætate circa Besaudute pagum, vnde ortus fuit, à Monachis præstantissimus erat institutus, & eadem de caussa versatus fuerat in Ægypto in monastica disciplina: sic vt & apud Ægyptios & Palæstinos cum esset illustris ad Ecclesiam Salminensem regendam vocaretur.

*Hieronymus* quoque Stridone natus & Romæ litteris imbutus atque baptismate *Christi* tinctus, cum in Syriæ desertum pro peccatis suis pœnitentia expiandis commigrauerat, cum ab Arrianis infestaretur, ad Damasum Pontificem scribens, Cathedram Petri fide Apostolica laudatam consulendam censuit inde animæ suæ postulans cibum, vnde olim *Christi* vestimenta susceperat. *Ego*, inquiens, *nullum primum nisi* CHRISTVM *sequēs, beatitudini tuæ, hoc est, Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est.* Postmodum Euagrius necessarius eius cum esset factus Antiochiæ Episcopus negotia eius curabat. Ad cuius possessionem cum deuolutus esset vicus Maronius locutus fuerat Malcho Monacho captiuo, cuius vitam dignam censuit memorię commendare. Nam in loco illo deserto se ieiuniis macerabat, plangebat, orabat, studebat atque etiam commentabatur. Et licet multis abundaret libris, tamen & S. Hilarii commentaria in Psalmos, & librum de Synodis, quem apud Treuiros manu sua ipsi Hilario descripserat, ad se mitti rogat Florentium. Quem antequā nouerat, amauit, quod Heliodori socii sui necessitatē adiuuerat: & complures sanctos viros sustentaret. Rufinum monachum Aquileiensem Ægypti monasteriis peragratis cum Melania Hierosolymam venientem miris apud eum laudibus effert. Sicuti Bonnosi, qui in insulam solus successerat, laudes commemorat. Multi enim legentes vitam Antonii monasticæ vitæ generi se dediderunt constructis Mona-

*Hieron. contra Iouinian.*

Monasteriis ab hominibus frequentia vrbiumque tumultu remotis. Quale illud erat quod apud ostium Vari fluminis in insula Lirii seu Lerone fuerat exstructum, vbi Caprasius Abbatem egit. Quo mortuo quinto Nonas Iulii successit ei Honoratus ob doctrinam, & vitæ sanctitatem ex Abbate Episcopus Arelatensis creatus. In Monasterii præsulatu illi *Vincentium* successisse tradunt, qui ex milite Monachus factus insigne volumē duobus libris distinctum de antiquitate & diuersitate fidei Catholicæ conscripserat. Cuius schedæ secundi libri cum essent furto sublati, recapitulatione antedictorum omnium volumen conclusit, Aspare, & Ariobinda Coss. At in Episcopatu succedens illi *Hilarius* eius vitam descripsit, cum defunctus esset decimoseptimo Kalend. Februarias.

ANNI CHRISTI.

*Melania* neptis Marcellini Consulis tempore illo Valentis, quando Ecclesiam Dei furor Arrianorū ipso impietatis satellite persequebatur, princeps vel particeps erat cunctis pro fide afflictis. Hæc fugatos recipiebat, aut apprehensos comitabatur, sed cum eos recepisset in latebram, qui propter insignem fidem maiore & hæreticorum odio infestabātur, & occultantium tegebantur inuidia: graui tunc seditione diabolicis facibus inflammata, quasi contra legem publicam contumax protrahi ac pati iussa est: quæ illos manebant, nisi prodere maluisset.

*Paulin. epist. 10 ad Seuerum.*

Processit impauide cupida passionis, & iniuria publicationis exultans: quamuis non exspectasset trahi, tracturos anteuolans ad iudicem. Qui confusus veneratione præsentis, non executus est infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. Eadem tempestate per triduum quinque millia Monachorum latentium panibus suis pauit: vt per eius manum iterum Dominus Iesus pristinum numerum in deserto pasceret, tanto quidem nunc impensiore clementia, quanto minore licentia fouebantur occulti; quam illi quondam, qui ad Dominum volūtarie in libertate & pace cōuenerūt. Sed Melania nec timida deprehendi, interdictum secura prębebat officiū, & nolens gloria operationis agnosci, tamē operis magnitudine ꝓdebatur: totidē apud homines testimoniis gloriosa, quot pastis Deo conscia. Fuit aūt hæc vidua raræ pietatis, cui cum esset Vrbanus vnicus filiolus, eo relicto Romę apud amicos ipsa sacra loca, sanctosque viros inuisebat: vsa comite Rufino Monacho tū pie docto.

Vixit nunc *Metronia* Romæ per quadraginta annos vidua perseuerans. Cuius filia *Benigna* quartum & decimum viduitatis implens annum mariti Celerini, sorori Gerontiæ per annos viginti solatio mariti destitutæ moriens reliquerat enutriendam filiolam Gerontiam; ad quam Hieronymus scripsit, cum esset vidua *de Monogamia*.

His

ANNI CHRISTI.

His etiam erit annumeranda *Fabiola*, quæ post diuortium adulteri prioris viri nesciens Euangelii vigorem alteri nupserat. Quo mortuo, cum agnosceret delictum, & quasi adulterium commisisset tota, spectante vrbe Romana publice pœnituit. Stabat enim sacco induta in ordine pœnitentium ante diē Paschæ in Basilica quōdam Laterani, sparsum crinem, ora lurida, squallidas manus, & sordida colla submittens: Episcopis, presbyteris, & omni populo collacrymantibus. Multis certe impendiis medicaminum vulnus suum lauare cupiens languentium vicu-lum vsibus pauperum, diuendito omni censu, præparauit atque instituit. Cautam eleemosynarum distributionem negligens, suis pariter effusis, ipsa pro *Christo* stipes optabat accipere. Sic quæ inciderat in latrones, *Christi* humeris reportata fuit ad Ecclesiæ ouile. Hæc cum Pammachio Paullæ genero Xenodochiū quoque in portu Ostiensi constituit: in quo pauperes peregrini hospitio excipi atque foueri possent. Sicque cum mortua exsequiis honoratur; non tristes neniæ cum tibiis exaudiebantur: sed sonabant Psalmi & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat *Alleluya*: choris exultantibus, quod ex hoc carnis ergastulo ad cælestia emigrasset regna.

*Clemens Maximus Brito* sumens sibi purpuram in Britannia traductis copiis in Galliam, Armoricos sedibus expellit, coloniisque in solum ipsorum ex Britannia deductis regionem Britoniam, gentemq; Britones nominari voluit, iis ducem præficiens Conanum. Qui Vrsulam Dionoci Cornabiorum Regis filiam, cum in vxorem expeteret, Pater parata classe Lundini, illi virginem cum honesto comitatu, atque quam plurimis virginibus imponit. Ea soluens itaque ex Britannia fœda tempestate in litus Germanicum eiecta à Gauno Hunnorum & Molga Pictorum piratis, qui Gratiani nomine Gallicam vastabant oram, oppressa fuit, omnesque virgines interfectæ, Agrippinam deuectæ fuerunt, vbi Romana erant præsidia, ciuitatem nimirum Religionem *Christi* profitentem, vt ibi sepelirentur. Maximus vero missus duabus legionibus Hunnos Pictosque expulit Prouincia, qui in Hiberniam profugerunt cum suis prædatoriis nauigiis. Cultæ fuerunt ergo hæ virgines duodecimo Kalendas Nouembris à multis sæculis vt Martyres ad numerum vndecim millium Inter quas VRSVLA conspicitur

*Nobile perpetua caput amplectente corona.*

Signo insuper Ducum Britonum decorata: quod etiamnum nobilis Colonia Agrippina eius ergo quoque ostentat: Suntque Britones etiamnum diuisi in Gallicanos & Britannicos, lingua ac moribus inter se differentes.

Cum vero Maximus opidum Treuirorum victor esset ingressus,

ANNI CHRISTI.

gressus, *Itachius* Episcopus Sossubensis, qui noui Imperatoris aduentum Treueris exspectauerat, ingerit preces plenas inuidiæ ac criminum, in Priscillianum ab Instantio & Saluiano damnatis Synodo Cæsaraugustana Episcopis in Labiensi opido Episcopum constitutum. Quibus permotus Maximus, datis ad Præfectum Prætorio Galliarum, atque ad Hispaniarum Vicarium litteris, omnes omnino, quos labes Priscillanicæ hæresis inuoluerat, deduci Burdigalam ad Synodum celebrandam ibi iubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus (Saluianus enim Romæ obierat) caussam dicere iussi fuerunt. Instantius postquã se parum excusauerat, indignus esse Episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus, ne ab Episcopis audiretur, ad Maximum Principem prouocauit, quod illi permissum fuit. Sicque omnes, qui cum eo senserant, Treuirim deducti sunt, sequentibus Idacio & Ithacio Episcopis, studio vincendi, plusquam oportet, certantibus. Nam Ithacius cum esset audax, loquax, impudens, sumptuosus, ventrique ac gulæ plurimum impatiens, nihil pensi habebat, etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare ieiuniis, tamquam Priscilliani socios aut discipulos in crimen arcessere etiam miser ea tempestate *Martino* Episcopo Turonensi, viro Apostolis fere conferendo palam obiectare hæresis infamiam, *Martinus* enim tum apud Treuiros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, vt ab accusatione desisteret: Maximum orare, vt sanguine infelicium abstineret satis superque sufficere, vt Episcopali sententia hæretici iudicati Ecclesiis suis pellerentur: nouum esse & inauditum nefas, vt iudex sæculi caussam Ecclesiæ iudicaret. Denique quoad vsque *Martinus* Treuiris fuit, dilata cognitio est. Et mox discessurus egregia auctoritate elicuit à Maximo sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum fore. Sed postea Imperator per Magnum & Rufum Episcopos deprauatus, & à mitioribus consiliis deflexus; caussam Præfecto Euodio permisit, viro acri & seuero, qui Priscillianum gemino iudicio auditum, conuictumque maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis; nocturnos etiam turpium seminarũ egisse conuentus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiauit, redegitque in custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad Palatium delatis censuit Imperator, Priscillianum sociosque eius capitis damnari oportere. Cæterum Ithacius videns, quam inuidiosum sibi id apud Episcopos foret, si accusato etiam postremis rerum capitalium iudiciis adstitisset (etenim iterari iudicium necesse erat) subtrahit se cognitioni frustra callido iam scelere perfecto. At tum per Maximum accusator opponitur Patricius quidam fisci Patronus. Sicque eo insistente Priscil-

*Seuerus Sulpitius lib. 2. Chronici.*

ANNI CHRISTI.

Priscillianus capitis damnatus est, vnaque cum eo Felicissimus & Armenius, qui ambo nuper a Catholicis clerici, Priscillianum secuti, desciuerant. Latronianus quoque & Euchrocia Helpidii Rhetoris vidua gladio perempti. Instantius, quem superius ab Episcopis damnatum diximus, in Sylinam insulam, quæ vltra Britanniam sita est, deportatus fuit. Eamdem in insulam ademptis bonis delatus Tiberianus damnatus sequentibus iudiciis, Asarinus & Aurelius Diaconus gladio percussi. Tertullus, Potamius & Ioannes tamquā viliores personæ & digni misericordia, quia ante quæstionem se ac socios prodidissent, temporario exsulio intra Gallias relegati. Hoc fere modo hominib. luce indignissimis necatis, aut exsuliis mulctatis; non solū non repressa fuit hæresis, quæ Priscilliano auctore proruperat: sed confirmata latius propagata est. Namq; sectatores eius, qui illū prius vt sanctum honorauerant: postea vt Martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias delata, magnisque obsequiis celebrata eorum funera. Quin & iurare per Priscillianum summa religio putabatur: & inter Hispaniæ Episcopos perpetuum quasi discordiarum bellum exarserat, cum Nardacius Episcopatu sponte se abdicans, postea amissum locum recuperare tentaret. Atque hæc fere è Sulpitio Seuero.

*Vigilantius* quoque in Gallia ortus Baroinonensis Ecclesiæ in Hispania parochiam tenens Presbyter, in secundam Danielis visionē, aliaque friuola scribens, & Iouiniani mentem in se resuscitans, Caniam hæresim & Ennomianam ab Orco reduxit. Asserens enim Martyrū sepulchra non esse veneranda, damnandas vigilias, continentiam hæresim, & pudicitiam libidinis esse seminarium. Hieronymi contra se stilum excitauit, cum Riparius & Desiderius Parochiarum vicinarū presbyteri eius libros transmisissent Bethlehem per Sisimium Monachum. Sic vt putaret Hieronymus, illum etiam Calaguritanæ fuisse Diœceseos: atque mirari se scribat sanctum Episcopum, in cuius parochia presbyter esse dicebatur, acquiescere furori eius, & non virga Apostolica, virgaque ferrea confringeret vas inutile, & traderet in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Cum etenim ille appellaret Cinerarios & Idololatras Martyrum veneratores, protinus exclamabat: *O infelicem hominem, & omni fonte lacrymarum plangendum!*

Habuit Oriens per hoc tempus doctissimos Antistites *Epiphanium* Salaminæ Cypri, *Theophilum* Alexādriæ, & *Ioannem* Chrysostomum Constantinopoli: qui quamuis religionis Orthodoxæ propugnatores essent fortissimi, & ob pietatem celeberrimi, tamen inter eos non vsque adeo conueniebat.

Caussam dissidij præbuere Ægypti aliquot Monachi, qui Deum

Deum humana forma præditum esse opinabantur. Qui, quod Theophilus in libro de Pascha scripserat, admonuerat oportere incorporeum cogitari Deum, & humanæ formæ exortem, Alexandriam venientes videbantur præ furore eum velle discerpere, nisi dixisset: *Aspicio vos perinde ac faciem Dei*: & Origenem etiam damnasset. Nam indocta Monachorum turba conuiciando Origenistas appellabant eos, qui Deum incorporeum statuebant: iis vero, qui aliter statuebant Anthropomorphitarũ nomen inditum fuit Eius igitur ergo cum Ammonius Dioscorus Eusebius & Euthymius Scheti Monachi, qui vocabantur Longi, discederent Ægypto, Ammonius & Dioscorus sequentibus eos octoginta viris Scytopolim profecti, ibi habitarunt. Interea misit Theophilus Alexandria nuntios Constãtinopolim: vt obsisteretur eis, si qua in re Imperatoris opem implorarent. Venerunt illuc quidem ea re cognita Ammonius & Isidorus: quos comiter exceptos in honore habebat Chrysostomus: & preces eos in Ecclesia fundere non prohibebat; sed ad mysteriorum communionem non admisit eos: quod id ante caussam cognitam fieri fas non esset. Theophilus rumore audiens illos cõmunicare Chrysostomo, rem ad Epiphaniũ transcribit: simul & Origenis libros damnare se scribit. Epiphanius vero, qui contra octoginta hæreses iam scripserat, & etiam Origenem damnauerat, eius instinctu Constantinopolim tendit. Quem vt ædibus suis atque Ecclesia vna secum vteretur, Ioannes rogabat. Quod ille se facturum negabat, nisi ante Origenem damnaret, & expelleret Dioscorum vnà cum sociis suis. Taxauerat eum Constantinopoli Theotimus Scythiæ Episcopus dicens, fas non esse mortuum afficere contumelia, & maiorum censuram reprobare: proferensque ac recitans quemdam librum Origenis, cum Ecclesiis esse vtilem demonstrat: & periculum est, inquit, qui ista damnant, ne & ea ipsa damnent, de quibus hic liber conscriptus est. Sed Ammonius recte ac candide respondendo, quod ex auditu in dicta caussa damnari non deberent ipse eiusque socii, pacatiorem Epiphanium reddidit. Cumque profecturus esset domum, prædixit ei (vt fertur) mortem in naui adfuturam Ioannes: cui ille vicissim prænuntiauit Episcopatus amissionem. Inter nauigandum itaque mortuus est *Epiphanius* quarto Idus Maii, antequam Salaminam appelleret, & *Chrysostomus* depulsus fuit Episcopatu: quod in concione cum oratione perstrinxisset sexum femineum, verba eius sub inuolucris in Eudoxiam Imperatricem directa ferebantur. Et licet tum fuit abdicatus, rediit tamen mox ad Episcopatum. Non multo autem post cum argẽteum simulacrum Eudoxiæ in columna purpurea exhibitione spectaculorum variorũ dedicaretur: Ioãnes ea, quasi ad Ecclesiæ contu-

ANNI CHRISTI.

contumeliam fierent, in concione ad populum habita aperte reprehendit. Irascenti iccirco Imperatrici non cessat, sed aspera quadam loquendi libertate vsus odium eiusdem simul & Arcadii Principis in se inflammauit. Ita vt Arcadius in die Natalis *Christi* recusauerit cum illo communicare, non veniens in Ecclesiam. Et postmodum relegarit eum in Armeniam, vbi ad Cucusum mortuus fuit Idibus Nouembris, Honorio septimum & Theodosio secundum Coss.

Exarserat in tantum contra eum Arcadius, vt Tigrium presbyterum, & Eutropium Lectorem, quod nollent communicare cum Arsacio ab ipso in sedem intruso, post varios cruciatus necari pridie Idus Ianuarii procurauerit.

*Isidorus* Pelusiota Chrysostomi discipulus moriens pridie Nonas Februarii multa sanctitatis & doctrinæ monumenta post se reliquit.

Per hoc tempus Almachius Monachus ex Oriente Romam veniens, cum ibi munus gladiatorium exhiberetur, in Amphitheatrum ingressus: *Hodie est*, inquit, *octaua Dominica Natiuitatis, quapropter cessate à superstitiosis sacrificijs & cruentis spectaculis.* Itaque iubente Alipio vrbis Præfecto à gladiatoribus trucidatus fuit Kalendis Ianuarii. Quem Græco verbo vocarunt *Telemachum* quod finem gladiatoriis imposuerit certaminibus. Honorius enim Imperator lege ea post necem illius vetuit, nec postmodum exhibita fuerunt.

a Theodoret. 5. cap. 26.

Hoc tempore *D. Hieronymus* presbyter apud Bethlehem vitam cœnobiticam senex agebat, virginumque sacrarum erat præfectus. Quibus Paula vidua Toxotii præerat: quæ cum quinque annis Romæ, viginti in Bethlehem in sancto viduitatis proposito vixisset, nata annos quinquaginta sex, menses octo, dies viginti duos: septimo Kalendas Februarii, Honorio Augusto sextum, & Arestemo Coss. Quo tempore Hieronymus Pachomi Monachi regulas ex Ægyptiaca lingua in Græcam translatas Latine vertit.

Conscripsit Elogium Paulæ Hieronymus, atque sepulcro eius incidit: quod in media Ecclesia in spelunca Saluatoris erat: ad quod translata fuit Episcopis ceruicem feretro subiicientibus: & Græco, Latino, Syroque sermone personarent per omnem hebdomadã Psalmi. Hereditatem reliquit filiæ virgini venerabili Eustochio, fratrum & sororum immensam multitudinem: quam & sustentare arduum, & abiicere erat impium. Post virorum enim monasterium, quod viris tradiderat gubernandum; plures virgines, quas è diuersis prouinciis congregarat, tam nobilis, quã medii, & infimi generis, in tres turmas mona-

steri-

ſteriaque diuiſerat: ita dumtaxat, vt in opere & cibo ſeparatæ pſalmis & orationibus iungerentur. 

Toxotium Paulæ maritum ab Ænea & gente Iula originem traxiſſe narrat Hieronymus, Paulæque genus hocce titulo ſepulcrali expreſſit:

*Scipio quamgenuit, Paula fudere parentes*
*Gracchorum ſoboles, Agamemnonis inclyta proles,*
*Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere priores*
*Euſtochij genitrix: Romani prima Senatus*
*Pauperiem Chriſti & Bethlehemitica rura ſecuta eſt.*

Toxotio ex Paula fuere liberi

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Bleſilla.* | *Paulina.* nupta Pammachio qui ea mortua Chriſto ſolitarius ſeruiuit. | *Euſtochium.* Virgo etiam *Iuliana* dicta fuerat. | *Ruffina.* nupta Alethio, qui ea mortua ſolitariam vitam pie tranſegit. | *Toxotius.* ex Læta tulit *Paulam* virginem. |

Quemadmodum nobilis *Euſtochium* virgo Palæſtinam decorabat: ita & *Demetriades* virgo ex clariſſima Aniciorum familia, quæ prima Romæ CHRISTVM, deuicto Maxentio, erat profeſſa, Africæ ornamento fuit; cum ibi exſularet cum matre & auia; Hieronymo & Ambroſio teſte, qui ad eam de virginitate ſcripſerunt.

*Anicius Iulianus ex Demetriade.*

*Sex. Anicius Probus, ex Proba Olybria.*

| | | |
|---|---|---|
| *Sex. Anicius. Probinus.* | *Sex. Anicius. Probus.* | *Quint. Anicius Olybrius ex Iuliana* *Demetrias.* |

*Aurelius Prudentius Clemens* Hiſpanus V. C. annos iam natus quinquaginta ſeptem, *Cathemerinon* librum auſpicatus eſt, narrans in præfatione omnem vitæ ſuæ curſum. Qui conſcri- 408.

ANNI CHRISTI. ptis elegantissimis hymnis, duobus quoque libris aduersus Symmachum Vrbi præfectum, palmam inter omnes Christianos poetas obtinuit: & cognitioni cæremoniarum veteris Ecclesiæ, si quis alius, profuit maxime, atque simul piissimæ oblectationi.

411. Hoc tempore *Paulus Orosius* Presbyter Hispanus Hipponem venit ad Augustinum eum percunctando de Priscilliani hæresi atque origine animarum. Respondit vero illius consultationi Augustinus libro ad ipsum scripto, qui etiamnum exstat. Transmisit insuper illum in Palæstinam ad Hieronymum cum litteris commendaticiis, quibus hæc erant inscripta: *Ecce venit ad me religiosus iuuenis, Catholica pace frater, ætate filius, honore compresbyter, noster* Orosius, *vigil ingenio, paratus eloquio, flagrans studio, vtile vas in domo Domini esse desiderans: ad refellendas falsas perniciosasq; doctrinas, quæ animas Hispanorum multo infelicius, quã corpora barbaricus gladius, trucidarunt.* Hic Palestina reuersus reliquias D. Stephani, Martyrũ, (vt Augustini verbo vtar) Primicerii nuper inuentas intulit Occidenti: apud quas varia miracula facta recenset Augustinus, qui eas *Pignora sacra* nominat.

*August. lib. de Ciuit. Dei 22 c. 8.*

Cum vero hos libros conscriberet Augustinus, rogauit Orosium, vt aduersus illam hominum colluuiem, qui cum nõ mererent stipendia, sumptis armis Romę volebant restaurari Gentilium sacra, & quod ex Pagis cæterisq; agrestibus locis exsurgerẽt, vulgo vocabantur *Pagani*. Itaque calamitates accurate distinctas, per tempora seriemque annorum, comparat cum difficultatibus atque miseriis, quibus populus Romanus afficiebatur a Gothis, Historiamque hanc septem libris inscriptam dedicauit D. Aurelio Augustino. Qui Hippone Regia fungens sacerdotio fide sincerus, moribus integer, diuina humanaque eruditione illustris, & vitæ sanctitate commendatus, scribendis libris de ciuitate Dei erat intentus. Quos Marcellino viro spectabili ac clarissimo Tribuno & Notario dedicauit: Cum ille præsto fuisset Collationi, quæ habita fuerat cum Donatistis Kalendis Iunij Carthagine anno post captam vrbem à Gothis. In qua fuerant Episcopi Catholici ducenti & octoginta sex: Donatistæ vero ducenti septuaginta nouem. Vbi cum Donatistæ sedentibus Catholicis quasi iudicibus, malebant quasi rei stare, dicerentq; ad eos ex suo auditorio Marcellinus vt sederent; sicuti sedebant Catholici, respondebant Dauidis Psalmo trigesimo sexto: *Cum impijs non sedebo.* Lepide Catholicis replicantibus quod iam id fecerant quod in eodem Psalmo sequitur: *Et cum iniquis non ingrediar.* Digna memoratu sunt hæc verba, quæ tum in Collatione Augustinum dixisse traditum est: *Non in hominibus spes ponenda est Ecclesia, si boni sunt; neque si mali sunt, iudicanda est Dei Ecclesia*

*Ecclesiam perijsse. Sed tamen ipsorum caussam tamquam fratrum nostrorum suscipimus: & si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathematizamus: non tamen propter illos Ecclesiam à Deo promissam exhibitam, deserimus & relinquimus.* ANNI CHRISTI.

Fuit vero & hic *Marcellinus* à Donatistis postmodum interfectus Carthagine per Ducem Marinum, octauo Idus Aprilis, atque Martyrum albo inscriptus.

Vertebatur tum vel maxime quæstio in Ecclesiis Hispaniæ atque Africæ de origine animæ hominis: suspicabantur enim Manichæi ac Priscillianistæ à propria Dei substantia illam prodire: Tertulliani & Africæ pars putabant eam prouenire ex traduce, vt quomodo corpus nascitur ex corpore; sic & ex anima nasceretur quoque anima. Origenistæ putabant animam delabi e cælo. Alii dicebant eam olim conditam, seruari in thesauro Dei. Alii vero asserebant eam condi à Deo: secundum quod scriptum est: *Pater meus operatur vsque modo, & ego operor.* Mouerat *Ioan. 5. 17.* eam quæstionem Hieronymo Marcellinus scribens ex Africa; cui respondens ille: *Habes*, scribit, *ibi sanctum Virum & eruditum Episcopum Augustinum, qui viua voce te docere poterit & suam, imo per se nostram explicare sententiam.*

Erant tum & complures in Africa Episcopi *Alipius*, *Quodvultdeus*, & *Possidius* Calaminensis, & *Deusdedit* Carthaginensis, multique alii insignes viri. Qui misere fuere à Vandali afflicti, ob Catholicæ fidei professionem. *Augustinus* vero obsessa Hippone febri correptus annos natus septuaginta sex, Episcopatus 435. quadragesimo anno moritur, quinto Kalendas Septembris, Theodosio 13. & Valentiniano 3. Coss. cum reliquisset posteritati ducentos & triginta duos libros.

Habebat & hac ætate Gallia lectissimos Episcopos: vt erat *Exuperius* Tolosanus, de quo testatur Hieronymus, ad quem in Palæstinam etiam eleemosynas per Silintium monachum miserat, quod corpus Domini canistro portaret vimineo, & sanguinē in vitro: quodque ipsus ore pallente ieiuniis, fame torqueretur aliena, omnemq; substantiā suam *Christi* visceribus erogaret. Et *Proculus* Sanctus & doctissimus Pontifex: quorū vestigia, vt *Rusticus* monachus sequatur, monet idē Hieronym⁹. Qualis quoq; *Seuerinus* Agrippiuēsis, & *Aper* Tullēsis Episcop⁹ q relicto tribunali (causidic⁹ seu aduocat⁹ ille fuerat) & castitatē cū vxore ex vtriusq; cōsēsu obseruās sacris erat initiatus. *Victricius* etiā Rothomagi Episcop⁹, qui cū sub paludamēto Cæsari militaret, ante pedes sacrilegi Tribuni militiæ arma abiecit contēnens armari ferro, quādoquidē induebat eū lorica iustitiæ *Christ⁹*, & ocreis in præparationē Euāgelii pacis, tradēs illi scutū fidei & gladiū ancipitē Verbi Dei, galeāq; salutis. Cūq; iccirco fustigat⁹, atq;

ANNI CHRISTI.

membris laniatis acutis testarum fragmentis insidere coactus ad pœnam gladij à carnifice duceretur, ille cæcatus est. Reducto quoque in custodiam catenæ sponte de manibus deciderunt, sicque tandem à Comite dimissus fuit. Quem olim se vidisse Viennæ apud Sanctum Patrem Martinum in ætate impari, virtute parem a Domino factum scribit, cum Paschasium eius Diaconū excusat diutius apud se Nolæ detentum *Pontinus Paulinus*. Hic natione Aquitanus à Delphino Episcopo Burdegale fuerat baptizatus, atque à Decio Ausonio liberalibus institutus litteris, & ad Consularem euectus dignitatem, eodem vel priore potius anno, quando fastis Ausonius & Olybrius inscribebantur venditis facultatibus tam suis, quam vxori Thirasiæ, quæ virtuti ac studio eius proxime accedebat, elegerat secretum Nolanæ vrbis, vbi tumultum fugitans tranquille traduceret æuum.

*Paulinus Epist.27.*

*Ambrosio Epist.6.36.*

*Vide Ambr. l.6.Epist.26.*

Cum vero Theodosium Imperatorem conscripto libro defendisset, & cum legisset Hieronymus, ad illum scribens de institutione monachi: *O si mihi liceret*, inquit, *istiusmodi ingenium, non per Aonios montes, & Heliconis vertices, sed per Sion, Itabiriū & Sina excelsa ducere. Si contingeret docere, quæ didici: & quasi per manus mysteria tradere scripturarum: nasceretur nobis aliquid, quod docta Græcia non haberet. Magnum habes ingenium, & infinitam sermonis supellectilem: & facile loqueris & pure: facilitasque & puritas mixta prudentia est. Accingere quæso te, accingere. Nobilem te Ecclesia habeat: vt prius Senatus habuit.* Edoctus vero ab Ambrosio & Augustino sacras litteras à *Lampio* Episcopo Barcinonæ in Hispania consecratus fuit, cum à populo Nolano, vt Episcopatu fungeretur, esset adactus. Igitur & ab *Amando* Burdegalensi instrui de Episcopi officio petiit: & cum *Venerio Oldradio* Mediolanensi atque *Sulpitio Seuero* Bituricensi, qui eleganter sacram Historiā ab exordio mundi ad sua tempora perduxit, & *Beati Martini* Turonensis vitam copiose descripsit, litteris frequenter communicabat. Hic cum Ecclesiam ornasset suam fonte sacro, atque illic pingi curasset effigies S. *Martini* & *Paulini*, scripsit ad Paulinum, vt epigrammate aliquo (quoniam Fundis & Nolæ carminibus suas exornarat Ecclesias) suū quoq; fontē decoraret. Verū vir humilis ac modice de se sentiens, licet ægre ferret se componi Martino; tamen sciens id prouenisse beneuolo animo, hoc carmen imaginibus subscribendum misit.

*Paul. Epist. ad Alipium Episc.*

*Diues opum* Christo, *pauper sibi, pulcra Seuerus*
*Culmina sacratis fontibus instituit.*
*Et quia cælestes caulam condebat in actus,*
*Qua renouarentur fonte Deoque homines:*
*Digna Sacramentis gemina sub imagine pinxit,*
*Disceret, vt vita dona renatus homo.*

*Marti-*

*Martinum veneranda viri testatur imago:*
*Altera Paulinum forma refert humilem.*
*Hunc peccatores, illum spectate beati;*
*Exemplar sanctis ille sit, iste reis.*
*Ille fidem exemplis & dictis fortibus armat,*
*Vt meriti palmas intemerata ferat.*
*Iste docet fusis redimens sua crimina nummis,*
*Vilior vt sit res, quam sua cuique salus*

Erant enim tum temporis in Ecclesiis in vsu Symbolicæ picturæ. Nam in Fundana Basilica sua, vbi patrimonium habuerat, curauerat pingi crucem corona redimitam, sub qua staret agnus immaculatus, quem hiantem columba superuolans perfunderet nube rutila, vnde pater prodiens agno imponeret coronam: adstaretque pastor, qui & auerteret hædos, simul & alliceret agnos.

Tales picturæ fuerunt & olim *Georgij Cappadocis*, cuius figuram etiam Græce in albo lapide exprimebant. Qui quod Tribunus militum fuisset sub Diocletiano, atque per fidei imperium vincens draconem diabolum, confirmauerat Ecclesiam virginem sine ruga: vt Christiani ad similia certamina excitarentur, eum ex equo pugnare atque draconem conficere ostendebant. *Tyrus Theodorus Prodromus in Epigrammata.*

*Christophorum* quoque qui in Liliæ ciuitate Samo post varia tormenta fortiter in CHRISTI fide persistens Martyrium consummarat, ob nominis significationem statura duodecim cubitorum CHRISTVM gestantem humeris, per vndas incedere exprimebant symbolice: quod venuste hocce carmine expressit proximus Virgilio Latinus poeta Hieronymus Vida Albæ Episcopus,

Christophore, *infixum quod eum vsque in corde gerebas*
*Pictores* Christum *dant tibi ferre humeris.*
*Quem gestans, quoniam multa es perpessus amara,*
*Te pedibus faciunt ire per alta mari.*
*Id quoniam non poteras nisi vasti corporis vsu,*
*Dant membra immanis quanta Gigantis erant:*
*Vt te non capiant, quamuis ingentia templa,*
*Cogeris & rigidas sub Ioue ferre hyemes.*
*Omnia quod victor superasti dura, virentem*
*Dant manibus palmam, qua regis altus iter.*
*Quod potis, ars tibi dat, nequeat cum fingere vera*
*Accipe cuncta bono tu bonus ista animo.*

Cæterum curauerat Paulinus ædem S. Felicis ac porticus variis historiis veteris testamenti, atque etiam martyrum elegan-

ANNI CHRISTI.

ter depingi; adſcriptis titulis, qui hiſtorias declararẽt. Narrant præterea Paulinum primum inſtituiſſe ſono campanarum ad Eccleſiam populum conuocari. Etenim nolæ primum tum campanas ex ære fuiſſe fuſas, dictaſque ab vrbe Nolas, & a regione Campanas. Omni enim ratione pietati ſanctus Epiſcopus ſtudebat.

Breui conſequente tempore manus ingens immanium Vandalorum & Alanorum commixtam habentes ſecum Gothorum aliarumque diuerſarum gentium colluuiem ex Hiſpaniæ partibus Africæ nauibus irruit & influxit: vniuerſaq; loca Mauritaniarum, & etiam alias tranſibant prouincias, cuncta vaſtantes, & omni crudelitate & atrocitate ſæuientes, nulli ſexui atque ætati parcentes; immo nec ipſis Dei ſacerdotibus vel miniſtris, non ornamentis, inſtrumentis atque ædificiis Eccleſiarum ſacrarum. Infeſtabant quoque mare prædas agentes et inſulis oriſque Campaniæ: vnde cum viduæ filium raptum in Africam perduxiſſent, motus pietate *Paulinus*; quo matri natus redderetur, ſe in ſeruitutem genero Gunthari fratris Genſerici, ad colendum hortum eius tradiderat. A quo cum eſſet manumiſſus ob prædictam Gunthari mortem in Campaniam reuerſus moritur Nolæ decimo Kalendas Iulii Baſſo & Antiocho Coſſ.

Porro cum varij noſtri ſæculi præclari poetæ varios ſibi veteres, quos imitarentur, deſumerẽt poetas: hunc ſanctum Paulinum, vt exprimeret, piis carminibus & aptis picturarum titulis animum præcipue intendit *Cornelius Muſius* Delphus, Ioannis filius, Theologus ac poeta clarus, & presbyter canicie venerandus. Nam vt Paulinus aditum ædis Felicis his præornarat verſibus.

*Pax tibi ſit, quicumque Dei penetralia* Chriſti
*Pectore pacifico candidus ingrederis.*

PAVLINVS

*Pignora ſanctorum, diuina gloria menſa*
*Velat Apoſtolicis edita corporibus.*
*Spiritus & Domini medicis virtutibus inſtans*
*Per documenta ſacros viua probat cineres.*

Ita Muſius iſtis Agathæ ſuæ ornarat porticum:

*Ante Agathæ ſacram quam progrediaris in ædem,*
*Fac animo atque ſimul corpore ſis agathus.*

MVSIVS

*Si quis Apoſtolicum vult digne intrare ſacellum*
*Digne diuinis inter & eſſe ſacris:*
*Curet Apoſtolicam vitamque fidemque ſequatur;*
*Non alius cultus gratior eſſe poteſt.*

Celebra-

Celebrauit suis carminibus Pontius S. FELICEM Nolanum presbyterum. Cornelius vero *Clementem VVillibrordum* Episcopum. Scribebat carmine ad Paulinum Dec. Ausonius Burdigalensis: ad Musium autem Salmonius & Macrinus Iuliodunensis ambo præcipui Galliæ poetæ. Erat illi familiarior Sulpicius Seuerus: huic Guilielmus Lindanus, ambo Episcopi eruditione præstantes. Vt ille vincebat notitia virorum sanctitate præstantiũ, sic hic vincebatur numero amicorum doctrina præstantiũ. Celebrauit ille suum *Clarum* S. Martini presbyterũ Epitaphiis: celebrauit & hic suum *Adamum Sasbout* monachum Ioannis Hasselani discipulum iisdẽ. Vterque & in vita & post mortẽ opinionem sanctitatis post se reliquit. Vterq; commendatur ab eleemosynis & hospitalitate. Vt in illis ob opes munificentior fuerit Paulinus: ita hanc non magis eum Musio exercuisse arbitror. Habuit ille in precio particulam S. Crucis sibi à Melania munere S. Ioannis Episcopi allatam è Hierosolyma; Hic vero similem crustulam sibi à Nicolao Nouaterrano Hebronensi Episcopo transmissam, ex Abbatia Egmondensi. Illius effigiem depictam sibi mitti expetebat Seuerus: huius formam expressit fundendo ex ære Ioannes Secundus poeta Batauus, ea in arte alter Lysippus: pinxit & Martinus Hemskerckius, atque sculpsit Philippus Gallæus. Ambo senes inciderunt in calamitosa tempora; sic vt ille pietate motus inseruierit Vandalo, hic ob pietatem patibulatus seruorum pœnam subierit, ea affectus à viro Batauis oriundo. Vterque demisse de seipso sensit: cum ambo vt excelsi vates ab omnibus passim summis laudibus extollerentur. Optarem me posse ostendere Paulini formã indiscreta veri similitudine: quamquam ille de sui pictura scribat: *Quomodo tibi audebo me depictum exhibere, cum cælestis imaginem inficiari prober corruptione terrena? vtrimque me concludit pudor, erubesco pingi quod sum, & non audeo pingi quod non sum: odi quod sum, & non sum quod amo. At cum id non liceat, quod possumus, exhibemus*; nempe Musij figuram, in qua exprimenda operam suam contulerunt Hemskerckius & Gallæus Caninefates ambo, vna cum titulo ab ipso Musio sibi conscripto:

*At forte queras lector iste* MVSIVS
*Dum viueret* CORNELIVS, *qualis fuit.*
*Bonas amauit atque sacras litteras.*
*Castamque non abhorruit poeticen.*
*Nil addo, nam damnare sese publice*
*Aut prædicare, neminem, vt reor, decet.*

*Papinianus* Vticensis circa hoc tempus candentibus laminis toto corpore fuit adustus. Et *Mansuetus* Vricitanus in porta Fernitana fuit conflagratus. *Sebastianus* quoque vir militaris spectatæ

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI.

spectatæ fidei, quod fidem nollet mutare, necatus fuit. Plurimi Episcopi ac presbyteri in exsulium missi fuerunt.

*Hermias Sozomenus* Salaminius historiam Ecclesiasticam venuste descriptam Theodosio secundo Imperatori dedicauit.

Obiit Mediolani quoque *Marulus* Episcopus Innocentio Romano Pontifici familiaris, cum Ecclesiæ illi præfuisset annis quindecim, quem ob vitæ sanctitatem suis carminibus celebrauit Ennodius Ticinensis Episcopus.

*Priscianus* Cæsariensis ad Iulianum Patricium nunc *de octo partibus orationis*, & constructione earumdem plenius, quam superiores Latini Grammatici, scripsit Græcorum rationem secutus. Scripsit & *de ponderibus atque mensuris*, & nonnulla ex Græco vertit.

Hoc fere tempore *Cælius Sedulius* Scotus presbyter floruit. De quo Gelasius Pōtifex Romanus sic scribit dist 15. *Venerabilis viri Sedulii pascale opus quod heroicis scripsit versibus insigni laude proferimus.* Canit & eius hymnum Ecclesia Dimetro Iambico compositum: & per viginti tria tetrasticha digestum, secundum ordinem Alphabetarum admodum Psalmi 118. & Threnorum Ieremiæ.

*Isidorus de Script. Eccl.* *Primasius* quoque Vticensis in Africa Episcopus, D. Augustini discipulus nunc claruit scribens in Pauli epistolas atque Apocalypsim Ioannis, & contra hæreses ad Fortunatum Episcopum.

## *Monarchia Romanorum.*

## GRATIANVS Imp.

Inciderat Valens in morbū periculosum, à quo sanatus hortatu soecrus ac vxoris filiū GRATIANVM nec dum puberē Augustum Ambianis creauit: quo tempore apud Atrebates (Belgicæ populi vtrique sunt) vera lana de nubibus pluuię mixta defluxit: quam ibidem religiose conseruari videor me intellexisse. Porro Valentinianus Decium Ausonium Burdigala Aquitaniæ ciuitate celebri ortum *Gratiano* filio pręceptorem dederat, eumque ad Cōsulatum, quem cum Olybrio gessit, Gratianus promouit.

Hic cum esset summi ingenii non inelegans poema conscupsit. Sicuti Sext. Aurelius Victor Consul Romanus tum etiam Imperatorum vitas memoriæ mandauit. Cuius epitome nos affecit mœrore amissi operis: præcipue quod legimus ad persecutorum historiam noscendam Hieronymum petiisse per literas illud sibi Aquileia mitti à Paulo Concordiensi monacho sene, centum annos nato, cum ad illum Paulum seniorem à se descriptum transmisisset.

*Quod nunc erutum edidit Andreas Schottus typis Plantinianis.*

Refe-

Refertur & in hanc ætatē *L. Apuleius* Medaurensis Platonicus: qui, vt Africa semper aliquid monstri alit, se in Asinum mutatum fuisse, atq; tandem antiquam formam recepisse narrat rudi ac duro stilo. Hic cum apud Cl. Maximum Africæ Præfectum magiæ esset accusatus, Magiam legibus damnatam ait, atque crimen negando, se alienum ab illo esse asseuerat. ANNI CHRISTI.

Cæterum *Valentinianus* Saxones gentem in Oceani littoribus ac paludibus inuiis sitam, virtute atque agilitate terribilem, & Romanis prouinciis periculosam eruptionem magna molę meditantem in ipsis Francorum finibus oppressit.

In Africa tumultuatum ob cupiditatem & prauam delationem Comitis ac Magistri officiorum, cum illic Asturiani volentes vlcisci necem Stachaonis exploratoris Tripolitanos infestant.

Cum Britannia quoque ad inopiam vastatione redigeretur, missus eo fuit Theodosius cum exercitu. Picti enim in Dicalidonas & Vecturiones diuisi. Attacotti ac Scotti vagantes omnia depopulabantur.

Theodosius vero soluens Bononia classe Rutupias appulit tendens Lundouium Batauos, Herulos, Iouios & Victores fidentes viribus numeros secum ducebat. Ibi edictis propositis & impunitate promissa ac libero commeatu Latrocinium compescuit.

*Valentinianus* cum Vithicabius Rex Vadomarii filius fraude ministri à Romanis sollicitati occubuisset; quo Alamannorū & Macriani Regis fastus frangeret, Burgundos bellicosos & viribus præstantes, cum salinarum & finium caussa sæpius cum Alamannis iurgarent, in eos excitauit. Qua occasione Theodosius tum per Retias Magister equitum metu dispersos Alamannos aggressus pluribus cæsis, reliquos, quos cæpit iussu Valentiniani in Italiam misit: vbi acceptis agris fertilibus circa Padum tributarii accolerent. Sic Burgundi à Druso & Tiberio per castra fuerant dispositi, sicque se sobolem Romanam putabant. Non vero dicti fuere ab exstructis Burgis: sed venerant ab extimis finibus Germaniæ, vbi Viadi fluminis accolæ fuerant. Apud eos Rex Hendinus appellabatur, & si belli alea male caderet, vel fames eueniret, ex more, quasi auctor mali remouebatur potestate. Sinistus vero Sacerdos apud eos Maximus erat perpetuus, nec obnoxius vlli discrimini.

Cum vero Sarmatæ cum Quadis sese per Pannonias diffunderent, easque vastarent, Valentinianus in eos bellum parans, apoplexia apud Brigitionem opidum increpando Quadrorum legatos, mortuus est annos natus quinquaginta quinq; cū imperasset annis vndecim, mensibus octo, diebus viginti duobus.

ANNI CHRISTI.

Corpus eius delatum fuit Constantinopolim, atq; sepultum in templo Apostolorum. Hoc moderamine vsus in causa religionis est, cũ natura esset sæuus, quod inter religionis diuersitates medius stetit, nec quemquam inquietauit vel imperauit illud vel illud credere minacibus interdictis, sed se professus Catholicum reliquit alias partes, vt eas inuenerat.

Porro *Gratianus* tunc erat Treuiris, & ne quis tumultus oborireretur Cerealis Iustinæ frater VALENTINIANVM secundũ filiolum Valentiniani quadrimum lectica impositum (erat enim cẽtesimo cum matre Iustina lapide dissitus à castris) ad exercitum deduxit. Vbi post patris obitum sexto die Augustus fuit nuncupatus. Quem *Gratianus* excipiens deinde pietate fraterna dilexit atq; educauit. Interim Hunni, gens omnem feritatis modũ excedens, maris glacialis accolæ peruasis Alanorum regionibus, interfectis plurimis & spoliatis, reliquos sibi iunxerunt: atque Ermeurichi bellicosi Regis percurrentes latos campos, Gothos pepulerunt mittere legatos ad Valentem, rogantes vt se vellet recipere in Thracia, se illic quiete victuros esse, & daturos, si flagitaret auxilia. Valens vero persuasus ab adulatoribus fortunã ipsius extollentibus, quod ex vltimis terris tot tyrocinia Gothi nec opinanti offerrẽt, iussit summo studio Romani imperii perniciem ad colendam Thraciæ partẽ inferri. Gratianus ergo postquam triginta millia Alamannorum bello extinxerat, animaduertens Gothos ac Thaiphalos tanquam genitales terras possidere Daciam ac Thraciam; adesse etiam Hunnos atq; Alanos, qui omnes excidium minarentur Romano Imperio, succurrendum imminenti publicæ calamitati statuit; eoque profectus ex itinere Lentienses subegit.

Cumq; *Valens* erat defunctus & Gratianus toto Imperio Romano potiebatur, illico conscripsit legẽ, qua iubebat Episcopos sedibus suis eiectos restitui eisdem, si Damasi cõmunionem amplexarentur. Et perpendens se non sufficere ad Imperii molem sustinendum *Theodosium* ducem Mœsiæ quondã Theodosii maioris, qui Britanniam pacauerat, ex Honorio fratre nepotem ex Hispania accitum, decimo septimo Kalendas Febr. apud Sirmiũ Augustum creauit; ipsique Orientem commisit. Ipse in Galliam reuersus, se sagittando exercebat continuo, carmen quoque facere, atq; controuersias eloquenter Rhetorum more explicare intendebat: cum literis non mediocriter esset institutus.

*Zosimus Zonaras, Aur. Victor, & Paulus Diaconus.*

Sub eo erat præfectus militum in Britannia Cl. Maximus, qui arrepta tyrannide in Galliam transfretauit, atq; apud Treuiros consedit, insidias Gratiano struens. Qui quoniam neglecto exercitu plurimum deferebat Alanis, quos sibi muneribus deuinxerat, ab infensis legionibus proditorie per Andragathium ducẽ

inter-

interemptus fuit Lugduni, cum imperasset post patrem annis septem, mensibus tribus, diebus nouem, & vixisset annis triginta octo.

Theodosivs accepto Orientis Imperio Gothos diuersis prœliis victos in Mœsiá redire compulit: & morbo correptus Thessalonicæ rogans Episcopum Basilium, cuius fidei esset, cum respondisset Nicænæ, ab ipso baptizatus fuit, præmisitque legem Constantinopolim communi Augustorum nomine in hæc verba conscriptam:

Impp. Gratianvs, Valentinianvs et Theodosivs AAA. ad popvlvm Constantinopolitanvm.

*Cunctos populos, quos nostra regit clementia, in ea volumus religione versari, quam Petrus Apostolus Romanis tradidit, quam Damasus & Petrus Alexandrinus vir Apostolicæ sanctitatis sequitur. Hoc est Patris & Filij & Spiritus sancti vnam Deitatem sub pari Maiestate, & pia Trinitate credamus. Hanc legem sequentes Catholicorum nomen iubemus amplecti. Reliquos vt dementes hæretici dogmatis insaniam sustinere: Diuina primũ vindicta, post etiam motus nostri vltione plectendos. Data tertio Calendas Martias, Gratiano quintum Valentiniano ac Theodosio Coss.*

Subsecutus deinde intrauit Constantinopolim, iussitque Demophilo, qui Arrianis præerat, suscipere fidem Nicænam. At ille elegit primus exsulare. Itaque cum Lucio, qui Alexandria fugatus fuerat, exiit vrbe Kalendis Nouembribus, quadragesimo anno, postquam ibi Arriani Ecclesias occupauerant. Cæterum *Gregorius Nazianzenus* præerat ibi paruæ Ecclesiæ, quam Anastasiam, id est, resurrectionem vocabant, eo, vt volunt; quod ibi resuscitaret sua prædicatione dogma Concilii Nicæni. Præfuit itaq; vniuerso Episcopatui Nazianzenus, qui muneri suo omni cura satisfaciebat: & paulo post reuersus in patriam, ruri vitam monasticam vixit. Cum eius loco Diodori Tharsensis commẽdatione promotus Nectarius Tharsensis senex canicie venerãdus, & senatorii ordinis gradu ortus suffragiis Imperatoris Episcopus crearetur.

Eodem fere tempore pax cum Gothis firmata fuit, & Athanaricus eorum Rex pulsus à suis decessit Constantinopoli decimo quinto die postquam eo peruenerat, atque ambitiosis exsequiis fuit sepultus.

Studens vero paci *Theodosius*, quo hæreses exstirparentur, conuocari Concilium Constantinopolim iussit. Cum Persis quoq; petitus pacem pepigit. Et Gothorum quoq; gens se Imperio Romano subiecit Anthemio & Euagrio Coss. 382.

Cum

ANNI CHRISTI.

Cum vero Maximus superatis Alpibus Aquileiam insideret, quasi spectator Victoriæ suæ, atque Andragathio Comiti summam belli administrandam commisisset, qui communitis Alpium fluminumque aditibus nauali expeditione incautum Theodosium præuenire & obruere parabat. Ecce *Theodosius* memor bonitatis ac beneficiorum Gratiani, quo sanguinem iustum vlcisceretur, & propter Imperii fidem Valentinianum exsulantē restitueret. Principatui, viribus totius Orientis insurgens transmissis Alpibus Maximum intra vrbem clausit, cepit atque occidit Andragathius Comes, cognita eius nece, se in vndis præcipitans suffocatus fuit. Victorem quoque intra infantiæ annos à patre Augustum creatum in Gallia necauit: postquam imperium inuaserat Maximus annos quinque, dies duos.

*Theon* Alexandrinus summus Mathematicus in Ptolomæum & Arati Phænomena scribens, Græcorum studia accendit: perfecitque ne Astronomia vrbium mœniumque assiduis hinc inde ruinis omninò obrueretur.

*Bretannio* Gothorum Episcopus cum Nicænam fidem profiteretur Thomis à Valente in exsulium missus fuit. Cumque Gothi propterea tumultuarentur rursum reuocatus fuit ad sedem suam.

Cum intra Thraciæ fines Gothorum populus cōmuniter habitaret: bifariā per Alaricum & Fridigerum diuisi sunt. Decernentes vt Alaricus Occidentalē, Fridigerus Orientalem Rempublicam opprimerent, sicq; hi Ostrogothi, illi Vnisigothi patria lingua dicti sunt.

## Monarchia Romanorum.

*Fl. Valētinianus* audita fratris Gratiani nece, in Italia metu hostis exterrit⁹ fuit, ꝙ legiones se illi sacramēto addixerāt: omnesque prouinciæ Transalpinæ eius Imperio parerent. *Ambrosiū* itaque Mediolano ad eum Treuiros ad pacē componendam legatum mittit: quem tantum Episcopū vix alloquio dignatus fuit Tyrannus præ se ferens Valentianianū, quod labe Ariana esset infectus, indignum esse vel parte Imperii. Iustina enim mater, Iusti, quē Constantius interemerat filia, Arrianæ hæreseos clanlaria alumna, impietatē suam, quam suppresserat viuente viro, filium à teneris docuerat Valentinianum. Cumque Mediolani se potissimum contineret conturbare Ecclesias, comminari sacerdotibus exsulia, nisi Ariminensis Concilii decreta amplecti velint, cœpit. Præcipue infesta Ambrosio, eum minis ac terroribus à constantia mentis deiicere satagebat: illumque apud Va-

Jeni-

leatinianum filium falso traducens iniuria se ab Episcopo affe- ANNI CHRISTI.
ctu conquerebatur Itaque Imperator accensus ira, armatorum globum ad Ecclesiam die Dominica mittit, confringi ianuas, oppugnari sancta, Ambrosium, qui sacris operabatur, pertrahi, atque in exsuliū statim mitti iubet. Sed tanta in defendendo Episcopo suo fidelium populorum constans fortitudo fuit; vt prius animas, quam Ambrosium amittere vellent. Qui se non manu ac telo; sed ieiuniis, vigiliis atque obsecrationibus defensorem sibi atq; Ecclesiæ Deum comparabat.

Commiserat Princeps Magistro Scriniorum memoriæ dictare& emittere decreta Imperialia contra fidem Orthodoxorum, recusantique id facere noui promittuntur honores. Sed Beneuolus, id enim illi nomen erat: *Quid*, inquit, *mihi nouos, vt fidem frangam, promittitis honores*: proiectoque ante pedes cingulo. *& hunc tollite*, inquit, *si placet, atque mihi relinquite fidem illibatam.*

Dum ergo instinctu Iustinæ, diuersis machinis & oppugnationibus infestarentur fidem Nicænā profitentes: Maximus, qui nunc cunctis Prouinciis, quæ sub Præfecto Prætorii Galliarum erant, sub potestatem suam redactis, se legitimum Principem ostēdere gestiens, datis litteris impiū Valentiniani protestabatur incœptū, quo fides Dei oppugnaretur, & statuta Ecclesiæ Catholicę subruerentur, appropinquareque cum exercitu Italię cœpit.

Quo comperto Iustina, hoste & conscientia impietatis perurgentibus, in fugam versa cum filio Imperatore, exsulia, quæ sacerdotibus præparauerat, prima sortita est: atque etiā defuncta exsul. Valētinianus vero ex Illyrico vocatus à Theodosio & Orthodoxam fidem edoctus, eius cura, imperioq; restitutus fuit.

Cum vero ex Italia in Galliam profectus Viennæ ad Rhodanum negligentius moraretur fraude Ariobasti Alanorum præfecti noctu in cubiculo strangulatus fuit: cum imperasset annis sedecim, mensibus quinque, diebus viginti quatuor.

Sicque occupauit Occidentis Imperium FL. EVGENIVS: aduersus quem arma arripuit *Theodosius*; qui non tamen viribus nisus, sed diuino auxilio, has preces ad Deum fudit: *Tu omnipotens Deus nosti, quia in nomine* Christi *filij tui vltionis iusti, vt puto, caussa prœlia ista suscipio: si secus in me vindica. Si vero cum caussa probabili, & in te confisus huc veni & porrige dextram tuis, ne forte dicant gentes: Vbi est Deus eorum?* Cum interea Eugenius Flauiani præfecti sui victoriam ipsi ex inspectis victimarum extis promittentis verbis stulte fideret, commisso prœlio Bacurius Iberorū Rex ac Comes Theodosii, vir fide, pietate, & corporis animique virtute insignis, cum suis aciem hostium primum perrumpit. Mor

*Meminit Augustinus l.5. de Ciuit. Dei cap. 26.*

ventus

ANNI CHRISTI.

uentus subito vehemens exoritur, qui tela ab Eugenianis iacta in ipsos retorqueret, frustra fortiter agente Arbogasto. Sic itaq; Eugenius vinctus post terga manibus ante pedes adductus fuit, atq; imperium cum vita perdidit cum imperasset annis duobus, mensibus quatuor, diebus tredecim. Porro Arbogastus, cum nō posset fugere, sibi ipsi intulit manus. Et Cl. Claudianus Alexandria Ægypti vrbe ortus paganus peruicacissimus & Deo & Theodosio testimonium reddidit his versibus.

*Te propter gelidis Aquilo de monte procellis*
*Obruit aduersas acies, reuolutaque tela*
*Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.*
*O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris*
*Æolus armatas hyemes, cui militat æther,*
*Et coniurati veniunt ad classica venti.*

Fuit vero *Claudianus* antiquorum Poetarum vltimus, statua ab Arcadio & Honorio donatus in foro Traiani, vt cyppus ille testatur, qui illo in foro erutus, in domum Pomponii Læti fuerat translatus.

Cæterum *Theodosius* annum agens quinquagesimum apud Mediolanū febri correptus excessit è viuis decimo sexto Kalendas Februarii Olybrio & Probino Coss. Corpusq; eius translatum Constantinopolim in Apostolorum templo sepultum fuit: cum imperasset annos sedecim, dies duos.

## ARCADIVS Imp.

ARCADIVS Orienti destinatus sepulto patre sexto Idus Nouembris, cum exercitum Orientis quinto Kalendas Decembris à victoria reducem lætus excepisset: ecce subito milites tumultuantes Ruffinum occiderunt, dicentes illum Hunnos euocasse, qui Orientem vastabant, quo ei pateret accessus ad tyrannide occupandum imperium contra Arcadium sibi commissum. Porro Arcadius nimium addictus Eudoxiæ vxori, ex qua Theodosium, Pulcheriam, Arcadiam & Marinam tulerat, multa improbe faciebat. Nam licet pietatis intuitu ossa beati Samuelis ex Iudæa per Episcopos religiose transferri Constantinopolim curauerat; tamen in S. Ioannem Chrysostomum, quem ad Episcopatum Constantinopolitanum Antiochia euocauerat, sæuiit persuasione vxoris Eudoxiæ, illum in exsulium mittens. Quæ quarto die postquam grando maxima Constantinopoli atque suburbiis ceciderat interiit. Et non multo post Basso & Philippo Coss. moritur quoq; Arcadius relicto Imperii successore Theodosio filio recens ablactato, & filiabus, Pulcheria, Arcadia & Marina. Porro Pulcheria quindecim annos nata, ac virginitatem vouens pro fratre Imperium gubernauit, Græce Latineque

docta

docta magna religione Deum colebat, fratremq; Imperatorem optimis instituebat moribus. ANNI CHRISTI.

## HONORIVS Imp.

Successere in Imperio ARCADIVS & HONORIVS, à patre Augusti appellati: qui Arcadio Orientem administranti, Ruffinum, Honorio Occidentem regenti, Stilliconem; & in Africa Gildonem militiæ magistros adesse voluerat propter ætatem. At hic Africam inuadere molitus, fratris Mascezilis (qui in Italiam traiecerat, duos filios sibi suspectos interfecit. Itaq; Mascezil ab Honorio aduersus Gildonem missus, cōfidens magis precibus & ieiuniis, quam armis per somnium Ambrosii Mediolani defuncti vmbram vidit impacto ad humum ter baculo dicentem: *Hic, Hic, Hic.* Quod ille prudenti coniectura intellexit merito annuntiantis fidem victoriæ ve bo *Hic* locum, ter repetito verbo numerum dierum significari Nec spe falsus fuit: nam tertio die legiones se dedidere: & fugientibus Barbaris Gildo strāgulatus pœnam perfidiæ tandem persoluit. Sicque Africa recuperata summam eius curam postea semper habuit Honorius. *Zosimus & Paulus Diaconus.*

Stiliconi filius erat *Eucherius* & filiæ *Maria* atq; *Hermanthia*, quarum vna post alteram Honorio nuptui datæ virgines decesserunt. Quarum illa sepulta fuit via Triumphali, eo loco vbi nunc in æde Sancti Petri est sacellum Regis Francorum. Vbi inuenta fuit, cum pilæ fundamenta iacerentur marmorea arca lōgitudine pedum octo & semissis, latitudine quinque, altitudine sex. In qua præter lapides pretiosos, vascula ex crystallo & achate, bulla inuenta est cum hac inscriptione: MARIA NOSTRA FLORENTISSIMA: & discriminale duodecim digitorum racemi lapillorum preciosissimorum, cui inscriptum hinc erat: DOMINO NOSTRO HONORIO, illinc: DOMINA NOSTRA MARIA. In lamina quoque aurea Græcis literis erant inscripta hæc nomina: ΜΙΧΑΕΛ, ΓΑΒΡΙΕΛ, ΡΑΦΑΕΛ, ΟΙΡΙΕΛ.

Cæterum Mascezilem rebellem postmodum sibi ductu Comitis Bonifacii vicit. Sed & Gildonem socerum sibi infidum è medio sublatum cum intelligerent; Gothi ab ipso ante sollicitati Romam obsident, cum Honorius Rauennæ desideret, nec aut ferre obsessis suppetias poterat, aut audebat. Cumque vi vrbs capi non posset, fraude per portam Asinariam intromissi Gothi Roma potiti sunt. Honorio, quod cum nuntiatum esset Rauennæ, putabat ille id de Gallo pugnace, cui nomen erat Romæ dici, dicens admirari se illum tam subito periisse: qui paulo ante festiuissime luserat.

TEM-

ANNI CHRISTI.

## TEMPORA EXTERNA.

## GRÆCIA.

Hoc tempore inter Constantinopolim & Alpes Iulias quotidie Romanus sanguis effunditur. Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epyram, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt. Matronæ, virgines Dei, ingenua nobiliaque corpora his belluis ludibrio sunt. Capti fuere Episcopi, interfecti Presbyteri, & diuersorum officia clericorum. Vbique luctus, vbique gemitus & plurima mortis imago. Subuersæ Ecclesiæ ad altaria *Christi* stabulati equi, & Martyrum reliquiæ effossæ fuerunt.

## GERMANIA.

Saxones, Picti, Scotti, & Attacotti Britannos ærumnis vexant continuis. Alemanni asperius tractati ab Vrsacio magistro officiorum, factum apud suos exaggerantes, vt contumeliose despectas gentes concitarunt.

Alamannus regalis Rando nomine Maguneiacum præsidiis vacuum cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit. Et quoniam Christiani ritus inuenit celebrari solemnitatem; virilem & muliebrem sexum cum multa supellectile indefensam abduxit inde.

Inter Saxones & Alemannos gens non tam lata, quam valida apud Historicos *Germania*, nunc vero *Francia* vocatur, apud quam Pharamundus Wiciburgi primus Rex Francorum creat⁹ fuit anno à *Christo* nato quadringẽtesimo, decimo-nono, octauo Kalendas Maii. Hic tertio anno regni sui tulit legem Salicam: qua successio Principatus mulieri interdicitur. Non hæc à Saliis Galliæ Narbonensis, sed Francis Saliis nomen sortita est. Suntque hæc solemnia legis verba: NVLLA PORTIO HEREDITATIS DE TERRA SALICA MVLIERI VENIAT: SED AD VIRILEM SEXVM TOTA HEREDITAS PERVENIAT. Regnauit vero Pharamundus septem annos; successitque illi *Clodius Crinitus* eius filius: qui primus Francos traiecto Rheno in Galliam traduxit, atque regnauit annos viginti. Occupauerat quicquid locorum est inter Rhenum & Sequanam, nempe omnem Galliam Belgicam.

## ITALIA.

*In opido Pistoriensi prope horam diei tertiam, spectantibus multis, asinus tribunali ascenso, audiebatur destinatius rugiens, stupefactis omnibus qui audierant.* Cumque Terentius ex pistore corrector Pro-

*nuncia periisset carnificis manu, regente Claudio Romam, id ostentum significasse persuasum fuit multis.*

*Romæ duo ex plebe matrimonio copulati fuere, quorum vir viginti habuisset vxores, & mulier viginti duos viros. Superuixit vir mulieri, & vxoris multinubæ feretrum præcedebat.*

*Imminente Romanis arcibus Rhadagaiso, fit omnium Paganorum in Vrbe concursus. Hostem esse cum virium vtique copia, tũ maxime præsidio Deorum potentem: Vrbem autem ideo destitutam, & mature perituram: quia Deos & sacra perdiderit. Magnis querelis vbique agitur; & continuo de repetendis sacris celebrandisque tractatur.*

*Adest* Alaricus, *trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit. Dato tamen præcepto prius, vt si quis in sancta loca, præcipueque in Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos imprimis inuiolatos securosque esse sinerent.*

*Tum deinde, in quantum possent, prædæ inhiantes à sanguine temperarent. Tertia die Barbari, qua ingressi vrbem fuerant, sponte discedunt.*

*Rhadagaisus immanissimus Romani imperij hostis cum exercitu ducentorum millium Gothorum conterritus diuinitus, ac in Fæsulanis montibus timore vrgente conclusus, inops consilij & cibi, solem spem fugæ sumens, clamque suos deserens in Romanos incidit, à quibus captus ac deinde interfectus fuit. Captiuique Gothi ac pecorum more singulis aureis venditi passim moriebantur inedia: sic vt Deus de eo populo nullos superesse siuit.*

*Deinde* Alaricus *post captam vrbem in Siciliam tranare naufragio vetitus; dum Consentiæ hyemat, morbo interiit. Successitque illi* Ataulphus: *cui Placidiam Theodosij Magni filiam captiuam apud Forum Cornelii vxorem dederat.*

Placidia *Arcadij ac Honorij soror Rauennæ templum D. Ioannis Euangelistæ exstruxit, in cuius testudine caussa ædificationis legitur, memoriam instar annalium continens primordij. Ædem mirabiliter consecratam fuisse à D. Ioanne vndecimo Kalendas Martij. Quare etiamnum eo die ibi populi fit magnus concursus. Effecti ibi sunt opere Græcanico Imperatores, qui de prosapia conditricis fuerunt.*

*Anno ab vrbe condita millesimo, centesimo, & sexagesimo octauo* Constantius *Comes Romanus Arelati Galliæ vrbe consistens Gothos Narbona expulit: atque abire in Hispaniam coegit, intercluso omni commeatu nauium, & commerciorum interdicto, Gothis* Ataulphus *præerat, qui post mortem Alarici Placidia captiua sorore Imperatoris Honorij in vxorem assumpta Alarico in regnum successerat. Is satis studiose sectator pacis militare Honorio, ac pro defendenda Republica Romana vires impendere Gothorum præoptabat, vt haberetur apud posteros Romanæ restitutionis auctor, postquam non poterat esse immutator. Sed Barcinone à suis interfectus est. Post hunc* Segerias

ANNI CHRISTI. *Rex creatus, cum etiam ad pacem esset propensior à suis occisus est. Et* Vallia *post eum Rex est creatus vt pacem frangeret.*

*Octauo Kalendas Aprilis felicibus auspiciis circa Rialtum noua Vrbis* Venetiarum *iacta fuere fundamenta tenuibus ædificiis ibidem constructis.*

## HISPANIA.

Vandali rerum Bœticæ potiti & Sueui Lusitaniæ: sed postmodum à Theodosio sunt Hispaniæ recuperatæ.

Alarico Gothorum Regi cum Hispania adhabitandum concessa esset, regnauit ibi annos viginti tres fato repente functus. Cui Ataulphus mox successit, regnauitque annis sex.

Hoc tempore dum Vandali, Alanique Hispaniam infestarét, Honorius ad eas defendendas Cassinum ducem cum exercitu dirigit: qui præclarum Virum Bonifacium, ac belli artibus exercitatum, inepto & iniurioso suo imperio ab expeditionis suæ societate auertit. Sicque Cassinus priuatus tanto collega ob suam intemperantiam nihil dignum in Hispania gessit.

Bonifacius periculosum ac indignum ratus discordem superbientemque sequi, celeriter se ad portum Herculis, atque inde in Africam proripuit: atque totius Africæ caussa excidii extitit; illuc Vandalos vocando.

*Torismundus* successit patri, cum eius cadauer repertum Tolosę honorifice sepeliisset: regnauitque annis tribus, insidiis fratrum interfectus.

*Theodoricus* occiso fratre Torismundo occupans regnum Aquitaniæ, Rhotiarium Sueuorum Regem expulit, Lusitania atque ibidem regnauit. Qui decimo-tertio anno regni sui etiam à fratribus suis fuit strangulatus: successitque ei *Henricus* frater, qui Gothis auctor fuit vt scriptis legibus vterentur. Quas a septuaginta Episcopis conscribi curauit: Annoque septimo Principatus sui vita defunctus est. Quem subsecutus frater *Alaricus* regnauit annis duodecim.

## GALLIA.

Gallias, Rhetiasque simul populantur Alamanni. Post occisum ab Alemannis Seuerianum, qui Diuitensibus & Tungricanis senioribus præsidebat, & Carietum telo confixum, atque Erulorum Batauorumque vexillum direptum: Dagalaiphus a Parisiis missus ad Scarpona locum, Barbarorum multitudinem ad internecionem exstinxit inopinato.

Stilico Alaricum gentemque Gothorum occulto fœdere fouens, gentes alias copiis viribusque intolerabiles Alanorũ, Sueuorum, Vandalorum, ipsoque simul motu impulsorũ Burgundionum

dionum vltro in arma sollicitans, detensoRomani nominis me- ANNI
tu, Rheni ripas quatere, & pulsare Gallias voluit, sperās suo hac CHRISTI.
necessitatis circumstantia, & quod extorqueret Imperium gene-
ro posset in filium; & quod gentes Barbaræ tam facile comprimi
quam commoueri possent. Hac scena tantorum scelerum pate-
facta, commoto iustissime exercitu Stilico Rauennæ anno qua-
dringentesimo & octauo occisus est. Qui vt purpuram filium
indueret, totius orbis sanguinem fundi procurabat Occisus est
& Eucherius filius: qui ad conciliandum sibi fauorem Pagano-
rum, restitutione templorum & euersione Ecclesiarum imbutu-
rum se Imperii primordia asserebat; aliquot ex satellitibus eius
etiam puniti sunt.

Gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum multæque cum his aliæ Francos proterunt, Rhenum transeunt, Gallias inuadunt, directoque impetu Pyrenæum vsque perueniunt. Cuius obice ad tempus repulsæ, per circumiacentes prouincias refunduntur.

His per Gallias bacchantib. apud Britannias *Gratianus* municeps eiusdem insulæ tyrannus creatur & occiditur. Huius loco *Constantinus* ex infima militia propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur: qui continuo vt inuasit imperium in Gallias transiit. Hunc *Constantius* Comes Romanus cum exercitu apud Arelatum clausit, cepit & occidit: Constantium filium Constantini Gerontius eius comes occidit apud Viennā: atque in eius locum Maximum quemdam substituit. Ipse vero Gerontius à suis militibus interfectus est.

Burgundiones partem Galliæ propinquantem Rheno obtinuerunt Luciano & Herodiano Coss. 4.13 Pars Galliarum propinqua Rheno quam Franci possidendam occupauerant, Aëtii Comitis Romani armis recepta est Felice & Tauro Coss.

Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alamanni, & Colugenda Respublica, hostes Pannonii vastarunt. Maguntiacum nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est: & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti, Remorum vrbs præpotens, Ambiani, Atrebates, extremique hominum Morini, Tornacus, Nemete, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitaniæ, nouemque populorum Lugdunensis & Narbonensis prouinciæ, præter paucas vrbes, populata sunt cuncta. Quas & ipsas foris gladius, & intus vastat fames.

Expugnata est quater Gallorū vrbs Treueris opulentissima:

ANNI CHRISTI. & assiduitas illic calamitatum, augmentum criminum fuit. pauci nobiles qui excidio supererant, quasi pro summo deletæ vrbis remedio Circenses ab Imperatoribus postulabant post tertiam expugnationem: sicque cum ter excisa se non correxerunt, quarto perire meruerunt.

## GOTHIA.

Vallia classe parata vt in Africam traiiceret, cum ea in freto Gaditano fere periisset, cum Honorio pacem fecit, restituitque ei sororem Placidiam Galliam Ataulphi viduam, regnauit vero hic menses tres. Post Valliam Hispania delata est Theodorico Gotho, qui eam rexit annos viginti tres.

### *Monarchia Romanorum.*

423. Honorius vero postquam in Occidente imperasset annos viginti octo, menses vndecim, dies decem, Romæ vita exemptus est, corpusque eius iuxta S. Petri atrium in Mausolæo sepultum fuit: nulla ex se prole relicta. Fultus vero præsidio Castini Magistri militum FL. IOANNES inuasit imperium.

*P. Diaconus.*

## THEODOSIVS Magn. Imp.

*Theodosius* vero in Oriente exaudita patrui Honorii morte Valentinianum Placidiæ amitæ suæ filium Cæsarem effectum vna cum matre Augusta dirigit ad recipiendum Imperium.

Cumque Ioannes contra Bonifacium bellaret in Africa à Valentiniano mira felicitate opprimitur, imperiique gubernacula, post annos duos & totidem menses victor arripuit, Castinum damnauit exsulio, data Aetio venia, eo quod Hunni, quos per ipsum Ioannes acceperat, eius studio remeassent ad propria.

425. *Valentinianus* igitur decreto Theodosii, Augustus appellatus est, & Ioannes occisus Rauennæ.

*Bonifacius* inter hæc apud Africam potentia, gloriaque augebatur, missique aduersus eũ Mauortius & Galbio interfecti sunt. Rursum cum Sigisuldus Comes contra eum dirigitur, ille sentiens se non posse tuto Africam tenere, in perniciem Reipublicæ efferuescens Vandalorum, Alanorumque gentem cum Genserico ipsorum Rege ab Hispanis euocatos Africæ intromi-

427. sit Mox pace totius orbis facta Bonifacius Romam rediens accepta Magistri militum dignitate: qui cum Ælium sibi resistentem prœlio superasset, paullo post morbo exstinctus est.

*Valentinianus* Constantinopolim profectus ad Theodosium, filiam eius Eudoxiam in vxorem accepit.

439. Capta dolo pacis Carthagine decimo quarto Kalendas Nouembris

uembris à Genserico, Theodosius bellum contra Vandalos mouit, Anonindo & Ausila atque Germano ducibus magna cum classe ad Africam missis, qui longis cunctationibus differentes negotium, Siciliæ magis oneri, quam Africæ præsidio fuere. Igitur Valentinianus cum Genserico pacis fœdera firmauit: certisque spaciis Africa inter vtrosque diuisa est.

ANNI CHRISTI. *Prosper in Chronico* *Victor Vticensis Episc.*

Inclusit ob bella continua in pariete medii templi S. Crucis in Hierusalem Romæ, partem tituli Crucis *Christi* triplici lingua exarati Valentinianus: quam Petrus Gundisaluius de Mendoza, dum templum repararet anno 1491. ibidem inuenit Pontifice Innocentio VIII.

Gensericus Rex Vandalorum cum niteretur Catholicam fidem Arriana impietate subuertere, quosdam Episcopos priuato iure Basilicarum suarum etiam ciuitatibus pellebat: cum ipsorum constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet. Quatuor Hispani merito sapientiæ & fidelis obsequii clari apud eum habebantur *Arcadius*, *Probus*, *Paschasius*, & *Eutychius*. Quos vt sibi magis deuinciret, in Arrianam sectam transire iussit. Cum vero hoc facinus constantissime respuerent, excitato in iram Barbaro primum proscripti, deinde in exsulium acti, tum atrocissimis cruciati suppliciis, & ad extremum diuersis mortibus, interempti illustri Martyrio occubuerunt.

*Paulillus* puer, Paschasii & Eutychii frater, ob ingenii & formæ elegantiam Regi admodum acceptus à professione Catholicæ fidei nullis minis deturbari quoque potuit, diuque fustibus cæsus ad infamem seruitutem damnatus fuit, ne illa ætas de superata sæuitia impii Regis gloriaretur.

## ATTILA Rex Hunnorum.

ATTILA occiso fratre Bleda Hunnorum Rege, ei succedens, 441.
totus in excidium orbis animo fertur, totumque Imperium Occidentale vastauit, adeo vt se Dei flagellum appellare non dubitarit.

Clodio mortuo successit Merouæus annis duodecim. Cuius 446.
quinto anno Hunni & Visigothi cum Oepidis intrarunt Gallias duce Attila: contra quos pugnando pro Romanis in campis Catalannicis eum occubuisse constans fama.

Aquitaniæ Rex *Torismundus* Tholosæ dormiens germanorum fratrum insidiis strangulatus fuit: occupauitque Aquitaniam eius frater *Theodoricus*.

*Merouæo* succedens *Childericus* ad superbiam ac luxum pro- 458.
lapsus est, & ob impotentiam dominandi regno pellitur primo anno. *Ægidius* Romanus pulso *Childerico* Rex Francorum eligitur, atq; regnat annos tres. Tum post exsulii annos tres rediẽs

ANNI CHRISTI. Thuringia Childericus, qui Gillonem Romanum Suessionem Præfecto prœlio superauit. Aurelianenses & Andegauos omnemque tractum Ligeris amnis in ditionem redegit, cumq; regnasset annos viginti quatuor obiit.

485. Successit ei *Clodouæus* filius; qui Clotildem in vxorem duxit Principē Burgundiæ. Per quam regnū Burgundiæ primum ad Francos venit. Hæc permittente marito liberos in Christiana pietate educauit, quāuis ipse in maiorū suorū cæremoniis perstaret. Cum vero, altero eius filio mortuo, alter suscepto voto à matre conualuisset, atque ipse Clodouæus Germanos ancipiti prœlio superasset, in vxoris quoque religionem concessit. Fuitq; a Remigio Episcopo baptizatus, & sacro oleo, quod alatum cælitus à colūba fuisse rumor est, in Regē vnctus. Post enim solēnes preces & admonitionē Regalis officii, accingens Metropolitanus Regē gladio: *Accingere gladio tuo*, inquiebat, *super femur tuum potentissime, & attende: quod sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.* Tū certis cæremoniis ac precibus vsus caput corona aurea exornat procūbētis in genua, atq; ei sceptrū tradit in manus. Et post Hymnum dictū dicit: *Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.*

Fuerunt inter *Clodouæum* & *Syagrium* aliquot bella; postremo *Syagrius* victus ad Alaricū Gothorū Regē, qui nouus a Magno Alarico regnabat, cōfugit. Reposcitur à Clodouæo Syagrius, atq; obtentus occiditur. Romani quoq; reliqui per Galliā habitātes exterminātur. Clodouæus Alamaños sibi subiecit. Gothis quoq; & Aquitanis bellū indixit. Alaricoq; occiso eos superauit.

## ECCLESIA.

Hoc tempore floruit, ac Basilicam Apostolorum, quæ & Nicetii dicitur, ædificauit Lugduni *Eucherius* Episcopus ob insignem eruditionem, iudicium acerrimum, & venustam sermonis eloquentiam, quæ in libris eius conspiciuntur, valde laudatus. Certe abundauit Lugdunensis Ecclesia semper sanctissimis & doctissimis viris: vt etiam à S. Bernardo Claraualleusi hoc celebrata fuerit elogio: *Inter Ecclesias Galliæ constat profecto Lugdunensem anteire sicut dignitate sedis, sic honestis studiis & laudabilibus institutis. Vbi enim æque viguit disciplina censura? morum grauitas? maturitas consiliorum? auctoritatis pondus? antiquitatis insigne? Præsertim in officiis Ecclesiasticis haud facile vnquam est visa repentinis nouitatibus acquiescere: nec se aliquando iuuenili passa est decolorari leuitate.*

Hac etiam tempestate *Socrates* & *Theodoretus* Cyri Episcopus in Syria historias suas Ecclesiasticas conscripserunt. Floruerunt etiam *Maris* Eremita magni nominis; & *Simeon* Stylita qui in columna degebat, vir singularis pietatis & magni nominis

nis; ita vt Domnus Antiochenus, aliique Episcopi ad eum spe- ANNI
ctatū viuendi eius genus venirent, atq; cum illo cōmunicarent. CHRISTI.

Porro licet *Theodoretus* sollicitatione Ioannis Antiocheni sigillarit anathematismos S Cyrilli Alexandrini, & ideo Episcopatu fuerit priuatus: tamen postquam Nestorium & Eutychem in Concilio Calcedonensi anathematizauit, & B. Leonis epistolæ subscribit à Concilio Orthodoxus declaratus Ecclesiæ suę rest tutus fuit. Et deinde sapientia, eruditione Græcanica, & disciplinis Christianis clarus, complures Ecclesię vtiles libros conscripsit: atq; hæreses etiam strenue oppugnauit.

Assertores Pelagianæ hæreseos tentant nunc Britannorum subuertere fidem: qui à Gallorum Episcopis auxilium petentes ad rectæ fidei defensionem accipiunt sanctissimum virum *Germanum* Altissiodorensis Ecclesiæ Episcopum multis virtutibus clarum, & *Lupum* Fracasenum præsulem Apostolicæ gratiæ virum: qui non minus signorum miraculis, quam doctrinæ verbis omnes ad sanæ fidei confessionem reduxerunt.

Degebat his temporibus in Noricis *Seuerinus* seruus *Christi*, ad quem sibi petiturus benedictionem Odoacer Gothus illac exercitum ducens accessit. Qui cum eius egrederetur cella, & caput suum inclinaret, ne caput ad superliminare ostii allideret; talia à viro Dei audiuit: *Vade nunc ad Italiam, vade Odoacer vilissimis interim animantium pellibus indutus, multis cito plura largiturus.* Ad cuius *Seuerini* tumulum Paulus Diaconus rogatus à loci Abbate Epitàphium contexuit.

*Pascasius* Romanæ Ecclesiæ Diaconus nunc contra errores Græcorum de processione Spiritus sancti insigne volumen scripsit tribus libris distinctum. Quorum duo impressi fuere Coloniæ Anno 1539.

Per hoc tempus BENEDICTVS Nursię claris ortus parentibus, & Romæ liberalibus eruditus disciplinis, ad Sublacum in specum secessit, ministrante ipsi necessaria Romano Monacho. Deinde ob multitudinem Monachorum postmodum conuenientium illuc: duodecim Monasteria exstrui curauit, atque Cassinum commigrans, simulacrum Apollinis, quod etiamnū ibidem colebatur, confregit, & aram euertit, lucumque succendit. Ædificatisque templo S. Ioanni, & sacello D. Martino loci incolas religione Christiana imbuebat. Cumque Monachis regulam conscripsisset, annos natus sexaginta tres, obiit tertio anno post Consulatum Basilii V. C.

*Fl. Anastasius Dicorus* purpuram induit, & Romani decus imperii Eutychianæ hæreseos illuuie maculauit. Quo tēpore Transamūdus Vādalorū in Africa Rex clausis Catholicorū Ecclesiis ducentos & viginti Episcopos in Sardiniā exsulio relegauit.

ANNI CHRISTI. *Anastasius* dum in hæresi perseuerat, atque Euodii Ticinensis Episcopi, aliorumque recta & salubria monita spernit: ad se missos legatos contumeliose à suo conspectu expulit; nauique fragili impositis mandat, ne vspiam per totam Græciam ad aliquam ciuitatem accederent.

Vixit eius temporibus *Timotheus Gazaus* Grammaticus, qui Heroico carmine scripsit de animalibus quadrupedibus & feris apud Indos, Arabes atque Ægyptios, & de auibus peregrinis ac prodigiosis, quas India alit, ac de serpentibus libros quatuor.

498. Sub hoc Pontifice V.C. ex nobili illa antiqua Christiana familia Aniciorum *Seuerinus Boethius* cum Patricius & Hippatios V V.C C. eius filii Consules essent, Theodoricum Gothum Romam accersitum S. P. Q. R. nomine facunde laudauit, & medius duorum Consulum triumphale epulum in circo dedit multitudini. Erat enim omnis Matheseos, ac vniuersæ Philosophiæ doctissimus: vt qui Platonis & Aristotelis Philosophiam se concordem facturum promiserat.

Erat ei socer *Simmachus* cum quo tertium Consulatum gessit: quem Priscianus sic laudat, vt omnes omnium disciplinarum apices consecutus videretur. Vxor quoque eius Elphis Hymnum de Petro & Paulo (*Oliua bina*) composuisse traditur. Hic tantus vir Ticinum relegatus, ac turri, quæ latericio lapide ædificata etiamnum ostenditur, inclusus, post necatum socerum gladio percutitur. Consulatu Probi iunioris & Philoxeni. Eius sepulcro hoc Epitaphium Luitprandus Lombardorum Rex adscribi curauit ad Ascensum aditus templi.

*Mæonia & Latia lingua clarissimus, & qui*
*Consul eram, hic perii missus in exsulium.*
*Et quia mors rapuit, probitas me vexit ad auras,*
*En nunc fama viget maxima, viuit opus.*

Libri *de Consolatione Philosophiæ* eius esse non putantur, cum quod nulla in iis *Christi* fit mentio, tum quod prosa oratio non respondeat venustati carminis.

Consulatu nunc functus *Magnus Aurelius Cassiodorus* V. C. *Senator* per Antonomasiam, vt aiunt, dictus, ex Socrate, Sozomeno, & Theodorito per Epiphamium Scholasticum Historiam Tripartitam curat colligi, & Antiquitates Iudæorum Iosephi transferri. Cumque Exquæstor Sacri Palatii, Magister Officiorum, atque præfectus fuisset prætorii exstructo apud Rauennam Monasterio Viuariense, ibi monachus, & postmodū Abbas fuit factus. Instruxit ibidem Bibliothecam Græcis Latinisque libris tam Profanorum, quam Ecclesiasticorum auctorum longe instructissimam, & scholam sacrarum litterarum. Quæ prouincia

hinc ia cum esset ad Monachos tum traducta, & vetusti libri ab ipsis accurate exscriberentur; debent ipsis disciplinæ, quod non omnino fuerint exstinctæ, vt suo deinceps loco referemus.

Contexuit etiam *Cassidiorus* catalogum Consulum Romanorum, in annum vsque millesimum, ducentesimum, nonagesimumprimum Vrbis, & nati *Christi* quingentesimum & quadragesimum.

Conscripsit etiam *institutionem diuinarum Lectionum* antiquitatis studiosis non inutilem, in qua sic Calchedonium & Gerontiū Abbates deprecatur: *Ita cuncta disponite, quatenus gregem vobis creditum præstante Domino ad beatitudinis dona perducatis. Peregrinum ante omnia suscipite, eleemosynam date, nudū vestite, esurienti panem frangite; quoniā iste vere dicendus est consolatus proximum suum. Ipsos autem rusticos, qui ad vestrum Monasteriū pertinent, bonis moribus instruite, & adiectarum pensionum pondere ne grauetis. Furtū nesciant, & lucos colere prorsus ignorent, viuantq; innoxio proposito. Sciant Deum vbertatem agris indignanter infundere, si eum fideliter consueuerint inuocare. Nolite vos amare desidiā, quam Domino cognoscitis odiosam. Præsto vobis sunt sanctarum Scripturarum instrumēta dogmatica cum expositoribus suis. Quapropter cum desiderio introite mysteria Domini, vt sequentibus vos iter indicare possitis. Magna certe verecundia pondus est habere quod legas, & ignorare quod doceas. Et ideo futuræ beatitudinis memores vitas Patrum cōsideratione fidelium, & passiones Martyrum legite illorum, qui per totum orbem terrarum floruerunt, vt sancta imitatio vos prouocans ad cælestia regna perducat. Scientes, quia non solum in agone sanguinis, aut in virginitate corporis posita sunt corona: sed & omnes, qui vitia carnis suæ, Deo iuuante, vincunt, recteque credunt, palmam sanctæ remunerationis accipient.*

*Proculus* Bononiensis eques fortissimus animam nunc pridie Nonas Nouembris propter *Christum* effudit Augustoduni.

Vixerunt porro Cassiodori ætate *Eugyppius* presbyter: cuius duo Tomi *Thesaurorum beati Augustini* etiamnum exstant ad Probam scripti: & Dionysius exiguus Scyta natione, Græce, Latineque doctissimus, qui cum Cassiodoro Dialecticam legerat, & plurimos annos docendo Monachos ætatem transegit. Hic petente Stephano Episcopo Salonitano ex Græcis exemplaribus Canones Ecclesiasticos moribus suis restituit, ad inueniendum aureum numerum, cumque numerarent antiquitus ab initio imperii Diocletiani, hic à natiuitate *Christi* annos primum numerare maluit, initium Cycli decemnoualis ab anno Domini quingentesimo tricesimo-secundo inchoando, quod vsu celeberrimo confestim Ecclesia Romana complexa est. Eius laudes exposuit, cum iam mortuus esset, Cassiodorus:

ANNI CHRISTI. referens quod quæ Græce legebat, Latino: quæ vero Latine Attico sermone inoffensa velocitate os eius effundebat.

Vixit & eius ætate *Ioannes Climacus*, qui Monasterii Sina Abbas pietatis & doctrinæ nomine commendatur. *Seuerinus* quoque Episcopus Septempedæ in Picænis, eiusque frater *Victorinus* Anachoreta. Quæ vrbs cum esset diruta a Longobardis; ex ruinis eius nobile opidum Sanseuerinum ædificatum fuit.

Consecratus tum quoque fuit Rauennæ Episcopus *Maximianus* nono Kalendas Martii sexto anno post Consulatum V.C. Basilii, qui sanctissimis Episcopis annumeratur. Sicuti & Albinus Andegauiæ in Galliis Episcopus eodem quoque tempore à virtute & sanctitate commendabatur.

Porro Cassiodorus scripsit quoque in Psalterium, Acta Apostolorum, aliosque Scripturæ libros, atque nonaginta quinque annos natus, vita excessisse traditur anno quingentesimo septuagesimo quinto.

Vixit hac tempestate etiam *Sidonius Apollinaris* ad Auernorum Episcopatum euectus, atque poemata sua edidit simul & epistolas. Qui quatuor millia egenorum, dum in Burgundia fame laboraretur, sustentasse suo sumptu traditur. Quemadmodum & *Datius* Mediolanensis Episcopus, tum etiam populum panico sustentauit; qui in libris Animalium, quos conscripsit, refert tantam per vniuersum mundum, maxime in Liguria, famem fuisse, vt pleræque matres infelicium natorum membra comederint.

*Greg. Turon. lib. 2. c. 24. Sigeb. in Chron.*

# ITALIA.

452. *Venetiæ annis ab hinc viginti & vno habitari cœptæ populis ex Aquileia, Opitergio, Altino, Concordia, Patauio, omnique ora Venetorum illuc ob Hunnorum vastationem sese, quasi in portum tutissimum, cum familiis recipientibus augentur. Cumque æstuaria elegantibus ædificiis implerent, breui & clarissimam & munitissimã vrbem constituerunt. Quæ à continenti duodecim millibus passuum natura aggere munitur: ita vt & fluctibus marinis ille obsistat, & liberum aditum ad vrbem nauigiis occludat. Sicque ab hostili manu à condita primum vrbe in hanc diem tuta permansit. Ornata est hac Respublica optimis legibus, (quarum primus legislator fuit Ægidius Fontana) institutis ac moribus. Nec enim vlla ciuitas prudentiore gubernatione, quam Venetia, moderata fuit. Hac enim in Republica proportione Musica ita sunt dispositi Magistratus, vt Monarchia status in Duce, cum Democratia in Concilio patriciorum ad Diapason respondeat: & per Optimatum interiectos medios Magistratus, omnes tres Reipublicæ status formæ quam optime in vnum concentum coalescũt. Et quemadmodum in fidibus; ita & hic in munerum functionibus, si quis*

*si quis vel ad Tyrannidem vel Oligarchiam aut Anarchiam inclinat, Harmonia dissonantia illico percipitur: obstreperusque publicæ tranquillitati dignitate priuatur, atque etiam seuerius punitur. Igitur*

Repræsentat

- Monarchiam Dux, *cum nulli assurgat, cui adsunt sex Consiliarij, eiusq; nomine*
  - *Signantur nummi.*
  - *Conscribuntur litteræ Reipublicæ atque obsignantur.*
  - *Excipiuntur Legati atq; litteræ.*
- Aristocratiam
  - *Centum & viginti Senatores Legitimi, quibus accedunt alij Magistratus nonnulli.*
  - *Decem viri Aduocatores, quibus curæ sunt leges, & accusatio enormium criminum: ijsque adsunt quindecim senatores* Adiuncti *dicti, cum quibus intersunt arcanis Ducis.*
  - Sedecim Sapientes *ex quibus*
    - *Sex res belli, pacis, Reipublicæque administrationis sunt curæ.*
    - *Quinque militum ac stipendiorum curam habent.*
    - *Quinque rei Maritimæ præsunt.*
  - *Hi in Reipublicæ difficultatibus præconsultant suas sententias Duci, ac Consiliarijs & Senatui ostendunt; deinde referunt ad magnum Senatum, ad confirmandum & sanciendum suis suffragiis præconsulta.*
  - Procuratores S. *Marci, quorum*
    - *Tres præsunt pupillorum rebus citra Riuum magnum.*
    - *Tres præsunt pupillorum rebus vltra Riuum magnum.*
    - *Tres præsunt templo D. Marci, vt cuncta sarta tecta sint.*
- Democratiam
  - *Senatus Magnus Patriciorum, excedentium ætatis annum vigesimum quintum, quorum est partim sortito, partim sine sorte constituere Magistratus, Leges, ac Senatusconsulta præconsultorum ac Sapientum confirmare atque sancire. Decernere Oratores ad Principes resque publicas mittendos.*

Præfe-

ANNI CHRISTI.

Præfecti frumenti & salis tres, *qui admouent Ducem & decemuiros, si non videatur satis prouisum esse annonæ.*

Præsides Nauales, *qui curant triremes ac naues.*

Ædiles *viarum ac pontium.*

Magistratus *salubritates prouident in morbis contagiosis.*

Præsides monetæ aureæ & argenteæ, *prouident de valore, pondere atq; æquitate precij pecuniarum.*

Decemuiri Iudices, *sunt in criminibus læsæ Maiestatis & falsariorum monetæ, operamq; impendent, ne quicquam ciuili concordiæ Reipublicæ officiat.*

Quadraginta viri, *Iudices rerum capitalium ac grauiorum sunt criminum aliorum.*

Sex Præfecti noctis *leuiora crimina citra mortem in leuioribus hominibus puniunt. Ex singulis his tribus quadraginta virum collegijs tres sorte educti per duos menses assident Senatui, ac Duci eiusq; Consiliariis.*

Quadraginta viri *collegij veteris præsunt caussis ciuium, fitque ad eos prouocatio.*

Præfecti veteres *in caussis ciuium iudicant, & de caussis quinquaginta aureorum ab illis iudicatis nulla fit prouocatio: diuersi quippe diuersorum sunt Iudices subselliorum:*

*A Iudicibus*
- *Proprietatum iudicantur lites, ædes, aut fundos spectantes in insulis, viduarum de dotibus.*
- *Procuratorum lites. fundos, ædesq; in continente iudicantur, atque etiam pupillorum.*
- *Mercatorum, qui maiore aliis compendio iudicant, iudicantur lites spectantes mercatores.*

Quadraginta viri *collegij noui præsunt caussis exterorum, fitq; ad eos prouocatio.*

Præfecti noui *in caussis exterorum iudicant de caussis quinquaginta aureorum. Ab illis iudicatis nulla fit prouocatio. Suntq; diuersorum subselliorum varij Iudices.*

*A Iudicibus*
- *Aduenarum, lites iudicantur exterorum hominum, aut si cui cum extero quæstio est.*
- *Mobilium, res exigui momenti iudicantur.*
- *Rerum inuentarum, iudicatur cum quid repertum sit, spectetne ad fiscum, priuatum, aut repertorem.*
- *Petitionum iudicantur caussæ contractus atque stipulati.*

Duci,

*Duci, Senatui, singulisq́; Magistratibus sunt sui Scribæ atque Apparitores.*

*Præfecti varij etiam sunt Ærarij Reipublicæ*
- *Vectigalium.*
- *Redditų̃um.*
- *Census.*
- *Tributorum.*

*Habent Veneti peculiares leges*
- *Vestitus.*
- *Sumptus.*
- *Dotis.*
- *Rei maritimæ.*

*In oppidis quæ Reip. Venetæ parent constituuntur*
- *Prætor, cum Assessoribus iurisperitis iudicat.*
- *Præfectus, mœnium, portarum ac militum præsidiariorum.*
- *Quæstor, qui tributa recipiat & Prætoris ac Præfecti iussu expendat.*
- *Custos arcis, cui arx demandatur à Præfecto.*

Rem militarem
- *Maritimam per se exercent triremibus, quibus singulis præest Patricius, qui omnes Præfecti parent Legato. Quod si res exigat constituitur etiam Imp. classis.*
- *Terrestrem Imperatori externo committunt, vtẽtes milite cõductitio, Imperatori adsunt semper Veneti Legati & Quæstor, quorum consilijs vtitur Imperator.*

*Venetorum Rempublicam eleganter conscripsit Gaspar Contarenus, & historiæ partem Petrus Bembus, atque Antonius Sabellicus. Commendauit Iacobus Sanazarius his versibus ciuitatem, aliis quoq́; alij clarissimi poetæ.*

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, & toto ponere iura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arces
Obiice, & illa tui Mœnia Martis, ait:
Si pelago Tybrim præfers, vrbem aspice vtramque
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

*Vbique luctus aspicimus, vndique gemitus audimus, destructæ vrbes, euersa sunt castra, depopulati agri, in solitudinem terra redacta est. Nullus in agris agricola, pæne nullus in vrbibus habitator remansit. Et tamen parua humani generis reliquiæ adhuc hodie & sine cessatione feriuntur. Alios in captiuitatem duci, alios detruncari, alios interfici videmus. Ipsam autem, quæ aliquando Mundi Domina videbatur, qualis remansit* Roma, *cõspicimus, immensis doloribus multipliciter attrita desolatione ciuium, impressione hostium, frequ[illegible]tia ruinarum, iam de illa omnes Potentes ablati sunt. Vbi enim Senatus? Vbi*

ANNI CHRISTI. *Vbi iam Populus? Omnis in ea dignitatum ordo exstinctus: & tamen nos ipsos paucos, qui remansimus, adhuc quotidie gladij, adhuc quotidie innumeræ tribulationes premunt: & postea quam defecerint homines etiam parietes cadunt. Hic Gregor. in Ezech.*

606. *Ferraria muris portuque cingi cœpta ab Agilulpho Rege Lombardiæ, ex vico fit vrbs longe clarissima.*

# ANGLIA.

Cum Britanni à Scotis opprimerentur, scripsere ad Aetium Ducem Romanum litteras in hæc verba: *Ætio V. Ill. ac Patricio III. Cos. gemitus Britannorum S. Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hæc oriuntur duo genera funerum, aut iugulamur aut mergimur, &c.*

Porro cum Ætius illis nullum præstaret auxilium, euocarunt Anglos, Saxones ac Vitas auxiliares copias. Hi emigrantibus
449. quam plurimis Britannis ad oras Galliarum, eorum sedes occuparunt. Hengisto & Horsa ducibus, a Vectigerio accersiti. Ab Hengisto cœpit regnum Cautianorum.

*Ethelbertus* Rex Angliæ Christianus effectus templa D. Pauli Londini & Andreæ Apostoli Rocestriæ condidit.

## *Monarchia Romanorum.*

455. *Valentinianus* prosperos Ætii successus pertimescens, eum, simulque Boetium Senatorem nobilissimum gladio peremit. At nequaquam mors Ætij impune cessit; nam & ipse anno sequenti à Trasila milite Ætij confossus interijt, cum imperasset annos viginti-nouem, menses quinque, dies viginti-tres.

Eo ergo mortuo MAXIMVS Imperii iura apud vrbem inuadens, post duos menses & viginti-septem dies a Romanis interemptus est. Continuoque aduectis nauibus ex Africa adest *Gensericus* cum exercitu, atque fugientibus ex vrbe Romanis, Romã cepit, sed cæde & igni abstinuit, exoratus à Leone Pontifice. At vrbem spoliauit opibus, multosque captiuos abduxit, inter quos erat & *Eudoxia* Valentiniani vxor, cum duabus filiabus, quæ Vandalum ad hoc facinus inuitauerat. Deuastata deinde Campania Gensericus in Africam reuersus natam Valentiniani Placidiam Trasamundo filio suo in matrimonium iunxit. Romani post viginti & octo dies à cæde Maximi exinanitæ Reipublicæ Imperatorem FL. AVITVM præficiunt, quo post menses decem, dies octo exempto humanis rebus apud Rauennam FL. IVLIVS VALERIVS MAIORIANVS inuasit imperium, quod cum obtinuisset annos quatuor, menses quatuor, dies duos haud procul à Tertrionensi ciuitate iuxta Hiriam flumen occisus est.

*Et post tres menses, dies sedecim Fl. VIBIVS SEVERVS apud Rauennam Imperator efficitur & Augustus appellatur. Tertio huius anno Biorgor Rex Alanorum cum exercitu adueniens, non longe a Bergomo ciuitate Venetiæ à Ricimere Patricio superatus atque exstinctus est. Seuerus cum annos tres, menses octo, dies 28. imperasset morte propria Romæ occubuit. ANNI CHRISTI. *461.

Post vero interregnum anni vnius, mensium septem, dierum viginti-septem, totius consensu militiæ Fl. ANTHEMIVS iura Imperii suscepit. Sequenti anno Seruandus Gallorum præfectus imperium tentans inuadere iussu Anthemii Principis in exsulium trusus est. Anno rursum elapso Romanus Patricius fraudulenter satagens arripere imperii dignitatem, præcipiente Anthemio capite cæsus est. 467.

Gensericus quoque, iterum in Italiam tendens, à Basilico Patricio nauali bello superatus, Carthaginem inglorius rediit. Magnus deinde inter Anthemium eius generum Ricimerem Patricium prosapia Gothum Liguriæ præfectum discordiarum fomes exortus est. Ad quos reconciliandos Epiphanius Ticinēsis Episcopus operam suam impendit: sed Ricimer cum exercitu mouens ad vrbem circa pontem Auienis castra metatus fuit. Pars vero Romanorum fauebant Anthemio, alii sequebantur perfidum Ricimerem.

Interea FL. ANICIVS OLYBRIVS à Leone Augusto ex Oriente Romam missus Viuo Anthemio Imperii adipiscitur dignitatem. Ricimer deuicto Billimere Galliarum Rectore ad auxiliandum Anthemio veniente: ipsum Anthemium socerum suum gladio trucidauit: cum imperasset annos quinque, menses tres.

Tum Augustus factus *Fl. Anicius Olybrius* post Ricimerē iam vita defunctum moritur Romæ post menses tres dies viginti-quatuor. Post quem FL. GLICERIVS cum annum vnum, menses tres, dies viginti & vnum imperasset à Fl. Iulio Nepote fugatus fuit. Qui cum eum Episcopum apud Salonas Dalmatiæ vrbem ordinasset, in Occidente imperauit annum vnum, menses duos, dies quatuor. 472.

Aduersus quem cum *Fl. Momillus Augustulus* cum exercitu venisset, fugato eo, imperauit menses nouem, dies viginti quatuor. Qui Orestem Patricium contra Odoactum cum Herulorum multitudine, Turtulingorum seu Scyrorum auxiliis è Pannoniæ finibus in Italiam tendentem misit. Orestes expugnato Ticino captus ac Placentiam ductus gladio fuit detruncatus. Augustulus cernens totam Italiam subdi viribus Odoacris metu perterritus cum Rempublicam obtinuisset menses nouem, 475.

dies

ANNI CHRISTI. 476. dies viginti - quatuor Imperialem deposuit Maiestatem. Ita Romanorum Imperium toto terrarum orbe venerabile, & Augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octauiano erecta est, cum hoc Augustulo Romæ periit, anno vrbis conditæ millesimo, ducentesimo septuagesimo sexto, à Dictatura C. Iulij Cæsaris perpetua, quingentesimo, & vigesimo primo.

*Odoacer* vrbem ingressus totius Italiæ regnum obtinuit, quod cum nullo inquietante, tenuisset, annos quatuordecim, deuictus primum à Theodorico Ostrogothorum Rege apud Aquileiam ad flumen Sontium: deinde apud Veronã, vbi magna pars militum in Athesi submersa est: deinde obsessus, & à Theodorico in fide susceptus truculenter peremptus est, cum regnasset annos sedecim, menses sex, dies quindecim.

Porro Anastasius opus Imperiali magnificentia dignum exstruxit sexaginta passuum millibus à Constantinopoli longum murum, in longitudine quinquaginta passuum millibus, in latitudine pedes octo: quo Barbaros excluderet Europa. Illud quoque operum eius præstantissimum, quod sustulerit portoriũ auro-argenteum, quod splendida appellatione omnium erat fœdissimum, nempe quod pendebant qui victum sibi quæstu cõparabant, tum etiam quæ sese abscondebant in ganeis meretrices. Itaque rationes omnes huius portorii igne concremauit, & mox simulans se facti dolere, se, dum inani gloriæ inhiat, vtilitatem reipublicę neglexisse ait, rogatque, vt ex omnibus tabulis, quæ exstarent reseruatæ, possetne elici tributi exigendi ratio, iubetq; omnes adferri schedas. Quas omnes apportatas simul combussit, ne spes in posterum remaneret: vt tributi ratio penitus deleretur.

507. Hoc turpe quod Romanus Comes domesticorum, & Rusticus Comes scholæ cum centum armatis nauibus ac totidem Dromonibus octo millia armatorum secum ferentibus littora Italicæ vsque ad Tarentum deprædati sunt: & inhonestam victoriam Romani ex Romanis partam ipsi Anastasio reportauerint

512. Celere & Venantio Coss. Constantinopoli grauissima seditio die Dominica facta est inter Orthodoxos & Passianos; quod hymno trisagio: *Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis*, Anastasius addi curauerat: *Qui crucifixus est propter nos*. Multa ædificia à populo furente incensa, multi nobiles in vitæ periculum venerunt. Monachus quidam capite obtruncatus, atque ad contum suspensus fuit, sublato clamore *Insidiator Trinitatis* cum irrisione quoque fuit appellatus. Itaque Imperator deposita corona venit ad Circum proclamans se paratissimum esse ad se Imperio abdicandum: sicque furorem populi flexit. Post hæc ex hac luce migrauit cum Romanum Imperium rexisset annos viginti

viginti ſeptem, menſes tres, dies tres. Ictu fulminis percuſſum interiiſſe tradunt. ANNI CHRISTI

*Fl. Anicius Iuſtinus Catholicus* Auguſtali potitus ſolio, ardore Orthodoxæ fidei omnimodo ſatagere cœpit, vt hæreticorũ nomen extingueret: ſtatuitq; vt vbique illorũ Eccleſiæ Catholicã religione conſecrarentur; ſed mutauit ſententiã exoratus à Ioãne Pontifice Romano. Septimo eius anno poſt varia incendia vrbs Antiochia ad Orontem terræmotu pæne omnis concidit. Cumq; Orientis Præfectus Ephraimus ſollicite curam vrbis gereret; ab Antiochenis Epiſcopus eligitur: ſicq; ſedes Apoſtolica velut merces & præmium eius erga ciuitatẽ curæ prouidæ fuit. Poſt biennium & ſex menſes rurſum vrbs terræmotu concuſſa pro Antiochia Theopolis nuncupata fuit. Concuſſum quoque terræmotu fuit Dyrrachium olim Epidãmis appellatum; atque etiam Corinthus Edeſſa quoque vrbs Oſroenorum & Anazarbus Ciliciæ: quorũ hęc quarto terræmotu concuſſa; illa inundatione fluminis fere hauſta erat, ab ipſo ſuppeditato ſumptu refectæ fuerunt: & vtraque appellata eſt *Iuſtinopolis*. Eo imperante, defuncto Traſmundo Vandalorum Rege Arriano, Hildericus eius filius ex captiua Valentiniani filia Placidia natus, adeptus regnum, matris Catholicæ monita ſequens, rectæ fidei cultor enituit. Qui vniuerſos Epiſcopos, quos pater in exſulium egerat, regredi fecit, eiſq; Eccleſias reformare cœpit, ſeptuaginta quatuor annis euolutis, ex quo à Genſerico primitus apud Africam Eccleſiæ ſuis paſtoribus fuerant deſtitutæ. Cæterum Iuſtinus ſororis ſuæ filium Iuſtinianum anno octauo, menſe nono & tertio die adſciſcit in ſocietatem imperii, & deinde moritur Kalendis Auguſti cum imperaſſet annos nouem, dies viginti quatuor. 518.

Poſt quem FL. ANICIVS IVSTINIANVS felici ſorte ſolus regere cœpit imperium Romanum, qui & bella proſpere geſſit, ciuitates templaque magnifice ædificauit, & mirificus extitit in cauſſis ciuilibus. Per Belliſarium enim V. C. Perſas aggreſſus eſt, qui tranſgreſſis Romanorum terminis, eorum regiones populabantur: fuditque eos Belliſarius magnis prœliis: atque ex voluntate Iuſtiniani Conſtantinopolim triumphans ingreſſus eſt. 527.

Belliſarius in Africam, quam multis annis Vandali poſſederãt, miſſus cum exercitu; prælio Vandalos fudit: Regem Gilmerum captũ Conſtantinopolim miſit; atque Carthaginem recepit Iuſtiniano quartum & Paulino V. C. Coſſ. Miſit & Iuſtinianus Belliſarium in Italiam, vt eam à Gothis liberaret. Qui egreſſus Sicilia Neapolim vi cepit: in Gothos ac ciues ex æquo ſæuiens nulli ætati vel ſexui parcens: non ſacerdotibus aut monialibus; viros ẽt in conſpectu mulierum perimens. Cuncta denique diripuit, atque captiuos complures abduxit. Inde Romã properat,

ANNI CHRISTI.

vnde Gothi noctu egressi Rauennã fugerunt. Interim Bellisarius Romam ingressus, intra eam se clausit, omniq; diligentia vrbẽ muniit. Soluta obsidione Bellisarius Neapolim reuersus, eamq; ordinatam relinquens Romam rediit. Vbi accepto mandato a Theodora Imperatrice Siluerium Pontificẽ in exsulium trusit. Et post victoriam de Gothis Constantinopolim reuiens rursum in Africam mittitur: vbi apud Vandalorum reliquias regnũ arripuerat Guntarith: quem sub dolo pacis Bellisarius interemit: residuosq; Vandalorũ subdere colla iugo imperii coegit. Victorque inde veniens Romam, crucẽ auream centum librarum gemmis ornatam, in qua victorias suas descripserat, beato Petro per manus Papæ Vigilii obtulit Hunc tantum virum tot triumphis clarum, Iustinianus visu, omnibusq; bonis priuauit. Sicq; mendicare coactus dicere solebat: *Date stipẽ ei, cui inuidia oculos eruit.*

*Ioan. Tzetz. & in Chiliadibus. Chil. 3. Hist. 88.*

Porro *Iustinianus* summam magnificentiam ostendebat reficiendis vrbibus atq; castellis per omnes imperii ditiones. Præcipue Antiochiam super Orontem, quæ Theopolis dicebatur & muniit & varie exornauit. Dedicauit Dei genitrici ibidem templum Augustum: & alterum Michaeli Archangelo consecrauit. Apparuerat vero paullo ante Archangelus octauo Idus Maii apud montẽ Garganum in Sipontinis: atq; religiose tum colebatur. Prouidit etiam pauperib. ægrotis Antiochenis domo, & iis quæ ad curam & infirmitatum mutationẽ pertinent, ordinatis, seorsum viris, & seorsum mulieribus. Cyrum quoq; vrbem à Iudæis ædificatam, cum coleret imprimis Diuos Cosmam & Damianum ibi tum requiescentes felicem magnitudine ædificiorum, muri securitate & custodiarum multitudine reddidit. Multa quoq; Monasteriorum & templorũ extruxit ædificia. Et præcipue Constantinopolim variis decorauit ornamentis. Vbi hospitale à religioso viro Sampsone pro languidis exstructum ita instaurauit, & animo magnæ pecuniæ censu ita locupletauit, vt multo plures pauperes excipere posset. Templum quoq; Apostolorum, vbi Imperatores & Episcopi sepeliri solent, magnifice reparauit. Commentum scelestum Lupanaris, vbi puellæ Veneri seruierant, expurgauit, & mulieres paupertate oppressas à Lenonum seruitio liberatas, dato illis libero victu & castitate libera, vt *Christo* deinceps seruirent, ordinauit.

Sed admiratione dignissimum fuit æterni Patris Sapientiæ templum, dictum S Sophiæ, quod crematum fuerat, & ad illud restaurandum, opifices ex cunctis regionibus euocarat. Sed *Anthemius Trallianus* architectus fuit præcipuus: *& Isidorus Milesius*, in exsculpendis imaginibus excelluit Erat vero hæc templi facies: Ad Solem exorientem, vbi Deo sacra peragebantur, in hemicylindrum Orientem versus extendebatur. Post quatuor

fornices

fornices à quatuor lateribus assurgebant: quorum duo ad Orientem & Occidentem exstructi erant in aera: alii duo in Septentrionem & Meridiem extendebantur, vt habet Procopius, qui sub Bellisario meruerat; Historiographus illius æui, cũ mores hominum spectarit & vrbes. Quemadmodum & Agathias Smyrnæus, cuius historiarum tomi etiamnum Basileæ impressi exstant: intimus Pauli Silentarii poetæ, cuius epigramma ad illam libro septimo legitur Florilegii.

Porro Iustinianus ætate iam ingrauescente vsus opera Iurisconsulti Triboniani, Theophili, Dorothei, aliorumque omnes *Constitutiones Principum*, quæ vtiq; in multis voluminib. 529.
habebantur, intra duodecim libros coarctauit: atque ex triplici Codice Gregoriano, Hermogeniano & Theodosiano vnũ conflauit. Rursum singulorũ Iudicum ac Magistratuum leges, quæ ad duo millia fere librorum erant extensæ, intra quinquaginta librorum numerum redegit. Operi vniuerso apte digesto *Pandectarum* & *Digestorum* nomen est datum, solitum his literis ππ 533.
significari. In his Pandectis licet videre summis illis viris ac Iuris Antistitibus orationis Maiestatem & in vsu verborũ iuris ciuilis singularem proprietatem, plurimam antiquitatis effigiem, ac longa temporum atq; rerum tractatione collectam & stabilitam Prudentiam humanorum negociorum. Inde summa doctrinæ Iuris capita in quatuor *Institutionum* libros quam breuissime conclusa fuerunt. Quos Theophilus Antecessor Græce traduxit, fusius ac planius explicando: vt peregrinis hominibus, & à Romanorum more consuetudineq; alienis res tota innotesceret. Secutæ sunt *Nouellæ Constitutiones*, quę vltimam iuris emendationem continentes Græca lingua conscriptæ sunt. Fecerat hoc Imperator, vt labores studiorum minueret, & ne grauarentur libris candidati Iuris: Sed male rei literariæ consulit, dum longa in tanto imperio tractatione perfecta Iuris disciplina omnibus suis scriptoribus orbata, & misere suis auctoribus destituta venit ad posteros. Tria erant constituta Gymnasia, in quibus iura interpretarentur. Vnum Beriti, quod terræ motu concidit, secundum Romæ, quod ob bellorum incõmoda exerceri haud potuit, & tertium Constantinopoli.

Porro fuerat *Iustinianus* literarum omnium expers & plane ἀναλφάβητος, quamquam quidam putent omnia iura in pectore clausa habuisse. Plura in Euagrio.

Erat Iustiniano Quæstor *Tribonianus* natione Græcus, doctrina præstantissimus, & nulli æuo suo secundus: Cæterum eousq; etiam auaritiæ indulgens, vt lucro venale ius semper habendum duxerit. Nam & leges ferme sordida dimundatione antiquare identidem, ferre instituerat, vt cuique commodum esset. Cum

ANNI CHRISTI.

omnis religionis contemptor esset, tum imprimis à Christiana fide abhorrebat, assentator & fraudulentus: vt qui Principi Iustiniano persuaserit mortem eum non oppetiturum esse, atin cælum cum carne assumptum iri.

Mortuo Fl. Iustiniano Idibus Decembris successit *Fl. Anicius Iustinus* Iunior Iustiniani ex sorore Nepos, qui conuocatos Episcopos Constantinopolim ad suas sedes remisit, mandans ne quid circa fidem nouare molirentur. Sed mollitie animi ac voluptatibus diffluens alienæ pecuniæ adeo appetens erat, vt etiã sacerdotia venalia exponeret palam. Audacia ac timiditate contrariis vitiis concutiebatur, sic vt Iustinianum cognatum suum virum fortem ac bellicosum, quod eius potentiam suspectam haberet, interfici iusserit, & caput eius Alexandria, quo illum ablegarat, ad se deferretur. Præerat is exercitui ad Danubium prius, quo Abaros seu Hamaxobios vltra Caucasum habitantes Romanis arceret finibus. Quos damno maximo affectos Turcæ eorum finitimi patria expulerant, atque sedes ipsorum occuparant. Quorum vires Romani nec Græci erant experti. Occidi quoq; curauit Æchethium & Addæum Senatores, quod in eius necem conspirasse dicerentur. Quoq; Slauos Dalmatiam inuadentes Italia prohiberet opidum Iustinopolim in insula Capraria Istriæ condidit. Quod & vetustum marmor hacce inscriptione testatur: D. N. CÆSAR IVSTINVS P. SAL. PIVS. FELIX. VICTOR. AC TRIVMPHATOR SEMPER AVG. PONT. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. VANDALIC. MAX. COSS. IV. TRIB. VII. IMP. V. CONSPICVAM HANC ÆGIDIS INSVLAM INTIMO ADRIADICI MARIS COMMODISS. INTERIECTAM. VENERANDÆ PALLADIS SACRARIVM QVONDAM ET COLCHIDVM ARGONAVTARVM PERSECVTORVM QVIETEM OB GLORIAM PROPAGANDAM IMP S.C. VRBEM SVI NOMINIS EXCELLENTISS. NVNCVPANDAM HONESTISS. P. PP. DESIGNAVIT: FVNDAVIT C.R.P.Q. ET GENTE HONESTISS. REFERTAM.

Erant autem Slaui Scythiæ populi, qui permixti Wiltis ac Wendis Vandalorum ac Gothorum, aliarumque nationum relictas sedes occupantes, totam Germaniam atque Illyricum turbabant. Sordidum ac fœdum genus hominum sese tam late sparsit, vt nulla lingua pluribus Europæ nationibus Orientem Septemtrionemque versus sit in vsu, quam lingua Slauonica ex variis Barbarorum linguis conflata. Habent suos, quibus scribunt, characteres; habent & numerorum ab aliis diuersa signa Slaui. Vtuntur illis Bohemi, Poloni, Lithuani, Russi, Bulgari, Illyrici, Carui. Moscouitæ, Bosuitæ multique alii populi, inter quos fæx illa hominum consedit. Progressa etiam in Bataulam Wiltenburgum sui nominis castrum ad Rhenum traditur condidisse.

Porro

Porro *Iustinus* Imperator audito rumore victoriarum Cosroe Regis Persarum, quodque à Barbaris Sicinium esset captum, in mentis alienationem incidit. Quare Sophia eius vxor Imperii habenas arripiens misso Senatore Traiano ad Cosroem inducias trium annorum ab illo impetrauit. Curauit quoq; vt Tiberius ab ipso adoptatus in Cæsarem crearetur: itaq; mortuo Iustino sexto Calendas Octobris, qui imperauerat annos decem, menses decem, dies viginti. ANNI CHRISTI.

*Tiberius Anicius Constantinus* Thrax imperii suscepit administrationem, vir vt corpore, ita & virtute ac liberalitate insignis. Hic ex Germanis, Scythis ac Cisalpinis populis collecto exercitu in Persas mouit, tanta felicitate eos deuincens, vt Cosroes cõscripta lege, ne Persæ in posterum arma contra Romanos ferrẽt dolore animi consumptus regnũ relinqueret filio suo Ormisdæ. Tiberius *Mauricium* Cappadocem, qui & genus & nomen traxerat ab antiqua Roma, Ducem Orientis constituit, cui etiam Augustam filiam suam nuptui dedit, atq; moriens quarto Idus Augusti, cum imperasset annos sex, menses decem, dies octo, imperium reliquit. Refert de Tiberio Paulus Diaconus, quod cum deambularet per palatium, atq; conspexisset in pauimento tabellam marmoream, cui insculpta erat imago Crucis, dixerit: *Crucem Domini, qua frontem & pectora nostra munire debemus, tamne sub pedibus nostris conculcabimus?* atq; iusserit illico tabulã illam auferri. Qua sublata, inuenerunt secundam & tertiã mox illud signum habentem. Sub quibus thesaurum inuenit habentem supra mille auri centenaria. Quod aurum abundantius, quã consuetus fuerat, pauperibus largiebatur. 567.

*Fl. Tiberius Mauricius* diademate redimitus atq; indutus purpura, post largita populo munera, in Imperio confirmatus est. Hic quinquaginta millia solidorum Regi Metensium Childeberto per legatos suos direxit, vt cum exercitu super Longobardos irrueret, eosq; de Italia exterminaret. Longobardi se in ciuitatibus munientes oblatis per legatos muneribus cum Childeberto pacem fecerunt. Quo cognito *Mauritius* pecuniam suam repetere cœpit frustra Franco se viribus suis iam confidente. Secundario Mauricius mittens legatos, persuasit Childeberto, vt sororem suam, quæ Constantinopoli erat, reciperet, & moueret in Longobardos. 583.

*Phocas*, occiso Mauritio cum Theodosio, Tiberio & Constantino filiis eius imperium inuadit decimo Kalendas Decembris. Cuius tempore Veneti & Prasini per Orientem & Ægyptũ ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt. 602.

Persæ quoque aduersus Imperium grauissima bella gerentes, multas Romanorum Prouincias & ipsam Hierosolymam

ANNI CHRISTI. auferunt, & destruentes Ecclesias, sancta quoque profanantes, inter ornamenta locorum sanctorum vel communium etiam Vexillum Dominicæ Crucis abducunt. Cumq; imperasset *Phocas* annos octo, menses quatuor, dies nouem; *Heraclions*, qui Africam regebat veniens, eum vita & Imperio priuauit atque occidit. Fecit quoque filium suum Imperatorem *Heraclium*.

# ROM. PONTIFICES.

482. XLVIII. FELIX II. *dictus* TERTIVS *Romanus regionis Fasciola, filius Felicis presbyteri, creatus & consecratus septimo Idus Martias, Acacium Constantinopolitanum, quod Petrum Alexandrinum in communionem recepisset à Simplicio damnatum, vt ad se veniret Vitalem & Messenum mittit: sed cum Cyrillus Monachus prius ad eum rationem Acacij nomine redditurus venisset: scripsit ad Zenonem Imperatorem Acacium, atque suos legatos, quo certior fieret de ijs quæ acciderant. Sed cum audisset Petrum Alexandriam reductũ per eque Orthodoxos, Acacium Episcopatu abdicauit. Vitalem & Messenum pecunia corruptos atque cum ijs communicantes vt Simoniacos à communione deiecit. Adscripto vero Messeno pœnitentiæ tempore, pœnituit ille, atque errorem suum fassus est. At cum Felix sedisset annos vndecim, menses vndecim, dies tredecim, obijt nono Kalendas Martij, sepultusq; fuit via Ostiensi in Basilica S. Pauli Apostoli, vacauitq; sedes dies quinque.*

494. XLIX GELASIVS APER *Valerij filius tertio Kalendas Martij creatus, vir exacti iudicij, Apocryphos libros ab Authenticis discreuit atque codices Manichæorum insanientium combussit. Hymnos aliquot Ecclesiasticos composuit ad imitationem Ambrosij. Scripsit quoque contra Nestorium & Eutychem terso satis stilo, atque etiam contra Arrium. Cognita Messeni pœnitentia eum restituit suæ sedi. Cum vero Gelasius sedisset annos duos, menses octo, dies viginti sex mortuus decimo tertio Kalendas Decembris sepultus fuit in Basilica S. Petri. Successit vero ei post dies quatuor*

496. L. ANASTASIVS II. *Romanus regionis Esquilinæ Petri filius, quẽ ferunt, subito mortuum, dum Acacium suæ sedi restituere conaretur: cum sedisset annum vnum, menses vndecim, dies viginti duos, sepultusq; decimo-tertio Kalendas Decembris in Basilica S. Petri. Cumq; vacasset sedes dies duos*

498. *Priscian. de Pond.* LI. SYMMACHVS *Sardus, Fortunati filius Pontifex creatur apud Basilicam Constantinam, &* Laurentius *apud Basilicam S. Mariæ in via noua, vnde sæuum & atrox schisma exortum fuit populo Romano tumultuante. Occisi enim complures, inter quos* Gordianus *presbyter vir optimus fuit.* Laurentius *enim cum abdicato Pontificatu Episcopus esset Nucerinus constitutus à Symmacho, postmo-*

*postmodum Romam rediens seditionem excitauit. Sed abdicatis sic ambobus Symmachus à Synodo centum & viginti Episcoporum restitutus fuit sedi. Exstruxit varia templa & collapsa vetustate nonnulla reparauit. Redemit & captiuos multa pecunia in diuersis prouincijs, & pauperes eleemosynis plurimum iuuit. Episcopis ac clericis in Sardinia exsulantibus ob fidem Catholicam pecunias & vestes subministrabat. illuc etiam relegatus fuerat* Fulgentius *Ruspensis in Africa Episcopus, qui &* fabulosas Deorum narrationes, *& grauissimos doctrinæ Christianæ varios libros conscripsit, atque restitutus sedi suæ Kalendis Ianuarij in Domino quieuit.* ANNI CHRISTI.

*Claruit sub ipso in Lusitania* Idacius *Episcopus Lamecensis, qui Chronicon à primo Theodosij consulatu ad suam ætatem conscripsit. Claruerunt & in Gallia Braccata Alcimus* Auitus *Viennensis Episcopus. &* Gennadius *Massiliensis presbyter: quorum ille Heroico carmine* de origine mundi, diluuio, transitu maris rubri *scripsit; hic vero cum diuersis scriptis hæreses sui temporis impugnasset;* Catalogum illustrium Scriptorum Ecclesiasticorum *contexuit. Cum vero Symmachus præfuisset digne Ecclesiæ annis quindecim, mensibus septem, diebus viginti-octo, mortuus est, atque sepultus in Vaticano ad S. Petrum decimo quarto Kalendas Augusti. Et post dies septem creatus,*

LII HORMISDA *Frusianas Campanus Iusti filius, vir pius & eleemosynis dandis munificus, atque zelator fidei insignis. Misit Legatos Anastasio obsecrans, vt se vellet subdere fidei Catholicæ: At ille legatis naui impositis contumeliose mandata ad Pontificem dedit:* Imperatoris esse imperare, & non Pontificis aut alterius cuiusuis imperatis obedire. *Mortuo vero Anastasio mittit Iustinus Imperator, fidem Catholicam professus, nuntios, qui sedi Apostolicæ obedientiam eius nomine offerant: atque Germanum Capuanum Episcopũ, Ioannem & Blandum presbyteros, Felicem & Dioscorum Diaconos Hormisdæ Legatos, omni honoris genere excepit.* 514.

*Manichæos in vrbe Roma pullulantes eiecit* Hormisda, *atque libros eorum ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio consumpsit. Ornauit eamdem Basilicam donis varijs, & etiam ædem S. Pauli. Cumq; digne præfuisset Ecclesiæ, annis nouem, diebus vndecim, quieuit in Domino octauo Idus Augusti, atque sepultus est in Basilica S. Petri.*

LIII. IOANNES *Tuscus Constantij filius, creatus post dies sex est, qui à Theodorico Gotho ad Iustinum, qui Arrianos expulerat, Constantinopolim missus cum Theodoro, duobusq; oratoribus Agapetis vix ægre precibus ac fletu impetrauit, vt Arrianis Ecclesiæ restituerentur: minatus enim Gothus fuerat, se Italia alioquin expellere velle omnes Catholicos. Redeuntem vero Pontificem, quod fide cum Iustino consentiret, in carcerem coniecit. Vbi pœdore, situ ac* 523.

 *inedia*

ANNI CHRISTI. *inedia mortuus est, sexto Kalendas Iunij, cum sedisset annos duos, menses nouem, dies quindecim. Corpus Rauenna delatum Romam, sepultum fuit in Basilica sancti Petri. Cumque sedes vacasset mensem vnum, dies viginti octo, creatus est*

526. LIV. FELIX IV. *Beneuentanus Castorij filius, templum SS. Cosmæ & Damiani in foro, vbi Romuli & Remi fuerat, ædificauit. Restituit quoque via Salaria Basilicam S. Saturnini incendio consumptam. Cumque digne præfuisset Ecclesiæ, annis quatuor, mensibus duobus, diebus octodecim; moritur quarto Idus Octobris, ac sepelitur in Basilica S. Petri. Cumque vacasset sedes quinque dies, creatus est*

530. LV. BONIFACIVS II. *Romanus Sigiuultis filius, cum tumultuose contra eum sedisset dies viginti octo* Dioscorus; *instituit: ne quispiã sibi successorem in Episcopatu deligeret, vtque tertio die alter Pontifex in demortui locum eligeretur. Mortuus vero est decimo Kalendas Nouembris, & sepultus in Basilica S. Petri, cum sedisset annum vnum, dies duos. Vacauit vero sedes menses tres, dies quinque, & creatus*

532. LVI. IOANNES II. *cognomine* Mercurius, *Romanus, Proiecti filius, Anthimum, cum à Seuero Antiocheno esset seductus, condemnauit. Cumque sedisset annos duos, menses quatuor, dies sex, mortuus est septimo Kalendas Iunij ac sepultus in Basilica S. Petri. Tabula pauimenti perquam vetusta in S. Petri ad vincula his verbis inscripta cernitur Romæ:*

SALBO PAPA N. IOANNE COGNOMENTO MERCVRIO EX SANCTÆ ECCLE. ROM. PRESBYTERIS ORDINATO EX. TIT. S. CLEMENTIS AD GLORIAM PONTIFICALEM PROMOTO. BEATO PETRO AP. PATRONO SVO A VINCVLIS EIVS SE VERVS PRESB. OFFERT. ET IT. P. C. LAMPADI ET ORESTIS VV. CC. VRBICVLVS CEDRINVS EST.

534. LVII. AGAPETVS *Romanus Gordiani Presbyteri Ecclesiæ SS. Ioannis & Pauli filius tertio Nonas Iunij creatus fuit. Apud hunc egit* Cassiodorus, *vt collatis expensis in vrbe Romana Scholæ Christianæ professores Doctores exciperent: à quibus animæ fidelium susciperent dogmata æternæ salutis: & lingua casto ac puro eloquio comerentur. Quo & arcerentur hæreses simul cum barbarie. Sed propter bella & nimis turbulenta Italiæ certamina nullatenus potuit illud impleri. Nam Theodatus Amalus exigente caussa Gothorum Pontificem ad Iustinianum Imperatorem Constantinopolim misit. Qui à Theodora coniuge, quæ vnam in* CHRISTO *tantum naturam esse persuasum habebat, seductus, vt idem profiteretur sanctissimus Pontifex voluit, precibus minas addens: Tum Apapetus precibus minisque contemptus.* Ego, *inquit*, ad Iustinianum Christianissimum Principem venire optaui: at Diocletianum inueni, quem

Chri-

ANNI CHRISTI.

Christianorum hostem fuisse constat. *Qua libertate motus, Deo dispensante, Imperator rursus Catholicam fidem amplexus est: & Anthimum Eutychianæ hæresis Episcopum expulit, atque Menam Catholicum in eius locum suffecit Constantinopoli Episcopum. Magna sane ferebantur de Agapeto, cum in partibus Græciæ claudum ac simul mutum miraculose sanasset. Mortuus vero fuit Constantinopoli duodecimo Kalendas Iunij. Corpusq; eius in loculo plumbeo Romam delatum, sepultum fuit in Basilica S. Petri, cum sedisset menses vndecim, dies nouemdecim. Hoc postmodum Elogio decoratur: vt* Vas Catholicum, Euangelii tuba, ac Præco iustitiæ *nominaretur. Post menses sex, dies viginti- quatuor succedens* De Consecr. D.I. Agap.

LVIII. SILVERIVS *Campanus, Frusinas, Hormisdæ Pontificis filius minitando mortem clericis Theodato, qui nomina sua non subscribe-rent, fuit Pontifex creatus: cum antea non Regum aut Imperatorum in creatione Pontificis auctoritas interueniret. Quippe alia ratio erat Episcopi, alia Principis aut Regis. Hic enim nolentibus præerat, ille volentibus: ille terrore suos subijciebat, hic subditis seruire se addicebat. Hic corpora custodiebat ad mortem; ille animas seruabat ad vitam. Cæterum Bellisario veniente in Italiam curauit Silverius, vt eum Romani intra vrbem reciperent; sicq; vrbs Roma iterum Imperatori subiecta fuit post annos sexaginta, postquam eam occuparant Gothi, nimirum vndecimo anno imperij Iustiniani, quinto Idus Decembris. Cumq; Gothi Romam versus iterum mouerent, veniens in suspicionem, quod Gothis vellet prodere vrbem; coactus fuit se abdicare Pontificatu, atque relegatus in pontiam insulam sexto Kalendas Iunij vixit ibidem quasi Monachus annum vnum, dies viginti quinque, magnaq; opinione sanctitatu post se relicta moriens duodecimo Kalendas Iulij, ibidem sepultus fuit.* 535.

LIX. VIGILIVS *Romanus Ioannis viri Consularis filius, in locum exsulantis Siluerij mox fuit suffectus præter Ecclesiasticas regulas, sic vt ille ab ambitu difficulter posset excusari. Procurante Theodora Imperatrice vi Vigilius Roma Constantinopolim fuit perductus: vbi cum coactus Menam quatuor mensibus à communione excluderet; idem erga illum fecit Menas. Sed Iustiniani opera deinde sibi inuicem communicarunt. Præter Arrij, Nestorij & Eutychis hæresis grassabatur, præcipue secta Lauræ nouæ, quæ tuebatur mordicus errores Origenis. Nam asserebant animas fuisse ante corpora, & in cælo peccatum commisisse, cumque ab amore Dei exciderant, ψυχὰς, quasi refrigerascentes fuisse dictas, & pœnæ gratia in corpora esse demissas. Simul & Christi animam verbo fuisse coniunctam, antequam corpus in vtero Virginis Matris formaretur. Verbum quoque Dei assimilatum omnibus cælestibus virtutibus. Cælum insuper, solem, lunam, stellas, & aquas supra cælos animatas esse materiales virtutes. Homines vero rotundo & orbiculari figura resurrecturos esse, atque impiorum & dæmo-* 537.

ANNI CHRISTI. num tormenta finem aliquo tempore habitura. Virtutem postremo Dei terminatam esse creatione rerum omnium. Itaque Iustiniano procurante congregatum fuit. Quintum Oecumenicum Concilium Cōstantinopoli centum & sexaginta - quinque Episcoporum præsidente Mena. Vbi cum primum ob celebre nomen Origenis quæreretur, an deceret anathemate ferire iam olim vita defunctos, hæsitantibus Patribus, Eutychius Orator Episcopi Amaseni ex tempore dixit, quæstionem illam nulla egere deliberatione. Nam Iosiam Regem non modo sacerdotes, qui dæmones colebant, viuos trucidasse: sed eorum etiam sepulcra, qui iam diu mortem obierant, effodi curasse, ossaque eorum fuisse concremata. Quæ cum omnibus accommodate dicta videbantur, tum præcipue Iustiniano. Qui eius ergo, Mena mortuo, Eutychium ad sedem Episcopatus Constantinopoli extulit. Itaque declaratum fuit eo in Concilio tres personas vnius esse Deitatis: & duas substantias vnius personæ CHRISTI, nempe diuinitatem verbi, & humanitatem ex corpore & anima consistentem. Damnati Authimus, Seuerus, Petrus, Zoaras, Concilium Calchedonense impugnantes. Errores quoque Origenis Adamantij, Didymi, Euagrij ac Theodori damnati: quatuordecim fidei sinceræ decreta edita: & Canones octo contra dogmata Origenis recitati fuerunt. Approbauit vero Acta Concilij Vigilius, qui summa patientia virum se ostendebat, cum ex templo S. Euphemiæ tractus in carcere, pane & aqua vitam sustentans, diceret, se etiam peiora promeritum, nec dignam peccatis suis pœnam sibi irrogari. Scripsit ad eum Acta Apostolorum Arator Poeta Hispanus Heroico carmine, vsus hocce titulo ante præfationem: DOMINO SANCTO, BEATISSIMO, APOSTOLICO, ET IN TOTO ORBE PRIMO OMNIVM SACERDOTVM PAPÆ VIGILIO ARATOR SVBDIACONVS. Mortuus vero est Syracusis in Sicilia Constantinopoli rediens quarto Idus Ianuarii cum sedisset annos septemdecim, menses sex, dies viginti sex. Corpus inde Romam delatum sepultum fuit via Salaria in Basilica S. Marcelli. Cumque sedes vacasset menses tres, dies quinque

555. LX. PELAGIVS Romanus Ioannis Vicariani filius, succedens tertio Nonas Aprilis, constituit vt hæretici & schismatici, quando nullis rationibus ad sanitatem reduci nequeant, etiam seculari manu coerceri possent. Instaurauit quoque sub eo Narsetes vrbem, ac Basilicam Iacobi & Philippi Apostolorum ædificare cœpit ipse cum obiret sexto Nonas Martij, quando sedisset annos decem, menses decem, dies viginti octo. Sepultus vero est in Basilica S. Petri. Vacatque sedes menses tres, dies viginti-sex, succedens vero

566. LXI. IOANNES III Romanus, Anastasii filius, inchoatam Basilicam Apostolorum exædificauit. Animaduertens quantum mali mundo, & præcipue Italiæ inferre posset Narsos procacibus verbis ad iram prouoca-

*prouocatus; ad eum Neapolim accessit, precibusque fatigatum Romam perduxit, vbi & mortuus est anno decimo septimo, ex quo Princeps Italiæ constitutus fuerat: corpusque eius Constantinopolim fuit delatum.* Ioannes *vero postquam sedisset annos decem, dies quindecim, mortuus est tertio Idus Iulij, sepultusque est in Basilica S. Petri. Vacauitque sedes menses decem, dies tres: succedensque* ANNI CHRISTI.

LXII. BENEDICTVS *Romanus Bonifacij filius sollicitudine ac dolore ob Italiæ vrbuque calamitates afflictus, moritur pridie Kalendas Augusti: cum sedisset annos tres, menses duos, dies quindecim. Sepultusque est in Secretario S. Petri. Cumque sedes vacasset menses quatuor, electus* 577.

LXIII. PELAGIVS II. *Romanus Vuigildi filius consecratus fuit illico. Cumque Iustinianus Imperator sanxisset confirmationem Imperatoris debere accedere electioni à clero ac S. P. Q. R. factæ; sic vt nemo posset Ecclesiæ præesse, nisi eum fidum Imperio fore sciret Princeps; verum iram Tiberij, misit Gregorium Monachum ac Diaconum suum, vt se excusaret, quod neminem ob Lombardorum excursiones antea potuerit emittere vrbe. Qui Eutychium asserentem in resurrectione mortuorum corpora ita aeris instar tenuia futura, vt tangi nequeant, erroris euicit, cum ipse Dominus dixerit:* Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicuti me videtis habere. *Fuit vero Eutychius sede expulsus, & Ioannes Steimoortus pro eo Episcopus Constantinopoli constitutus. Contraxit vero & amicitiam cum Mauricio Duce, quod is originem suam referret ad Romanos, & infantem eius è fonte sacro fertur leuasse Pelagius reuocato Gregorio, in fundo paterna domus extruxit γηροκομεῖον, in quo senes decrepiti alerentur Ædificatis deinde S. Hermetis cœmeterio & templo S. Laurentij, mortuus est pestilentia, quæ ex Æthiopia exorta per quinquaginta duos annos per orbem grassabatur. sexto Idus Februarii, atque sepultus in Basilica S. Petri: cum sedisset annos nouem, menses duos, dies decem. Cumque vacasset sedes menses 6. dies 15. electus* 580.

LXIV. GREGORIVS Romanus, *Gordiani Senatoris filius, misit ad Mauricium Imperatorem litteras, quibus flagitabat, ne vellet electioni suum subscribere assensum. Interceptæ fuerunt litteræ à Præfecto vrbis; atque aliæ missæ, quibus approbatio Imperatoris, cleri populique nomine postulabatur. Quibus lectis gauisus Mauricius electionem confirmauit. Itaque illico ad statum Ecclesiæ Barbarorum incursionibus deformatum reformandum animum intendit Multas enim caremonias neglectas restituit: instituit quoq; & nouas; & sciscitantibus de iis Episcopis, rationem earumdem reddidit. Stationes enim antiquatas (stantes enim antiquitus orabant) restituit: cantus Ecclesiasticos complures quoque instituit.* Seruum seruorum *Dei se nominari voluit: vtque in prece diceretur,* Diesq; nostros 590.

ANNI CHRISTI. nostros in pace disponas, *iussit. Orationi, lectioni, atque etiam scriptioni sedulo erat intẽtus. Libros, licet infirma semper valetudine, complures conscripsit. Quorum* Moralium in Iob *Leandro Episcopo Hispalensi dedicauit: quem vnice amore prosequebatur, quod & scriptis suis, & opere Arrianam sectam per Hispaniam grassantem deprimebat.* Synagrio *Episcopo Augustodonensi pallium dare noluit,*
596. *antequam ille satageret Neophytos hareticos è Gallia depellere. Donastitas in Africa, Agnoitas Alexandria repressit. Misit quoque in Britanniam* Augustinum *Episcopum creatum,* Melitum, Ioannem, *aliosque doctos Monachos, quo ex Anglis, Angelos, id est, nuncios verbi Dei efficeret: sic vt illum merito vocet Beda vnus ex illis Anglis, Anglia Apostolum Nam fides* CHRISTI, *quam ibi Fugatius ac Damianus plantauerant; à Barbarorum superata zizanijs iã exaruerat. Vsus quoque est erga Mauricium Imperatorem prudenti consilio, & Apostolica scribendi libertate, cum ille creatis imperii consortibus filiis suis Tiberio & Theodosio lege vetaret, ne quis miles. nisi expleta militia, prasumeret fieri Monachus. Eam ergo legem cum Romam misisset Imperator, permisit illam quidem publicari Gregorius: at post aliquot menses rescripsit Imperator:* Quia contra auctorem omnium Deum, hanc constitutionem intẽdere video: Domino tacere non possum. Vetas ne Christo militent. Sed *Christus* ad hæc: Ego te de Notario Comitem excubiorum, de Comite excubiorum Cæsarem; de Cæsare Imperatorem: nec solum hoc; sed & patrem Imperatorum feci Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seru tio milites tuos subtrahis? *Mauricius hæc parui pendẽs primum ac contemnens Gregorium, eum subiectum esse volebat Ioanni Episcopo* Constantinopolitano: *cuius imprudentiam Gregorius multis litteris reprehendit. At Mauricius visu territus misit triginta libras auri Gregorio; vt illas distribueret egenis: quod sedulo procurans Pontifex, iussit eos intercedere pro salute Imperatoris. Hospitalitas in Gregorio mire commendatur curaque pauperum. Instituit varia quoque officia in Ecclesia Romana:* Primicerios, arcarios, sacellarios, *ac cantores. Cumque digne prafuisset, ac promeritus esset cognomen* Magni, *obijt quarto Idus Martij: sepultusque fuit ante Basilicam S. Petri prope Secretarium: vbi hoc Epitaphium tumulto erat positum:*

Gregor. in Ezech.

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
  Reddere quod valeas, viuificante Deo,
Spiritus astra petit, toti nil vita nocebunt,
  Cui vitæ alterius mors magis illa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulcro,
  Qui innumeris vixit semper vbique bonis.
Esuriem dapibus superauit frigora veste,
  Atque animas monitis texit ab hoste sacris.

Implebat-

Implebatque actu, quicquid sermone docebat,
Esset vt exemplum mystica verba loquens.
Anglos ad Christum vertit pietate magistra,
Acquirens fidei agmina gente noua.
Hic labor, hoc studium, hæc tibi cura, hoc pastor agebas;
Vt Domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei Consul factus lætare triumphis:
Nam mercedem operum iam sine fine tenes.

SEDIT BEATÆ MEMORIÆ SANCTISSIMVS GREGORIVS PAPA ANNOS XIII. MENSES VI. DIES VIII. OBIIT IV. IDVS MARTII, INDICTIONE VII. ANNO DOMINICÆ NATIVITATIS. DC. IV.

*Cum iam vero sedes vacasset menses quinque, dies nouemdecim. Succedens ipsis Kalendis Septembris*

LXV. SABINIANVS BLERANVS *Tuscus, Boni filius, Diaconus & Apocrisarius Apostolicæ sedis Constantinopoli, apud Imperatorem à Gregorio creatus, vt ibi suo nomine responderet. Non boni viri officio fungitur obtrectando Prædecessori suo, à quo erat ad honores euectus Nam grassante fame cum admoneretur, vt Gregorij liberalitatem erga pauperes ac egenos mutari vellet, respondit; Gregorium popularem famam captantem patrimonium Ecclesiæ dissipasse largitionibus. Cæterum ob hoc laudandum illum iure existimant; quod cum antea nisi horologijs sciotericis aut clepsydris ad horarum distinctiones vterentur; ille instituerit horas distingui pulsu campanæ, commoditati omnium noctu & interdiu ex æquo consulens. Eius Pontificatus etiam decoratur, quod tum florebant* Fulgentius *Carthaginensis Episcopus frater* Leandri, *cui alius frater* Isidorus *in Episcopatu Hispalensi successerat, qui Grammatices ac Philologiæ, Matheseos, Geographiæ, veteris memoriæ, Philosophiæ, ac denique Theologiæ doctissimus varios libros edebat. Erat illis & soror* Fulgentia, *quæ virgo clara ac pia quadraginta Monasterijs erat præfecta, digna suis fratribus. Cæterum* Sabinianus *cum sedisset annum vnum, menses quinque, dies nouem, obijt quinto Idus Februarij, & ad S. Petrum sepultus est: ac vacauit sedes menses vndecim, dies viginti sex.* 604.

LXVI. BONIFACIVS III. *Rom. Ioannis Catadiosis filius, succedens, constituit vt anathematizarentur, qui largitione vel gratia sibi Pontificatum vel Episcopatum ambirent. Sub ipso Phocas Imperator declarauit etiam post concilia Primariam sedem esse Romanam, secundariam Constantinopolitanam, cuius Episcopi ob imperium ibi translatum Romanis antecedere dignitate volebant. Remansit eum quoque* Papæ *nomen soli Romano Pontifici, cum antea commune esset omnibus passim Episcopis. Illud studiosis etiam admonitum volo in Græcis historijs* Bonifacios *fere semper dici* Agathones. 607.

*Quorum*

ANNI CHRISTI. *Quorum hic cum præfuisset Ecclesiæ annum vnum, menses duos, dies viginti octo, mortuus est sexto Nonas Maij, ac sepultus ad S. Petrum. Et post mensem & sex dies creatus*

608. LXVII. BONIFACIVS IV *Valeriensis Marsus, Ioannis Medici filius, domum paternam in Monasterium conuertit, cui fundos suos adscribit in vsum Monachorum.*

*Cumq; antea nullum templum Deorum Gentilium esset vsui Christianorum dedicatum, & propter Honorij hanc legem:* SICVT SACRIFICIA PROHIBEMVS, ITA ET VOLVMVS PVBLICA ORNAMENTA SERVARI : *exstarent complura fana ; Bonifacius omnium primus* Pantheon, *quod M. Agrippa post Iouem omnibus Diis consecrauerat ad mundi formam circulariter ædificatum Phoca Imperatore concedente, eiectis gentium simulacris, ad honorem omnipotentis Dei conuertit, atque quarto Idus Maij consecrauit. Qui mirabilis in Sanctis suis & glorificatus in iis vehementer, fundamenta ex illius sacri corporis vnigeniti filij sui nempe Ecclesiæ constituit Quam in Patriarchis mundauit, in Prophetis præparauit, & in Apostolis condidit. Ex quibus beatum Petrum Apostolorum Principem ob confessionem filij sui, per os verbi sui confirmationem mutato nomine in Petram fundamenti domus non fluctibus ac procellis tempestatum ruituræ posuit. Quem & cælestium clausororum præsulem, custodemque fecit: diuino ei iure concesso, vt quæ statuisset in terris, seruarentur in cælis. Hanc itaque domum confirmauit in Martyribus ac Confessoribus, exornauit in Doctoribus, & multa virginitate in virginibus, viduis, continentibus ac maritatis decorauit. Quorum omnium memoria ne obliuioni traderetur; statuit Bonifacius vt Kalendis Nouembris solennitas Omnium Sanctorum ibidem celebraretur; atque primo plebs fidelis nominaret, laudaret, atque glorificaret eum, qui cunctos condidit Sanctos: per quem facta sunt omnia, & per quem cuncta subsistunt elementa. Cuius Maiestas nec incipit, nec desinit in seculum: vt merito omnis principium & finis creaturæ nominetur. Porro* Bonifacius *cum præfuisset Ecclesiæ annos sex, menses octo, dies tredecim, obiit nono Kalendas Martij anno à* CHRISTO *nato sexcentesimo decimo quinto.*

## GRÆCIA.

442. Hunni Thraciam & Illyricum depopulantur.
Vniuersa Thracia à Bulgaris deuastatur. Constantinopolis etiam maximo conflagrauit incendio.

## GERMANIA.

476. Franci Treuerim ceperunt : & Odoacer Regem Rugorum in Germania occidit : ingentique præda onustus rediit in Italiam.

Salbur-

Salburgum ab Attila destructum Robertus Episcopus restaurauit. ANNI CHRISTI.

*Vidinuto* nunc in Borussia regnasse refertur, qui cum centum & sedecim annos esset natus vna cum fratre Brute nocube anno Domini quingentesimo septuagesimo tertio se in sacrificium diis suis offerens, & in ignem conniciens regionem duodecim filiis suis diuisit, quam possederat, Litphoni maiori natu tradens Lithuaniam, & constituens eum super alios, sed ob homicidium Pontificis regionis a fratribus reiectus fuit.

*Lotharius* bellum inferens Frisiis, eos tributa pendere coegit. 597.
*Beroaldus* Rex Frisiæ prœlio superatus in eo occubuit.

## BRITANNIA.

Apud Britanniam Ambrosius Aurelianus qui solus forte Romanæ gentis cædi Saxonum superfuerat, purpuram sumpsit, victorelque Saxones, Britannorum ducens exercitum, sæpe superauit: atque nunc hi, nunc illi palmam victoriæ habuerunt. Præcipuum prœlium commissum fuit anno ab aduentu Anglorum quadragesimo quarto, apud montem Badonicum, è regione Germaniæ, in quo Osra & Otha Saxonum Duces fuerunt cæsi. Quo tempore fere mortuo Vtherio rege successit filius Arcturus Princeps longe strenuissimus: vt qui inter Heroes omnium ætatum maximos numeretur. Ferunt eum ter Saxones Anglos vicisse; sed eo mortuo Anglos rerum potitos regionem Angliam gentemq; Anglos nominasse.

## GOTHIA.

Occiso *Odoacro* tertio Nonas Martias, *Theodoricus Amalus* secundus Gothorum & Italiæ Rex, vir naturæ dotibus & humanitate insignis. Qui licet esset Arrianæ fidei, tamen consilio Epiphanii Ticinensis Episcopi Orthodoxi libenter parebat Romanis quoque suis permisit ritibus viuere, manens Rauennæ genio loci delectatus. Duxit in vxorem Andesledam Clodouæi Francorum Regis filiam; sororem suam Amalafredam Honorico Vandalorum, filiarum suarum vnam Almarico Alarici Ostrogothorum Regis filio despondit, Alteram Gundebaldo Burgundionũ Regi nuptui dedit. Tertiam Eutharico ex Alamannorum stirpe nobili Vetarici filio in vxorem tradidit: eoq; genero tamquã filio vtebatur. Amalabergam quoque cognatam Turingorum Regi Hermonfredo in matrimonium coniunxit. Sicque affinitatibus imperium stabilire conabatur. Et ne à Constantinopolitano Imperatore opprimeretur, vt nulla inter Occidentales dissensio oriretur sedulo curabat, mittendo litteras atq; legatos. Extant etiamnum duæ eius epistolæ, vna de componenda

rixa

(margin: 493.)

ANNI CHRISTI.

rixa inter Clodouæum & Alaricum : altera ad Gundebaldum generum in hæc verba conscripta:

THEODORICVS REX GVNDEBALDO BVRGVNDIONVM REGI S.

*Amplectenda sunt munera, quæ probantur commodis expetita, quando non est abiectum, quod potest explere desiderium. Nam per quaslibet preciosas res ad illud tantum tenditur, vt cupientis animus expleatur. Quapropter salutantes gratia consueta per harum portitores, oblectamenta præsentia vestra, Horologia cum suis dispositoribus credidimus destinanda. Vnum in quo humana sollertia videtur colligi, quod totius cæli noscitur spacia peruagari: aliud, vbi Solis meatus sine Sole cognoscitur; & aquis guttantibus horarum spacia terminantur. Habetote in vestra patria, quod aliquando vidistis in ciuitate Romana. Dignum est, vt bonis nostris gratia vestra perfruatur, quæ nobis etiam affinitate coniungitur. Distat sub nobis Burgundia res subtilissimas inspicere, & antiquorum inuenta laudare : per vos propositum gentile deponit, & dum prudentiam Regis sui respicit, iure facta sapientum concupiscit. Distinguat spacia diei actibus suis: horarum aptissime momenta constituat. Ordo vitæ confusus agitur, si talis discretio sub veritate nescitur. Belluarum quippe ritus est ex ventris esurie horas sentire, & non habere certum, quod constat humanis vsibus contributum, Vale.*

Porro detinebat Theodoricus Romanos atque Italos quiete, nec patiebatur illos armis assuescere, suspectā habens illorū fidem: cumque Arrianæ perfidiæ in tantum esset addictus, vt socero Clodouæo victoriam inuideret de Alarico: atque etiā contra illum arma sumeret; postremo se quodammodo & quasi Tyrannum exhibuit aduersus Catholicam fidem profitentes. Cūque audiuisset Iustinum Imperatorem Arrianos in Oriente priuare suis Ecclesiis; Ioannem Papam Theodorum & Agapitum Consulares cum altero Agapito ad Iustinum Constantinopolim misit, mandatque per eos interminans, vt nisi quantocyus hæreticis suæ Ecclesiæ redderentur, eosdemq; in pace degere sineret, se vniuersos Italiæ populos Catholicos gladio peremptu-rum. His diebus exstincto Alarico Visigothorum Rege à Francis Thiodem armigerū suum Almalarico nepoti tutorē constituit. Ioannem Pontificem redeuntem Constantinopoli in vincula coniecit, eumque simul cum sociis afflictione carceris peremit. Sed hanc immanissimam crudelitatem animaduersio diuina secuta est, cum nonagesimo octauo die post hoc facinus subita morte defunctus sit: & fama ferretur eum visum fuisse inter Ioannem Papam & Symmachum excos, & Patricium deduci, ac demergi in ollam Vulcani Liparæ insulæ proximam, cum regnasset annos triginta tres, menses quinque, dies viginti octo.

Theodatus

*Theodatus Amalus* ab Amalasiuntha Atalarici matre adscitus in regnum, immemor beneficij, eam in balneo strangulari fecit. Cuius morte audita Iustinianus graui aduersus Theodatum iracundia exarsit. Qui ad placandum Imperatorem Agapetum Pontificem ad eum misit. Aduersus Theodatum missus Bellisarius dum apud Siciliam moratur Theodatus extinctus est, dum regnasses annos duos & aliquot menses. ANNI CHRISTI. 534.

Huius in loco *Vitigis* successit, qui mox Rauennam profectus Amalasiunthæ reginæ filiam per vim secum auferens, sibi matrimonio iunxit. Et aduersus Bellisarium cum ingenti exercitu Romam veniens obsidione cinxit. Atque post annum pressus annonæ penuria Rauennam rediit, cum cuncta vastasset: atque ipsis etiam Martyrum sepulcris manus impias intulisset.

TOTILAS Rex Gothorum Romam capit XVI. Kalend. Capitolium incendit, ædificia præcipua diruit, & maximam mœnium partem euertit, ciuium multitudinem per alia opida dispersit. Paulo post eamdem recuperat Bellisarius, & ciues dispersos reuocat. 546. *Procopius. P. Iouius.*

*Totilas* iterum Romam occupat eamque instaurat ac reparat, vt infamiam, quam in euertenda Roma paullo ante pepererat, aboleret.

## GALLIA.

*Iustinianus* Imperator traditur *Ausbertum* constituisse limitaneum Præfectum equitum Sacri Imperii apud Belgas, eique dedisse Antuerpiam in titulum Marchionatus. 529.

Cum Sigibertus Austrasius misisset Constantinopolim legatos ad gratulandum Tiberio Constantino de Imperio; remisit ille munus quinquaginta aureorum nummum, quorum singuli penderent libram cum his inscriptionibus: TIBERII CONSTANTINI SEMPER AVGVSTI & GLORIA ROMANORVM.

*Childebertus* Rex Francorum impulsu Mauritii Imperatoris mouens in Longobardos, acceptis ab Ancharo regis maximis muneribus pacem fecit. Quod vbi Imperator Mauritius intellexisset, per legatos multum questus, pecuniam vt redderet, aut promissa præstaret ac Longobardos bellum inferret, postulauit. Qui obtemperans cum Francorum Alamannorumque copiis secundo Alpes transgressus nil relatu dignum egit, quod inter Alamannos & Francos seditio fuerit oborta. Tertio venientes 588. in Lōbardiam Antharis excepit prœlio fusos, fugatosque insecutus fœde mactauit: reliquos fames frigusq; ferme consumpsit.

## HISPANIA.

*Fl. Reccaredus* succedens Patri pietate ac fide fuit insignis. 597.

Oo Itaque

ANNI CHRISTI. Itaque anno quarto regni sui ad octauum Idus Maii, æra 627. Concilium prouinciale Toleti celebrandum indixit: Vbi præsens Patres allocutus est. Qui vnanimes Artii hæresim damnarunt: & symbolum fidei recitari in Missæ sacrificio fuit iniunctum. Subscribentibus Actis Concilii Hispaniæ Episcopis & Gothorum senioribus, eaque sua subscriptione confirmante Flauio Reccaredo Rege. Sub quo etiam subsequenti anno *Leander* Episcopus Concilium celebrauit Hispali, secundo Nonas Decembris, æra 628.

*Reccaredus* duxit in vxorem Childeberti Francorum Regis sororem Lugundim, quæ marito Lenigildo Rege Hispaniæ interfecto, Constantinopolim peruenerat.

## *Longobardorum Regnum.*

Gentem Longobardorum ex Scandinauiá Aquilonari Oceani peninsula in continentem Germanię cis Albim partem indeque in Pannoniam migrasse domiciliumq; posuisse inter Hunnos Abares dictos narrant, Gepidasq; vicinos eorum deleuisse auxilio, cum Gothi rerum in Italia potirentur. Aduersus quos illos Narses in Italiam euocarat. Regnabat inter eos Alboinus Rex Hungariæ decimus, cum Narsos offensus à Iustino & eius vxore Sophia, illum ad Italiæ regnum inuadendum pelliceret. Qui præter suos Longobardos viginti mille auxiliares Saxones
568. secum ducens, postridie Paschæ pridie Kalendas Apriles domo profectus, Aquileiam primo impetu capit, deinde Forum Iulii, constituens ibi Gisulphum nepotem in Ducem. Sicuti etiam
569. duces & præsidia imposuit Taruisio, Vincētiæ, Veronæ, ac Tridento, cum iis potireturiam locis. Deinde acceptis deditione Brixia, Bergomo, Lande, Como, & Mediolano nonis Septem-
570. bris apud Insubres regnum Lombardiæ, pulsis Iustini præsidiis, stabiliuit. Regnauitque donec insidiis vxoris Rosemundæ, cui ebrius ex cranio patris Chunimundi Gepidarum Regis in prœlio occisi bibere compulerat, Veronæ dormiens fuerat interfectus, post annos tres, menses quinque, dies viginti quinque regni ab se instituti.

576. *Cleopho* deinde in Regem electus, Tanetum & deinde Forum Cornelii Syllæ occupauit, cuius arcem firmatam cum Imolam vocaret, mansit illud nomen opido deinceps. Cleophis postquam regnasset annum vnum, menses sex, à puero familiari percussus interiit Ticini. Fuitque apud Lombardos interregnum decem annorum. Cum res eorum triginta ducibus essent commissæ Alboino Mediolanum, Labano Ticinum item cæteris cæteræ ciuitates.

Per hæc tempora tam in Italia, quam Gallia ac Hispania prouin-

prouinciis antea P.R. Lingua Latina ita Barbarorum vocabulis ac Dialectis est fœdata ac deformata, vt nemo veterum Romanorum eos si ab inferis exsisteret, intelligere potuisset. Quin & in iisdem tribus regionibus pro diuersitate Barbarorum ibidem sedes locantium, tanta varietate eadem Romana lingua discreta fuit: vt breui hæ nationes se inuicem non magis intellexerint, quam olim se inuicem intelligebant structores illi Babylonicæ turris. Quibus in linguis si aliqui forte exurgerent scriptores: illi vel perbreui annorum designatione contenti, plenius res gestas non persequebantur: vel sua extollentes, & hostium facta immodice deprimentes populariumque plausum captantes fictícia commenta libere historiæ inserebant, Latinæ linguæ vsus tantum relinquebatur sacris atque sacerdotibus ac clericis: quæ etiam in Angliam transmissa quodam modo exsulatum cum Augustino inter Anglosaxones ab vlteriore deformatione conseruata fuit; quod eam Insulam non infestarent Gothi: Atque inde rursum translata in Galliam fuit. — ANNI CHRISTI.

*Fl. Antharis Clephonis* Filius, in tertium Longobardorum Regem fuit constitutus. Qui constituit, vt Reges *Flauii* nomine exemplo Romanorum Imperatorum appellarentur deinceps: & à singulis Ducibus dimidium vectigalium ad dignitatem Regiā tuendam conferretur. Qui census tertio quoque anno ad Palatium regium deferebatur. Interim Ducibus manebat dominiū, sibi iure retento, vt virili stirpe exstincta, aut defectione excitatā ipse Rex successores alios redderet Brixillum deditione cepit. Istros per Eonium Tridentorum ducem vicit: ipse Comacinam vrbem post sex mensium obsiditionem deditione cepit. Deuastando deinceps Italiam venit Rhegium vsque Beneuentum ex itinere cepit, vbi Zotonem constituit. Sicque Foroiuliensi, Spoletano, Beneuentano Ducatibus constitutis, obiit, cum regnasset annos quinque, menses sex, Nonis Septembris. — 585.

*Fl. Agilulfus* Taurinalium Dux eligitur in Regem quartum Longobardorum. Vir corporis animiq; dotibus præclarus, qui per annos viginti quinque regno potitus, & bellicā laude, & Christiana fide egregie culta fuit insignis. Etenim primus Regum Catholicam doctrinam probauit, atque Ecclesijs monasteriisque possessiones priuilegiaque contulit: successores suos honesto exemplo ad sui imitationem accendens. — 590.

## *Monarchia Romanorum.*

*Fl. Heraclius* sexto Kalendas Aprilis cœpit imperare, cui anno proximo natus est filius *Constantinus*, quem infantem anno tertio imperii sui consortem Imperii legit. — 611.

Anni Christi.

# ECCLESIA.

Interciderunt nunc ob Barborum incursus frequentes, literarum dignitas atq; integritas & splendor, non modo apud Latinos, sed etiam apud Græcos. Qui præter interpretationē priorum auctorum nihil in literis suopte ingenio commentabātur. Sed & ex optimis quibusq; auctoribus illustres sententias ac loca laboriose congerebant. Vnde magna iactura prouenit vetustorum scriptorum. Cum horum libri fuerint exscripti, & illorū perierint neglecti. Ex huiusmodi collectionibus coagmentatū fuit grande illud volumen quod Suidæ nomine reliquum habetur. In quo non modo Græci sermonis interpretationes comportatæ sunt, verum etiam illustres Historiæ ex sacris atq; prophanis auctoribus, qui per diuersa tempora vixerunt, vtiliter insertæ fuerunt.

Præter Romanam Ecclesiam, cui Ioannes III. præerat, summæ dignitatis per Italiam erant Ecclesiæ Aquileiensis, quam Paulinus Patriarcha, Rauennas quam Ioannes III. & Mediolanensis, quam Honoratus gubernabant Archiepiscopi, quibus alii complures suberant Episcopi.

*Radegunda* virgo nunc Pictauii inclarescit sanctimonia vitæ.

*Gregorius Turonensis* Archiepiscopus Historias Martyrum, ac *Christi* confessorum, atque regni Franciæ conscribit: de gestis quoq; Clodouæi Regis Francorum, atq; eius natorum.

Pelagius Heliæ Aquileiensi Episcopo nolenti tria capitula Chalcedonensis Synodi suscipere, epistolam misit conscriptam per Gregorium tunc Diaconum.

*Redemptus* Episcopus Florentinus sanctitate clarus.

*Fortunatus* Poeta Rauenna Turonos religionis ergo profectus, cum apud S. Martini sepulcrum oculorum sanitatem à Deo impetrasset à Sigiberto Aquitaniæ Duce inter familiares receptus est, & post à filio eius Childeberto, mortuo Platono, trigesimus secundus Episcopus Pictanii in eius locum suffectus fuit. Vbi variis conscriptis hymnis, aliisque sacris carminibus claruit.

Hoc tempore *Euagrius* Scholasticus Historiam Ecclesiasticam sex libris complexam edidit, & à Mauritio Tiberio Primicerius Notariorum creatus, munus tabularium seruandarum, quibus Præfectorum nomina inscripta erant, obiuit.

588. *Bonitus* Abbas Cassinas à Zotone nono Spoletano Duce cū monachis monasterio pulsus, Romam veniens à Pelagio Pontifice Maximo apud Lateranum fuit collocatus, vbi exstructo monasterio Monachi per annos 130. manserunt.

Augusti-


Augustinum per Galliam in Britanniam iter agentē hospitio exceperat Brumechildis, quam Tragicam plane mulierem describunt, exigua fide Galliæ Mytholistorici. Etenim Gregorius aliter de illa sentiens, ita ad eam scripsit: *Quanto omnipotentis Dei timore excellentia vestra mens soliditate firmata sit, inter alia bona quæ agitis: etiam in sacerdotum eius laudabiliter dilectione monstratis; & magna nobis fit de Christianitate vestra lætitia: quoniam quos venerantes vt famulos reuera* C H R I S T I *diligitis, augeri honoribus studetis.* Item alia epistola: *Gratias omnipotenti Deo referimus, qui inter sua pietatis dona, quæ excellentiæ vestræ largitus est, ita vos amore Christianæ religionis impleuit: vt quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoscitis, deuota mente & pio operari studio non cessetis. Quanto autem fauore, quãtaque opitulatione Excellentia vestra Reuerendissimum fratrem & Coepiscopum nostrũ Augustinum proficiscentem ad Anglorum gentem adiuuerit, nec ante silentio fama conticuit, & postea quidem ab eo ad nos Monachorum redeuntes subtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Christianitate vestra mirentur alij, quibus beneficia vestra minus sunt cognita. Nam nobis, quibus experimentis nota iam sunt, non mirandum est, sed gaudendum.* ANNI CHRISTI.

*Augustinus Cantuariensis* à Gregorio Episcopus creatus, mortuus est in Anglia octauo Kalendas Iunii.

*Eulogius* Neapolis Cypri Episcopus Gregorio notus moritur: successit ei in Episcopum *Leontius.*

FINIS LIBRI QVINTI.





# OPERIS CHRONOGRAPHICI ORBIS VNIVERSI LIBER SEXTVS.

Lectori candido S.



SI me permisissent meis obsequi affectibus amici ac familiares, non vlterius Historiam nostram extendissem, cum horror quidam animo meo obuersaretur tenebricosi sæculi, in quo, superabundante peccatis voluntariis insipientia; sal Apostolicus euanescere in quibusdam, & Episcopatus etiam prauis ambitionibus appeti conspicerentur. Quod etiam suo sæculo factum conqueritur Sulpicius Seuerus, cum nulla ætas doctioribus & magis lectis abundauerit viris quam vitiis. Quid ergo nunc, cum à facie peccatorum spiritualia condimenta fugeriut, & vix insulsum olus in horto illo voluptatis virere liceat videre? Quandoquidem mentis germina nocens eruca populetur, scientiarum segetem edax locusta consumat, & præcordiis mortalium insideat piger Bruchus, atque intimas vitalium Imperii Romani fibras rubigo exedat? At illi instare: Prodeant nunc Angli, nec sua fraudetur bellicosa Germania laude, neque Belgicæ etiam Galliæ reticeantur Principum origines. Edidisti quinque libros, addatur & sextus, atq; in septimo quiesce: eo etenim in numero requies significatur. Habet & autumnus suos flores: & fructus serotini plerumque præcocibus præferûtur. Quid facerem variis identidem sic pulsus persuasionum ac precum machinis; succubui tandem, ac victus manus dedi, pollicitus me non semipastos conuiuas dimissurum, donec quid-

quidquid penus bellariorumq; mihi superſit etiam carpendum apponam præpollicitis epulis. Itaque annuente *Chriſto*, quod nitar, perſequi exordiar. Vſus fere ſum in hiſce lucubratiunculis ipſorum auctorum præcipue ſtilis; & quantum potui, vitandum exiſtimaui, ne res illuſtres meis ſermonibus veluti furuo habitu veſtirentur. Ornari quippe externo alioquin cultu narrationes variorum auctorum recuſant, contentæ, vt litteris traditæ ſunt, recitari. Vt & interim taceam transfuſione huiuſmodi fidem hiſtoriæ eleuari, & vinum mutari in vappam. Itaq; Lector candide, paſce aures, paſce & mentem, atq; optime Vale.

## ROMANI PONTIFICES

*Poſtquam mortuo* Bonifacio *vacaſſet ſedes menſes ſeptem, dies viginti quinque, omnium ſuffragiis pontificatui præficitur decimoſexto Kalendas Nouembris*

LXVIII. THEODATVS *ſeu* DEVSDEDIT *Romanus, Stephani filius. Hunc fuiſſe Cardinalem diploma Gregorij Magni marmori inciſum indicat, quod etiamnum in Baſilica S S. Ioannis & Pauli Romæ exſtat, Onuphrio teſte, his verbis:* GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS DEVSDEDIT CARDINALI, ET IOANNI ARCHIPRESBYTERO TITVLI SS. IOANNIS ET PAVLI; ET PER NOS IN EODEM TITVLO IN PERPETVVM. CREDITÆ SPECVLATIONIS IMPELLIMVR CVRA, &c. 615.

*Fuit vero* Deuſdedit *amator Cleri, quem etiam multum auxit. Cumq; digne præfuiſſet annos tres, dies viginti-tres, mortuus eſt ſexto Idus Nouembris, atque ſepultus in Baſilica S Petri. Cum vacaſſet ſedes menſem vnum, dies nouemdecim, creatus octauo Kalendas Ianuarij*

LXIX. BONIFACIVS V. *Neapolitanus, Ioannis filius, humanitate ac clementia inſignis, inſtituit, ne qui ad Eccleſias confugerant, inde vi retraherentur. Cœmeterium S. Nicomedis exſtruxit atque dedicauit. Cumq; Eccleſiæ præfuiſſet annis tribus, menſibus nouem, diebus nouemdecim, obijt quarto Idus Octobris, atque ſepultus eſt ad S. Petrum. Et poſtquam ſedes vacaſſet dies tredecim, ſuccedens* 618.

LXX. HONORIVS *Campanus Petronij de la Mara viri conſularis filius, reformauit mores Cleri, multaq; templa condidit, atque etiam reſtaurauit: conſtituit & cœmeterium S. Marcellini & Petri via Lauicana. Cumq; digne adminiſtraſſet Eccleſiam annos duodecim, menſes vndecim, dies ſeptemdecim, mortuus quarto Idus Octobris eſt, ac ſepultus in Baſilica S. Petri: ſede vacante menſes nouem, diem vnum* 622.

LXXI. SEVERINVS *Romanus Labieni filius, vir pius ac religioſus, benignus ac munificus in omnes; & in reparandis templis ſplendidus.* 636.

ANNI CHRISTI. didus. Sub eo Isaacius Patricius Exarchus expilauit thesauros Ecclesiæ sepositos in pauperum vsus: quorum partem misit Heraclio Imperatori, & partem sibi reseruauit. Cumque Seuerinus sedisset annos duos, dies quatuor, obiit quarto Nonas Augusti, & sepultus fuit in Basilica S. Petri. Vacauit vero sedes menses quatuor, dies viginti & vnum.

638. LXXII. IOANNES IV. Dalmata Venantij Scholastici filius creatus, ex reliquis thesauris, quos Isaacius non abstulerat, redemit multos captiuos, qui apud Istros & Dalmatas detinebantur. Cumque sedisset annum vnum, menses nouem, dies nouemdecim, mortuus est quarto Idus Octobris, ac sepultus in Basilica S. Petri. Cumque vacasset sedes mensem vnum, dies quatuordecim succedens

640. LXXIII. THEODORVS Græcus Theodori Episcopi filius, in pauperes mire benignus, Basilicam exstruxit via Flaminia, & duo oratoria, alterum apud Basilicam Lateranensem, alterum via Ostiensi. Cumq; præfuisset Ecclesiæ annos sex, menses quinque, dies octodecim, obijt pridie Idus Maij, atque sepultus fuit in Basilica S. Petri. Postquam vacasset sedes menses quatuor, dies quatuor.

647. LXXIV. MARTINVS primus, Tudertinus Tuscus Fabricij filius pontificatum iniens ad Paulum Constantinopoli Episcopum legatos misit, vt omisso Monothelitarum errore velit Orthodoxæ fidei subscribere. At ille fidens Constantio Principi, contra ius gentium legatos in diuersas insulas exsulatum misit. Sicque conuocato à Martino Romæ Concilio centum & quinquaginta Episcoporum apud Lateranum damnantur Monothelitæ (qui CHRISTVM vna tantum voluntate dicebant esse præditum) & Paulus anathemate damnatus, sede priuari declaratur. Quod ægre ferens Constantinus Imperator, Olympum Exarchum iussit Pontificem vinctum ad se transmittere, aut occidere. At missus lictor ad Basilicam S. Mariæ Maioris subita cæcitate corripitur: sicque captiuitate Martinus euasit. Deinde missus Theodorus Calliopbas, qui in Exarchatu Olympio successerat, dolo Martinum captum Constantinopolim transmisit. Vnde postmodum in Chersonesum Ponti relegatus, calamitatibus ac inopia confectus, moritur pridie Idus Nouembris, cum sedisset annos sex, mensem vnum, dies viginti sex. sepultusque est Chersona. Cumque sedes vacasset menses octo, dies viginti octo

654. LXXV. EVGENIVS Romanus Rufiani filius de regione prima Auentina, vir miræ pietatis, mansuetudinis ac munificentiæ Ecclesiæ antiquam in sacerdotali castitate consuetudinem renouare adorsus moritur quarto Nonas Iunij, cum sedisset annos duos, menses nouem, dies viginti quatuor, atque sepultus est in Basilica S. Petri. Cumque sedes vacasset mensem vnum, dies viginti octo, succedens

657. LXXVI. VITALIANVS primus, natus in Suernia Anastasij filius, Musices valde peritus, cantus Ecclesiasticos reformatos ordinauit,

*uit, ad consonantiam cantari apte; organis etiam in Ecclesia adhibitis ad exemplum Dauidis Regis. Consecrauit Theodorum Monachũ Græcum in Archiepiscopum Cantuariensem, eumque cum Adriano Abbate misit in Angliam. Conscripsit vero librum* Theodorus *de pœnitentia, quem* Pœnitentialis *nomine prænotauit: atque Anglos prædicationibus atque exemplo in fide continuit, eamq; mire propagauit. Cum ibidem & Codda apud Mercios & Lindisfaros Episcopus vita sanctitate insignis haberetur. Vitalianus vero cum Ecclesia præfuisset annis quatuordecim, mensibus quinque, diebus viginti-octo, mortuus sexto Kalendas Februarij, sepultus fuit in Basilica S. Petri. Et post menses duos, dies viginti-septem, creatus.* ANNI CHRISTI. 668.

LXXVII. ADEODATVS *Romanus Monachus S. Erasmi in Cælio mõte Iouiniani filius, vir magnæ sanctitatis ac virtutis; vt qui neminem inconsolatum sineret à se discedere. Ædificauit templum S. Petri via Portunensi & Monasterium S Erasmi in monte Cælio, vbi vixerat, ædificijs ac fundis auxit. Cumque sedisset annos quatuor, menses duos, dies quinque, obijt sexto Kalendas Iulij atque sepultus est ad S. Petrum. Et post menses 4. dies sex creatus.* 672.

LXXVIII. DOMNVS *Romanus Mauritij filius porticum, quem Paradisum vocant, S. Petri marmoribus strauit. Ecclesias S. Euphemiæ via Appia, & Apostolorum via Ostiensi, reparauit. Cumque sedisset annos 2. menses 5 dies 10. obijt 3. Idus Aprilis, sepultusque est in Basilica S. Petri. Cumque vacasset menses 2 dies 25.* 676.

LXXIX. AGATHO *Monachus Ordinis S. Equitij Panormitanus Siculus, Pannonij Amonis filius, vir miræ sanctitatis ac humanitatis singularis creatur. Sub quo sextum vniuersale Concilium Constantinopolim euocatis ducentis septuaginta-nouem Episcopis fuit celebratum in Imperatoris Palatii loco dicto Trullo, contra Monothelitas dicentes vnam tantum esse voluntatem in* CHRISTO *Et licet nullus auctor sectæ exstaret; tuebantur eam Sergius, Pyrrhus, & Paulus Constantinopolitani, Cyrus Alexandrinus, Theodoretus Pharensis, Macarius & Stephanus Antiocheni vna cum Polycronio. Præsidebant Concilio Georgius Constantinopolitanus Antistes, cum Theodoro & Georgio suis presbyteris. Ioannes Diaconus Romanus ab Agathone missus, qui, Beda teste, ibidem etiam Latino ritu sacris operatus fuit. Petrus quoque Monachus Alexandrinæ sedis & Georgius Hierosolymæ sedis Monachus pro suis Episcopis loca impleuerunt. Lectæ vero ibi etiam sunt literæ Mansueti Mediolanensis & Damiani Ticinensis Episcoporum: quæ hæc continebant:* Hæc est vera fides, vt duæ credantur in *Christo* voluntates, simul & duæ operationes. Quantum ad diuinitatem, eum ventis ac mari imperare videtis, & dicentem auditis: Ego & Pater vnum sumus. Quantum ad humanitaté in naui dormientem conspicitis, & auditis loquenté: quia Pater maior me est. *Afferebantur queq; in mediũ, quod omnis* 679.

ANNI CHRISTI. natura actionis sit fons, & diuersis actionibus diuersas respondere voluntates: sicque diuersarum voluntatem esse mortuos suscitare, & super mortuum lacrymari: operationes etiam diuersas esse claudum auctoritate propria curare, & itineris labore defatigari. Itaq; sanctus ille cœtus duas voluntates & operationes in Christo declarauit, atq; credendum esse decreuit; damnatis iis, qui aliter sentirent. Constantinus Imp. acquieuit Concilij Decretis, & lectam Ecclesiæ fidem confitendam atque prædicandam esse præcepit. Interim Agatho, cum Ecclesiæ præfuisset annos duos, menses sex, dies quatuor moritur quarto Idus Ianuarij, atque sepultus fuit in Basilica S. Petri. Et post menses septem, diem vnum creatus

683. LXXX. LEO II Iunior doctus Siculus, Pauli Menei Medici filius, sextum Concilium approbauit, atque superbiam Episcopi Rauennatis se ob Exarchatum extollentis concudit. Erat vero Græce ac Latine summe doctus, & Musices valde peritus; cantus Ecclesiasticos auxit. Atque quarto Kalendas Iulij mortuus sepultus est in Basilica S. Petri. Et post menses vndecim, dies viginti & vnum, creatus est

684. LXXXI. BENEDICTVS II. Romanus Ioannis filius, cuius pietate ac eruditione motus Constantinus sanxit, vt is quem clerus populusque Romanus elegissent Pontificem, eum haberent nulla Principis voluntate exspectata. Cumque sedisset menses decem, dies viginti septem, mortuus Idibus Maij, sepelitur ad S. Petrum, atque post menses duos, dies nouem succedens

685. LXXXII. IOANNES V. Antiochenus Syrus, Cyriaci filius cum aduersa conflictaretur valetudine, librum de Pallij dignitate conscripsisse refertur. Atque cum præfuisset Ecclesiæ annum vnum, dies nouem, moritur quarto Nonas Augusti; sepultus fuit ad S. Petrum. Et post menses duos, dies sedecim, expulsis illegitime electis Petro & Theodoro Romanis, creatur decimo-quarto Kalendas Nouemb.

686. LXXXIII. CVNO Thrax Benedicti filius patria Tomitanus, qui etiam languore tabescens vndecimo Kalendas Octobris obiit, cum sedisset menses vndecim, dies tres, atque sepultus ad S. Petrum. Post menses vero duos, dies viginti quinque succedentes illegitime Theodorus & Pascalis pulsi sunt, atque creatus

687. LXXXIV. SERGIVS Syrus, Antiochenus, origine, sed patre Tiberio Mercatore Panormi in Italia natus, atque Romæ à Theodato in clerum ascitus. Qui religioni Christianæ propagandæ deditus, D. Petri Basilicam refici curauit, frontispicium vermiculato opere exornans, vasis, aliisque ornamentis decorauit. Leonis Magni corpus in locum celebrem magis honeste reposuit: atque ligni S. Crucis partem argento inclusam, atque inter cimelia neglecte positam debito honore affecit. Instituit quoque ante immaculatorum corporis CHRISTI mysteriorum participationem decantari: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Moritur vero sexto Idus Septembris anno Ponti-

Pontificatus eius decimo-tertio, mense octauo, die vigesimotertio, sepultusque est in Basilica S. Petri. Vacante sede mensem vnum, dies octodecim, aliis XX. ANNI CHRISTI.

LXXXV. IOANNES VI. Græcus Paterni, alias Petronij filius Sergio succedens restaurauit templum S. Andreæ in Vaticano. Cumque præfuisset Ecclesiæ annis tribus, mensibus duobus, diebus tredecim, mortuus Idibus Martij, sepultus fuit apud sanctum Petrum. Cumque sedes vacasset mensem vnum, dies octodecim. 701.

LXXXVI. IOANNES VII. Græcus Platonis Ianidegæ filius, vir facundus & elegantis ingenij picturis valde delectatus, vt qui sanctorũ Patrum imagines ad veri similitudinem complures depingi curauerat, quas in D. Virginis Matris oratorio, quod exstruxerat, in Basilica S. Petri posuit. Cumque præfuisset Pontificatui annis duobus, mensibus septem, diebus septemdecim, obiit, atque sepelitur in Basilica S. Petri ante altare D. Mariæ. Et post sex dies, 705.

LXXXVII. SISINNIVS Antiochenus, Ioannis filius, succedens, tantum viginti dies sedit, mortuusque sepelitur in Basilica S. Petri. Atque post mensem vnum, dies sedecim 707.

LXXXVIII. CONSTANTINVS Syrus Ioannis filius, succedens pauperes fame grassante triennium multum iuuit. Euocatus ab Imperatore Fl. Heraclio Iustiniano Constantinopolim nauigauit: vbi benigne à Iustiniano exceptus, perfecit vt Iustinianus Pontificum decreta confirmaret. Quo à Philippico interempto, restitit Philippico sextæ Synodi decreta infirmare nitenti, atque iubenti vt sacras è templo auferret iconas, nequaquam parere voluit. Cumque sedisset annos septem, mensem vnum, dies viginti; mortuus sepelitur ad S. Petrum. Et post mensem vnum, dies viginti succedens 707.

LXXXIX. GREGORIVS II. Romanus Marcelli filius, vir pie doctus, & acumine ingenij insignis mœnia vrbis collapsa, ædesque sacras fecit reparauit. Ad eum missus VVerenfredus ab Episcopo Clemente VVillibrordo, videns virum sanctitate vitæ ac doctrina insignem, eũ Bonifacium vocans, confirmauit in Episcopum Maguntiacensem, atque misit in Germaniam; vt Hessos, Thuringios, ac Saxones verbũ Dei doceret. Cum Leo III. Isaurus Imperator iussisset frangi Sanctorũ imagines; eius conatui animose restitit Pontifex: admonens omnes Orthodoxos, ne in tantum scelus vel errore vel metu edicti Principis vllo modo dilabantur. Cumque Pontificatum gubernasset annos quindecim, menses decem, dies viginti & vnum; vita defunctus est ad S. Petrum. Et postquam sedes vacasset mensem vnum, dies quinque 715.

XC. GREGORIVS III. Syrus Ioannis filius fidei Orthodoxæ acerrimus defensor, & erga pauperes summe munificus. Leonem tertium Imperatorem Iconomachum dictum communione fidelium priuauit, quod male de homousio sentiret, & templa Dei deuastaret. Aduersus Longobardos Francorum opem implorauit, à Carolo Marcello. 731.

Qua

ANNI CHRISTI. *Quæ res regni Longobardici exitium fuit. Refertur octoginta Episcopos consecrasse: eoque auctore Italiam desciuisse ab imperio Orientis ob facinora Imperatoris. Cum ergo sedisset annis sedecim, mensibus octo, diebus decem, moritur. Et post octo dies*

741. XCI. ZACHARIAS *Græcus monachus, Polycronij filius; Pontifex creatus vir mitissimi ingenij & pacis amantissimus. Ad Luitprandū Longobardorum Regem profectus, vt omnes ditiones, quas in Hetruria occupauerat, restitueret persuasit. Carolomannum, cui Carolus Martellus Austrasiam atque Alemanniam testamento designarat, volentem fieri Monachum; misit Cassinatē, vt ibidem pie posset ex præscripto Benedicti Nursini vitā traducere cuculla indutus. Pipino regnandi cupido regnum Franciæ ob inertiam Childerici Regis concessit. Sicque regnum Francorum alienatum fuit à familia Pharamundi. Renouauit frontispicium porticus Basilicæ Lateranensis; vbi imago orbis terræ designata erat cum statuis multorum illustrium virorum. Dialogos Gregorij Papæ in Græcam transtulit linguam. Ecclesiam Colonien sem iuxta petitionem Francorum Metropolim confirmauit. Cū. que integre gessisset Pontificatum annos decem, menses tres, dies nouē, mortuus Idibus Martij, sepultus est ad S. Petrum, & post dies octo*

752. XCII. STEPHANVS II. *Romanus presbyter electus apoplexia tactus, obiit quarto die creationis suæ. Moxque creatus alter quarto Kalendas Aprilis*

752. XCIII. STEPHANVS III. *dictus II. iunior Romanus Constantini filius, vir singularis prudentiæ, atque summæ constantiæ, qui ad Pipinum in Franciam pergens suas ei calamitates exposuit, quomodo oppugnaretur à Lombardis, nec Constantinus Imperator requisitus ipsi nequaquam subueniret: vnxit ibi Carlomannum & Carolum in Reges sub patre quinto Kalendas Augusti. Vixque ei Francia regresso obsedit Romam strictissime Aistulphus Lombardus: quem Pipinus compulit retrocedere, atque de reddenda præda dare obsides. Moxque reparatis templis Stephanus moritur sexto Kalendas Maij: cum sedisset annos quinque, dies viginti quinque, sepultus in Basilica S. Petri. Atque post triginta duos dies succedens*

753. (printed beside the line "quaquam subueniret")

757. XCIV. PAVLVS I. *Romanus Constantini filius, Stephani frater germanus, vir summæ pietatis, solitus de nocte cum paucis familiaribus pauperum languentium ædes visitare, atque ægrotantes consolari & adiuuare eleemosynis, captiuos quoque visitare. Tuebatur quoque viduas atque pupillas fraude causidicorum circumuentos. Moritur vero via Ostiensi in Basilica S. Pauli, quarto Kalendas Iulij, cum sedisset annos decem, & mensem vnum. Sepultusque est apud S. Petrum. Vacauitque sedes annum vnum, mensem vnum, dies septem, ob schisma tetrum ac turbulentum inter Constantinum Ducis Nepesini filium laicum & Philippum Romanum Monachum: quibus abdicatis,*

768. XCV. STEPHANVS III. *Siculus, Olybrij filius, consecratus septimo Idus*

*ius Augusti fuit, vir apprime doctus, qui celebrari fecit Concilium in Basilica Lateranensi ad reformandum mores Cleri. Cumque præfuisset Ecclesiæ annis tribus, mensibus quinque, diebus viginti-septem; moritur, atque sepelitur in Basilica S. Petri. Et post dies nouem succedens* ANNI CHRISTI.

XCVI. ADRIANVS I. *Romanus de regione via lata, prope S. Maria Theodori filius optimum se præstitit Pontificem. Sub eo fuit celebratum septimum generale Concilium, dictum secundum Nicanum à trecentis & quinquaginta Episcopis. Cui præsidebant* Tarasius E*piscopus Constantinopolitanus*, Petrus *Romanus Archipresbyter, & alter* Petrus *Monachus presbyter Legati Pontificis Adriani.* Apollinarius *Alexandrinus*, Theodoritus *Antiochenus*, & Elias *Hierosolymitanus Episcopi. Approbatus ibi* CHRISTI *Sanctorumq; eius imaginum in Ecclesiis vsus ex diuinorum oraculorum testimonijs atque sanctorum Patrum traditionibus. Damnatique fuerunt Iconoclastæ. Subscripserunt quoque Concilij Decretu Constantinus Imperator, eiusque mater Irene. Approbauit & illud Adrianus.* 772.

## TVRCIA.

MAHOMET, qui & Muhamed dicitur, Tyrannidem nunc sumpsit apud Arabas, primumque certamen inijt prope Mechã decimo tertio die, mensis Ramadan, feria sexta. Ab hoc initio, statuunt Sarraceni annos Alhigeræ, id est, primæ eius expeditionis secundum Ioannem Lucidum. Vtuntur annis duodecim Lunationum, qui constant trecentis & quinquaginta quatuor diebus, quibus anno quarto quoq; addunt diem. Sicque triginta tres anni Sarracenorum æquantur triginta duobus nostratium Romanorum Hocque ordine numerantur menses. 621.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1. *Almubaran* habet dies | 30. | 7. *Rage* | 30. |
| 2 *Saphar* | 29. | 8. *Sahaben* | 29. |
| 3. *Rabe* primus | 30. | 9. *Ramadan* | 30. |
| 4 *Rabe* secundus | 29. | 10. *Sauel.* | 29. |
| 5. *Gemedi* primus | 30. | 11. *Dulchida* | 30. |
| 6. *Gemedi* secundus | 29. | 12. *Dulcheya* | 29. |

Porro hic Pseudopropheta Saracenis sidus Veneris venerantibus, quod Chamar vocabãt, & se esse ab Ismahele filio Abrahę ex Agar ancilla oriundos asserentibus legem conscripsit à Iudæis, Arrianis ac Nestorianis, præsertim Sergio monacho varias edoctus hæreses. Quasita permiscuit, vt noua religionis inde forma exorta esse videatur. Quam sibi cælitus traditã fuisse affirmabat Arabice eleganti ac puro stilo in Methath villa anno sexcentesimo vicesimoquarto conscriptam, libroque nomen inditum *Alcoranum*: vt sic religionis obtentu omnes haberet dicto audientes. Caput vero doctrinæ illius erat: Deum primo misisse humano generi Moysen, hinc Iesum *Christum* ex Maria

Moysis

ANNI CHRISTI.

Moysis ac Aaronis sorore natum instructos facultate prodigiorum, homines illis se non præbuisse obsequentes. Statuisse Mahometem mittere sine miraculis armatum: vt quos non mouissent miracula, cogerent arma. Se esse postremum nuntium, nec futurum postea alium, prædictum à *Christo* in Euãgelio; prçnunciatum luce admirabili: quæ ab Eua per successionem generis in omnes mulieres transierit vsque ad matrem ipsius. Itaque statuendo rapinarum impunitatem, atq; gulam & luxuriam summum bonum; facile pertraxit ad se humanæ nequitiæ latrociniis ac bellis deditos. Porro gens non à Sara vxore (vt nostri putãt) Abrahæ: sed quod Agar à Domina expulsa in solitudine ad Angelum dixerat; *Sara me cenin*, id est, vacuam me dimisit, dicti Saraceni. Exercuit vero inter eos imperium *Mahomet* annis decem: natusq; annos sexaginta tres moriens ac sepultus Mechæ, reliquit duos discipulos Haly & Homar, qui cum diuersimode interpretarentur Alcoranum, duas pepererunt sectas, sibi inuicem infestas. Quamquam Legislator Mahomed capitale esse voluerat, quidquam de sua lege reuocare in dubitationem, aut de ea differere vel disputare.

Mortuo Mahomed successit illi *Eubokara* Abdalla secundus Saracenorum Amiras, qui regnauit annis duobus, mensibus sex.

Huic successit *Vmarus*, qui cum regnaret annis decem, mensibus sex, die vno minus: censum facit per omnes suas prouincias, anno trigesimo Heraclidi.

## HISPANIA.

*Isidorus in Etymol. & Ado Viennensis.*

Gothi nouum Regem creant *Sisibutum*, qui Catholicam religionem mira pietate prosecutus est. Iudæosque Christum agnoscere coegit, aut regno cedere. Sub eo celebratum est Concilium Hispalense secundum. Traiiciens in Aphricam, complures gẽtes in potestatem redegit, dum regnat annis nouem, mensibus septem. Et post eum *Reccaredus* secundus sesquianno. Post quem *Chintilanus* regni sui anno primo celebrari fecit Concilium Toletanum quintum, & secundo anno sextum præsidente Eugenio Archiepiscopo Toletano. Hic cum regnasset decem annis Rachimirum filium in regni consortium accepit. Qui patrem morientem mox secutus est.

*Recesuindus* in fratris locum suffectus fuit, excluso fratre, qui ætate præstabat. Fuit autem Recesuindus Catholicæ fidei cultor, sacrarumque litterarum studiosus, vt testatur Isidorus Pacensis.

674. *Bamba* Rex sedata seditione Hispaniæ Toletum muro, turribu

*Vide Ambr. Moralem in Chronicis Hisp. & Vasæum, & Ant. August. Dial. 8. Antiquitatum*

bus atque ædificiis exornauit : Hos vero versus in turri quadam marmori incidit:

*Erexit fautore Deo rex inclytus vrbem*

BAMBA. *sua celebrem prætendens gentis honorem.*

Etenim Mauros classe viginti septem nauium Hispaniæ litora ingressos abegit: ingenti prœlio eos fundens atq; classem incendens. Cum vero hausto veneno ab ægritudine conualuisset, post annum nouum regni factus est monachus, in quo vitæ genere post septem annos extremum vitæ diem clausit. Pulso itaq; Theofredo Recisuindi filio Eruigius non Eringius quem Bambæ venenum propinasse fama erat, regnum occupauit, quod administrans septem annis mortuus est, relinquens illud genero suo *Egyga*, non vt vulgo, *Egypha*. *Synod. Tolet. 12. cap. 1.*

## GALLIA.

*Pipinus* Austrasiæ Dux constituitur: vt Dagobertum à patre Ducem superioris Austrasiæ, quæ Rheno, Mosellæ ac Mosæ includitur, declaratum gubernaret. Hæc nunc magna ex parte Lotharingiæ, illa Brabantiæ nomine censetur.

*Dagobertus* Lothario patri succedens regnauit annis quatuordecim: ac fratri *Heriberto* cessit Aquitaniam.

*Clodoueus II.* mortuo patre Dagoberto Kalendis Februarii regnare cœpit.

## ANGLIA.

*Edelbertus* Rex debellauit Scotos fere ad internecionē gentis. Cumq; obiisset quarto Kalendas Martii, successit ei in regno *Radualdus*: illique post annum mortuo *Eduinus*, sub quo Laurentius Episcopus claret Cantuarię. Hic *Eduinus* à Paulino Episcopo baptizatus toti Angliæ imperauit. *Beda hist. lib. 2. c. 14.* 627.

*Sigibertus* Anglorum Orientalium Rex, nunc vniuersitatem Cantabriensem condidisse narratur. 630.

*Eduinus* Rex Northumbrorum Anglorum à Paulino Eboracensi Episcopo Christianus factus, templum S. Petro Apostolo Eboraci exstruxit. *Beda lib. 3. cap. 3. Polyd. Virg. lib. 4. Ang.*

## ÆGYPTVS.

Ægyptus subigitur à Saracenis.

## GERMANIA.

Dagobertus secundus Rex Francorum bellum suscepit contra Sigardum Principem Saxonum, tam atrociter, vt vastando omnem regionem, omnem masculum gladio suo longiorem interfecerit. Fuit Sigardo coniux Milanda filia Ducis Venedorum,

ANNI CHRISTI. quæ ei peperit Ditericum, cui nupsit Dobra filia Ducis Obet torum.

Dagobertus secundus etiam castrum Vltraiectense fertur ædificasse: quod ibi merces ex mari per Rhenum vectæ traiic bantur, teloniumque persoluebant.

# ITALIA.

*Saraceni Olympium Italiæ Exarchum cum toto exercitu fu runt. Irruperunt iterum Saraceni in Siciliam, atque captis Syrac omniq; insula deuastata, cum ingenti præda reuersi sunt Alexand*

*Saraceni expugnarunt Rhodum, & cum ingenti præda potiren Colossum aneum centum viginti pedum vendiderunt Iudæis, qu are nongentos camelos onerasse referuntur.*

# GRÆCIA.

656. Ægæum mare à Sarracenis piratis valde infestatur: Cycla busq; insulis maxima inferuntur damna.

# ECCLESIA.

S. Paulus miraculorum gloria illustris ordinatur decimus tius Episcopus Viroduni in Gallia.

631. Kalendis Octobris S. Bauo Austrasiorum Ducum heres p triennem moram in cella moritur Gaudaui: ibique à S. Amar fuit sepultus.

638. Sarraceni post breuialem obsidionem capiunt Hieroso mam atque deuastant.

640. Iidem vniuersam Syriam clade afficiunt, atque deficiunt Imperatore Romano,

641. Antiochia à Sarracenis euertitur: Damascus capitur at Phœnicia oppugnatur.

Maximam partem Africæ Sarraceni suo adiecerunt im rio.

692. Hac tempestate soluens ex Anglia WILLEBRORDVS Anglo xo presbyter duodecim sociis comitatus ad Rheni ostium nenum appulisse traditur, locumque ab augustiore ore E *mundam* dictum, alludendo ad etymologiam nominis, *munda* vt deinceps Euangelii verbo annuntiato diceretur, fo præcepit. Porro hocce olim Rheni ostium genti Caninefat nomen indidisse vero non dissimile apparet. Diuidebat enim lam à Frisiis minoribus: sicuti Rhenus à Batauis. Eratq; ins illa Caninefatum, cuius Plinius etiam meminit. Cũ vero huc pulsi sacrati viri ob aquã turbidam ac bitumine infectam siti borarent; puteum ibi Willibrordus effodi curasse limpidissi fama est, qui etiamnum loco excelso ad fanũ Saluris ostendi Cum

Cumque exaudiret Ratbodum minorum Frisiorum Principẽ vsque auersari religionem Christianám, vt etiam baptizãdus a Vulfranno Senensi Antistite, retraxerit pedem de fonte dicens; se malle cum multis & maioribus suis esse; quam cum paucis nouis hominibus (inter catechisandum enim dixerat Episcopus; multos esse vocatos, sed paucos electos, aliaque ad nouum hominem per baptismũ spectantia) ad Pipinum Herstallum Austrasię inferioris vltra Mosam, nempe Brabantiæ Principem profectus, enarrata peregrinationis suæ caussa, Romam ab illo transmittitur. Vbi perspecta eius fide, modestia ac doctrina Sergius Pontifex eum indito Clemẽtis nomine consecrauit in Episcopũ diæceleos illius, quæ Bataviæ Regibus solida erat subesse olim, in templo S. Cecilię decimo Kalendas Decẽbris anno sexcẽtesimo nonagesimo quinto feria secunda: concessoq; pallio Archiepiscopum Vltraiectensem titulo eum vocandum esse declarauit. Igitur reuersus Roma ad Pipinum, ab ipso Wiltiburgum castrũ in domum, ac cathedræ Episcopalis locum reædificato in propinquo templo S quondam Thomæ Didymi accepit, quod felici omine Dominicum S. Martini appellauit: vt viri militaris exẽplo efferæ gentes ad obedientiam fidei excitarentur, receptæq; semel credulitati, firmiter, vt ille, inhærerent. Ex duodecim eius comitibus ad præscriptam à D. Aurelio Augustino regulam Canonice viuentibus in monasterio Vetusto Werenfredum in Frisios minores misit: vbi ab eius prædio tribus millibus passuum ædes sacra ex Topho tunc constructa etiamnum exstare cernitur ad triuium; quo commode illuc Frisii confluere ad audiendum Verbum Dei atque Christiana sacra possent, loco Westrucnda nomen Missus in Ausuarios & Tubantes *Lebuinus* atque *Marcellinus*, Dauonis (à quo Dauentriam dictam volunt) ope adiuti, illos Francosque Salios ad fidem *Christi* conuerterunt. Prædicauit fidem quoque *Christi Adalbertus* Deicorum in Anglia Regis filius Caninefatibus, & *Suintbertus* Batauoduris atq; Vahalis accolis. Duo *Euualdi* apud antiquos Saxones: Westphalos postmodum dictos, ob *Christum* prædicatum comprehensi atq; occisi, quinto Nonas Octobris fuerunt.

Cęterũ cum ipsi pro negociis Diæceseos sępius esset conueniendus Pipinus sexcentesimo nonagesimo nono. Heptinacriæ decem passuũ milibus à Treueris monasterium exstruxit (nunc vna ex quatuor abbatiis Imperii est) cuius successu mire delectabatur: quando ibidẽ cum esset, inter monachos ageret cœnobiarchã, frugalitateq; monastica contentus homilias doctissimas conscriberet, atq; peregrinationum suarum commentaria efformaret. Hinc ergo alacrior Vltraiectũ rediẽs, summa pietate Episcopatum gubernabat. Cumq; Wilibaldus prædicaret Euã-

ANNI CHRISTI.

gelium Frisiabonibus; ipse in Walachriam profectus Frisiab
num quondam insulam, gentem Mercurii cultui deditam co
dura suaui *Christi* iugo subdere persuasit. Scripsit Heptinac
Antonius Houæus Caninefas Abbas illius monasterii poeta
Theologus: illic religiose seruari lagenam, quam eius ergo V
singa opidum pro signo sumpsit. Nam cum vir Dei, ait, illic v
bum Domini seminaret, ac lagunculam suam, quam vino ple
circumferebat, seposuisset; accidit vt eam quispiam exhauri
Quo post concionem comperto admiratus improbitatem,
*rito*, inquit, *hi in posterum Vlessingenses appellabuntur, qui lage*
*meam tam inhumaniter epotarunt*; allusione nominis festiue
dens. Cum itaq; quadraginta annis præfuisset Heptinacri
monasterio, & Episcopatui quadraginta quatuor, mortuu
plenus dierum septimo Idus Nouembris anno 739. atq; sepu
Heptinacriæ: vbi successorem habuit *Albertum*, & in Episc
tu Werenfredum nominatum *Bonifacinm* à Gregorio secu
Pontifice Romano: cum ad eum missus fuerat à Willibrord

Cæterum cum diœceses Pontificum, in quas administra
officii sui liberam habent potestatem, nobis multis certissim
indiciis repræsentent antiquitatem administrationum ac iu
dictionum quarumcunq; regionum; operæ pretium me fac
Bataniæ origo arbitror, si in gratiam venerandæ vetustatis studiosorum o
dero, quousq; se olim Bataniæ regnum extenderit, quot P
pibus Rex imperauerit viris, quotq; populos sibi subiectos
buerit; quæ denique gentis origo. Principio igitur constat
maniæ populos vetustos ab animalibus plerosque sibi non
sumpsisse. Sic à Marcis, quos equos illis significare Pausania
statur, dicti fuere Marcomanni: à pullis equorum Ostpho
Westpholi Saxones: à gallis gallinaceis Dani & Alani: à fel
Hessi, quos Romani Cattos nominarunt. Horum pars sedit
domestica pulsa extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ne
tractum Neomagensem, Huesdensem, Fani S. Gertrudis, S
montium, terræq; quatuor Officiorum, Wasensis: simul q
insulam occupauere inter vada sitam; quā mare Oceanum a
te, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Batauæ in
nomen vel à Bato duce, vel, vt volunt alii, ob portus quæstu
Tacitus de Germania. & appulsu cōmodos inditum. Hos inter Cattos Mattiaci
sedibus expulsi insulas Africum versus habitandas sibi sum
runt: vbi terræ suæ solo ac cælo acrius animarentur: Sicuti p
Aquilonē versus Caninefates, medii inter Batauos & Frisios
Suet. in Caligula. nores. His omnibus videtur imperasse Rex *Bellinus*, cum C
gula expeditionis Germanicæ impetum cœpit. Fuerunt in B
Tacit. 18. uis regia stirpe orti *Iulius Paulus*, & *Claudius Ciuilis*: quorū
Burgrauium Lugdunensem, à quo Wassenarii heroes descer

...fuisse, non omnino vana opinio est: illum Fonteius Capito falso rebellionis crimine interfecerat. Erat & *Brennio* in Canenefatib. claritate nataliũ insigni: qua ex stirpe Engmondanos Heroes, seu aduocatores aut Grauios prouenisse non dubiũ est.

Porro Francorum multa millia inuaserant Batauiam, aliasq; cis Rhenũ terras: sed Constantius Chlorus Cæsar purgauit Batauiam aduena hoste depulso: & Constantinus eius filius affecit vltimis cruciatib. ipsos Franciæ Reges, quod ob absentiã patris pacem violauerant Frisii quos, Olemii auara tributi exactio ad se in libertatem vindicandos incitauerat, clarum iam nomen adepti adiunctis sibi Viltis Batauiam inuasere. At Pipinus Herestallus Carolusq; Marcellus eius filius depulsos inde mox eos quoq; subegerunt. Vnde ab Amasi flumine omnis Frisia, Transisulana ditio & quicquid Rheni cornibus includitur vna cum Gallica ora vltra citraq; Schaldim, quæ Batauorum Frisiaborumq; atq; Mattiacorum iussis parebat, Diœcesi Vltraiectinæ Ecclesiæ fuerunt assignata. Sicque iurisdictio Episcopi Vltraiectensis longe lateq; quam maxime extendebatur.

Cæterũ vtebatur tunc temporis Anglia lingua Saxonica, quæ etiã Batauis, Francis Belgisq; erat communis: sicuti Celtica eadem fuerat, qua etiamnũ vtuntur Heluetii, antequã loquerentur Galli Latine. Nec.n. aliter potuissent Angli absq; prodigio tam longe lateq; Euangelium prædicare; quod si accidisset, iam literis mandatum fuisset, præsertim cum illius ætatis scriptores miraculis conscribendis omnino erant intenti. Est sane lingua Saxonica hæc multo antiquissima, & ab vltimo recessu sinus Venedici vsq; ad Sequanam amnem olim longe lateq; per Ingæuones maris accolas vsitata. Habet, vt Græca, varios dialectos, abundat verborum copia, figuris, metaphoris & præcipue venustissimis adagiis. Quod si fuisset culta à maioribus; non alia esset ea ad mentis conceptus iudicandum cõmodior. Cæterum circumferebant Saxones leonem in suis numismatibus antiquitus: & Franci postmodũ occupata Gallia cuderunt nummos aureos è natiuo Galliarum metallo, quibus Principis sui imago fuerat impressa. Hos scutatos apparet fuisse valoris II. solidorũ, quales tũ Iustinianus cudit dictos tremisses (tremissis vero in iure solidus dictus septẽ erat Vlyssorum) vsus enim & valor Francicorum nũmorum quatuordecim Vlyssorum etiamnũ permansit in Ecclesia Vltraiectensi sub nomine antiquorum scutorum. Ratio v. numismatum Francicorũ & notæ, formæ & æstimatio sic ad huius sæculi monetam reduci potest: Libra Ecclesiastica antiquitus erat centum & sexaginta octo grossorum Flandricorum: Eius dimidiũ erat Scutum antiquum: Triens Florenus aureus Rhenensis, quadrans Scutũ Philippeũ, qualia & cuderunt separatim *Procopius g.*

ANNI CHRISTI.

ciuitates TransIſulanæ. Libra Cæſarea, erat centum & duo
cim groſſorum Flandricorum. Eius dimidium erat Florenus
reus Rhenenſis: Triens Scutum Philippicum, quadrans ſe
aureus Rhenenſis. Scutum in antiquis erat octoginta qua
groſſorum Flandricorum quorum nota ▽ Aurei Rhene
ſunt ab Epiſcopo & Trans Iſulanis varii cuſi quinquaginta
groſſorum Flandricorum, quorum nota □ vel Flor. Scuta c
draginta-duorum groſſorum, quorum nota ▽ dicta olim T
miſſes ac ſolidi. Sextans ſemiaureus Rhenenſis, Decunx dic
ma. Vncia Turonus ciuis. Sextans ſemiaureus Rhenus & V
Turonus ciuis, qui & octaua pars erat.

Fuit vero Diœceſis hæc

*Quondam diues opum ſtudiisque aſperrima belli,*
*Quippe hominum pecudumq́; ferax: quæq; vbere gleba*
*Spiciferam Cererem multo cum fœnore reddit.*
*Paſcua florigeris extendens pinguia pratis,*
*Ingenteſque lacus, varias vaſtaſq́; paludes,*
*Et fluuios varios, ſapido qui piſce redundant.*
*Oceani atque æſtus excludens collibus altis;*
*Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris*
*Paſſim ibi & ignem tellus glebaq; miniſtrant.*

# SERIES EPISCOPORV[M] VLTRAIECTEN-SIVM.

| | | Annis | An. Ch |
|---|---|---|---|
| 1. | *Willibrordus Clemens Anglus* | 40. | |
| 2. | *Werenfredus Bonifacius Anglus* | 16. | |
| 3. | *Gregorius Germanus* | 32. | |
| 4. | *Albericus Angloſaxo* | 10. | |
| 5. | *Theodardus Friſius* | 6. | |
| 6. | *Hermacarus Friſius* | 27. | |
| 7. | *Riroſridus Friſius* | 9. | |
| 8. | *Fridericus Friſius* | 2. | |
| 9. | *Albericus ſecundus Friſius* | 7. | |
| 10. | *Ludgerus Friſius* | 11. | |
| 11. | *Hungerus Friſius* | 10. | |
| 12. | *Odibaldus Friſius* | 34. | |
| 13. | *Egiboldus Friſius* | 1. | |

14.

ANNI CHRISTI.

| | | Annis | An. Christi. |
|---|---|---|---|
| 14. | *Ratbodus Frisius* | 16. | 901. |
| 15. | *Baldericus Cliuensis* | 60. | 917. |
| 16. | *Volcmarus Frisius* | 13. | 977. |
| 17. | *Balduinus Hollandus* | 4. | 990. |
| 18. | *Anfridus Hoei & Teysterbandiæ Comes* | 14. | 994. |
| 19. | *Adelboldus Frisius* | 19. | 1007. |
| 20. | *Bernulphus Osterbecanus* | 27. | 1027. |
| 21. | *Guilielmus Geldrius* | 21. | 1054. |
| 22. | *Cunrardus Suauus* | 24. | 1075. |
| 23. | *Burchardus* | 13. | 1099. |
| 24. | *Godebaldus Frisius* | 16. | 1112. |
| 25. | *Andreas Kuyckius* | 10. | 1128. |
| 26. | *Herebertus Beronus Frisius* | 12. | 1138. |
| 27. | *Hermanuus Hornanus* | 6. | 1150. |
| 28. | *Godefridus Rhenensis* | 22. | 1156. |
| 29. | *Balduinus secundus Hollandus* | 18. | 1178. |
| 30. | *Arnoldus Isenburgius &* | | |
| 31. | *Theodoricus Hollandus cum lites suas, quas inuicem intenderant, ille Romæ, hic Patauii obierunt supremum diem.* | 2. | 1196. |
| 32. | *Theodoricus secundus ab Are* | 12. | 1198. |
| 33. | *Otho primus Gelrius* | 3. | 1210. |
| 34. | *Otho à Lippa secundus* | 14. | 1213. |
| 35. | *Vilibrandus Oldenburgius* | 6. | 1227. |
| 36. | *Otho III. Hollandus* | 16. | 1233. |
| 37. | *Gosuinus ab Amstela* | 2. | 1245. |
| 38. | *Henricus Vianensis* | 16. | 1251. |
| 39. | *Ioannes Nassouius* | 20. | 1267. |
| 40. | *Ioannes secundus Ziricius* | 9. | 1287. |
| 41. | *Guilielmus Mechliniensis* | 5. | 1296. |
| 42. | *Guido Auenensis* | 16. | 1301. |
| 43. | *Fridericus secundus Ziericius* | 5. | 1317. |
| 44. | *Iacobus Oosthornius* | 1. | 1322. |
| 45. | *Ioannes tertius Diestensis* | 18. | 1323. |
| 46. | *Nicolaus de Caputiis* | 1. | 1341. |
| 47. | *Ioannes quartus ab Arckel* | 22. | 1342. |
| 48. | *Ioannes V. à Vernenburgo* | 7. | 1364. |
| 49. | *Arnoldus secundus Hornius* | 7. | 1371. |
| 50. | *Florentius à Vuenelichouen* | 15. | 1378. |
| 51. | *Fredericus III. à Blanckenhem* | 30. | 1 93. |
| 52. | *Suederus Culenburgius* | 7. | 1423. |
| 53. | *Rudolphus à Diepholt.* | 25. | 1430. |
| 54. | *Gubertus Brederodius.* | 1. | 1455. |

| Anni Christi. | | Annis | Anno Ghrif |
|---|---|---|---|
| 55 | *David Burgundus* | 40. | 1456. |
| 56. | *Fredericus quartus Badensis* | 20. | 1496. |
| 57. | *Philippus Burgundus* | 8. | 1516. |
| 58. | *Henricus secundus Bauarus* | 5. | 1524. |
| 59. | *Guilielmus III Encverdius* | 4. | 1529. |
| 60. | *Georgius ab Engmonda* | 26. | 1533. |
| 61. | *Fredericus quintus Schenck à Tautenburch, primus Archiep.* | 21. | 1559. |
| | *Obiit octauo Kalend. Septembris.* | | 1580. |

# ECCLESIA.

Habebat vero Episcopus Vltraiectinus antiquitus suos clie tes, qui sua ipsi præstarent officia, quæ omnia longinquitate potis atque bellorum iniquitate interciderunt: Erat enim D Brabantiæ Dapifer Episcopi: Comes Hollandiæ Marschalcus piscopi. Comes Cliuensis Camerarius Episcopi. Tutor Gel Venator Episcopi. Comes Beuthensis Ianitor. Comes de Cuy pocillator Comes Goerensis signifer Episcopi Comes Zutp niæ pocillator Episcopi, Comes de Renthé Burcgrauius Mo fortius. Burcgrauius Groeningensis, Castellanus Coeuoerdē Dominus Gulēburgensis, Dominus de Lecca, Dominus Ar lanus, Dominus Vianensis, Dominus Amstellanus, Domi Vuordenus, Dominus Iselstinus, Dominus Abcondanus, D minus Vorstius, Dominus de Aenholt, Dominus de Zul Dominus de Waterlant, Dominus de Amen.

Quod Comes Flandriæ annumeratur Vasallis Episcopi, ratione terræ Wasensis.

Fuere & in hac Ecclesia aliquando ob Episcoporū Electio turbæ & lites, quæ non aliunde (vt arbitratur Diuus Chrys.) scuntur quā quod Episcopi & Antistites casu potius ac tem quā diligenter ac accurate eligantur. Nam caput quidem val tissimū esse oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reli corporis parte sursum ascendentes dispensare, & eas rite at ordine componere possit. Cum enim per se caput infirmum ac fumorum illos morbificos insultus repellere non possit: fit vt ipsum etiam infirmius indies reddatur, tum autem quum corpus secum perdat.

*D. Chrysost. 3. de Sacerd.*

724. *Bonifacius*, dictus ante *VVerenfridus* Gregorio secundo c secratus, in Thuringiam profectus, monasteriū Fuldense ex curauit: vnde prodiere viri doctissimi. Laborauit vero multū stirpandis hæresibus dum Ecclesiis Moguntinæ, ac deinde tuo *VVillibrordo* Vltraiectinæ Episcopus fuisset ordinatus. C scripsit aliquot Diuorū vitas, Epistolas, librum quoque co hæreses. Lullum constituit Episcopum Maguntinum, & S

rum Abbatem Fuldensem. Ædificauit vero Vltraiecti vetus monasterium Saluatori CHRISTO dedicatum. Instituit etiam Episcopatum Erphordiæ. Diuisit quoque Boianam in quatuor dioeceses assentiente Duce Otilione. Interrogatus aliquando: *An liceat vti ligneis calicibus inter sacrificandum*; respondebat, *olim aureos sacerdotes ligneis poculis sacrificasse, & nunc vice versa ligneis sacerdotes aureis vti.* Cum vero Frisii sub religione Christiana Idolorum cultui seruiebant, quo eos ab errore auerteret; illuc profectus ab Idololatris nonis Iunii Dacomi cum Eobano Episcopo, & quinquaginta suis comitibus gladio peremptus est, atq; in Thuringiã deportatus Fuldæ sepultus fuit, relinquẽs sibi successorem in Episcopatu Vltraiectensi Gregorio Alemano.

ANNI CHRISTI.

Ecclesia Fuldensis nunc commemoratur ædificari cœpisse. 755.

Per hæc tempora *Beda* Anglosaxo moritur, *Venerabilis* elogio decoratus. Græcis Latinisque litteris eruditus, Mathematicis, Philosophicis, atq; sacris insuper disciplinis, instructus. D. Aurelii Augustini præcipue scripta in compendium redigere solitus. Ex eius schola doctissimi quiq; eius ætatis viri prodierunt. Cum Britanniæ iam non tantum Barbaricis paterent incursionibus Eius sepulcro hocce Epitaphium fuerat inscriptum:

*Presbyter hic Beda requiescit carne sepultus*
*Dona* Christe *animam in cælis gaudere per æuum,*
*Daque Sophiæ illum debriari fonte: cui iam*
*Suspirauit ouans intento semper amore.*

Puerum septennem in monasterium venisse ferunt, & vixisse nonaginta quatuor annos.

### *Monarchia Romanorum.*

HERACLIVS Imp. cum regnasset annos 30. menses decem ex hydrope mortuus, vt auctor est Cedrenus, post quẽ regnauit filius eius *Constantinus*, menses quatuor; dolis nouercæ Martinæ è medio sublatus, vt filium suum Heraclonam in regno cõstitueret. Heraclonas vero cum matre imperium suscipiens, vix sex completis imperii mensibus conspiratione senatus cũ Martina in exsulum pulsus est, præcisa matri lingua, ac filio naso absciſſo. 641.

Heraclonæ imperiũ excepit *Constans*, qui & *Constantinus* III. filius Constãtini iunioris suffragiis Senatus Imperator electus. Regnauit annis 27. & à ministris suis in balneis interfect⁹ est, anno Domini 669. cum mollem & libidinosam vitam traduxisset, multosq; rectæ fidei homines, q opinioni suæ de vnica in Christo voluntate assentire renuerant, interemisset. Patri in imperio successit *Constãtinus Barbatus*, qui paternã vlturus cædem bellũ Sarracenis, Gratis ac Thracibus intulit, rẽque terra ac mari feliciter gessit, vt & cum Bulgaris ac Scythis: cumq; XVII. regnasset annos, imperiũ *Iustiniano* iuniori filio sexdecim nato annos tradidit,

ANNI CHRISTI. didit, qui vltimus stirpis Heraclianæ à *Philippo* successore reg- pulsus est, cum regnasset annos decem.

715. *Cedrenus & Zonaras.* *Philippicus* Imp. ab Arthemio oculis capitur, regnoq; expe- tur, cum regnasset annum vnum & dimidium. Hic imperio p- titus Sextę Synodi decreta infirmare conatus est, altera Syno- conuocata, gratificari volens monacho cuidam, qui de impe- adipiscendo ipsi augurium fecerat. Sanxit etiam vt Sanctoru- imagines & statuæ è templis raperentur.

716. Huic successit *Anastasius Arthemius* Orthodoxæ fidei acer- mus propugnator. Regnauit annum vnum menses tres. Hu- imperium excepit *Theodosius Adramittenus*, quem Classiarij q- dam, qui Anastasium Imperatorem oderant, Imperatorem e-

717. gerunt. Hic Sanctorum imagines à Philippico è templis ab- tas, rursum restituit: quumq; audisset *Leonem Isauricum* ab ex- citu salutatum esse Imperatorem, imperio sese abdicauit, & M- nasticam est amplexus disciplinam. Fuit vero Leo ignobilis a- modum, & summa in Deum & Sanctos eius impietate, adeo- *Iconomachus* & *Theomachus* sit dictus: ac dignum vita exitum- sortitus, nam Dysenterio fluxu misere animam efflauit.

741. *Leoni Isaurico* Imp. mortuo succedit filius Constantinus C- pronymus, qui patris crudelitatem & εἰκονομαχίαν egregie no- *P. Diaconus. Zonaras.* litauit. Christianos enim crudeliter persecutus est, & in vi- sanctissimos grassatus. Tandem correptus morbo elephan-

775. *Sigebertus in Chronico.* exstinctus est, cum regnasset annos 34.

*Leo* IIII. filius Constantini Copronymi, qui cum insaniret - piditate circa pretiosos lapides, adamauit mageæ Ecclesiæ - ronam, qua ablata, carbunculi è capite exierunt, & febri cor- ptus, mortuus est, cum regnasset annos quinque.

803. CONSTANTINVS VI. Leonis filius, decem natus annos, c- matre FLAVIA HEIRENE Imperium auspicatur. Qui post à ma- oculis captus regno priuatus est, & sola ipsa regnauit: ac t- dem in exsulium & illa pulsa in insula Lesbo extincta est.

## GERMANIA.

714. *Carolus Martellus* Pipini Herstalli ex Alpaide concubina fil- succedens patri in Austrasiæ minoris principatu, Præfectus a- læ fuit Regum Franciæ, qui rogatus vt ipse regnum susciper- renuit dicens: *Gloriosius esse Regibus imperare, quam esse Regem.*

729. Archiepiscoparus Wormatia Vangiorum ciuitate Magu- ciam translatus est, ita tamen vt ibi Episcopatus manserit an- quitate cum reliquis Germaniæ certans.

Herbipolensi Episcopatui adiungitur Ducatus Orienta- Franciæ: sicque Episcopus Wirtenburgensis etiam Dux Fran- scribitur.

In antiqua Saxonia, vbi nulla *Christi* erat cognitio, si mulier adulterium commisisset, aut virgo foret stuprata, strangulatam cremabant, & adulterum super fossam sepulturæ suspendebant: aut castæ matronæ flagellatum, pungendo cultellis interimebant. Windi quoque genus hominum fœdissimum, pro more habebant, vt mulier se in rogum defuncti mariti præcipitaret simul arsura. ANNI CHRISTI. *Bonif. Epist. ad Ethebald.*

Circa hoc tempus Imperium Occidentis ad Germanos est translatum, & primus CAROLVS MAGNVS Romæ à Leone III. consecratus est & faustis populi acclamationibus Imperator Romanus salutatus. 800.

*Carolum Magnum* Aquisgranum circa hoc tempus condidisse testantur hi versus inscripti domui Ciuicæ:

*Carolus insignem reddens hanc condidit vrbem*
*Quam libertauit post Romam constituendo*
*Quod sit trans Alpes hic semper Regia sedes.*
*Vt caput vrbs cuncta colat hanc & Gallia tota,*
*Gaudet Aquisgranum præ cunctis munere clarum*
*Quæ primo Imperij Reges nunc laureat almi.*

Erat vero *Carolus* valde eruditus, si sæculum spectes: delectabaturque potissimum legendis libris S. Augustini de Ciuitate Dei. Fuerat ei præceptor *Albinus* siue *Alcuinus Flaccus* Eboracensis insignis Theologus, vt eius, quæ exstant, litterarũ monumenta, declarant. Huius cõsilio Parisiensem ac Ticinensem refertur instituisse vniuersitates. Deuictis Lombardis *Paulũ* Aquileiensem Ecclesiæ *Diaconum* secũ in Galliam traduxit, atque ob eruditionem in precio habuit: qui iussu eius historias & lectiones singulis festiuitatibus anni cõuenientes ac hymnos aliquot digessit ac scripsit. Exstant etiãnũ & Pauli sex libri historiæ Lombardicæ, & octo libri Historiæ Romanæ additi Eutropio. Cum vero vellet *Carolus* vt omnes suæ ditiones Ecclesiæ ritu sacrorũ vterentur Romano: *Thomas Crassus* Mediolani Episcopus cum *Eugenio* Episcopo ritus suæ Ecclesiæ apud eum egregie defendit: qui eum quoque vt Italiæ Regem ferrea corona coronauit Mediolani; quod instituerat Eudericus Ruthenorum Rex significãs armis ac ferro Italiæ regnum comparari. Habuit & vt amicũ sibi Petrum Crassum *Oldradum* Adriani Pontificis Secretarium, qui vulgo, cum Mediolani etiã crearetur Episcopus, malleus hæreticorũ dicebatur. Florebant sub eo *Eginardus*, & *Turpinus* Remẽsis Episcopus, qui res eius gestas descripserũt. *Vsuardus* quoq; monachus ac Presbyter, qui Martyrologiũ suum ei dedicauit. *Claudius* deniq; *Clemens* natione Scotus, qui in oẽs Sacræ scripturæ libros cõmentatus est. Porro commentariis proditum est illum, vt linguæ vernaculæ Francorum Orientalium erat erudi- 791.

ANNI CHRISTI.

tissimus, mensibus anni nomina pro ratione temporis multum aptissima indidisse: similiter diebus hebdomadis; nec non officiis Palatinis. Præterea etiam Gallorum Rempublicam, optimatum Magistratu, qui Pares ipsis dicuntur, decorasse; atque reliquos regni ordines adeo commodis & æquis rationibus inter se deuinxisse, vt vix vllum inter ipsos magnum dissidium posset exoriri. Cum tribus quasi frænis Regum apud Gallos summa temperetur potestas: nempe Religione, Iurisdictione atq; Politia. Vtque hæc ostendam aperte vetustam Francorum linguam callentibus; nouerint ii primum anni mensem

♑ 1. *Lau* à tepore desidiaque dici.

♒ 2. *Sprockele* à colligendis vitium sarmentis.

♓ 3. *Meerte* à procreando.

♈ 4. *Oprel* à clino, quod tum sol ascèndat superius.

♉ 5. *Maye* à recreando, vnde venit verbum *Vermeyen.*

♊ 6. *Braeck* à noualibus nouæ sementi proscindendis.

♋ 7. *Hoy* à fœno colligendo.

♌ 8. *Oust* à messe metenda.

♍ 9. *Spelt* vel *Gerst* ab autumno quando far hordeumq; terræ committuntur.

♎ 10. *Wijn* à vindemia facienda.

♏ 11. *Slach* à mactandis bobus ac porcis.

♐ 12. *Hore* à stabulandis animalibus.

Deinde sciant maiore cura.

☉ *Sondach* & à Sole & à reconciliando se Deo, quasi *Seendach.*

☾ *Maendach* & a Luna & ab exigendo debitum, quod die Solis fas non erat.

♂ *Dingesdach* a litigando.

☿ *Wonnesdach* à lucrando.

♀ *Donderdach* à tonante Ioue.

♃ *Vrijdach* à procari simul, & in libertatem asserendo.

♄ *Saterdach* à Saturno, atque etiam saturitate.

*Sonheer.* Æstas, quasi Dominus Solis.

*Wintheer.* Hyems, quasi ventorum Dominus.

*Lente.* Ver, quasi prolongatio dierum.

*Herst.* Autumnus.

Officiorum Palatinorum nominum deriuationes.

*Voirstije* erat Præfectura limitanea Ducis Imperii, q in prælio

primus præsto erat, *Voirste*, & à fortitudine & animositate appellatus *Hartoih*, cui duodecim comites fere suberant.

*Graffschap* vero Iurisdictionem Germanis significabat: vbi qui leges dictabat ac tabulis æneis inscribebat, delinquentibus que in leges accusando molestus erat, *Graf* dicebatur à *graueren*, quod est æri stilo inscribere, & *grauen*, hoc est, querelis alios molestare, sic dictus. Erant inter *Grauen* varii diuersæ dignitatis, quemadmodum apud Romanos etiam varii erant Comites, vt *Paltzgraef*, nempe Comes Palatii Imperialis: *Lantgraef*, nempe prouinciæ præfectus, *Marcgraef* equitum Præfectus: *Burchgraef* castri præfectus. Accessere minoris ordinis *Dyckgraefen*. *Pluymgrauen*, *Gochgrauen*, quos Germani Imperatores postmodum instituerunt. *Barones* erāt dicti VV.CC. grauitate motū præstantes.

Duodecim vero Pares Franciæ sunt.

*Archiepiscopi ac Duces* { Remensis. Lingonensis. Laudunensis.

*Episcopi ac Comites* { Nouiodunensis. Cabilonensis. Bellouacensis.

*Duces Laici* { Aquitaniæ. Normandiæ. Burgundiæ.

*Comites Laici* { Tholosæ. Flandriæ. Campaniæ.

Cæterum persecutus bellum *Carolus* contra Saxones, quos post annos octo deuicit, deuicto tandem Vitikindo, qui Westphalis præerat cis Albim habitantibus: cum Bruno eius frater regeret Ostfalos Saxones nimirum vltra Albim: & ne motus fierent illis partibus; multa millia eorum transtulit trans Scaldim in Comitatum Alostensem. Ordinauit Osnaburgum in Episcopatum: vtque illic erigeretur schola Græcæ Latinæq; linguæ constituit datis super ea re ad Wibbonem Episcopum creatum litteris Aquisgrano decimo-tertio Kalendas Ianuarii Imperii sui anno quarto, Regni Italiæ trigesimo primo, Franciæ trigesimo-septimo. Wilhaldum primum Bremensem statuit Episcopum & Ausgarium Hamburgensem. Rogatus quoque à Biorno sibi fœdere iuncto Herbertum in Scandiam transmisit, qui primus Ecclesiæ Lincopensis in Ostrogothia Episcopus fundamentum Ecclesiæ fieri ibidem procurauit.

803. *Albertus Crantzius*.

Erat vero *Carolus* propagandæ religioni Barbarisque subigēdis summe intentus. Quoque vbique posset adesse Aquisgrani sedem Imperii constituens insigne templum ibidem exstruxit, forma

ANNI CHRISTI. forma rotunda, marmoreis columnis ac æreis portis: vbi ex more Cæsares inaugurantur.

Cum *Ludgerus* Dux Saxoniæ ducatum suum iure feudali teneret ab Imperio, nec hoc recognoscere curaret, tributumque ex suo ducatu à Cæsare Augusto statutum (quod & à prædecessoribus suis singulis annis Prædecessoribus Caroli Magni fuerat solutum) ipsi Carolo Imperatori exhibere contemneret, modisq; omnibus se sacrosancto Imperio Romano. & Imperatori Carolo per suam superbiam opponeret: & se in præiudicium & grauamen Imperii pro Rege gereret, seque Regem Saxoniæ vocari præciperet: Carolus inuocato Frisonum Orientalium & Occidentalium auxilio, quos viros strenuos, agiles & miræ audaciæ esse intellexerat; quibusq; idem Dux multa inferebat grauamina, quod eos suæ volebat subiicere potestati, ab iis obtinuit, vt intrantes Saxoniam, illum cum exercitu prœlio vicerint, atque vinctum cum dignioribus Saxoniæ Satrapis Imperatori traderent. Ob quam fidelitatem & audaciam Carolus Imperator illis remisit tributum viginti librarum auri, quod à Cæsaris Augusti tempore Imperatori singulis annis solebant pendere. Concessit ipsis & libertatem ingenuã, vt libere militare & accingi gladio, moreque militum Romanorum ac Francorum armati incedere possent, ad summitatem aurium circumtensi, atq; auro in paludamentis splendescentes in signum libertatis ipsis ab Imperatore collatæ. Vtq; Remp. suam per añuos Coss. secundum morem Romanorum gubernent, quos ipsi eligant, quotquot sibi viderint, qui in causis sæcularibus Iudices existant, apud quosq; sit summa Reip. potestas.

Erant per hocce tẽpus apud Germanos maxime illustres, qui Carolum secuti fuerant in Italiam: *Wencelaus* Rex Bohemiæ, *Wernandus* Dux Bauariæ, *Henricus* Dux Austriæ *Otho* Dux Sueuiæ, *Leopoldus* Dux Morauensis, *Conrardus* Marchio Morauensis, *Harboldus* Lãtgrauius Thuringiæ, aliiq; cõplures viri Principes.

Interea moritur *Pipinus* Rex Italiæ eius filius anno octogintesimo & nono: & anno proximo eius frater natu maior *Carolus*: Et Carolus mouens in Hispaniam contra Sarracenos, infelicissime pugnauit eius exercitus in Pyrenæis montibus Rolandio ac Oliuerio Ducibus occisis cum multis Comitibus tertio Idus Ianuarii, desideratis plus quã viginti millibus: loco nomen Ronceuallis. Deinde *Ludouicus Pius* Aquitaniæ Princeps a patre Aquisgrani Augustus creatur & Bernardus Pipini filius Rex Italiæ octauo Kal. Ianuarii anno octingentesimo & duodecimo. Et natus annos septuaginta duos obiit quinto Kalen Februarii: cum imperasset annos tredecim, mensem vnum, dies quatuor. Eius sepulcro in meridionali templi latere inscriptum fuit:

CAROLI


BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

Otho,

Bruno. Henr
*Imper*

*Imp. &* He
*Anglicana* Ba
*cui*
*2. Imp.*

*Alres i nupta* Otho
*Alterano et* *3. Imp.*
*filios genuit,*
*quibus Im-*
*perator Mar-*
*chionatus*
*dedit sicque*
*fuit*

Henric
*Imp.* C

Guilielmus 1. *Mar*
*chio Montisferrati.*



CAROLI MAGNI CHRISTIANISSIMI ROMANORVM IMPERATORIS CORPVS HOC CONDITVM EST SEPVLCRO.

Aliis vera inscriptio hæc est: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ET ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOTABILITER AMPLIFICAVIT, ET PER ANNOS XLVI. FELICITER REXIT. *Obiit anno ætat. LXXII. V. Kal. Febr. an. DCCC.XIV.*

Multa reliquit Ecclesiæ illi cimelia, sed nihil meo iudicio augustius codice quatuor Euangeliorum aureis characteribus cæruleis foliis inscriptis. Ius Ciuile Saxonica lingua conscriptum, Caroli Magni auctoritate probatum ferunt; quod in Magdeburgensi ciuitate conseruatur, & quod Saxones præcipue in precio habent, quoque in caussis diiudicandis maxime vtuntur.

## GENEALOGIA CAROLI MAGNI.

ANNI CHRISTI.

## ÆGYPTVS.

704. Ægyptii, quo se à seruitute liberarent, Regem sibi de Mahometico genere crearunt, qui Caliphus appellabatur. Ab eoque iam deinceps Reges Caliphi dicti fuerunt ad annum 1053. vsque.

## GALLIA.

706. Aedinarus Sarracenorum Africanorum Dux Burdigalam vi diripuit, & in Pictauos mouens, à Carolo Marcello repressus est.

706. *Carolus Marcellus* Dux Lothriciæ moriens vndecimo Kalendas Nouembris hoc Elogio decoratus fuisse perhibetur; cum sepeliretur apud S. Dionysium:

*Iste Brabantinus Dux quartus in orbe triumphat,*
*Malleus in mundo, Specialis Christicolarum*
*Dux, Dominusque Ducum, Regum quoque Rex fore spernit:*
*Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.*

*Carlomannus* & *Pipinus filij* pro eo regnauerunt; quorum hic Aquitaniam, ille Alamanniam rebellantes represserunt. Carlo-

743. mannus deinde cum Diderico Sigardi filio Saxonum Rege bellum prosecutus est à patre inchoatum: Et Pipinus obraptum sororis suæ Boiarios bello deuicit.

Sarraceni Galliam incurrunt cum vxoribus, liberis atque omni familia, quasi colonias eo deducturi.

742. Mortuo Pipino Exiguo octauo Kalendas Octobris cœperunt regnare *Carolus*, qui quod ei longitudo quinque cubitorũ esset, *Magnus* dictus fuit, in regno Franciæ & Aquitaniæ; atque *Carlomannus* in Austrasia ac Germania. Fuit vero *Carolus* natus Ingelucheymi cis Rhenum in Palatinatu, vbi etiamnum Palatium ab ipso constructum exstat.

## GRÆCIA.

718. *Paul. Diacon. lib. 21. & Sigebert.* Saraceni Asiatici Constantinopolim appulsi eam terra marique acriter oppugnarunt. Quo anno in Bulgaria octodecim millia Sarracenorum cæsa fuerunt.

## ITALIA.

706. *M. Ant. Sabellicus.* 1. Paulus Amazatus *Primus Dux Venetorum constitutus præfuit Reipublicæ annis octo, mense vno, diebus quinque. Ad hunc Ducem à Tribunis appellatio erat. Pacem fecit cum Longobardis, & Heracliæ fines à maiori planitie ad minorem protulit.*

714. 2 Marcellus Tancasia *secundus Dux præfuit annis septem, mensibus tribus, diebus sex.*

724. *Cedrenus & Paul. Diaconus.* *Cum* Leo *Imperator Paulum Exarchum Italiæ iussisset Gregoriũ secundũ in vincula conijcere; Pontifex Longobardos in Exarchũ excitauit.*

*tuit. Pugnatum acriter fuit ad pontes Salarium & Muluium, exercitusque Rauennas prœlio victus fugatusque est. Qua occasione* Luitprandus *anno sequenti Rauennam obsessam, excedente Paulo vrbe ac fugiente Venetias cepit, captamque militibus diripiendam permisit. Sicque Exarchatu exstincto Ducatum ibidem instituit, cum cæteræ Exarchatus ciuitates illico in deditionem venirent.* ANNI CHRISTI. *Blondus lib. 10. Decad. 1.*

*Gregorius vero secundus Pontifex priuatas iniurias publica caussa posthabendas esse ratus; litteras ad Venetorum Ducem Vrsum dedit, quibus Vrsi auxilium implorat, ad recuperandam imperio Rauennatum ciuitatem. Itaque Paulus terrestri, Veneti nauali exercitu inopinato Rauennam receperunt, Hildebrando Duce capto, & Perdeo Vicentino Duce interfecto.*

3 Orleus Hypatus, *cognomento* Vrsus *à populo Veneto fuit occisus, cum Dux fuisset annis nouem: succedente ipsi* 4. Theodato *filio ab exsulio reuocato, post quem cum annis vndecim, mensibus duobus dux fuisset, creatus est* 5 Ciacius Fabricianus (*al.* Galla Corsus) *qui præfuit annum vnum, mēses sex. Deinde creatus* 6. Dominicus Monacharsus: (*al.* Monegarius) *cui post annos quinque obcæcato successit* 7. Mauricius Charbius. (*al.* Galbaius Hypatus) *qui vt filius sibi collega daretur, malo exemplo effecit, itaque præfuit ille annis sedecim.* 8. *Et* Ioannes *filius post eum annis nouemdecim.* 9. *Deinde* Obelerius *annis duobus.* 10. *Post quem fit Dux* Brado Chauzianus *annis tribus quamuis hunc Bradonem historia Veneta non agnoscit.* *Vrsus Hypatus Venetorū Dux 3.*

*Cum Romani mandatis* Caroli Magni *obedire contemnerent, & quædam iura in Imperij præiudicium, & grauamen Imperatoris Caroli vsurparent, illeque auxilium fidelium Imperij ad resistendum eorum iniuriis inuocasset; atq. intellexissent Frisones suo libero arbitrio ac voluntate spontanea, licet non vocati ab Imperatore, ad subsidiū eius magnis copiis venientes ab exercitu Imperatoris se separarunt, & in Romanos, qui superbientes vltra pontem Muluium progressi fuerant, irruentes, compluribus vtrimque cadentibus, eosdem prœlio vicerunt, atque per captiuos nobiles Romanos, Romam Carolo Imperatori subiugarunt.*

## HISPANIA.

Arabes hoc anno in Hispaniam irruperunt regni Vlith Regis Arabum sexto. 714.

Cum enim Rodericus, qui rebus Gothorum, mortuo Costa fratre, præerat, Iuliani Comitis, quem legatum in Africam miserat, filiæ intulisset stuprum, Iulianus Mauros ad vindictam euocarat, qui cū tertio anno, ex quo regnauerat, in acie cæciderunt. Post cuius interitum Maurorum Duces in Africam reuersi sunt constituto in Hispania suæ gentis Rege. Qui cum votis omniū ægre immutata Republica respōderet, è medio sublatus est. Sicque intra viginti annos quindecim Arabū Reges fuerunt, donec

Acebath

ANNI CHRISTI. Acabath sublatis è medio trecentis nouis rebus studentibus, diutius aliis regno fuit potitus: atque sedem statuit Carteiæ, quam vrbem Arabico nomine Algeziram, (quod viridem insulam sonat) vocarunt: quemadmodum Hispaniæ opida & flumina fere omnia Arabica nomina induerunt.

716. *Toletum* vrbs Hispaniæ primaria prodente Iudæo in die Palmarum à Mauris fuit capta, cum Rodericus variis prœliis ab illis fuerat deuictus.

Dum Mauri regnum in Hispania stabiliunt; reliqui Christianorum *Pelagium* apud Asturas latitantem erigunt in Regem, qui fretus diuino auxilio veram CHRISTI religionem acerrime defendit: omissoque titulo Gothico se Regem Asturum & Legionis vocari voluit. Cumque regnasset annis viginti, *Phasillam* filium Regem post se reliquit. Qui cum biennio regnasset, ab Vrso inter venandum laceratus obiit. Peruenitque regnum ad *Alphonsum* Petri Cantabriæ Ducis filium: cui Ornosuba Pelagii filia ac Phasillæ soror fuerat nupta: qui Arrianum dogma, quod rursum in Hispania pullularat, eradicauit: & complura opida eiectis Mauris recepit: quare *Catholicus* fuit cognominatus. Regnauit annis 19. Nobiles familiæ ex Gothorum prosapia rum præcipue fuere:

*De Boria*, à terebra nomen sortiti.
*Cordenas*, à fune.
*Soto*, à dulcore.
*Romenfolch*, à populo remige.
*Arragones*, ab astuta.
*Manriquez*, ab ostentatione opum.
*De los Thouarez*, quasi aduentitii dicti.
*Albuquerques*, eiusdem Ecclesiæ ciues.
*Hosores*, aquam eiicientes.
*Nauarren*, proximiores tauri.
*Enriquez*, honoris diuites.
*Cuningez*, Regii ac Regibus orti.
*Velascosi*, lini Mercatores.
*Guzmanni*, abigentes viros, vel boni Viri.

In Edetauia regione Hispaniæ nunc regnum Valentiæ instituitur, ac titulo Regis princeps decoratur.

## ANGLIA.

*Inas* Rex West saxonum iussit per singulas domos regni sui appendi quotannis Romano Pontifici singulos denarios.

*Ethebaldus* Rex Anglorum se contaminans adulteriis ac constuprationibus virginum sacrarum, à Bonifacio Episcopo Vltraiectensi natione Anglo per litteras reprehenditur.

ECCLE-

# ECCLESIA.

ANNI CHRISTI.

*Obelaltus* Marinus Eneagri Tribuni filius primus Episcopus Venetis constituitur ab Adriano Pontifice. Successerunt ei quinquaginta duo ex ordine Episcopi, vsque ad Laurentium Iustinianum, qui Episcopis præfuit annis octo; deinde creatus primus Patriarcha. 774.

*Ioannes Scotus* monachus Bedæ discipulus in Euangelium Matthæi commentatus est.

Genealogia Ducum Sueuiæ.

1. *Esuerius* Dux Sueuiæ primus ad fidem Christi conuersus.
2. *Gotfridus.* 3 *Hebingus.*
4. *Nebus.* 5. *Imauus.*
6. *Helprandus* & *Regardis Bauara.*

| | | |
|---|---|---|
| *Vlrichus* Episcopus Lausanensis. | *Hildegardis* nupta Carolo Magno. | *Adelindis* nupta Ottoni à Kesselberch. |

*Hildegardis* vxor Caroli Magni extruxit monasterium Campilinense, quod multis priuilegiis decorauit constitues *Andegarium* Abbatem. Huius monasterii Abbas postea inter quatuor Abbates Imperii fuit annumeratus. Et in hoc monasterio, vti petierat fuit sepulta *Hildegardis* Imperatrix. fuit vero etiam circa hoc tempus extructum monasterium Corbeiense in Saxonia. 783.

*Carolus* Imperator deuicto Vintechindo Wibbonem cum constituisset Episcopum Osnaburgæ, anno Imperii quarto, decimo quinto Kalendas Ianuarii litteras ad eum misit, vt ibidem erigeretur schola Latinæ Græcæque linguæ ipsi iniungens Erat vero *Wibbo*, vtriusque Linguæ peritus. Constituit etiam *Wilhaldum* Episcopum Bremensem & *Ansgarium* Hamburgensem monachos Corbeienses.

Viuebat hoc tempore apud Lippiam nobilis vidua *Ida*, quæ cum diu solitaria vixisset in reclusorio apud templum, quod maritus eius extruxerat, requieuit in pace pridie nonas Septembris.

Sueci ac Gothi Scandiam incolentes per *Ansgarium* Episcopum ad fidem *Christi* conuertuntur. 816.

Mortuo *Carolo Magno* Ludouicus Pius qui viuo patre octauo Kalendas Ianuarii anno octingentesimo & duodecimo Aquisgrani Augustus creatus fuerat, ac cum patre imperauerat annos duos, mẽses duos, dies quatuor: deinceps solus in Occidẽte imperauit, simulque regnauit in Francia. Vir mitissimi ingenii, & 814.

 amabi-

ANNI CHRISTI. amabilis ob mansuetudinem morum. Legatos Constantinopolitani Imperatoris Michaelis ad se dono ferentes libros Dionysii de cœlesti Hierarchia benigne audiuit, & honeste donatos remisit domum. A Stephano quarto Pont. tum in Galliam veniente Rhemis fuit inunctus, & Imperiali diademate coronatus. Sanxit leges, ad corrigendum Ecclesiasticorum fastus, de Ecclesiastico ritu viuendi. Cum filiis ita regnũ partitus est, vt Lotharium consortem Imperii faceret: Pipinum Aquitaniæ, & Ludouicum Bauariæ Principes constitueret: in quorum odium innocens pater incidit, cum Bernardum ex fratre nepotem à Carolo auo creatum Regem Italiæ sibi post rebellionem dedentem cum compluribus eius coniuratis gladio iussisset feriri. Et Iuditham à Frederico Vltraiectensi Episcopo increpitam, & idcirco eo occiso impunitam relinqueret. Denique quod Bernardum quendam ex Hispania accitum palatii præfectura honestasset, eiusq; curæ se suaq; committeret.

*Theodulphus* Abbas Floriacensis à Ludouico Pio Imperatore custodiæ traditus Andegauiæ, quod Imperator crederet illũ fauere filiis, cum caneret die Dominico in Ramis palmarũ Hymnum à se compositum: *Gloria, laus & honor,* & quæ sequuntur, inter procedendum: admiratus Ludouicus iussit illum ad se vocari, contulitque ei Episcopatum Aurelianensem.

834. Haymo obiit in Episcopatu suo Alberstadii, postquam in omnes Scripturæ libros luculenter esset commentatus.

838. *Fredericus* Frisius *VIII.* Vitraiectensium Episcopus cum Ludouici Pii Imperatoris matrimoniũ cum Iuditha Bauara agnata sua contra regulam Ecclesiasticam contractum cum detestatione improbaret, iussu Iudithæ ex insidiis post peractum sacrificium cultus Diuini in cœmeterio templi Saluatoris fuit trucidatus decimoquinto Kalendas Augusti, atq; ibidem sepultus & relatus inter Martyres *Christi.*

*Ansegisus* ex Abbate Lobiensi Archiepiscopus Senonensis leges & statuta Caroli Magni & Ludouici Imperatorum congregauit, distinxit, atq; legenda exhibuit.

## ROM. PONTIFICES.

*Cæterum Carolus Magnus rogatu Adriani Lombardos debellauit, atque capto Desiderio eorum Rege Romam veniens interfuit Concilio, quod congregatis centum & quinquagintatribus prælatis ibi Pontifex celebrabat. Cuius auctoritate etiam Francofordiæ ad Mœnum cõtra Felicem celebratum est Concilium à Germaniæ & Galliæ Episcopis. Cum omnium Pontificum post S. Petrum optime rexisset Ecclesiam, mortuo hocce Epitaphium ei Carolus Magnus conscripsit, atque sepulcro eius in Basilica S. Petri inscribi curauit.*

Hic

ANNI CHRISTI.

Hic Pater Ecclesiæ, Romæ decus, inclitus auctor
Hadrianus requiem Papa Beatus habet.
Vir cui vita Deus, pietas, lex, gloria *Christus*,
Pastor Apostolicus promptus ad omne bonum:
Nobilis ex magna genitus iam gente parentum
Sed sacris longe nobilior* meritis.
Exornare studens deuoto pectore pastor
Semper vbique suo templa sacrata Deo.
Ecclesias donis, populos & dogmate sancto
Imbuit, & cunctis pandit ad astra viam.
Pauperibus largus, nulli pietate secundus,
Et pro plebe sacris peruigil in precibus.
Doctrinis, opibus, muris erexerat arces
Vrbs caput orbis honor inclita Roma tuas.
Mors cui nil nocuit, *Christi* quæ morte perempta est,
Ianua, sed vitæ mox melioris erat.
Post patrem lacrymans Carolus hæc carmina scripsi
Tu mihi dulcis amor, te modo plango Pater.
Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper
Cum *Christo* teneas regna beata poli.
Te clerus, populus magno dilexit amore,
Omnibus vnus amor optime Præsul eras.
Nomina iungo simul titulis clarissima nostra
Adrianus, Carolus, Rex ego, tuq; Pater.
Quisq; legas versus deuoto pectore supplex
Amborum mitis dic miserere Deus.
Hæc tua nunc teneat requies charissime membra,
Cum Sanctis anima gaudeat alma* Dei.
Vltima quippe tuas donec tuba clamet in aures,
Principe cum Petro surge videre Deum.
Auditurus eris vocem scio* iudicii almam
Intra nunc Domini gaudia magna tui
Tum memor esto tui nati Pater optime; † posce
Cum patre dic natus pergat & iste meus.
O pete regna Pater felix cælestia *Christi*
Inde tuo precibus auxiliare gregi.
Dum Sol ignicomo rutilus splendescit ab axe
Laus tua sancte Pater semper in orbe manet.

Alii legunt: *Nobilis & magno genitus de stirpe parentum.* Al. * *studiis*

Al. proli

Al. iudicis.

Al. posco.

*Sedit beatæ memoriæ Hadrianus Papa annos viginti & tres, menses decem, dies septemdecim. Obiit septimo Kalendas Ianuarii.*

XCVII LEO III. *Romanus Azzupii filius, creatus septimo Kalendas Ianuarii, vir doctus iuxta ac pius multos aduersarios habuit: quorum Paschalis Primicerius & Campulus presbyter eum inter supplicandum apud templum S. Siluestri armata manu stipati capiunt,* 796.

 *atque*

ANNI CHRISTI. *atque verberibus ac ludibrijs affectum coniiciunt in vincula. Vnde liberatus Padebornam ad Carolum contra Saxones belligerantem tetendit. Qui eum cum manu armata Romam remittens, se breui sequuturum esse pollicetur. Qui cum venisset Nonis Decembribus conuocato Clero rogat: quem & in qua re offenderit Leo. Nemine respondente.* Cras ego (*inquit Pontifex*) respondebo. *Itaque Idibus Decembris die Dominico prolato Codice:* Per hæc Euangelia, *ait,* assero me sine caussa fuisse impetitum. *Tantumque egit apud Carolum, vt eius hostes nullo capitali afficerentur supplicio, sed tantum exsulatum mitterentur.*

*Porro mox ipso Natali die Domini Feria sexta inter sacrorum solennia consecrauit Leo Pontifex Carolum in Imperatorem Romanum, acclamante ter Senatu Populoque Romano :* CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI NOSTRO VITA ET VICTORIA. *Quo facto coronauit etiam* Pipinum *eius filium in Regem Italiæ. Statutumque fuit vt reliquiæ Longobardorum in Insubria manerent, Græcique pellerentur Italia. Ædificauit vero amplissimũ Xenodochium apud S. Petrum : & restituit tecta S. Pauli, quæ terræ-motu conciderant. Instituit quoque supplicationes trium dierum ante diem Ascensionis Domini. Cumque rexisset Ecclesiam annos viginti , menses quinque , dies octodecim , obijt pridie Idus Iunii , atque sepultus est in Basilica S. Petri. Et post viginti dies succedens*

816. XCVIII. STEPHANVS V. *Romanus Iulii Marini filius profectus in Galliam atq; benigne exceptus ab Imperatore Ludouico pio impetrauit ab eo, vt liceret exsulibus , quos Carolus sceleris in Leonem conuictos mulctauerat, redire Romam. Vbi quoque, cum esset reuersus, moritur sexto mense, & vigesimo-quarto die Pontificatus sui, atque sepelitur ad S. Petrum, & post dies duos*

817. XCIX. PASCHALIS I. *Romanus Maximi Benosi filius Pontifex creatur. Lotharium à patre ad se missum in Regem Italiæ consecrauit: multa quoque ædificia sacra vetustate collapsa restaurauit. Cumque sedisset annos septem, menses tres , dies septemdecim mortuus sepelitur ad S. Petrum. Et post quatuor dies succedens*

824. C. EVGENIVS II. *Romanus Boemundi filius, dignitate corporis & animi præstantia insignis , viduis orphanis ac pauperibus succurrere solitus: sua munificentia curabat, vt nusquam vilius, quam Romæ venderetur annona. Cumque sedisset annis quatuor , mensibus sex , diebus viginti - quatuor , mortuus sepelitur ad S. Petrum. Post tres dies*

827. CI. VALENTINVS I. *Romanus, Leontii filius creatus , multis virtutibus ornatus, non sedit vltra mensem vnum, dies decem, mortuusque, sepultus est in Basilica S. Petri. Et post dies tres creatus*

828. CII. GREGORIVS IV. *Romanus Ioannis filius, in Galliam profectus est, vt*

*ut conuerteret cor patris ad filios, & filiorum ad patrem Ludoui-* ANNI
*cum, sed frustra. Instituit vero vt festum omnium Sanctorum Ka-* CHRISTI.
*lendis Nouembris vbique celebraretur, quem diē per Alamanniam et Franciam obseruari Ludouicus pius præcepit. In quod Festum conscripsit insignem sermonem* Rabanus Maurus, *quem Fuldense cœnobium aluerat, & insignem doctrina euexerat ad dignitatem Episcopatus Maguntiacensis. Scripsit hic vero in vtriusque testamenti libros præclara commentaria: quemadmodum æmulo studio tum etiam faciebat Bedæ cognatus Haymo, qui ex eodem Fuldensi Monasterio ad Episcopatum Halberstadiensem vocatus fuit: Ambo Theologi inter primarios etiam adnumerandi. Ita illo sæculo non defuerunt quoque sui Catholici Doctores. Porro cum* Gregorius *digne præfuisset Ecclesia annis sedecim mortuus sepelitur in Basilica S. Petri. Et post dies quindecim succedens*

CIII. SERGIVS II. *Romanus Sergij filius Ludouicum ad se missum* 844.
*à Lothario patre in Italia Regem vngit. Cumque complura sacra loca egregie ornasset, moritur pridie Idus Aprilis, postquam sedisset annis tribus, mense vno, diebus tribus: sepeliturque in S. Petri Basilica.*

## GRÆCIA.

Saraceni Cretam Insulam sibi subiiciunt, Græcis duobus 826.
prœliis superatis.

## ITALIA.

*Florentiam vrbem Tusciæ mœnibus nudatam à Phesulanis ac* 802.
*Barbaris Carolus Magnus iussit muniri amplioribus mœnibus, atque restaurari à ciuibus, reuerti quoque ciues, qui alio commigrauerant. Creauit ad ciuitatem gubernandam duos Consules annales, & centum Senatores perpetuos. Hacque Reipublicæ forma permansit annis quadringentis & octodecim.*

*Veneti non procul à Taruisio victi à Pipino Caroli Magni filio Italiæ Rege constituto Heracleam exciderunt. Quamobrem non mediocris nobilium hominum multitudo inde Venetias traducta magno incremento vrbem auxit. Quorum plurimi deinceps gubernacula Reipublicæ tenuerunt. Ex Aquileia multi etiam sedes transtulerunt Venetias. Vnde ciuitas non tantum aucta est, vt iterum condita esse censeretur. Accidit illud Gallorum metu, qui vrbem habebant infestam. Angelus Badoerus Heracleanus Dux in Riuo alto domum magnificam exstruxit, illucque commigrauit: inde ibi Ducum sedes esse cœpit: Præfuit is Ducatui annis octodecim.*

## HISPANIA.

*Alphonso* succedens *Phroilla* filius dolo fratris sui Aurelii decimo tertio anno regni sui è medio sublatus est: Interim regnat

ANNI CHRISTI. *Aurelius* annis sex adoptans interempti fratris filium *Verem*-*dum* in spem regni. Sed sororis eius maritus *Sillo*, pulso Ve-mundo regnauit annis sex, donec moritur. Qui *Mauregatum* thus Alphonsi casti succedit, præsidio Maurorum in regn constitutus; quibus quotannis tributi nomine aliquot vi nes tradebat.

Hoc tempore Barcinonem Tarraconensis Hispaniæ vrb à Carolo Magno Mauris ereptã sic Christianis traditam nar

## GALLIA.

813. Britones cæso in prœlio Murmano Duce à Ludouico Pi iusque filio Pipino subacti sunt.

## ANGLIA.

Daci & Normani è Scandia præfecti Angliam inuadunt, c stituentes Angliæ Regem Egbertum Cautianorum Orientali & Northumbriorum: qui regnauit annis viginti septem E hic artem militarem edoctus apud Gallos, & statim initio p cipatus domuit Wallos, qui veteris libertatis memores subi ab Anglis deficiebant. Dacos insulam infestantes profligauit. que filium sibi successorem reliquit regni *Edelphum*, qui abso tus à Pontifice Romano à gradu Subdiaconatus Osburgam vxorem duxit. Romam deinde profectus sub Leone IIII. Pont ce Maximo, Angliæ partem vectigalem Sedi Apostolicæ fecit vt ante Kalendas Augusti singulæ domus singulos denarios p soluerent, quos denarios S. Petri nominabant. Reuersus dom insulam ab incursionibus Dacorum defendit: & ex Osburga lit *Ethelbaldum*, *Ethelbertum*, *Ethelredum* & *Alfredum*. Cum annos viginti regnasset, moriens regnum reliquit *Ethelbald*-lio, qui cum regnasset mensibus quinq; reliquit fratri *Ethel*-*to* regnum, qui Dacos Cautium inuadentes abegit. Et post qu quennium successit ei frater *Ethelredus*, regnatq; annis nouen

*Echtmundus* Rex Angliæ nuptui dedit filiam suam Edith Othoni Saxoni Imperatori Romano.

## ITALIA.

Bonifacius *Comes Corsica Christianorum auxilio destitutus*, *ceptus Hetruscorum populus, traiecit in Africam: & inter Carth nem & Vticam quatuor prœlijs victor exstitit, & terrore nomini ex Sicilia Sarracenos aufugere, atque ad propria defendenda re compulit.*

843. Saba *Rex Maurorum Sarracenorum Dux Siciliæ oram & sin Crotoniensem vastat: atque Tarentum capit.*

845. *Sarraceni inuadentes Hetruriam & Latium*; Romam *depra sunt, sed in reditu plurimi naufragio perierunt.*

Iustin

Iustinianus Badoerus XI. *Dux Venetorum praeſt annis duobus, menſibus ſex. Poſt quem frater* Ioannes Badoerus *Dux creatus.* ANNI CHRISTI. Ant. Sabellicus Enned. 9. lib. 8 & Adr. Barlandus de Ducibus Venetis.

*Neapolitani, Caietani & Amalphitani aduerſus Sarracenos claſſem parantes, & Oſtiam progreſſi à Leone quarto Pontifice Romano benigne fuere excepti. Vnde ſoluentes ſumma alacritate cum Sarracenis conflixerunt, atque inſigni nauali potiti victoria cum gloria & triumpho redierunt domum. Ante hac tempora nulla Amalphiorum mentio fit in hiſtoria, vt & infra dicemus, de quorum ciuitate canit Antonius Panharmita:*

Prima dedit nautis vſum Magnetis Amalphis.

*Vocatque vrbem* Magnetida *Iouianus Pontanus, quod primum apud Amalphios Buxula Calabra, quam compaſſum vocant, facta fuerit. Qua non modo vtuntur, qui maria nauigant; ſed etiam qui metalla ſub terra ſcrutantur.*

## GERMANIA.

Saxones à Carolo deuicti magno numero in Belgicam ſunt traducti, & multi ex iis in Flandria Lyderico Foreſtario attributi, vt is eos in fide atque officio contineret.

Cimbri cum ingenti claſſe nauigantes peruenerunt in Aquitaniam, appulſique ad portum Xantonum & Rupellam prædas agentes atque cuncta vaſtantes domum reuerſi ſunt.

Vlma Abbatiæ Angiæ à Carolo Magno donata fuit.

*Ludolphus de Engeren* conſtituitur à Ludouico Pio Dux Saxoniæ. Cui inter filios natu maximus ſucceſſit *Otho* pater Henrici Aucupis Imp.

Pons Maguntinus per decem annos à Carolo Magno factus ſuper Rhenum longitudinis quingentorum paſſuum conflagrauit menſe Maijo intra tres horas.

*Brunſuicum* in medio Saxoniæ conditur à Brunone & Theodoro filiis Ludolphi Ducis Saxoniæ: In hac vrbe hæc inſcripta leguntur ab intrantibus, ædi Senatoriæ præfixa, ad vitandas lites vtilia: 692.

IN CAVSSARVM CONTROVERSIIS CAPITALES INIMICITIÆ ORIVNTVR:

FITQVE AMISSIO EXPENSARVM:

CORPVS DEFATIGATVR QVOTIDIE, ET LABOR ANIMI EXERCETVR:

MVLTA ET INHONESTA CRIMINA SEQVVNTVR INDE. BONA ET VTILIA OPERA POSTPONVNTVR.

ET QVI SÆPE CREDVNT OBTINERE CAVSSAM, FREQVENTER SVCCVMBVNT.

QVOD SI OBTINVERINT COMPVTATIS EXPENSIS ET LABORIBVS, NIHIL SIBI ACQVIRVNT.

ANNI CHRISTI.

*Zirizea* nobilis apud Zelandos Cimbrorum colonia nunc in formam ciuitatis ædificari, murisque muniri cœpta est; hominibus industriis ac frugalibus habitata.

REGVM FRANCORVM GENEALOGIA.

## ROM. PONTIFICES.

847. CV. Post Sergium ilico creatus LEO IV. *Romanus Rodulphi filius, in quo serpentina prudentia cum simplicitate columbina ornando certabant. Hic Vaticanum muro cinxit, atque eam vrbis partem tum Leoninam indigitarunt. Ostiam quoque ob incursiones Sarracenorũ habitatoribus vacuam nouis colonijs ex Sardinia Corsicaq; traductis habitari curauit. Cumq; præfuisset annos octo, menses tres, dies sex, moritur decimo sexto Kalendas Augusti, sepultusq; fuit in Basilica S. Petri. Et post menses duos, dies vndecim creatus*

855 CVI. BENEDICTVS III. *Romanus, Petri filius, constituit vt Pontifex honorando exequias interesset sacerdotum funeribus. Omniaq; charitatis officia implẽs, cum digne Ecclesiæ præfuisset annos duos, mẽses sex, dies tres, mortuus sepelitur ante fores Basilicæ S. Petri. Atq; post electionem in schismate Anastasium Romanum vacante sede diebus quindecim octauo Kalendas Maij.*

858. CVII. NICOLAVS I. *cognomento* MAGNVS *Romanus, Theodori filius, creatus fuit. Sub quo Tyberis bis eodem anno in tantum excreuit, vt Romani putarent rursum eluuione mundum periturum: videturq; hæc calamitas à Deo tum orbi ob peccata fuisse immissa: cum per eam arbores complures euulsæ fuerint, atque domus multæ euersæ. Nã vsq; ad radices Tarpei montis amnis cuncta inundauerat. Hæc damna Pontifex delinire conatus, nullum pietatis atq; officij genus omisit, quo ciuibus subueniret. Ioannem Rauennatem Episcopum ob obiecta crimina ad sedem Apostolicam venire renuentem dignitate priuauit: at pœnitentem atq; delicta confitentem in gratiam recepit: præscribens illi certas rationes, quas Concilij Patres centum & tredecim Romæ congregati his approbarunt solennibus verbis:* Rectum iudicium summi Præsulis: Iusta definitio Pastoris vniuersalis Ecclesiæ: Salubris institutio *Christi* discipulis omnibus placet: omnes eadem dicimus, eadem sapimus, eadem iudicamus. *Misit vero Presbyteros atque Episcopos, qui Bulgaros conuerterent ad fidem* CHRISTI*: Quorum Regem litteris atque sanctis admonitionibus iam conuerterat. Nec enim sanctior doctiorque ipso Pontifex fuisse à Gregorio vsque ad hoc tempus narratur. Cum vero inseruijsset Ecclesiæ annis nouem, mẽsibus sex, diebus viginti & vno, mortuus Idibus Nouembris, sepelitur ante fores Basilicæ S. Petri, quem locum sibi elegerat. Post septem dies*

867. CVII. ADRIANVS II. *Romanus Talari Episcopi ex legitimis nuptijs filius creatus, in pauperes largus fuisse refertur, iactans curam*

*suam*

6. Childe-
bertus

8. Aribertus
*prole decess*

10. Clotariu

12. Clodoua

13. Clotariu

16. Clodoua

18. Dagober

21. Theodor

Hagonum C
*in Sant*



suam in Deum ipsum nutrientem. Sub eo octauum generale Concilium celebratum fuit Constantinopoli à trecentis octoginta & tribus Episcopis: præsidebantque eius nomine Donatus Ostiensis, Stephanus Nepesinus Episcopi, & Marinus S. R. E. Diaconus. Intererat & ei Anastasius Bibliothecarius, qui vitas Pontificum huc vsque conscripserat: & Decreta Concilij Latine vertit. In quo Ignatius, depulso Photio sedis inuasore, in thronum Constantinopolitanum restitutus est. Vulgari quoque Romanæ sedi adiudicati sunt: sed breui à Græcis corrupti Latinos sacerdotes expulerunt. Cum vero Adrianus sedisset annis quinque, diebus duodecim, mortuus, sepultus est ad S. Petrum. Et post dies duos succedens — ANNI CHRISTI.

CVIII. IOANN. VIII. Romanus Gundi filius, Gregorij vita quatuor libris conscripta clarus. tres Imperatores Carolum Caluum, Ludouicum Balbum, & Carolum Crassum sibi inuicem succedentes coronauit. Hic seditione captus atque carcere elapsus in Galliam fugit ad Balbum: vbi controuersias inter Ecclesiasticos aliquot sustulit. Deinde ob Sarracenos Italiam inuadentes Romam reuocatus adiutantibus Principibus eos Italia ac Sicilia expulit. Et cum in Pontificatu vixisset annos decem, dies tres; mortuus, sepultus fuit ad S. Petrum. 872.

CIX. CONSTANTINVS MARINVS I. Faliscus Palumbi presbyteri ex legitimo ante sacerdotium matrimonio filius, post tres dies malis artibus Pontificatum adeptus, breui moritur, cum sedisset annum vnum, menses duos, dies vigintiocto: sepultusque est ad S. Petrum. Et post dies duos creatus 882.

CX. HADRIANVS III. Romanus Benedicti filius Agapitus ante vocatus tulit legem ne in creando Pontifice auctoritas Imperatoris exspectaretur. Sed breui moritur, cum sedisset annum vnum, mensem vnum, dies viginti duos, sepultus ad S. Petrum. Et post dies tres 884.

CXI. STEPHANVS VI. Romanus Hadriani filius, sub quo floruerunt Remigius Antisiodorensis, vir in explicandis Scripturis insignis. Et Odo Abbas Cluniacensis Monasterij, qui Chronica succincta conscripsit: & cum esset Musices valde peritus; Hymnos cantusque Ecclesiasticos composuit, dulce solamen piarum mentium cum Italia, Galliaq; infestarentur bellis, atque Barbarorum incursionibus. Moritur vero Stephanus duodecimo Kalendas Iunij, anno sexto, die decimoquarto sepultus ad S. Petrum. Post vero dies quinque 885.

CXII. FORMOSVS Portuensis Leonis filius creatus largitione potius quam virtute, quæ in Pontificibus ac Principibus huius sæculi requiritur. Cumque sedisset annos quinque, menses sex, dies sedecim, mortuus sepelitur ad S. Petrum. Et post dies duos creatus 891.

CXIII. BONIFACIVS VI. Romanus Hadriani Episcopi filius, sedit dies quindecim. Atque mortuus sepelitur in Basilica S. Petri. Postque dies quatuor 896.

CXIV. STEPHANVS VII. Romanus Ioannis filius creatus Formosi 897.

ANNI CHRISTI. *Decreta odio abrogauit, seditq; annum vnum, menses tres, atq; mortuus sepelitur ad S. Petrum. Et post dies tres creatus*

898. CXV ROMANVS *Gallesianus Tuscus Constantini Marini Pontificis fratris filius, sedit menses quatuor, dies viginti tres. Quo mortuo post dies octo creatus*

898. CXVI. THEODORVS II. *Romanus Photij filius, sedit tantum dies viginti. Ambo sepulti fuere ad S. Petrum. Et post dies vndecim creatus*

898. CXVII. IOANNES IX. *Tiburtinus Rampoaldi filius, Formosi acta restituit, & Stephani res gestas improbauit, atque seditiones prope extinctas reuocauit. Cumque præfuisset Episcopatui annos duos, dies quindecim, successit sepulto ad S. Petrum post nouem dies*

900. CXVIII. BENEDICTVS *quartus Mammoli filius Romanus corruptissimis huius sæculi moribus grauiter & constanter viuens. Sedit annos quatuor, menses sex, dies quindecim. Ac moriens sepultus fuit ad S. Petrum: succedensque post dies sex*

905. CXIX. LEO V. *Ardeatinus è villa Priapi cum sedisset mensem vnum, dies decem, coactus abdicauit creato per schisma*

CXX. CHRISTOPHORO *Romano Leonis filio, qui cum sedisset septem mense, coactus fuit cedere electo iam*

906. CXXI. SERGIO III. *Romano Benedicti filio, qui Formosi corpus sepulcro extractum ignominiose tractauit, illud obtruncatum in Tyberim proijciens, & Christophorum quoque Monasterio extractum in vincula coniecit. Cumque inhumaniter præfuisset annis septem, mensibus tribus, diebus sedecim, obiit, ac sepultus est ad S. Petrum.*

## ECCLESIA.

*Strabus* Abbas Fuldensis doctissimus etiam nunc floret, quondam Rabani Mauri Amanuensis. Scripsit hic super Biblia Glossam, quæ vocatur *Ordinaria*, & de Ecclesiæ officiis ad Ludouicum Cæsarem.

RABBANVS MAVRVS Archiepiscopus Moguntinus, hoc tempore moritur, cum præfuisset annis 9. Eius vitam P. Serarius in Moguntinis descripsit.

*Nodegerus* ex Abbate S. Galli apud Heluetios creatus Episcopus Leodiensis, primus Prosas, vt vocant, Ecclesiasticas composuit, quas legi ante Euangelium etiam Nicolaus Magnus Pontifex Romanus approbauit: quæ rursum Pij V. Pontificis Romani auctoritate omittuntur fere omnes.

848. *Ansgarius* mortuo Wilhaldo ordinatur Episcopus Bremensis, successitque ei *Rupertus*.

855. *Perfectus* Presbyter Cordubæ interfectus fuit à Mauris decimoquarto Kalend. Maij.

Romæ iuxta templum S. Luciæ dirum serpentis genus Basiliscus

[illegible]us est ortu, qui venenoso spiritu suo venientribus ad cauer- ANNI nam suam repentinum afferebat interitum. Processit eo post ie- CHRISTI. iunia comitatus caterua fidelium Leo IV. Pontifex: multaque prece exorato Deo repente fœdum virus serpentis euanuit.

*VValdebertus* Monachus Prumiensis inter horum temporum Poetas non ignobilis carmine Heroico Martyrologium nunc scripsit.

*Paschasius* Radbertus Abbas Corbiensis in Saxonia nunc de 910. veritate Sacramenti Altaris librum scribit, Græce ac Latine doctus: in Threnos quoque Ieremiæ commentatus est, atque quædam ex Græco in Latinum sermonem vertit.

*Gulielmus II* Hollandiæ Comes translatis monialibus Venne- 910. brouc in propinquo Harlemo ex Monasterio ligneo Egmondensi ædificauit illud ex latere, atque Monachis ordinis S Benedicti ad habitandum dedit: quo fortius prædonum Frisionum incursionibus obsisteretur: vtque ibidem essent sepulcra Comitum morientium. Transferri eodem curauit ossa Ieronis Presbyteri Nortuiceni, atque apud reliquias Adelberti Angli Deiorum Regis filij collocari. Seruabantur ibidem quatuor Euãgelia, quæ fuerant patris eius Theodorici ibidem sepulti. Vsi fuere Abbates illius Monasterii libris quinquaginta & duorum grossorum Flandriæ in hunc vsque diem. Primus Abbas fuit Vinoboldus, quem sunt secuti alii ad numerum triginta & nouem, donec Monasterium fuit dirutum.

Floruit hac tempestate etiam *Odo* primus Abbas Cluniacensis.

*VVindichinus* Monachus Monasterii Corbiensis in Saxonia conscripsit historiam Saxonum nunc tribus libris. Vitas quoque Henrici I & Othonis. Impressit eius opera Ioannes Hernagius Basileæ anno 1532.

*S Gilbertus* fundator monasterij Gemblacensis pridie Nonas Februarij è vita migrauit ad *Christum* Dominum.

*Nogerus* Episcopus Leodiensis Capremontem miliari à Leodio distante, a fraude captam solo æquauit: & ex manubiis templi illic à Romanis conditi ædem S. Ioannis Euangelistæ in maiore insula Leodii dilatauit.

Hac circiter tempestate Normani è Scandia, ac Dani è Chersoneso viciniſque Cimbrorum insulis ad nouas sedes quærendas profecti Oceani litora bello infestabant, atque Colonias in insulas eas q̃ Fleuo, Helioq; Rheni ostiis includuntur, deduxerũt: nominibus vernaculis eas indigitantes. Sicq; Batauiæ inferiorem partẽ a Normanis *Hollandiã* dictã. & a Danis insulas Martiacorũ *Zelandia* nomine nũcupatas fuisse antiquitatis studiosi persuasum habẽt. Certe ea Daniæ insula, vbi *Coppẽhaufnia* regia

ciuitas

ANNI CHRISTI.

ciuitas est *Zelandia* vocatur: & litoralis ora Scandiæ ei quasi uersa *Hollandia*. Ne quis ergo putet Normanos nomen illu Gothorum insula *Claudia* mutuo sumpsisse: clara harum gen coloniarum etiamnum nomina exstant; quibus complura l & apud eos & nos sunt indigitata: vt *Scaga, Bergas, Rensburg* *Valcenburgum, Worckemium, Woerdenum* & *Nortuicus*, vbi RONEM pium Presbyterum Diis eorum sacrificare recusant gladio illuuies illa peremit decimo sexto Kalendas Septemb cum antea Groningæ Walfridum atq; Ratfridum filium eius fidei Christianæ professionem occidissent.

*Vsuard. in Martyrol. 17. Aug.*

Porro fuit eodem tempore ab illis Vltraiectum occupan Hungerus Episcopus sede sua pulsus. Verum creditur illor rabies multum suppressa, cum ventorum procellis mari æstu te omnis fere regio inundaretur: ita vt obstructo Rheni os cogerentur Bataui ducta fossa alueum fluminis, qua manare perat, ad Mosam deducere: vt illi infusus Rhenus se in Ocean simul exoneraret Leccæ nomen alueo inditum. In testimoni huius eluuionis effodiuntur variis in locis quercus aliæque bores impetu Cori furentis prostratæ, atque alluuione Rh paullatim altius sepultæ. Quas inuecticias fuisse genius loci pressi atq; arborum impatientis declarat. Plinius quoq; sec dus testatur supra Cauchos circa duos lacus litora altissimas tinuisse quercus, maxima auiditate nascendi, suffossasq; fluc aut propulsas flatibus complexu radicum vastas secum insu adferre solitas fuisse: easdemq; ita libratas stantes nauigasse gentium ramorum armamentis: vt veluti de industria flucti agerentur: Romanosq; territis classibus inopes consilii in p ris stantes noctu sæpe prœlium nauale aduersus arbores ini

*An Fænos.*

Quod vero fabulantur quidam Fænos Danos repetitum ve se, atq; ideo mare Oceanum ad Tungros vsq; alluisse; ipsis datum fuisse responsum, vt alienum solum vel liberarent p grina terra, vel possessione cederent; conuincitur vanum esse Mamertino in Panegyrico Maximiano Herculio dicto, refe te regionem illam, quam obliquis meatibus Vahalis interfl quamq; diuortio suo Rhenus amplectitur pæne terram non se, cum ita aquis imbuta permadeat; vt nō solum, qua manif palustris est, cedat ad nixum, & hauriat pressa vestigium: sed iam vbi paullo videtur firmior, pedum pulsu tentata quatia & sentire se procul mota pondus testetur: ita, vt res est, su centibus innatet & suspensa late vacillet.

Porro Normani mox per mare Britannicum Ligerim qu ingressi apud Nanetes Episcopum fontem sacrum consecra trucidarunt Sabbatho Paschæ. Deinde mouentes in Turo Andes atque Pictones cuncta vastarunt, atque inde cum p

d

ſsin patriam fuerunt reuerſi Quoque litora Oceani etiam ty- ANNI
rannide Normanorum, Cimbrorumq; liberarentur, atq; in po- CHRISTI.
ſterum tuta ab illorum incurſionibus eſſent: Theodoricum Regia Francorum ſtirpe ortiundum Sigisberti Aquitaniæ Principis filium decoratum Comitis titulo cum armata manu ad recuperandas Hollandiæ, Zelandiæ atque Friſiæ oras Carolus Caluus Rex Galliæ miſit: concedens ei inferiorem Batauiæ partem, & quicquid terræ inter Helium & Lauerſum medium inter Fleuum & Amaſim ſinum maris, in principatum. Fratri quoque eius Walgero conceſſit ſuperiorem Batauiam cum titulo Comitatus Teyſterbandiæ, impetrante illis hæc matertera Henna, quæ nupſerat Ludouico II. Germaniæ Regi, fratri nimirũ Calui. Theodoricus ergo deuictis Præfecto Caſtri Leydenſis, atq; Toparcha Falckenburgio, potitus ditione fuit, quam longa ſerie poſteritati reliquit vna cũ militari ſigno veteri Francorũ, quod Leonem fuiſſe refert Methodius. Contulit ei etiam Ludouicus Imperator quatuor Ambactas Flandriæ in terra Walenſi: mittens ei copias auxiliares per præfectum militum Franconem, à quo deſcendit familia Borſalorum in Zelandia.

Eodem fere tempore *Balduinus* Flandriæ Foreſtarius, cognominatus Ferreus, ſumpta ſibi in vxorem Iudith filia Caroli Calui ex Hermetrude poſt obitum mariti Edelulfi Regis ex Anglia in Flandriam oppulſa, poſt varias contra ſocerum victorias intercedente Nicolao Pontifice pace confecta Flandriam, Somona & Scalde fluuiis, & Oceano circumſcriptam ſicq; longe lateq; patentem in Comitatum recepit, vt cliens eſſet regni: atq; longa ſucceſſione poſteros Flandriæ Comites poſt ſe relinqueret. 866.

Interim Normani maioribus copiis domo egreſſi Ducibus Gothefrido & Sigefrido omnem pæne Belgicam Galliam vaſtarunt. Qui ſuperati à Carolo Craſſo coacti fuerunt vel fidem *Chriſti* profiteri vel excedere regione. Itaque acquieſcenti eius iuſſis Godefrido, atq; iam baptizato nuptui datur Lotharii Auſtraſii filia, cum parte Friſiæ dotis nomine. Sigefridus in Galliã mouens duodecies mille argenti marcis acceptis in Noruegiam reuerſus eſt. Porro cum ad Godefridum in Friſios ſæuientem Legati à Craſſo mitterentur; ille eis obuiam procedens ad locum, qui dicitur *Heriſpich*, in quo Rheni fluenta & Vahalis ſe alueo reſoluunt, & ab inuicem longius recedentes Batauorum prouinciam ſuo gurgite iungunt, interemptus fuit.

*Carolus Caluus* Rex Francorum dum venationi intentus in ſilua Ardenna de morte Ludouici Imperatoris certior eſſet factus, in Italiã properat: vbi à Ioanne octauo Pontifice Romano Imperator coronatus eſt circiter Kalendas Augusti. Domum reuerſus ſuperbiæ nota nó carebat, cũ indutus Dalmatica ad talos 875.
demiſſa,

ANNI CHRISTI. 877. demissa, & corona ornatus in publicum procederet præsepe monitus à Pontifice Romano, vt Italiæ cõtra Sarracenos C paniam vastantes subueniat; Romam profectus est: Indequ grediens Mantuæ febricitans, hausto, quod ei Sedechias M cus Iudæus parauerat, veneno mortuus est secundo No Octobris: cum imperasset annos duos, menses duos & aliq dies. Corpus in Franciam delatum apud S. Dionysium con tum fuit, postquam elatum esset Vercellis. Eius sepulchro versus inscripti leguntur, ob vetustatem hic adscribendi:

*Imperio Carolus Caluus, regnoq; potitus*
*Gallorum, iacet hac sub breuitate situs.*
*Plurima cum villis, cum cliuo, cumq; corona*
*Ecclesiæ viuus huic dedit ille bona.*
*Multis ablatis nobis fuit hic reparator*
*Sequanij fluuij, Ruolsiq; dator.*

## GERMANIA.

*Bruga* Flandrorum clara ciuitas mœnibus cingitur ac mun tur à Balduino Caluo secundo Flandriæ Comite.

Hungari occuparunt inferiorem Pannoniam, quæ ab ipsi deinceps dicta fuit *Hungaria.*

*Arnulphus Malus* Bauarus Hungaros ad vastandam Franconiam & Thuringiam exciuit Sed volentes ingredi Alamanniam cæsi fuerunt. Rursum ingressi Saxoniam ad Fuldense monasterium vsq; omnia ferro igneq; vastarunt.

*Ditmarus* Vinderhindi ex Bossena filia Comitis Ploisensis filius, prudens miles elusit stratagemate Conrardum Imperatorem, Henricum Aucupem Saxoniæ Ducem Grimæ obsidere volentem, fingendo exercitum à se conscriptum breui affuturum, cum nullum conscripsisset: sicque liberauit Henricum obsidione.

920. *Arnoldus Priscus* fit Comes Frandriæ, Hunnosque expulit ditione sua.

Origo Comitum Flandriæ.

Lydericus *Dominus de Lillebuc filium habuit Bossardum Præfectum Louaniensem: Cuius filius*

Burchardus *ex Heluide Valcisci filia tulit* Estoredum *Harlebecanum, qui genuit*

*I.* Lydericum *Harlebecanum primum Saltuarum Flandriæ. Cui ex Irmingarde Gerardi Ruscinonensis filia filius fuit*

*II.* Engeranus *Harlebecanus, cui filius ex filia Præfecti Gandensis*

*III.* Andacher *Harlebecanus, cui ex filia Præfecti Scythinensis*

IV. Bal.

IV. Balduinus *Ferreus, primus Flandriæ Comes: cui ex Iudith Caroli Calui filia liberi fuere* — ANNI CHRISTI.

II. Balduinus Caluus *Comes Flandriæ.*

II. Rodolphus *Comes Cameraci.*

*S. wenselaus* Bohemus extruit Pragæ Bohemiæ templum S. Vito.

*Misena* vrbs Hermondurorum ab Henrico Aucupe Imperatore fundatur atque exstruitur anno secundo Imperii eius contra frequentes excursiones Hungarorum, qui hoc tempore Germaniam multis incommodis afficiebant. Fuerunt deinde ibi posita etiam præsidia contra Vuendos trans Albim habitantes. Est ibi pons ligneus per Albim constructus, qualis nusquam visitur longitudine & artificio similis. Est Episcopalis ciuitas & sedes Ducum Saxoniæ. 390.

Comitatus Gelriæ nunc initium sumpsit. 935.

*Otho* Magnus Imperator nunc Goslariæ aperuit mineras argenti, vnde postmodum magnæ diuitiæ Saxonibus prouenere. 968.

## ITALIA.

*Mortuo anno ineunte* DCCCLXXXVIII. Carolo Crasso Berengarius Foroiuliensis, *& Veronensis Dux ex templo studijs suorum suffultus regnum Italiæ occupauit, & ingressus Papiam coronam ab Anselmo Mediolanensi Episcopo sumpsit. Ibiq; ex vetere instituto sedem regiam collocauit, priuilegiaq; ciuitatibus & Ecclesijs monasterijsque superiorum Regum more sanciuit. Vido Dux Spoletanus, cum frustra cum spe potiundi regni Franciæ delusus è Gallia se in Italiam receperat; Berengarium parta regni possessione deijcere statuit, & cōtracto ingenti exercitu in Berengarium mouit, primoque prælio ad Trebiam amnem superatus, secundo refecto exercitu Berengarium expulit Italia, atque Lombardiam in potestatem redegit. Itaque vocatus à Stephano Pontifice Romam Imperator, ab eo nono Kalendas Martij est consecratus.* 888. 910.

Rodulphus *Rex Burgundiæ in Italiam euocatus quarto Kalendas Augusti apud Fidentiolā duodecim passuum millib. à Placentia atroci prælio victum Berengariū Veronā fuga se recipere coegit. Rodulphus Bonifacio Valdradæ sororis suæ marito Spoletinorum & Camertum Marchione declarato, populis ipsi fausta precantibus in Burgundiam reuersus est.* 922. 924.

*Rodulpho absente & Berēgario mortuo Hungari Duce Salardo rursus Lombardiam adorti; Mantuam, Brixiam ac Bergonum diruerūt. Quarto Idus Martij ignem inijcientes Papiæ vrbem incenderunt.*

*Sarraceni Carthaginēsibus fœdere iūcti in Liguriā traijcientes capta Genua direptaq; maximis cædib. editis, vtriusque sexus omnis ætatis*

homines

ANNI CHRISTI. *homines in Africam abduxerunt. Quos omnes haud diu post re*
*Andreas Dandalus Veneta classis præfectus patriæ restituit. Ind*
*tis incrementis populi, ædificiorum atque opum denuo creuit,*
*men adepta sit* Genuæ superbæ.

*Hungari cum magnis popularium copijs in Campaniam pro*
*rent ac Capuanum & Beneuentanum agrum populati multos e*
*finatibus abduxerunt captiuos: qui erogata magna thesauri [sac]*
*te redempti fuere.*

*Cum mouerent in Marsos, hi cum Pelignis eos adorti ex i*
*eos omnes trucidarunt.*

## GALLIA.

911. *Gilla* filia Caroli Simplicis nuptui data cum dote Ne
Rolloni Dauo: Normani fidem *Christi* susceperunt in C
Cumque illi nomen in baptismo inderetur *Roberti*, vo
Neustriam iam deinceps vocari *Normaniam*, gente
*Normanos*. Quibus iura ac viuendi statuta præscripsit, mul
munera Rothomagensi, Baiorensi aliisque Neustriæ Ec
contulit.

912. *Carolus* Rex Gisberto Duci è Lotharingia pulso restit
ca, quæ supererant, Traiectum, Iupillam, Harstallum, M
Littam, Capremontem.

937. Hungari per Franconiam ingressi, & Rhenum apud W
tiam transgressi, ad mare Britannicum vsque depopula
lias.

Et reuertentes in patriam, Italiam quoque infinitis cl
afflixerunt. Monasteria S. Galli & S. Bonifacii cremantur

*Rodolphus* Rex Burgundiæ, & *Arnoldus* Dux Moricoru
ierunt.

*Hugo*, cui cognomen *Capeto*, quod puer pileis solitus e
pita puerorum nudare, inditum, Comes Parisiensis Ludo
Francum successorem legitimum regni captum carceri Lu
mancipauit. Itaq; Otho Imperator triginta duabus coh
Galliam ingressus Lugdunum cepit atq; Ludouicum re

976. *Terrouana* Vrbs Morinorum à Vandalis expilatur at
uertitur.

*Carolus* Dux Lotharingiæ & Brabantiæ elocans filian
Gerbergam nuptui Lamberto Barbato filio Reineri Lon
Comitis Hannoniensis filio: dedit ei in Dotem Louan
Bruxellas in Comitatum.

Mortuo *Carolo* Lotharingiæ Duce Aureliis in carcer
filius eius fit decimus quintus Dux Lotharingiæ & Brab

997. *Robertus* patri in regno successit habuitq; vxorem Con
filiam Eduardi Regis Angliæ, in cuius gratiam composui
ph

pronam: O *Constantia Martyrum*: erat enim summe doctus, & pontificalis scientiæ pereruditus. Eius est prosa illa: *Sancti Spiritus adsit nobis gratia.* Quam D. Erasmus Roterodamus eximie solet laudare. Vixit hic pacifice & magis limina Ecclesiæ terebat, quam armaturam exercebat. Auctus est Burgundiæ Ducatu, quod patruus eius Henricus Dux sine prole decesserat, ipsumque testamento heredem instituerat.

ANNI CHRISTI.

## ROMANI PONTIFICES.

CXXII. *Post mortem Sergij quatuor classis diebus creatus est* ANASTASIVS III. *Romanus Luciani filius, modeste & integre vixit, neminem prædecessorum suorum aut maledicentia aut ignominia afficiens. Et post annos duos, mensem vnum, dies viginti duos moriens, sepultus fuit ad S. Petrum. Tertio dein de die creatus* 913.

CXXIII. LANDO *Sabinus Tauri filius, mense sexto, die vigesimo-secundo moriens, in Basilica S. Petri sepelitur. Et post dies viginti-sex* 915.

CXXIV. IOANNES X. *Rauennas Ioannis filius, militares spiritus gerens: cum Sarracenis à Græcis in Italiam vocatis, feliciter pugnauit, si vt accensis litoris Italiæ locis ex Gargano monte tantum incursionibus vicina loca infestarent. Hungari tum quoque in Italiam pellentes valde sæuierunt: incensis atque euersis compluribus opidis. Cumque sedisset Ioannes annos quatuordecim, mensibus duobus, diebus quindecim; mortuus, suffocatione sepultus fuit Laterani. Post biduum vero creatus* 916.

CXXV. LEO VI. *Romanus Christophori filius, pacificandæ Italiæ intentus, moritur mense sexto, die decimoquinto: sepultusque est ad S. Petrum. Et secundo die creatus* 928.

CXXVI. STEPHANVS VIII. *Romanus Tedemundi filius Romanus, cuius vita, mansuetudine & religione ornata erat. Obiit secundo anno, primo mense, decimo-quinto die Pontificatus, ac sepultus fuit ad S. Petrum. Et post biduum creatus* 928.

CXXVII. IOANNES XI. *Romanus, Sergii III. Pontificis (vt aiunt) filius, obiit Pontificatus sui anno quarto, mense decimo, die decimo-quinto, sepultusque fuit in Basilica Lateranensi. Cui succedens secundo die* 930.

CXXVIII. LEO VII. *Romanus, sedit annos tres, menses sex, dies decem. At mortuus sepultus fuit ad S. Petrum. Et post mensem* 935.

CXXIX. STEPHANVS IX. *creatus in seditione populi fœde mutilatus in publicum prodire erubuit. Et post annos tres, menses quatuor, dies quindecim moriens, sepultus fuit ad S. Petrum. Post vero decem dies electus* 939.

CXXX. MARINVS II. *Romanus probus ac mansuetus vixit in* 942.

ANNI CHRISTI. Pontificatu annos tres, menses sex. Mortuusque sepultus fuit ad [...]
trum. Succedensque ei post triduum

946. CXXXI. AGAPETVS II. Romanus, vir innocens & amator [...]
publicæ Christianæ. Cum sedisset annis nouem, mensibus septem, [...]
bus viginti, mortuus sepelitur in Basilica Lateranensi. Et pos[t]
duodecim creatus

956. CXXXII. IOANNES XII. Romanus Alberici Rom. Principis fi[...]
qui cum Octauianus vocaretur, nomen primus mutasse à Guili[...]
Bibliothecario narratur, quod postmodum quam plurimi Pont[...]
sunt imitati. Otho Imperator in Italiam veniens conuocato Con[...]
octauo Idus Decembris, sacerdotij eius anno septimo, mense decimo [...]
vigesimo septimo, curauit eum Pontificatu deponi: atque Leone[m]
ctauum in Pontificem creari. Quo fugato decimosexto Kalendas [...]
bruarij, per clientes ac Ioanni deditos, recepit, tenuitque adhuc P[on]
tificatum menses tres, dies vigintiocto, Moriensque pridie Idus M[...]
sepultus est Laterani. Cui succedens

963. CXXXIII. LEO VIII. Romanus Ioannis filius, qui à Clero popul[o]
Romano electus, per Imperatorem confirmatus fuit; adegitque Bened[i]
ctum V. à fautoribus Ioannis intrusum secum in Germaniam pr[o]
cisci, vbi Hamburgi obijt An. 965. Iratus quoque Romanis Otho Im[...]
perator auctoritatem omnem eligendi Pontificem à Clero populoq[ue]
ad Imperatorem transtulit. At dum Leo sedisset annum vnum, men[...]
ses tres, dies duodecim, mortuus sepelitur ad S. Petrum. Atque po[st]
menses octo, dies viginti duos creatus

965. CXXXIV. IOANNES XIII. Romanus Ioannis Narniensis Episcop[i]
filius, qui seditione populi Romani captus, & in molem Hadriani du[...]
ctus exsulatum in Campaniam missus fuit, quo inde vndecimo mens[e]
redeunte, Otho Imperator cum filio Othone Præfectum vrbis Petrum
ignominiose virgis cæsum in Germaniam secum exsulatum duxit: at[...]
que Iofredum cæsum extrahi sepulcro, & in locum prophanum proyc[i]
voluit. Itaque cum Ioannes sedisset annos sex, menses vndecim, dies
quinque, sepultus fuit ad S. Petrum. Et post dies tredecim creatus

972. CXXXV. DONVS II. Alij Domnus, alias Domnio Romanus:
tantum tres menses sedit, obijt XIV. Kal. Ianuar. Moxque sepulto ad
S. Petrum succedens

CXXXVI. BENEDICTVS V. dictus VI. Romanus Hildebrandi filius, qui captus à Ciuitio Romano & Hadriani mole inclusus, strangulatus, atque misere moritur primo anno ac tertio mense Pontificatus sui, sepultus fuit ad S. Petrum: Vacauitque sedes dies decem,

974. CXXXVII. BONIFACIVS VII. Romanus Franco antea vocatus,
Terrutij filius per ambitum in sedem euectus, atque sacrilegio infamatus. sedit annum vnum, mensem vnum, dies duodecim. Fuitque ex
vrbe fugatus. Et post dies

975. CXXXVIII. BENEDICTVS VI. dictus VII. Romanus Deusdedit
filius,

ANNI CHRISTI.

*sius, vir optimus Arnulphum Episcopum Remensem seditione pulsum sedi sua restituit: & Germanorum in creando Othone tertio Imperatore electionem approbauit. Cumque sedisset annos nouem, mensem vnum, dies decem, obiit, sepultusque fuit ad S. Crucem Ierusalem. Atque post quinque dies creatus*

CXXXIX IOANNES XIV. Petrus *ante vocatus Episcopus Papiensis, Pontificatu exactus fuit à Bonifacio VII. in vrbem redeunte, atque iniectus carcere in mole Hadriani misere periit, cum sedisset menses octo. Et post eum Bonifacius VII. menses quatuor, dies sex. Hic Laterani, ille ad S. Petrum sepulti fuerunt. Et post dies decem creatus* 984.

CXL. IOANNES XV. *Romanus, Leonis Presbyteri ex legitimo matrimonio filius, à Clericis iure odio fuit habitus, quod diuina ac humana omnia cognatis & affinibus suis elargiretur, caeterosque viros probos haberet contemptui. Sedit vero annos nouem, menses sex, dies decem. Mortuusque, sepultus est ad S. Petrum. Et post diem* 985.

CXLI. IOANNES XVI. *Romanus Roberti filius vir doctus creatus III. Id. Febru. agitatus seditione ciuili, quarto mense moritur ac sepelitur ad S. Petrum. Et post sex dies creatus* 995.

CXLII. GREGORIVS V. *Saxo Germanus, Ottonis Saxoniae & Sueuiae Ducis filius, matre Iudith* Bruno *antea dictus, Imperatori à sacris & affinitate iunctus Romanorum seditionibus agitatus in Germaniam ad Othonem Imperatorem fugit; cum interea Crescentius Consulari potestate* Ioannem *Graecum Placentiae Episcopum sufficeret, qui post menses decem, interfecto Crescentio, oculis effossis in Germaniam relegatus fuit. Vtebatur vero in instituendo populum Pontifex triplici lingua. Teutonica, vulgari Italica, atque Latina. Habebatque pro more singulis sabbathis duodecim vestes pauperibus distribuere. Othoni diadema Imperiale imposuit, sanxisseque fertur vt à Germanis Septemviris Caesar seu Rex Romanorum crearetur, qui tum demum Imperator atque Augustus haberetur, cum eum coronando Pontifex Romanus confirmasset. Verum hanc constitutionem, vt caeremoniis auctam fuisse non dubito; ita nequaquam iis assentior, qui eam in Gregorium decimum transferunt historiae Germanicae non vsque forte periti. Magno Pontifex certe consilio trium Germaniae nationum Principibus curam electionis demandauit: ita vt Rheni Palatinus Francorum, Marchio Brandenburgensis Vandalorum, & Dux Saxoniae Cis Albinorum populorum nomine: Metropolitanus Moguntinensis Germaniae, Treuerensis Galliae, & Coloniensis Italiae nomine sua vota proferrent: quibus dissidentibus Bohemiae Dux aut Rex suam auctoritatem interponeret. Electione confecta, quando Imperii insignibus Caesar iam Aquis-grani inauguratur, collocat eum in solio Maiestatis Coloniensis Italiae Cancellarius dicens:* Super thro-

ANNI CHRISTI. num regni gloriose sedeto; atque iudicium & iustitiam in facito. *Tum Maguntinus Germaniæ Cancellarius oleo sacro d ram forus ungens:* Consecrare te dignetur, *ait,* omnipotens us in Regem Romanorum, qui Dauid per manum Samu Prophetæ Regem vngi iussit super populum Hebræorum. *De Treuerensis Cancellarius Galliæ imponens manus capiti eius d* Descendat in te spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pi tis, fortitudinis & consilii, repleariſq; Spiritu timoris Dom *Quem sequitur Brandenburgius eius Camerarius inquiens pro annulo:* Accipito signaculum Monarchiæ, & Romanorū Imp um in suo vigore conseruato: atque ab incursu Barbarorum uicta virtute tua defendito. *Dux Saxoniæ Prothospatarius porri ei gladium, ait:* Accipito sceptrum Regium: & rebelles impe seuera correctione potenter affligito, omnesque beneuolos tranquilla pace gubernato *Quem eius dapifer Comes Palatij Bo rius Dux sequendo aureum ipsi offert globum, atque ita fatur:* Acc pito globum sphæricum, & omnes terræ nationes Romano In perio subiicito, vt gloriosus Augustus appellari valeas. *Postrem Pincerna Bohemiæ Dux seu Rex ex consensu Coloniensis imponit cap ti eius ferream coronam Imperij hæc loquēdo.* Accipito d adem splendidum, & esto in virtuosis actibus ita coruscus in terris: v coronam æternæ felicitatis habere merearis in cælis. *Magn plausu cunctis Principibus acclamantibus; qui se omnes iureiurand intercedente clientes eius profitentur: faustaq; ac felicia nouo Cæsar Imperioq; precantur. Hæ certe ceremoniæ iam diu ante Gregoriun decimum obseruatæ fuerunt, vt vetustis proditum est monumentis Porro Gregorius mox vbi hæc concesserat suis Germanis secundo anno, octauo mense, die duodecimo, Kalendis Martij discessit, atq; sepultu fuit in Basilica S. Petri, iuxta sepulcrū B. Gregorii, iam eius Epitaphi um prope altare S. Andreæ exstat. Et post mēses octo, dies tredecim cre atus*

998. CXLIII. SILVESTER II. *Aquitanus* Gallus, *dictus* Gerebertus, *ex Monacho Floriacensi ad Ligerim fluuium Episcopus Rhemensis: & deinde auctoritate Othonis tertij Imperatoris Episcopus Rauennas, & postremum ad sedem Romanam euectus, Mathematices & philoso phiæ insigniter eruditus fuit, atq; de Geometria volumen edidit: ma gni ab Othone Imperatore, & Roberto Galliarum Rege æstimatus. Prudenter administrato Pontificatu Romæ obijt IV. Idus Maii An.* 1003. *Indictione* I. *atq; in Lateranensi Ecclesia sepultus.* Sergius IV. *eius nominis Pontifex illius sepulcrum Epitaphio ornari curauit. Succedens vero illi post vigesimum quintum diem.*

1003. CXLIV. IOANNES XVIII. *Romanus* Sicco *nominatus, sedit men ses quatuor, dies viginti-quinque. Atque mortuus, sepultus est in Mo nasterio S. Sabbæ. Successitq; ei post dies nouemdecim*

CXLV.

CXLV. IOANN. XIX. *Fasanus vel Fanassius Romanus, sedit annos* ANNI
*quinque, menses septem, dies viginti & vnum. Atque mortuus, sepul-* CHRISTI.
*tus fuit in Lateranensi Basilica. Atque post dies triginta creatus*

CXLVI. SERGIVS IV. *Romanus Petri Martini filius, Petrus ante* 1009.
*dictus, vir pius, & modestus, qui conceptam à vulgo opinionem de Sil-*
*uestro, quem ob peritiam Matheseos magum existimabant, dilueret,*
*sepulcrum illi insigne parauit. At cum sedisset pie annis nouem, mensi-*
*bus nouem, diebus duodecim, mortuus, sepultus fuit Laterani. Atque*
*post dies octo succedens*

CXLVII. BENEDICTVS VII. *Romanus Gregorij filius ex Comiti-* 1012.
*bus Tusculanis Henricum Imperatorem coronauit, à quo etiam con-*
*tra aduersarios suos adiutus est. Cumque sedisset annos vndecim,*
*menses octo, dies viginti & vnum, mortuus sepultus est ad S. Petrum.*
*Et post diem creatus*

CXLVIII. IOANNES XX. *Romanus, Gregorij filius, Benedicti septi-* 1024.
*mi frater, vir laudabilis vitæ. Qui cum sedisset annos octo, menses*
*nouem, dies nouem, mortuus, sepultus fuit ad S. Petrum. Et post bi-*
*duum*

CXLIX. BENEDICTVS VIII *Romanus, Alberici filius, Benedicti* 1032.
*septimi, & Ioannis vigesimi ex fratre Alberico nepos, vocatus* Theo-
philactus, *cū ignaue Pontificatum administraret, sede deiectus fuit,*
*in eiusque locum substitutus* Siluester III *mensem vnum, dies no-*
*uemdecim locum rursum occupante Benedicto. Qui cum sedisset annis*
*duodecim, mensibus quatuor, diebus viginti. Et post mensem vnum,*
*dies viginti & vnum successit*

CL. GREGORIVS VI. *Romanus, dictus* Ioannes Gratianus. *Pe-* 1045.
*tri filius. Qui post annum vnum, menses septem, dies viginti Pontifi-*
*catu priuatus Cluniaci mortuus est. Successitque post quatuor dies*

CLI. CLEMENS II. *Saxo, dictus* Suidegerius *Episcopus Bamber-* 1047.
*gensis, qui Henricum Imperatorem coronauit. Cumque sedisset menses*
*nouem, dies quindecim, mortuus, Roma, translatus fuit Bamber-*
*gam, ibique sepultus. Et post menses nouem dies septem rursum sedens*
*interim* Benedictus *octauus, menses octo, dies nouem cessit & Ponti-*
*fex factus*

CLII. DAMASVS II. *Bauarus, Popo Bagniarius antea vocatus, ob-* 1047.
*iit Præneste. Cum sedisset dies vigintiquinque, sepultus Roma extra*
*muros via Tiburtina ad S. Laurentium.*

CLIII. LEO IX. *post sex menses creatur, natione Francus, dictus* 1049.
*Bruno Hugonis Comitis Dusburgensis filius, vir mitis ac pacifici in-*
*genij. Qui cum sedisset annis nouem, mensibus duobus, diebus octo ob-*
*ijt, atque sepultus fuit ad S. Petrum. Et post menses vndecim, dies vi-*
*gintiquatuor.*

CLIV. VICTOR II. *Ebhrardus dictus Arduigi Comitis Calbensis* 1055.
*filius, Sueuus, qui cum per Synodum Florentiæ mores Ecclesiasticorum*

ANNI CHRISTI. *instituerct corrigere, ibi moritur quinto Kalendas Augusti, cum s[...] set annos duos, menses tres, dies sedecim. Et post quatrs duos m[...] tes*

1057. CLV STEPHANVS X. *dictus* Fridericus *Gozzelonis Ducis [...] thar[...]gie filius, & Godefredi Gibbosi frater Cumq́ sedisset me[...] septem, dies viginti octo etiam Florentia obijt; vbi & ambo sepulti [...] runt. Post octo dies populari tumultu creatus* Benedictus *nouus, [...] nouem menses, viginti dies coactus se abdicauit. Quare*

1059. CLVI. NICOLAVS II. *Allobrox Gerardus dictus Senis legiti[...] creatur ex Episcopo Florentino Pontifex Romanus. Hic congreg[...] Romæ Concilio centum & tredecim Episcoporum, compulit Bereng[...] rium Andegauensem Archidiaconum libros suos condemnatos in [...] gnem ab ipso accensum conijcere, ac iurare fidem à Patribus, qui [...] rant, traditam se inuiolabiliter esse seruaturum Cumq́; sedisset Ni[...] laus annos duos, menses sex. diem vnum, obijt Florentiæ, ibiq́; sepu[...] tus fuit. Et post menses duos, dies viginti sex succedens*

*Landifrancus de Sacramento Euchar.*

1061. CLVII. ALEXANDER II. *Mediolanensis* Anselmus *dictus, A[...] selmi de Vadagio filius Episcopus Lucensis, habuit aduersarium [...] Honorium secundum per quinque annos, qui in Cōcilio Mantuano [...] de depositus fuit. Vbi & interfuit Henricus Imperator, qui ab Alexa[...] dro impetrauit Honorio veniam petenti, vt Parmam rediret: & G[...] berto de Corrigia eius Cancellario Archiepiscopatū Rauennatensem [...] licet ægre contulit: per quem Henricus se putabat posse reprimere Hilde[...] brandum Archidiaconū Pontificis, qui eius partes & Ecclesiæ libertat[...] egregie tuebatur: & auxiliaribus copiis acceptis à Machtilde Comitis[...] sa Apuliam quoq́; pacauit. Quiq́;, cum Alexander post administratū Pontificatum annis vndecim, mensibus sex, diebus viginti duobus, mortuus in Basilica Constantiniana sepultus esset, hisce solēnibus verbis omnium bonorum consensu Pontifex est creatus:* Nos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri, Præsentibus Episcopis & Abbatibus, multisq; tū, Ecclesiastici. tū Laici ordinis, eligimus hodie decimo Kalendas Maij in Basilica S. Petri ad vincula, anno salutis millesimo septuagesimo-tertio in verum *Christi* Vicariū Hildebrandū Archidiaconū, virū multæ doctrinæ, magnæ pietatis, prudētiæ. iustitię, constantię, religionis, modestū, sobriū, continentē. domū suam gubernantem. pauperibus hospitalem. in gremio sanctæ Matris Ecclesiæ libere à teneris annis educatum & doctum. Quem quidem cum ea potestate Ecclesiæ Dei præesse volumus; qua Petrus Dei mandato quondam præfuit. *Itaque adeptus Pontificatum*

1073. CLVIII. GREGORIVS VII. *dictus est* Hildebrandus *Tuscus Soanensis ex Comitibus Fetilianis Vonicii filius: atque reformandis moribus corruptissimis intentus, Henricum quartum Imperatorem,*

*Epi-*

Episcopatus ac sacerdotia pretio conferentem, sæpius monuit, vt dignis gratis ea daret: & tandem misit congregari Synodum Romæ contra Simoniacos, vbi cēsura notati, qui beneficia largitionibus erāt adepti, dicebatq; Pontifex, & in Imperatorem idem esse facturum se, ni monitus à talibus deinceps desisteret. Quare Gibertus Rauennas Episcopus subornat Cincium Præfecti vrbis Stephani filium, vt eum in vincula conijciat, qui eum raptum de altari inter Missarum solennia ipso die Natiuitatis Domini in carcerem trusit, vnde à populo Romano vi fuit extractus. Cinciusq abscissione nasi male mulctatus in Germaniam ad Cæsarem veniens, eum incitauit aduersus Gregorium. Gibertus quoq; Rauennam reuersus ascito sibi in societatem Theobaldo Mediolanensi, aliisq; Cisalpinis Episcopis in Pontificem coniurant. Ita vt Gregorius conuocato Concilio Romæ, eos omnes vt conspiratores in Pontificem reos læsæ Maiestatis, & indignos Ecclesiastico munere declarauerit. Aduersus eum ergo Cæsar Gibertum creat Pontificem nomine Clementis tertii. Habuitque Imperator Concilium Cormatiæ, vbi Episcopis Germaniæ, & Presbyteris, quos concubinas suas relinquere Gregorius mandauerat, persuasit adhærere nouo Pontifici Clementi tertio. Missusque inde quidam, vt interdicat Gregorio fungi Pontificali munere. Deinde sub prætextu sibi reconciliandi Pontificem Henricus in Italiam profectus insidiis eum excipere meditans. At Pontifex intelligens, sibi etiam non deesse fautores in Germania, illuc misit ad Principes ne Henrico obedirent; vtque nouum eligerent sibi Imperatorem. Et per Synodum congregatam Episcopos Moguntini conciliabuli excommunicauit atque subiecit anathemati quinto Nonas Maii. Henricus ergo mouit cum exercitu Romam versus, atque Gibertum reliquit, Tybure omnia vastantem. Obsessum vero Pontificem in mole Hadriani Robertus Guischardus Normanorum in Apulia Dux Henricum in Lombardiam fugere coegit, Pontificemq; obsidione liberatum in Apuliam secum duxit, vbi mortuus est Salerni, atque ibi sepultus est in templo S. Matthæi, cum sedisset annos duodecim, mensem vnum, dies tres, atque post triduum creatus die Pentecostes

ANNI CHRISTI.

CLIX. VICTOR III. Beneuentanus, Desiderius dictus contra Clementem tertium qui veneno calici, dum sacris operatur, iniecto ac ebibito longa tabe consumptus est, cum sedisset annum vnum, menses tres, dies viginti quatuor Cassini in Monasterio. Et post quinque menses, dies viginti-tres creatus 1086.

CLX. VRBANVS II. qui Otho antea dictus, natus est in opido diœcesis Remensis in Gallia, cui Castellionis nomen est supra Matronum flumen sito, ex patre Milone, sibi ab Henrico, Clemente, eiusque fautoribus metuens Melphim concessit: vbi & concilium celebrauit, sicuti & Placentiæ fecit, Ecclesiasticorum licentiam mire compescens. Inde in vlteriorem Galliam profectus Claremonte Concilium indixit: 1088.

ANNI CHRISTI. *in quo habita insigni oratione bellum contra Sarracenos suscipiendum esse suasit, atque ad vrbem Hierosolymam recuperandam Christianæ Reipublicæ Principes viros animauit: Quod idem fecit Turonis: atque id tandem cunctis persuasit. Qui Godefrido Bullonio Duce in Palæstinam profecti, variis prœliis victores fuerunt, & Hierosolyma vrbe potiti fuerunt decimo-octauo Kalendas Augusti hora nona. Quando quarto Kalendas eiusdem mensis obiit Vrbanus, cum sedisset annis vndecim, mensibus quatuor, diebus octodecim. Cui post dies quatuordecim succedens*

1099. CLXI. PASCHALIS II. Rainerius *vocatus Bledensis, Tuscus, Crescentii filius, à Gregorio septimo ob virtutem & doctrinam creatus S. Clementis Presbyter. Quem Albertus Alatrinus Vrbano successurum ob fidem & Constantiam iam antea prædixerat. Hunc ergo latitàtem, ac se tanto oneri sustinendo imparem dicentem, expetente populo, Clerus elegit, electionemque laudauit Senatus Cardinalium. Igitur indutus Chlamide coccinea, tiaraque capiti imposita, comitante Clero populoq; equo albo ad Lateranum perductus in Basilica Constantiniana in sede præparata consedit. Vnde atrium Lateranense conscendens balteo, ex quo septem claues septemq; sigilla dependebant, succinctus fuit. Inuisit deinde sceptrum gerens manibus, loca quæ solis adiucata sunt Pontificibus. Paullo post tempore in Basilica S. Petri ab Ostiensi Episcopo simul & Portuensi, Albano, Lauicano, Prænestino & Nepesino Chrismate inunctus fuit. Vnde in Vrbem progressus coronam ex more accepit. Statimq; vt labenti Ecclesiæ subueniret, atq; Gibertum antipapatu dimoueret, iunctis copiis cum auxilio à Rogerio Siciliæ Rege misso illum persequitur. Qui cum adiutus copiis Richardi Comitis Campani ad montana concessisset, ibidem exstinctus fuit. In cuius locum opera Richardi suffectus Albertus Atellanus post quatuor menses captus: similiter post eum Theodoricus Romanus ambo Monasteriis fuerunt inclusi. Solent enim eo tempore loco relegationis aut deportationis ad Insulas Principes viros Monasteriis intrudere.* Silucster *Romanus Abbas Farsensis ab Henrico quarto etiam creatus extrusus Monasterio ac Latio expulsus animi dolore periit. Fuit vero* Paschalis *excelsi animi, sed in vincula coniectis aliquot Cardinalibus, ac vi compulsus Henricum quartum in Imperatorem coronauit: atque Episcopos sedibus suis restituit, conscriptis pactis per Notarios, quæ liberatus ab Henrico rescidit. Cumque sedisset annis octodecim, mensibus quinque, diebus nouem, mortuus sepultus fuit Laterani.*

## GERMANIA.

### OTHO Imp. II.

*Marianus Scotus.* OTHO Magnus Imp. moritur 7. Maij sepultus Magdeburgi, vbi Archiepiscopatum fundauerat. Successit illi filius Otho II. Qui anno Imperii 10. hoc est anno Christi 983.

*Arnulfo*

*Arnulphus III.* Comes Hollandiæ continuo bello Frisios minores persecutus est, quod ei essent rebelles. Ex vxore Ludgarda Romani Porphyrogoniti Imperatoris Oriētis filia Theodoricum & Lyphridum filios tulit. Quorum hic auctor Brederodianæ familiæ fuit, ille patri in Principatu successit, per Ludgardā, (quæ amita Othonis Imperatoris Romani fuerat) ab Othone impetrauerat, vt Hollandia nulli iuri clientelari Imperio esset obligata, Theodoricus secundus huius Arnulphi pater socerq; Ludgardis. Porro cum quinque annis præfuisset Hol'andiæ à Frisiis minoribus in propinquo Winchelo pago cæsus fuit decimo sexto Kalendas Octobris. ANNI CHRISTI.

*Otho* II. Imp. moritur Romæ, sagitta venenata à Sarracenis vulneratus, anno Imperii 17. relicto regni herede OTHONE III. qui à Germaniæ principibus Imperator creatus, & à Gregorio Pont. coronatus, Italorum ingratiis, qui varia aduersus Othonem Imp molientes, cum opera vxoris Crescentii veneno sustulerunt, dum in Germaniam iter haberet, anno Imperii 19. 983. *Contractus Vrspergen. & Mart. Crusius*

HENRICVS II. Comes Bambergensis, dictus *Claudius* Hic vitæ sanctimonia, probitate, & studio promouendæ religionis Orthodoxæ fuit illustris. Hungaros ad fidem Christianam pertraxit Multos Episcopatus à Barbaris deuastatos restaurauit, locupletauitque. 1001.

*Henricus II.* Imperator tradidit sororē suam Giselam Stephano Duci Hungarorum, qui per mulierem persuasus baptizari voluit, primusque Rex Christianus fuit Hungariæ.

Henricus II. Imper. cum cœlibem perpetuo vitam cum Chunezunde coniuge duxisset, illam morti vicinus parentibus castam & illibatam reddidit & commendauit, & viuere desiit, anno Imperii 23. ætatis 52. sepultus Bambergæ. 1024.

Cum *Theodoricus III.* quartus Comes Hollandiæ Theodoricum Bauonem Bondegrauii Toparcham Hollandiam infestantem sede sua expulisset, quo clientem ditioni suæ restitueret; Adeboldus Episcopus Vltraiectensis aduersus Hollandos mouit, commissoque prœlio in propinquo Zuamerdanio quinto Idus Iunii, occisis multis nobilibus captus fuit Adeboldus. Hic cum prœliaturus esset Theodoricus contra Frisios, fuga elapsus est, atque Frisios aduersus eum concitauit. Qui cum mortuus esset, reuersus Hierosolyma Theodorico quinto Comitatū reliquit. Qui cum cœlibem vitam duceret. Leodii ludo Circensi fratrem Episcoporū Leodiensis & Coloniensis interfecit: cumq; ipso fuga elapso duo nobiles eius, per illos, qui eum persequebātur. Germanos essent trucidati. Dordracum appulsus Coloniēsium Leodiensiumque naues in portu incendit, mercatoresque in vincula coniectos sese maximis lytris redimere coegit. Hinc

ANNI CHRISTI.

bellum exortum Germanicum, cui præfectus fuit Mar
Brandenburgensis, qui secundo Rheno classe deuectus Do
cum, à factiosis ciuibus intra vrbem receptus fuit. Intra
nocte Comes vrbem magnis copiis, atque cum Germanis
flixit: sed dum incautius per vrbem obambulat in vico co
ex insidiis telo in fœmore fuit ictus, atque ex vulnere mo
Idibus Maij: sepultusque fuit apud maiores suos Eugmond
linquens Comitatum *Florentio* fratri, postquam dominatu
set annos nouem.

## CONRADVS Imp.

1027. CONRADVS II. Imp. *Saliquus* cognominatus Henrico II.
cessit, coronatus Romæ, ipso die Paschatis, à Ioanne Pont
Hic Sclauos rebellantes ad pacem compulit; Rudolphum
1039. gundiæ Regem suis conciliauit: aliaque feliciter ac strenue
sit. Mortuus est circa Traiectum, indeque Spiram delatus
templo S. Mariæ à se exædificato est sepultus, anno Imperi
cimoquinto, hoc elogio: *Conradus II. Imp. obijt, anno Do*
1039. *pridie Non. Iulij.*

## ANGLIA.

1014. Dani inuadentes Angliam *Suenonem* Regem sibi constitu
Cui vita functo successit *Canutus* filius.

*Guilielmus* Normannorum Dux traiiciens in Angliam, a
cæso Araldo Rege religionis euersore coronatus Rex est
Natiuitatis *Christi* octauo Kalendas Ianuarias, regnauit
annis viginti sex, statum regni in melius transformans. Dux
vxorem *Machtildem* filiam Balduini Pij ex Adela Roberti F
corum Regis filia, quæ eum multiplicis prolis fecit parente

## GENEALOGIA REGVM ANGLIÆ.

* * * *

ANNI bellum exortum Germanicum, cui præfectus fuit Marchio

## GALLIA.

ANNI CHRISTI.

*Otho* decimusquintus Dux Lotharingiæ moriens Lotharingiam superiorem Imperatori Romano cessit, Brabantiam testamento conferens Godefrido Mosellauorum Duci atque Comiti Ardennæ. Qui ab Henrico Claudo Romano Cæsare Lotharingiam sibi acquisiuit. Hinc exortum bellum inter eum & Lambertum Barbatum, qui Ducatum ad vxorem suam iure hereditario spectantem vindicare volebat armis: sed in prœlio occumbens litem filio Henrico prosequendam reliquit.

Cum Barbaries passim nunc grassaretur, artes Mathematicæ ob sui certitudinem atque excellentiam non sunt vsque adeo fœdatæ, cũ nisi præclarissima ingenia illas tractarent in monasteriis, à tumultu semoti, & au ... tarentur eas indocti vt impias propter figuras & rerum sublimium demonstrationes. Quales edidit per ea tempora Vitellio, qui de perspectiua & speculatibus insigne volumen descripsit. Guido quoque Aretinus notulas *Vt, re, mi, fa, sol, la*, modosq; octo, clauibus ad hoc adaptatis.

Defunctus quoque est tum *Fulbertus* Carnotensis qui hymnis & cantu excelluit, atque varia conscripsit. Historia huius temporis plane ieiuna est, cum eam rerum Politicarum imperiti tractarent Monachi: qui magis admirandis rebus, quam veris, narrandis incumbebant. Tum squallet oratio ad voces barbaras, quæ linguæ Latinæ iam plane degeneri sese miscuerunt, vt *guerra* pro bello, *treuga* pro induciis, *vasallus* pro cliente, *homagium* pro sacramento, aliæq; complures, quæ à Gothis sunt acceptæ: atque in Gallia, Hispania & Italia ciuitate quasi fuerunt donatæ. Poesim quoque corruptam ostendunt varia passim Epitaphia Leoninis versiculis insulse composita: quæ ob vetustatis memoriam nequaquam sunt delenda; cum prosint antiquitatis studiosis, & historiæ subinde subueniant.

## ECCLESIA.

Cum Ecclesia Vltraiectensis per Adeboldum Episcopum iam esset exædificata, Henricus Claudus II Imperator cum duodecim Episcopis dedicationis ergo illo venit. Fuitque illa ad honorem Dei & S. Martini consecrata sexto Kalendas Iulii. Concessit itaque illi Ecclesiæ iam dedicatæ Imperator Comitatum Trentoniæ litteris super donatione manu illius subsignatis. Mox quoque Conrardus eius successor in Imperio eidem Ecclesiæ contulit comitatum Teisterbandiæ. 1023.

*Ioannes Gualbertus* Florentinus religiosæ vitæ genus, quod Vallis Vmbrosæ vocant, nunc in Thuscia instituit.

*Stanislaus* Episcopus Cracouiensis cum Regẽ Poloniæ Voleslaum

ANNI CHRISTI. laum liberius impiæ crudelitatis ac libidinum fœdatum adulteriiq; increparet, ab ipso Rege sacris operaturus in vertice lethali vulnere affectus est tertio Idus Aprilis, atq; tẽplo exstract° in minutas partes dissectus fuit anno Episcopatus eius tertio.

*Ado* Episcopus Treuirensis scribens Martyrologium, quæ ab aliis succinctius de Martyrum passionibus dicta erant, fusius enarrauit.

In Concilio à Gregorio septimo congregato Berengarius Andegauensis veniam orans, ex Apostolica clementia eam meruit, cum ita iurasset coram Concilio: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter conuersi in veram & propriã ac viuificatricem carnem, & sanguinem Domini nostri* IESV CHRISTI: *& post consecrationem esse verum* CHRISTI *corpus quod natum est de Virgine, & quod pro salute mundi oblatum pependit in cruce, & quod sedet ad dexteram Patris: & verum Sanguinem* CHRISTI, *qui de latere eius effusus est: non tantum per signũ & veritatem Sacramenti, sed etiam in proprietate naturæ, & veritate substantiæ: sicut in hoc breui continetur & ego legi & vos intelligitis sic credo. Nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc sacra Euangelia.*

*Wernerus*, quẽ etiam *Irnertum* appellant sub Machtilde Principe obsitos puluere in Bibliothecis libros Pandectarum Iuris in lucem reducens, eosdem Bononiæ interpretari aggressus est.

*Otho* Dux Burgundiæ nunc loco vliginoso ac nemoroso Monasterium exstruxit, quod *Cistercien*se à cisternis dictum fuisse ferunt. Sub hoc Monasterio eiusdem Ordinis mille & octingenta alia Monasteria fuisse quondam tradunt.

Vrbanus II. Archiepiscopum Toletanum Primatem totius Hispaniæ constituit. Estq; hic dignitate ac potentia secundus à Rege, à quo septemdecim opida gubernantur. Habetque annue prouentus plus minus decies quinquies centena millia ducatorum. Habet & in familiares conferendos centum millia. Est etiam Cancellarius Castellæ.

1089. *Godefridus Bullonius* Dux fit Lotharingiæ.

Hic cum primus conscensis & superatis mœnibus Ierosolymitanis ab vniuerso exercitu Rex Ierosolymitanus esset creat°, noluit regni titulum & coronam suscipere, quod Christus, æternus Rex spineam sanguine suo sacratissimo madentem gestasset. Traduntq; coronam spineam ei esse impositam flexis genibus ad sepulcrum Domini procumbenti.

1090. *Lanfrancus* Cantuariensis Archiepiscopus obiit.

1096. *Godefridus Bullonius* Rex Ierosolymitanus mouere cœpit in Syriam, sed morte præuentus est. Regnauit annum: eiq; successit Balduinus Frater.

*Ansel-*

*Anselmus* Laudunensis Scholasticus nouo expositionis mo- ANNI
do vtrumq; Testamentum nunc glossa interlineali & margina- CHRISTI.
li explanauit.

*Anselmus* Cantuariensis Episcopus annos natus octoginta sex.cum sedisset annos sedecim obiit Cantuariæ, vndecimo Kal. Maij, varius eruditis libris conscriptis clarus. Eidenerus conuictor eius vitam ipsius conscripsit.

*Leodii*,(quod Clero superbum se vidisse scribit Franciscus Petrarcha,) in D.Lamberti Canonici hoc tempore resederunt.

*Carolus* Franciæ Regis filius frater Ludouici Regis.

*Henricus* Angliæ Regis filius.

*Ogerus* Daniæ Regis filius.

*Endo* Siciliæ Regis filius.

*Limpoldus* Austriæ Ducis filius.

*Wenseslaus* Bohemiæ Ducis filius.

*Natinus* Bauariæ Ducis filius.

*Henricus* Saxoniæ Ducis filius.

*Gerardus* Lotharingiæ Ducis filius.

*Hugo*, *Ioannes*, *Eustachius* } Burgundiæ Ducis filii.

*Hermannus*, *Fredericus*, *Philippus* } Suauiæ Ducis filii.

*Ogerus*, *Godefridus*, *Himfridus*, *Eduuvaldus* } Lancastrii Ducis filii.

*Godefridus* Aureliæ Ducis filius.

*Albertus*, *Florentius*, *Petrus* } Hollandiæ Comitis filii.

*Henricus*, *Harmannus* } Andegauiæ Comitis filii.

*Gerardus*, *Andreas* } Gelriæ Comitis filii.

*Gulielmus*, *Bruno*, *Nicolaus* } Iuliæ Comitis filii.

*Ogerus*, *Guido*, *Bruno* } Louanii Comitis filii.

*Gangfridus*, *Parchenatus* } Flandriæ Comitis filii.

Paulus

ANNI CHRISTI.

*Paulus*
*Iacobus* } Foydæ Comitis filij.
*Eustachius*

*Guido*
*Gulielmus* } Namurici Comitis filij.

*Balduinus*
*Seruatius* } Salandiæ Comitis filij.
*Ogerus*

*Ludouicus*
*Brisso* } Pictauiæ Comitis filij.

*Conrardus* Blesensis Comitis filius.

*Adulphus* Viennensis Comitis filius.

Claret nūc in Hispania *Ioannes Ortega* Quintan opido ditionis Burgensis ortus. Qui cum hinc migrasset ad Dominum quarto Nonas Iunii ob vitam sancte actam catalogo sanctorum Confessorum *Christi* adscriptus fuit.

## GERMANIA.

### HENRICVS III. Imp.

1056. HENRICVS III. viuo patre Romanorum Rex ab Electoribus est constitutus. Hic bella multa prospere confecit. Hungaros vicit & subiugauit. Moguntiæ Synodum Leone Pont. præsente celebrauit. Imperauit annis octodecim & obiit Burdfel iiæ, relicto filio HENRICO IV. quinq; annos nato, qui cum matre Agnete paterni imperii heres est factus.

1075. *Florentio* Hollandiæ Comite cæso in prœlio, quod aduersus Germaniæ confæderatos gesserat: *Gertrudis* eius vidua nupta Roberto Frisio Flandro cum prole Theodorico Hollandi a vi expellitur à Godefrido Gibboso Lotharingiæ Duce euocato à Gulielmo Geldro Episcopo Vltraiectensi, cui Henricus III. Imperator Hollandiam concesserat. Hic Godefridus plus minus triennio rerum potitus Delphos ad Fossam (quam olim Corbulo Romanus ex Rheno in Mosam duci curauerat, condidit. Ciuitas postmodum aucta tertium dignitatis locum inter Hollandiæ ciuitates obtinet. Cum interim Godefridus suæ iniustæ dominationis iustas pœnas tulerit Antuerpiæ inter exonerandum aluum confossus à Gisberto Guilielmi Hollandi cliente. Inde vectus Traiectum ad Mosam quinto Kalendas Martii ibidem fato functus est.

1083. *Spira* Nemetum vrbs à Rudigero Episcopo mœnibus inclusa fuit. Est ager Spirensis ferax rubicundi vini optimi, cui nomen à pede anseris inditum *Ganzevoets*: frumenti simul & amygdalarum. Est & ibi supremum tribunal Imperii a Carolo Quinto Imperatore ibidē constitutū: & sepulcra cōplurium Imperatorum.

Henri-

* Henricus IV Imp. à Paschale Pont. excommunicatus imperio deiicitur & filius Henricus V. aduersus patrem excõmunicatum arma sumit. Ille imperio priuatus Leodium profugit, & à filio in custodiam coniectus moritur ibidem imperii anno 50 ætatis 56. ANNI CHRISTI. * 1106.

*Groninga* Frisiæ vrbs clara fossa, mœnibus atq; turribus nunc muniri cœpta est, forma ferme quadrata. 1110.

*Henricus* V. Imp. Saxoniam inuadit, occurrente illi Lothario Saxonum Duce: commissumq; est memorabile prœliũ, quo Saxones superiores Imperatoris copias cæcidere: desiderataque sunt ex vtraq; acie 45. millia hominum. 1115. *Crantzius Saxon.* 5. c. 36. *Trithemius.*

*Henricus* Imp. resignat Pontifici potestatem eligendi & confirmandi Episcopos, Abbates, quæ, ante hac penes Imperatorem siue laicos fuerat. 1122. *Vlpianus.*

Mortuus est *Henricus* circa Traiectum sine liberis, ac Spirã in maiorum suorum sepulcrum est translatus, anno Imperii decimonono, vel secundum alios decimoquinto.

*Henrico* Imp succeſſit *Lotharius* Dux Saxoniæ, ab Electoribus Rom. Imp. designatus. Fuit hic pacis amans, tumultusq; passim in Italia & alibi excitatos quam primum sedare conatus est. Rebusque prospere & præclare gestis in Germaniã cogitans, mortuus est prope Tridentum anno Imperii 13. 1125. *Vrspergen. Sigeberti append.*

*Galitium* superioris Lusatiæ opidum prima fundatione construitur. Quod opidum cum post ducentos annos conflagrasset, intra octo annos reparatum fuit. Paret vero nunc Regi Bohemorum.

Guilielmo Vchtlandiæ Comite mortuo, commisit Vchtlandiam Lotharius Imperator Conrardo Zeringenſi Principi: cui defuncto succedens Bertholdus vtriusq; Friburgi, Brisgoiæ & Vislandiæ fundamenta posuit cum donatione magnorum priuilegiorum. 1127.

*Lubecum* ope Adolphi à Scauwenburgo Comitis Holstatiæ reædificari cœpta fuit. *Sigebertus & Petrus de Natalibus lib.* 6. c. 97.

*S. Henricus II.* dictus *Claudius*, in Sanctorum numerum refertur.

*Rostachium* vrbs præpotens fundatur nunc muro valloque cincta in coloniam. 1145.

## ANGLIA.

*Henricus* Guilielmi frater Kalendis Augusti Rex coronatus; cum frater eius maior natu Robertus Dux Normaniæ esset profectus Hierosolymam, quem cum rediisset, bello captũ effossis oculis visu priuauit: rerumq; potitus Gallis bellum intulit.

Walli tumultuantes ab Henrico Rege domiti fuerunt. 1114.

ITA-

ANNI CHRISTI.

# ITALIA.

1114. *Mantuani à Machtilde Bonifacij Comitis filia perarcte obsessi, diffidentes rebus suis se secundo Kalendas Nouembris dediderunt ei: Postquam se per viginti & quatuor annos in libertatem vindicassent.*

1115. Machteldis Comes *annos nata septuaginta sex, nono Kalendas Augusti mortem vitæ sanctè actæ congruentem oppetijt. Hæc gliscente inter Gregorium septimum Pontificem & Henricum IV. Imperatorem discordia Lombardiæ Tusciæq; ditionem testamento Ecclesiæ Romanæ donarat. Quam bellis assiduis etiam semper animosè defenderat. Ferraria, quam eius auus Tedaldus à Ioanne decimo quarto Pontifice acceperat, ad Ecclesiam redijt. Ad Henricum peruenere Parma & Mantua.*

1136. *In Campania à Saracenis, Normanis, & Longobardis omnia vastantur: Fuitq; Capua solo æquata. Prædia quoq; Cassinatis Monasterij incendio traduntur, & Monachi vincti supplicijs afficiuntur, atq; omnis ætatis & sexus homines ad aurum tradendum minis atrocibus pœnisq; adiguntur. Pandectæ Iuris in direptione vrbis Malfitanæ repertæ magna veneratione à Pisanis victoribus domum nunc relatæ fuerant. Sed eas postmodum ad se transtulerunt Florentini, apud quos religiosè seruantur. Etenim hoc tempore Pisanos Amalphum & Riuellum, cæteraq; eius tractus oppida arripuisse proditum est à Blondo.*

Prima dedit nautis vsum Magnetis Amalphis.

*vt Antonius Panhormita canit; vocatque eam* Magnetida *Ioannes Iouinianus Pontanus idcirco. Oportet illud inuentum non vsque adeo esse vetustum, cum huius vrbis ante hunc diem nulla mentio fit in historiis. Nec ante Albertum Magnum eam vim Magneti inesse scripto tradidisse quisquam inuenitur. Sunt qui auctorem Flauium dictum fuisse affirment, qui primus pixidem Calabram efformauerat: id an verum sit equidem nescio.*

*Constans fama monumentorum doctorum hominum est Lotharium Imperatorem nunc etiam instituisse, vt ex vno Romano iure deinceps iudicia fierent, idque lege sanxisse: cum antea vel Longobardica vel Salica aut Saxonica lege vterentur, cœpitque Ius Ciuile publicè in Gymnasiis Italiæ doceri. Primus* Irnerius *Bononiæ Pandectas interpretari aggressus glossas in eas conscripserat.*

1138. CONRARDVS III. *mortuo Lothario Imperator Rom. creatur Confluentiæ. Hic ex consilio D. Bernardi cum aliis Regibus & Principibus*

1147. *in Syriam expeditionem suscepit: sed Græcorum fraudem Emanuel* Meierus & Tritthemius. *Græcorum Cæsare, irrita ea fuit, cum esset conuentus, & Græci gypsum Christianorum farinæ immiscerent.*

# GALLIA.

1117. Cum Leodii in vigilia Ascensionis Domini vniuersus Clerus decem congregationum intra Ecclesiam conuenissent ad Collectas Vespertinas, decantato iam Psalmo primo, subito turbo

exortus

exortus tantos tonitrus tantaque fulgura excitauit, vt crederetur extremus adesse dies, duobus Clericis & illustri milite intra ædes absumptis.

*Amedeus* Othonis tertii ex fratre nepos, ab Henrico quinto Imperatore instituitur primus Comes Sabaudiæ.

*Ioannes de temporibus* nunc in Gallia obiit annos natus trecen- 1140.
tos & sexaginta & vnum, de eo sic canit Baptista Mantuanus:

*Et quem fama refert hyemes vidisse trecentas:*

Hunc armigerum Caroli Magni fuisse ferunt.

## HISPANIA.

*Vlissipo* ad Tagum nobile emporium ab Alphonso eripitur 1140.
è Maurorum faucibus, atque ædificiis & Ecclesiis mire exornatur. Translatum eo est corpus S. Vincentii Martyris, & Leuitæ ex sacro promontorio vbi latuerat & positum est in fornice templi. Hic primus Rex Portugalliæ vocatus fuit.

Hoc tempore Hispali florebat *Auicenna* Medicus religione Mahumetista, qui Physicos ac Medicos libros varios conscripsit, tanti æstimatos, vt eos de Vrinis Actuarius Græce transtulerit.

*Ioannes* Hispalensis summus Astrologus nunc quoque vixit atque Isagogen in Astrologiam edidit, multosque Arabum libros Latine vertit.

Vixit & *Auerrorys*, qui in omnes Aristotelis libros scribendo, Commentatoris nomẽ promeruit. Scripsit etiam *de sectis & Substantia orbis*, & librum inscriptum *Colliget*, in quo omnem Medicinę artem complexus est. Fuit homo plane impius, & à religione Christiana omnino alienus.

*Sanctius Desideratus* cum vnum tantum regnasset annum mo- 1154.
riens ex Blanca Garsiæ Regis Nauarræ filia Alphonsum nouum reliquit. Cuius ætatem Ferdinandus Sanctii frater despectam habens, Gastellæ regnum occupat. Sed infans Alphonsus pietate quorumdam nobilium seruatus post annos triginta & vnum, mortuo Ferdinando patruo, regno paterno potitur.

Hoc tempore equites S. Iacobi conscribi cœpti gestantes pro tessera concham marinam atque tunicam operientes pallio candido.

*Alphonsus VIII. Bonus* gessit parum prospere bellum contra A- 1186.
rabas: sed auctus viribus prœlio eos deuicit, recuperauit complura loca; tam terrestri, quam nauali bello, quæ Alphonsus VI. amiserat. Reliquit moriens, postquam annos quinquagintatres rexerat, Henricum filium, Blancã Sancti Lodouici Franciæ Regis mortẽ, Viracam iunctã Regi Portugalliæ, & Berengariã nuptã Alphonso nono, qui deiecto Henrico vxoris suæ fratre

ANNI CHRISTI. Castellæ regnum sibi vendicauit. Cumque filium Ferdinandum ei genuisset Berēgaria, anno vigesimo octauo regni sui moritur.

*Henricus Alphonsi* octaui filius, mortuo Alphonso nono, paternum regnum recipit, & post biennium iactu lapidis læsus moritur Palentiæ, nullo successore regni ex se relicto. Itaq; *Ferdinādus* tertius Alphonsi noni filius, tam Castellæ quam Legionis Rex factus est. Multa hic præclare gessit. Mauros omni pæne Hispania exegit, fecitque Granatæ Regem sibi tributarium. Ex Beatrice . . Brabantiæ Ducis filia Alphonsum ac quinque alios liberos tulit. Et ex Ioanna Pontis Comitis filia duos. Regnauitque plus minus annis triginta quinque. Quo tempore Iacobus Aragonum Rex Baleares, Maioricam, ac Minoricam subegit insulas, & populum ad Christi fidem conuerti curauit.

## ROM. PONTIFICES.

1118. CLXII Post *mortem Paschalis* II. *creatur* GELASIVS II. *Caietanus Ioannes vocatus Crescentij filius monachus Cassinensis, vir doctus. Contra quem Henricus V. Imperator Mauritium Burdinum Bracharensem Episcopum antipapam creat, indito eo nomine Gregorij* VIII. *coactusque Roma discedere Gelasius per Pisam Cluniacum in Galliam profectus, apoplexia moritur, ibique sepelitur in Monasterio, cum sedisset annum vnum, dies quinque. Et post biduum*

1119. CLXIII. CALISTVS II. *Burgundio, Guido dictus Guilielmi Comitis Burgundiæ filius creatus à duodecim Cardinalibus, qui Gelasio morienti aderant, non prius habitum Pontificalem sumpsit, quam à cæteris quoque esset confirmatus. Quo facto per legatos pacem cum Imperatore fecit, anno circiter quinquagesimo postquam discordia inter Henricum IV. & Gregorium VII. exorta fuerat. Et contra se motum . . . Mauritium Burdunum Antipapam captum Canensi monasterio . . usit. Exstat antiqua pictura apud Lateranum harum rerum . . . cum hacce inscriptione:* ECCE CALISTVS PATRIÆ DECVS IMPERIALE NEQVAM BVRDINVM DAMNAT, PACEMQVE REFORMAT. *Cum ergo sedisset annis quinque, mensibus decem, diebus quindecim, mortuus, sepultus fuit Laterani. Et post diem*

1124. CLXIV. HONORIVS II. *Bononiensis*, Lambertus *dictus de Fagnano creatus Pontificatui præfuit digne quinque annis, mensibus duobus, diebus tribus, Et post diem*

1130. CLXV. INNOCENTIVS II. *Romanus, Ioannis Guidonis filius, Gregorius, antea dictus, creatus habuit Antipapas contra se sedentes Anacletum secundum Romanum annis septem, mensibus nouem, & Victorem quartum Romanum, menses quinque, qui se abdicauit. Contra Anacletum dictum Petrum adiuuit eum egregie apud Imperatorem, & Henricum Angliæ Regem, denique in Concilio Pisis coacto D. Bernardus Abbas Clareuallensis. Itaque sedit Innocentius annis tredecim, mensibus septem, diebus octo, & mortuus, sepultus fuit in Laterano*

*Lateranę in concha Porphyritide, quæ in Mausolæo Hadriani Impera-* ANNI
*toris fuerat. Atque post biduum* CHRISTI.

CLXVI. CÆLESTINVS II. *Tifernas Tuscus, de castro S. Felicitatis* 1143.
Guido de Castello *dictus, creatus sedit menses quinque, dies trede-*
*cim. Et mortuus, sepultus fuit in Basilica Constantiniana seu S. Sal-*
*uatoris. Et post dies duos creatus*

CLXVII. LVCIVS II. *Bononiensis,* Gerardus *dictus, Alberti fi-* 1144.
*lius, sedit menses undecim, dies quatuordecim. Atque mortuus, se-*
*pultus est Laterani. Porro ab hoc Lucio secundo Episcopus Prane-*
*stinus Guarinus Bononiensis S.R.E Cardinalis creatus fuit. Qui cum*
*pie viuendo ætatem ad centesimum & decimum annum protule-*
*rat Præneste Deo animam reddidit. Ceterum post diem vnum creatus*

CLXVIII. EVGENIVS III. *Pisanus, dictus* Petrus Bernardus *Mo-* 1145.
*nachus Ordinis Cisterciensis antea à D. Bernardo constitutus Abbas*
*Monasterij SS. Vincentij & Anastasij ad Aquas Salinas Romæ: ad*
*quem etiam iam Pontificem libros de Consideratione scripsit. Præfuit*
*hic digne, se Bernardi discipulum ostendens, annis octo, mensibus qua-*
*tuor, diebus duodecim: atque obiit Tibure, sepultusque fuit Romæ ad*
*sanctum Petrum in propinquo altaru maioris. Et post diem*

CLXIX ANASTASIVS IV *Romanus, Benedicti filius,* Contardus 1153.
de Suburra *dictus creatus, sedit annum vnum, menses quatuor, dies*
*viginti quatuor, mortuus, sepultusque est Laterani. Et post diem v-*
*num creatus*

CLXX HADRIANVS V. *Anglus, dictus* Nicolaus Breckspeare, 1154.
*Abbas S. Rufi Valentiæ in Gallijs, & ab Eugenio III. Cardinalis fa-*
*ctus, quod in Noruegiam missus prædicando, & bene monendo prouin-*
*ciam illam ad* CHRISTI *fidem redegerat; nouerat enim eorũ linguã:*
*tum quod Normani, & in Anglia & in Gallia etiam consederant.*
*Cumque sedisset annos quatuor, menses octo, dies viginti octo, Anagnæ*
*in Hernicis mortuus, atque Romam delatus apud Eugenium III.*
*sepultus fuit ad S. Petrum, atque post triduum creatus*

CLXXI. ALEXANDER III. *Senensis, Tuscus Ranutij filius,* Rolan- 1159.
dus Bandinellus *dictus, habuit Antipapam Victorem IV. primum*
*quatuor annis, septem mensibus. Deinde* Paschalem III *annis quin-*
*que: postremo* Calistum III. *annis septem, mensibus quinque. Vt*
*non fuerit schisma grandius antea in Ecclesia Romana; nam &* Lan-
do *sub nomine Innocentij III. aliquot menses sedit. Hæc omnia vt*
*fastus Frederici Ænobarbi Imperatoris excitauit; ita & fouit atque*
*aluit Italiam mire affligens. Quem Alexander communione Eccle-*
*siæ priuauit. Sed rediit tandem in gratiam Pontificis Imperator Ve-*
*netiis.*

*Indixit* Alexander *Synodum Laterani celebrandam. Vbi ad in po-*
*sterum vitanda Schismata clero & populo ab electione exclusis ea ad*
*Cardinales est translata hac lege lata, vt is Pontifex esset, quem duæ*

ANNI CHRISTI. *tertiæ partes Cardinalium suis concordibus suffragiis creassent. Itaque Alexander post multos sudores ac perturbationes moritur, postquam sedisset annis viginti & uno, mensibus vndecim, diebus viginti tribus: sepultusque est Laterani. Atque secundo die creatus iuxta constitutionis formam à Cardinalibus*

1181. CLXXII. LVCIVS III. *Lucensis Tuscus Vbaldus Allucingolus Bonagiunta Morli filius, Veronam adiens cum pulsus esset Roma à Senatoribus, ibidem post quartum annum, secundum mensem, vigesimum octauum diem moriens, in Cathedrali Ecclesia sepultus est cum hoc elogio:*

*Alij*: Luca dedit lucē tibi Luci Pontificatum Ostia---

Luci Luca tibi dedit ortum, Pontificatum
Ostia, Papatum Roma, Verona mori.
Imo Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma
Exsulium, curas Ostia, Luca mori.

OBIIT S. PATER DD. LVCIVS PAPA III. ANNO MCLXXXV. DIE XXV. NOVEMB.

NASCENDO MORIMVR
MORSQVE IANVA VITÆ.

*Mox à vigintiquatuor Cardinalibus Verona creatus.*

1185. CLXXIII. VRBANVS II. *Mediolanensis Ioannis filius,* Lambertus Cribellus *dictus, reuocare ad concordiam Christianos Principes, annixus est, atque subuenire Hierosolymæ, cui Saladinus oppugnandæ se præparabat, eaque de causa Venetiā petens, Ferrariæ moritur, primo anno, decimo mense, vigesimoquinto die Pontificatus, ibique in Cathedrali Ecclesia sepultus est. Et secundo die creatus ibidem à nouemdecim Cardinalibus*

1187. CLXXIV. GREGORIVS VIII. *Beneuentanus, Albertus Spanachionius dictus, patria Beneuentanus post mensem vnum & dies viginti septem, mortuus est Pisis, sepultusque in Cathedrali Ecclesia. Cumque vacasset sedes dies viginti creatus*

1188. CLXXV. CLEMENS III. *Romanus, Ioannis filius, Paulus dictus, statim de bello Sarracenis inferendo edictum proponit, atque sublatis discordiis, quæ inter Pontifices Senatoresque Romanos ab Innocentio secundo hucusque durauerant, pacem æquis condicionibus cum Senatu populoque Romano fecit. Cumque sedisset annis tribus, mensibus duobus, diebus viginti, mortuus sepultus fuit Laterani. Et post dies tres creatus*

1191. CLXXVI. CÆLESTINVS III. *Romanus, Petri filius, Hyacinthus Bobo dictus, ægre ferens Tancredum regno Siciliæ potiri, Constantiam Rege Rogerio natam, è Monasterio Panhormitano eductam Henrico sexto Frederici Barbarossæ filio dispensatione in matrimonium collocauit. Qua beneficentia Henricus Tusculū quod munierat, Pontifici reddidit. Qui cum sedisset annis sex, mensibus nouem, diebus*

*bus undecim, obiit Romæ sepultus in Lateranensi Basilica. Et conti-nuo creatus* ANNI CHRISTI.

CLXXVII. INNOCENTIVS III. *Anagnius Trasimundi filius*, Lotharius *ante dictus, Iurisprudentiæ atque sacrarum litterarum cognitione clarus, de sacro altaris Mysterio insigne volumen edidit. Prouidentiaque diuina, eo sedente, innocentiæ virtus, & religio innocentiæ parens multum illustrata fuerunt. Nam ordo Carmelitarum tum in lucem prodiit, & celebrari curauit Concilium vniuersale Laterani, cui Constantinopolitanus & Hierosolymitanus Patriarcha: septuaginta Metropolitani: quadringenti & viginti Episcopi, plus quam octingenti Abbates atque Priores Conuentuales interfuerunt. Edita ibi Decreta fidei Christianæ, damnatus libellus Abbatis* Ioachim, *in quo quaternitatem videbatur constituere in Diuinitate contra fidem Orthodoxorum. Canones quoque de moribus reformandis editi fuerunt. Cumque Innocentius innocenter sedisset annis tredecim, mensibus septem, diebus octo, mortuus Perusiæ, sepultus ibi fuit in Cathedrali Ecclesia.* 1198.

## GOTHIA.

*VValdemarus* Rex Daniæ destruxit Arconam in Rugia Insula maris Codani, è regione Gripeswaldæ. Idem Biennio post deleuit funditus Iulinum opidum iulinæ eiusdem maris insulæ, cum ob relictam fidem *Christi*, quam susceperat, cælesti igne ciuitas conflagrasset.

*Tartari* Scythiæ gens tetra ac fera excusso tributorum iugo 1187. atque libertate adepta *Cinbin* ex humili genere natum, sed virtute st. enuum atque ingenio solertem in Principem elegerunt, appellantes eum *VluCham*, quod magnum Dominium seu Principem significat. Hic magnis rebus gestis mortuus est, cum sex annis Principatum obiuisset. Successit vero illi filius *Ioca Cham* secundus vir strenuus ac prudens.

Cum per hæc tempora Linonia à Germanis mercatoribus cœpisset frequentari; nauigauit eo *Meinardus* Episcopus Bremensis, atque gentem barbaram ad Christi fidem conuertit: & pro Bremensi Rigensis factus est Metropolitanus: cum ei Ecclesiæ postmodum subessent Habselensis, Oselensis, Torpatensis ac Riualiensis Cathedrales Ecclesiæ: Protegeretque regionem Magister ordinis Teutonici cum suis Commendatoribus.

Tartari hoc anno in Russiam ingressi KION Metropolim 1241. Ruthenorum deleuerunt. Inde Poloniam ingressi & Hungariam, per biennium eas regiones vastarunt, & capto opido Strigonio nulli sexui ætatique pepercerunt. Quo facto reuersi sunt in Tartariam.

ANNI CHRISTI.

## ÆGYPTVS.

1153. Caliphus Ægypti pressus bello ab Almerico Rege Christianorum Hierosolymæ, implorat auxilium à Sultano Syriæ Rege. Qui ei misit *Saraconem* militiæ suæ præstrenuum Ducem. Qui Almericum vna cum Christianis Ægypto pellit: Caliphoque in vincula coniecto, regnum sibi vsurpat, & se non Regem, sed Sultanum à Principis sui nomine nominat. Hoc vtique Soldanorum initium fuit. Qui cum regnasset annis aliquot, successit ipsi filius *Saladinus*.

## TVRCIA.

1187. *Meyerus & Tlanpa.* SALADINVS SVLTANVS parato ingenti exercitu mouens ad Ptolomaidam cum Templariis modo infeliciter, modoque prospere conflixit. Inde digressus ad Tiberiadem copias suas duxit: vbi ad prœliandum compulsi Christiani magna clade superantur, captiq; fuerunt *Guido* Rex & Magister Templariorũ cum pluribus aliis; ex quorum numero multi fuerũt securi percussi. Dedita itaq; ei fuit Acon, Berytus, Byblus, aliæque mar ti. mæ vrbes Ascalonam post decem dierum oppugnationẽ ea accep t conditione, vt *Guidonem* cum omnibus captiuis liberos dimitteret. Peruenerat Tyrum cum auxilio *Conrardus* Marchio Montisferrati, exspectabaturq; *Guilielmus* Siciliæ Rex cũ quadraginta triremibus. Interea Turcæ capta Laodicæa in agrum Antiochenum descendentes magna clade à Christianis affecti fuerunt. Oppugnabat tum *Saladinus* Hierosolymam, quæ, cum nullæ exspectarentur suppetiæ, ea lege fuit dedita, vt abeunti cuiq; tantum efferre liceret, quantum humeris possent portare. Cuius calamitatis fama cum ad Europæ Principum aures peruenisset, sopitis vbiq; bellis atq; dissidiis ad recuperanda sacra Palæstinæ loca fœdere icto copias terrestres maritimas conscripserunt. *Fredericus Ænobarbus* Imperator in Asiam terrestri profectus itinere multas potentissimas vrbes in Cilicia cepit, & prostrando Saracenos Turcasq; *Saladinum* in tantum terruit, vti iusserit complura mœnia vrbium Syriæ solo æquare profugiens in Ægyptum. Quo Philippus Franciæ, *Richardus* Angliæ Reges, complures Duces ac Comites viriq; militares classe contendebant inter quos *Florentius III.* Hollandiæ Comes vna cum *Guilielmo* filioquoq; fuere. Abundabant hi quidem nauibus instructissimis: sed nullus iis recipiendis portus sat commodus patebat. Itaq; Pelusium (quod robur Ægypti Ezechiel Propheta vocat ab Hadriano Imperatore Æliopolis, & Sarracenis Damiata nominatum) inuadere decreuerunt. Erat sane Pelusium nauali bello peropportunũ, nisi ferreæ catenæ inter longe munitissimas

turres

turres extensæ portu exclusissent. His effringendis prorã & ca- ANNI
minam nauigii præsidiarii, inito cum *Guilielmo* Comitis filio cõ- CHRISTI.
silio, serris limisq; ferreis vestiunt Caninefates. Quod imposito
mille sociisq; naualib. auspiciis Guilielmi vento ac æstu secun-
dis vsq; agunt in catenas, donec illæ paulatim disruptæ onere
tandem nauis innitentis, late dissiliunt, classiq; aduentanti a-
periunt portum. Capto itaq; oppido Saracenisq; in potestatem
redactis, laudatum ex more Imperator Guilielmum muneribus
donat, equestriq; ordini adscribit. Harlemensis ciuitatis insi-
gnia virtutis vim vincentis fideiq; ergo argenteo gladio cruceq;
honestata fuerunt. Monumento huius stratagematis sunt tinti-
nabula illa Damiatica, quæ singulis vesperis sub noctem summa
cum alacritate, pulsari iam inde solent.

*Saladino* apud Damascum mortuo successit *Molechsala*, qui à 1149.
Tartaris per Mangones magnum numerum seruorum in Anti-
ochiæ finibus bello victorum coemit: Instituitq; seruos liberis
abiectis, vt in prouinciis gubernandis, & armis tractandis: vsusq;
bello ac pace aliquandiu eorum opera, ab ipsis trucidatur: suc-
cedente ei, quem serui ex suis crearunt, *Tuquemenio* Sultano. sic-
que serui regno Ægypti insidere cœperunt.

*Melethus* successit *Tuquemenio*: post quem *Melethemus* regna-
uit, eumq; secutus est *Melechdairus*: quo regnante magnis cladi-
bus affecti sunt Sarraceni a Christianis. Hunc pęne mox secutus
est *Molechsalus*.

## GRÆCIA.

BALDVINVS Flandriæ & Hannoniæ Comes, dum destinatis
in Syriam armis hæret Venetiis; euenit vt expeditione in Sara-
cenos omissa, Cõstantinopolis obsideretur, simulq; eriperetur
Isacio Myrtillo Imperatori, atq; Ludouicus XV-virum electione
Imperium Orientis assequeretur. Sed a Valachiis Seruiisque in
oppugnatione Adrianopolis interceptus, Cernæ membratim
fuit dissectus anno Imperii secundo. Succedente ipsi in Imperio
fratre *Henrico*, & in Comitatibus Flandriæ & Hannoniæ *Ioanna*
natu maiore filia. Quę nupta primum *Ferdinando* Lusitano, post-
que eius obitum *Thoma* Sabaudio sine liberis decessit, cum re-
rum esset potita annos triginta nouem.

Veneti Cretam insulam, rebellare nitentem in Coloniæ for- 1214.
mam redegerunt, missis eo ciuibus, qui Cretenses in officio cõ-
tinerent. Emerant enim eam viginti ab hinc annis a Bonifacio
Montisferrati Comite, cui ea concessa fuerat à Balduino Impe-
ratore Constantinopolitano.

## ECCLESIA.

Ingens illud cœnobiũ *Eboracum* ordinis Cistertiensis in Frã- 11[illegible]

ANNI CHRISTI. conia condi cœptum à Conrado tertio Imperatore, cum Berno & Richuninus fratres arcem suam Eboracum latronum quondam domicilium in domum orationis Deo dedicassent.

IOANNES ZONARAS Historicus Græcus Chronicon suum ab orbe condito huc vsque perduxit vno Tomo Iudæorum, altero Imperatorum gesta recensens. Obiit in Monte Athos, annos natus 88. menses septem, in monasterio S. Heliæ, vbi ad sepulcrum eius hæc scripta reperiuntur:

ΕΙΣ ΤΟ ΠΑΡΟΝ ΜΝΗΜΕΙΟΝ Ο ΣΟΦΟΣ ΖΟΝΑΡΑΣ ΚΕΙΤΑΙ.

*Otho* Episcopus Bambergensis Pomeranis maris Codani accolis prædicans Euangelium CHRISTI hoc anno ibidem in Iulino opido Iulinæ insulæ vicies bis mille homines baptizauit.

*Rupertus* monachus ordinis S. Benedicti monasterio S. Laurentii apud Leodium euocatus creatur Abbas Tuytensis monasterii vltra Rhenum è regione Coloniæ Agrippinæ, vbi varia ingenii sui monumenta reliquit, tantus Theologus, vt & veteribus etiam sit comparandus. Sepultus vero ibidem est in porticu monasterii.

D. BERNARDVS Fontanis Burgundiæ natus cum octodecim esset annorum monasterium ingressus; vigesimo quinto ætatis anno, Abbas craatur Clareuallensis, & diuino magis instinctu, quam humana industria legem Domini didicit, quam tanta doctrinæ magnificentia & eloquii suauitate enarrauit, vt communi Doctorum consensu *melliflui Doctoris* cognomen sit adeptus: cum per annos triginta & octo monasterium regeret, & vitam ab omni caducarum rerum cura & cupiditate alienam ageret in terris. Hospitalitate erat insignis, excepitque Malachiam Hibernorum Episcopum, qui etiam Clareuallis obiit postridie Kalēd. Nouemb. De se humillime sentiens in tantum rebus diuinis cōtemplandis erat intentus: vt etiam equo holoserica sella strato vectus Carthusiam in Allobrogum finibus ad Guigonem, qui tū leges monachorum conscribebat, id ipse ignorauerit. Genuensem quoque & Mediolanensem Archiepiscopatus sibi oblatos constanter recusauit: præferens solitudinem tam amplis dignitatibus. Exoratus à magnis Principibus de componendis ipsorum controuersiis, & de constituendis rebus Ecclesiasticis sæpius adiit Italiam: & Romam veniens extruxit monasterium SS. Vincentii & Anastasii, & præficiens Abbatem Petrum Bernardum ad Pontificatum euectum, atque dictum Eugenium tertium. Cum abstinentiam continuo commendaret, atque hospitibus aduenientibus extra ordinem cœnasset, discipulis id criminantibus:

*Non ego*, inquit, *sed charitas edit bibitq́;.*

*Anshel-*

*Anſelmus* mittitur Tornacum ab Eugenio, vt ſit ibi Epiſcopus. 1146.

Concilium Remenſe ab Eugenio celebratum, cui & beatus Bernardus interfuit, qui annos natus ſexaginta tres obdormiuit in Domino, decimo-tertio Kalend. Septembris. Et ab Alexandro tertio Pontifice inter Sanctos relatus eſt.

In hoc Concilio Gilbertus Porrectanus Epiſcopus Pictauienſis, cum obſcurius de Diuina Trinitate ſcripſiſſet, coactus fuit inſtante Beato Bernardo ſcripta ſua interpretari, & ſecundum eam ſuam interpretationem populum docere. Scripſit in Pſalmos & Epiſtolas D. Pauli ante mortẽ, quæ incidit in annum 1155.

*Guilielmus* Dux Aquitaniæ pœnitentiam habens ſchiſmatis à 1156.
ſe ſuſcitati auſteram vitam procul ab hominum conſortio vixit: Cumq; hoc anno mortuus eſſet quarto Idus Februarii multi vitæ eius inſtitutum ſequentes *Guilielmitarum* ordinem inſtitue- 1160.
runt approbante eum Alexandro tertio Pontifice.

Cum Iuris ſtudio plæriq; mirum in modum excitarentur, ex eo illuſtrando præcipue gloriam ſummam adeptus eſt *Azo*.

Circa hoc tempus Alexander III. rogatus piſcatorum nomine, an licitum eſſet piſcari haleca feſtis diebus; reſcripſit Archiepiſcopo Triburienſi ſe indulgere vt liceat Parœchianis eius diebus Dominicis & aliis feſtis, præterquam in maioribus anni ſolennitatibus, ſi haleca terræ ſe inclinauerint, illorum captioni ingruente neceſſitate intendere: ita quod poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis & *Chriſti* pauperibus congruam faciant portionem.

PETRVS LOMBARDVS cognomento *Magiſter ſententiarum* Epiſcopus Pariſienſis ſcripſit hoc tempore libros quatuor Sententiarum, & alia. Moriturque anno 1164. 20. Auguſti.

Claruit hoc tempore Pariſiis Hugo de S. Victore, Ord. Eremi- 1130.
tarum S. Auguſtini, multaq; ſcripſit.

*Hugolinus, Martinus, Placentinus, Ioannes, & Vldericus* hac æ- 1190.
tate gloſſas ſuas Pandectis Iuris adiecerunt. Qui lingua Latina in Barbariem conuerſa, nequaquam Romanæ linguæ purioris intellectum perceperunt.

Hac tempeſtate DOMINICVS Calaguri ex Guſmannorum, qui à Gothis originem trahunt, familia ortus, Palentiæ liberalibus diſciplinis & Theologiæ operam dedit. Atque relicta Hiſpania, cum apud Tholoſates hæreſis Albigenſium, quæ damnato matrimonio vagos ſuadebat concubitus, atque eſum carnium prohibebat, graſſaretur, eo ſe contulit, atque ſeptennio prædicando auctoritate Epiſcopi ſermonibus depellebat errores, quos Raymundus Comes Tholoſanus annis perſequebatur. Cumq; Epiſcopo profectus, interfuit Concilio Lateranẽſi Romæ celebrato.

ANNI CHRISTI. FRANCISCVS quoque Assisii, apud Vmbros natus relicta mercatura, quã sub patre exercebat, nudus *Christum* sequi magnis passibus aggressus est. In quo miratur Franciscus Petrarcha volucrum audientiam, Seraphicum etiam raptæ mentis ardorem, stupendumque illud insigne sacrorum *Christi* stigmatum, & vulnus animi testantia membra, tantumq; tam breui de paupertatis coniugio genitæ sobolis incrementum. Vestis viro simplex erat frigori arcendo comparata, victus ostiatim emendicatus. Philosophandi eius rationem apte declarat Poeta & Theologus Triglottos Adamus Sasbout hocce Hexasticho, cùm eius vitæ genus esset professurus ad patrem Delphos transmisso:

*Quam sit vita breuis, quam sit via lubrica, quamque*
*Mors incerta: bonis quæ præmia, quæque parata*
*Sint tormenta malis, horum meditatio nostra est.*
*Quod facimus quod firmamus, quod & esse perenne*
*Optamus testamentum. Saluete, valete,*
*Care pater, cari fratres, caræque sorores.*

1225. Ambo monasticum vitæ genus instituerunt. Obiit vero DO-
1226. MINICVS Nonis Augusti Bononiæ. FRANCISCVS quinto Nonas Octobris Assisii, & ibidem sepultus.

*Saxo* Grammaticus Scalandicus Danus, suæ gentis historiam ad Andream Episcopum Daniæ per hæc tempora scripsit: in quo mireris hoc sæculo, & in illa regione verba & elegantiam dictionis.

*Guntherus* Ligurinus res Frederici primi carminibus studiose celebrauit.

*Valenti. For. lib. 3.* ACCVRSIVS Florentinus Iurisconsultus Azonis & Ioannis discipulus, suorum omnium qui præcesserunt varias interpretationes in vnum cogendo, in omnes Iuris libros commentatus est: & pro temporum difficultate conuenientes locos diligenter contulit, verborum & rerum expositioni intentus, maximam auctoritatem consecutus deinceps fuit in scholis.

Postquam commendatus est in Pandectas DYNVS Mugellanus: Deinde *Petrus de Bellapertica* Burgundus & *Iacobus de Arena* Parmensis.

1244. *Ioannes de Sacro bosc.* Matheseos professor Parisiis scripsit nunc de Sphæra libellum breuitate commendabilem, perspicuitate facilem, præcipiendi quoque ratione valde absolutum. Et alterum de anni ratione inscriptum *Computum Ecclesiasticum*. Vterque probatur a doctis & retinetur in scholis.

1245. *Ioannes Teutonicus* Decretorum interpres, Præpositus Halberstatensis hoc anno moritur.

1246. *Innocentius IV.* misit è Concilio Lugdunensi *Fr. Ascelinum* Dominicanum cum aliquot sui ordinis monachis in Tartariam vt

genti

genti Barbaræ Euangelium CHRISTI annuntiarent, sed parum profecerunt, cum homines efferi & voluptatibus dediti Mahometicam religionem Christianæ præponerent, eamque incipe-rent profiteri. ANNI CHRISTI.

*Alexander de Villa Dei* Minorita Parisiis nunc scribere clericulis parat Paradoxa nouellis.

*Henricus de Segusia* Cardinalis Hostiensis ius docuit auditoremque & discipulum habuit inter alios *Guilielmum Durandum, Speculatorem* postea dictum.

Bellum exortum inter Reges Abasiæ, & Aden: quorum hic Episcopum in contumeliam Religionis Christianæ more Sarracenorum violenter circunciderat, quod alter egregie vindicauit vastando regionem Adenam. 1158

Hoc sæculo Barbaries inuasit maxime artes, cum *Ioannes Balbus* Genuensis conscriberet Catholicon, *Vincentius* Bellouacensis Speculum Historiale, & *Iacobus de Voragine* Vitas Sanctorum. *Guilielmus* Lugdunensis summas virtutum & vitiorum, aliique eiusdem farinæ alia. Sed tamen non defuisse sæculo huic ingenia apparet ex Speculo iuris, & Rationali diuinorum, quæ cõscripsit. *Guilielmus Durandus* Episcopus Munatensis: cui & Iuris & Theologiæ candidati certe plurimum debent. Edidit *Speculum Iuris* anno 1271. ad Otobonum Cardinalem Tituli S. Adriani, qui postmodum Pontifex Hadrianus quintus fuit dictus. Moritur Durandus vix trigesimum ætatis annum egressus. 1261.

ALBERTVS *Sueuus*, cui Gymnasiorum omnium consensus *Magni* cognomen detulit, relicto Episcopatu ad ordinem Prædicatorum rediit. Vbi docendo scribendoque Philosophiam Theologiamque illustrauit. Vir fæcundissimi ingenii, & indefessi studii: cum in omnes sacræ scripturæ libros commentatus sit: & varios sermones locosque tractarit Deinde Aristotelis libros explanarit, atque sedecim libros de annalibus conscripserit, ætatem in octogesimum septimum annum producens.

Ex discipulis, quos erudiuit, duo THOMÆ præcipue clari habebantur: quorum vnus erat Brabantus *Cantipratanus* cognomine, qui de bono vniuersali & rerum natura tres edidit libros: quemque Guilielmus Rex Romanus oratorem misit in Aquitaniam ad Alphonsum Comitem Pictonum & Aruernorum. Alter *Aquinas* ex Regia Siciliensi stirpe ortus, qui non minus Aquinum Coloniam Romanorum in Samnitib⁹ nobilitauit, quã ei propinquum Arpinũ M. T. Cicero. Hic enim abdicata stirpis præclari nobilitate, spreto omni patrimonio, nec parcens valetudine, ieiuniis, oratione ac perpetuis studiis se macerabat: nec solum Coloniæ, sed etiam Parisiis atque in Italia sacras professus fuit litteras maxima omniũ admiratione. Cõmentatus est in

præ-

ANNI CHRISTI. præcipuos Scripturæ sacræ libros, nec Philosophiam suis commentariis priuauit. Veterum Patrum sententias ac enarrationes in quatuor Euangelia catenatim simul collegit. Et Theologiæ summam quatuor libris ita complexus est, & tanta fide tractauit; vt posteris tantæ fuerit auctoritatis, quod iis suffecerit dixisse: *ipse dixit*. Missus à Gregorio X. ad Concilium Lugdunense, in Volscis ad Amasenum amnem in monasterio Fossæ nouæ commentando in Salomonis Cantica Canticorum quinquagenarius obiit nonis Martii.
1274. Eumq; Ioannes vigesimus secundus Catalogo Sanctorum ex Senatusconsulto Cardinaliũ inscripsit. Narrant *Albertum Magnum*, cum fratres Dominicani eum *bouem mutum* ob taciturnitatem vocarent, dixisse: *Hic bos tales aliquando mugitus dabit, qui per vniuersum terrarum orbem audiantur.* Vrbanus quintus Pontifex corpus Tholosam transferri curauit. Conscriptumq; illi fuit hoc Epitaphium

*Hic Thomæ cineres positi: cui fata dedere*
*Ingenium terris viuere, cœlo animam.*

*Iacobus de Voragine* Genuensium Archiepiscopus moritur hoc anno, qui insulsi sæculi ingeniis subseruiens historias Martyrũ fabulosis narrationibus deturpauit.

1294. IOANNES DVNS alias *Scotus* ordinis Minorum gaudentium ob ingenii acumen *Doctoris subtilis* cognomine donatus captioso disserendi genere Christiana dogmata enarrans, passimque inducta quæstione lites conseuit. Mortuum apoplexia Coloniæ Agrippinæ, atq; ante aram maximam sepultum apud Minores, redeunte spiritu, in sepulcro eum exspirasse tandè ferunt: quod & Ianus Vitalis expressit suo hocce tetrasticho:

*Quod nulli vnquam homini accidit Viator*
*Hic Scotus iaceo semel sepultus;*
*Et bis mortuus, omnibus Sophistis*
*Argutus magis atq; captiosus.*

Floret nunc Ius ciuile illustrans *Cynus Sinibaldus* pistoriensis qui cum Bononiæ publico salario docuisset, ididem in Porticu circiter *Dynum* præceptorem apud Dominicanos sepultus fuit.

*Petrus Hispanus* Portugalensis Episcopus Tusculanus nunc creatur Cardinalis, qui præter Logica etiam Medicinæ, Canones, & Thesaurum pauperum conscripsit.

*Dynus Mugellanus* Iurisconsultus de mandato Bonifacii IIX. Pontificis maximi super sextum Decretalium scripsit post Archidiaconum, super regulas Iuris, Pandecta quoq; & Codicem: glossas contrarias, & earum accordantias, simul & Consilia multa.

Quo tempore & *Dynus de Garbo* Florentinus medicus enarrauit cautionem vulgarem Guidonis de Caualcantibus de motu & natu-

&natura amoris Venerii. Commentatus quoq; est in Hippocratem, Galenum & Auicennam. Edidit & Chirurgica quædam & librum de ponderibus & mensuris. ANNI CHRISTI.

## GALLIA.

S. LVDOVICVS nonus annum agens decimumtertium patri in regno successit. *Roberto* fratri concessit Comitatum Attrebatum. 1227.

*S. Ludouicus* nonus promulgauit mense Martio Pragmaticam sanctionem, qua statuit vt in regno Franciæ prælati Ecclesiarum & patroni beneficiorum ordinarii ius suum plenarie habeant, & vnicuiq; sua Iurisdictio seruetur debite. Vt Ecclesiæ Cathedrales & aliæ liberas habeant electiones, & earum effectum integre. Eluminari vult Simoniæ crimen; omniaque fieri secundum determinationem iuris communis. Nec vult imponi vel imposita colligi Ecclesiæ Gallicanæ, per curiam Romanam; nisi tantum pro pia & rationabili necessitate, quæ vitari non poterit. Vtq; libertates & immunitates & priuilegia à maioribus concessa maneant Ecclesiis, monasteriis atque locis religiosis & personis Ecclesiasticis: Literis super his datis ac sigillatis, Parisiis anno 1268. 1268.

## ANGLIA.

*Henricus* quartus profectus est in Galliam visitatum reliquias S Dionysii.

*Henricus* III. Rex Cantabrigiam vrbem fossa & portis muniuit. Quo tempore se ibidem contra exheredatorum iniurias & excursiones defendebat: cum illi Eliensem insulam occupassent. Muro quoq; cinxisset. nisi capto à Gilberto Duce Clarensi Londino, ei calamitas prospicere fuisset coactus. 1265.

## TVRCIA.

*Bondocudar* Sultanus vniuersam Syriam & Palæstinam à Christianis abstulit: præterea & Ptolomaidem. 1268.

*Medecastraphus* Sultanus ademit Christianis Ptolemaidem octaua Paschæ, atq; vastata Armenia cum ducentis millibus captiuorum rediit in Ægyptum, vbi inter venandum à Duce suo fuit interfectus. Quem cum supplicio affecerant Mammeluci: ex more, *Melechnaserum* in Sultanum elegerunt fratrem *Melecastraphi*.

## GOTHIA.

*Guido* Cardinalis S.R.E. missus legatus ab Vrbano quarto venit in Calmarinam. 1268.

*Chamus* Tartarus expugnat populos Sinenses, qui seruierunt Scythis annis nonaginta tribus.

HISPA-

Anni Christi.

# HISPANIA.

## ALPHONSVS Rex Arragoniæ.

ALPHONSVS x. incepit post patrem regnare centesimo & quinquagesimo secundo die post completum annum Domini, millesimum ducentesimum & quinquagesimum primum, vt scribit ipse in tabulis suis Astronomicis, vbi Aera, hoc est, initia seu data varia temporum statuit: voce vsus Ptolomæi excepta per Astrologos (ni fallor) Arabas, atque in vsum recepta ab Hispanis ad tempora Ferdinandi & Elisabeth. Electus hic Imperator contra Richardum Anglum, suadente etiam Pontifice abnuit suscipere Imperium: suoque iuri renuntiauit vitanda seditionis Ecclesiasticæ caussa. Cum Ludouico Gallorum Rege contendebat de regno, cum is se assereret ex Blanca maiore natu Alphonsi octaui filia esse natum: sed lis sopita fuit; cum Ludouicus de la Terda eius natu maximus filius Blancæ filiæ Ludouici matrimonio iungeretur, qui ante patrem obiit.

*Alphonsus* recepit Mursiam ab Arabibus. Algarbi Comitatum in dotem dedit Regi Portugallıæ cum filia sibi nata ex pellice. Et in gratiam Dionysii nepotis ex hac filia immunes fecit Reges Portugalliæ, ne cogerentur singulis annis adesse edicto Regis Castellæ ad conuentus: neue trecentorum equitum turmas auxiliares mittere aduersus Arabes, sicut ex condicionibus fœderis constringebantur. Leges Hispanorum illustratis sensibus nouisq, additis legibus in volumen vnam redegit. Curauit quoq; condi opus, quod *generalem Historiam* vocant Hispani. Narrant eum in Barbaras illas translationes illius temporis & tabularum constructionem expendisse quadraginta millia ducatorum.

## GENEALOGIA REGVM CASTELLÆ &c.

†*†*†*†



*Sanctius IV.* patri succeſſit in regno natus ex Maria de Molina. Bellum geſſit cum *Alphonſo* fratris Ferdinandi filio, qui deſtitutus auxilio Iacobi Aragonis, apud quem in cuſtodia fuerat detentus ſuccubuit. Sicuti etiã fecit *Ioannes* frater eius, qui fretus fuerat auxilio Bellamarini Maurorum Regis. Cumq; *Sanctius* regnaſſet annis vndecim ceſſit regnum, moriens Ferdinando filio nouem annos nato eius nominis quarto. Cuius pueritiam deſpicientes, Alphonſus de Locerda, & Ioannes eius patruus, Iacobus Afragonius ac Oauarras cum Portugalenſi iunctis opibus in eum mouerunt, defendente eum Maria matre, quæ & filio regnum ſeruauit, præter pauca opida Murriæ: quæ Dionyſius Portugallus Arbiter Aragonio adiudicauit Ferdinãdus cum duos ex turri præcipitari iuſſiſſet, illique appellaſſent ad tribunal *Christi*, trigeſimo die eo vocatus obiit, cum regnaſſet annis quindecim.

ANNI CHRISTI.

## GERMANIA.

*Henricus* VI. Imp. filius, Frid. Barbaroſſæ à Cæleſtino III. coronatur, poſtridie Paſchatis. Hic inſignes copias Hieroſolymam contra Sarracenos miſit. Siciliam obtinuit, regnique inuaſorem Tancredum oculis priuatum in Teutoniam miſit Mortuus eſt Meſſanæ in Sicilia venationi operam dans. Succeſſit *Philippus* frater, Princeps manſuetus ac mitis, paucorum principum ſuffragiis. nam quidam Othonem Ducem Saxoniæ elegerant, approbante etiam Innocentio III. Pont. Hinc illa inter Othonem & Philippum bella, de quibus lege Vſpergenſem & alios Tandem *Philippus*, cum poſt inciſionem venæ quietis cauſa ſeceſſit, ab Othone Palatino in cubiculo eſt interemptus, corpuſque Spiram translatum. 1191. *Mart. Polonus Vſperger.* 1195. *Tritthemius.* 1199. 1208.

*Henricus* Leo cum à Bardouicanis non intromitteretur in vrbem, eam receptam diruit.

*Lunenburgum* ex Comitatu fecit Ducatum *Fredericus* ſecundus Imperator. Vrbs percelebris ob ſalinas frequentes.

*Straubinga* fundata fuit in Bauaria à Ludouico Duce Bauariæ. 1208.

*Otho IV.* Dux Brunſuicenſis ab *Innocentio IV.* Auguſtus ſalutatur & inauguratur quarto Octobris: quem poſtea idem Pontifex excommunicauit, imperio priuauit, eo quod opida quædã Pontificiæ ditionis occupaſſet, & ad totius Italiæ imperium aſpiraſſet *Fridericus II.* Friderici Barbaroſſæ fili⁹, Dux Sueuiæ, deiecto Othone Imperator eſt electus & imperii coronam Romę ab Honorio III. accepit. Fuit hic Græce, Latine, Saracenice doctus, cura- 1209. *Tritthemius*

ANNI CHRISTI. 1235. curauitque Ptolomæi Almagestum ex Saracenico in Latinam linguam transferri.

*Florentio IV.* Hollandiæ Comiti decimo-quarto ob zelotypiam, quam de vxore sua conceperat Comes Clermontensis Belga, interfecto in equestri certamine, successit *Guililemus* filius annos natus sex. Fuerat hic natus Leidæ, sexto Kalendas Martii, anno millesimo ducentesimo, vigesimo nono: fonsq; ibi in æde S. Petri ostendi solet, vbi fuerat baptizatus. Instituit aggerum Præfectos creari ad conseruationē agri Rhenensis. Delphis decimo-octauo Kalend. Maii, vbi dominabatur eius amita *Richardis*, hac lege municipalia iura atque priuilegia concessit: vt sibi suisque posteris ciuitas annue penderet quinquaginta libras Hollandicas. Et si contingeret eum vxorem ducere, vel cingulo equestri donari, aut ad Imperatorem accedere, conferrent ipsi viginti libras Hollandicas, fratri sororibusque in similibus casibus quindecim libras Hollandicas. Quæ iccirco retulimus, vt illius sæculi opes possent æstimari.

1254. Friderico II. Imp. mortuo successit filius eius CONRADVS IV. Princeps clementissimus. Hic obsessam Neapolim fame domuit atque euertit. Capuam quoque expugnauit & solo æquauit: cumque tribus annis regnasset veneno extinctus est, Manfredi spurii fratris exsidiis.

Procurante deinde Petro de Caputio Legato Pontificis GVILIELMVS Comes Hollandiæ vicesimum ætatis agens annum ab Electoribus Imperii Cæsar electus est contra Fridericum quinto nonas Octobris, lætante plurimum eo nuntio Innocentio quarto Pontifice, atq; sperante, vt sub eo Principe fides Catholica, pax Ecclesiæ, & orbis tranquillitas vigerent. Itaq; cum coronatus esset Kalendis Nouembris Aquisgrani, post octo dies epulādo peractos Proceres Imperii constituerunt, vt ipsi à Consiliis essent eius patruus Episcopus Vltraiectensis, & Henricus auunculus Brabantiæ Dux, atq; Lubbertus Abbas Engmondensis eius Vice-cancellarius. Deinde profectus Leodium cum Henrico Episcopo, eius fratri Othoni eius nominis tertio Geldrorum Comiti pignoris loco Nouiomagum Batauorum quondam Regiā vrbem, & quicquid Nouomagorū iussis parebat, occupandum concessit, vsq; donec illi persolueret viginti & vnum millia marcarum argenti. Inde digressus Coloniam Agrippinā ab Alberto Magno solenni excipitur epulo ipso die Epiphaniæ in conuentu Prædicatorum. Hic ramos aliquot felicium arborum in Hypocausto tepenti aqua fouerat, vt iam inciperent florere. Quos cum posuisset in triclinio, atque auiculæ canoræ ibidem volarent, ignari id factum naturali vi humoris calidi Hollandi: Albertum quasi rerum mirabilium factorem suspicie-

suspiciebant. Immo Cæsar ad eius petitionem promiserat se Vltraiecti cœnobium Dominicanorum ædificaturum. Exstruxit vero reuersus in Hollandiam Hagis Augustum Palatium, traduxitque Grauesando illuc Curiam, quasi in medium suæ ditionis. Porro eius amita Richardis in fundo suo, qui ab Australi parte monachorum Præmonstratensium situs erat, monasterium monialium eiusdem ordinis (ei nomen Campi Regis tribuens) exstruxit. Vbi quoque sepulta eo vsque iacuit, donec monasterio deuastato vrna eius plumbea in templum nouum fuerat translata anno 1572. Ceterum Guilielmus hos monachos Præmonstratenses Metelliburgum ad occupandum cœnobium paucorum male feriatorum Canonicorum Regularium transmisit, illorumque monasterium in Nosocomium conuertit. Bellum gessit aduersus Margaretam Byzantinam, quod ea nitebatur Walachriam inuadere, & Carolum Andegauensem, qui Hannoniam infestabat. Postremo mouens in Frisios minores recusantes obsequium præstare, quinto Kalendas Februarias cæsus fuit apud Hochuuoudam, in propinquo prædii auiti, vbi pater meus fuit natus. Corpus vero eius, quod Frisii sepelierant transtulit Florentius filius Metelliburgum in monasterium Præmonstratensium. Et sub annum Domini 1542. iussus à Maria Belgii tutrice exstruxit ei insigne monumentum Florentius Schoonhouianus Abbas. Cuderat iam Rex creatus aureos nummos Agnos dictos, qualis vnus nobis visus, Delphis, inuentus, ponderis quatuor Anglic. & 3. moment. Eius effigiem ex libello precum ipsius, quem ei Albertus Magnus conscripsisse putatur, ab Elisabetha Nicolai Euerardi Iurisconsulti filia & Ioannis secundi sorore imitatam hic exhibemus. Eratque valoris quinq; librarum Hollandicarum.

GENEALOGIA COMITVM HOLLANDIÆ &c.



Anni Christi.

# ROMANI PONTIFICES.

1216. CLXXVIII. *Post mortem Innocentij III. Post vnum diem à nouendecim Cardinalibus creatus fuit.* HONORIVS III. *Romanus* Haimerici *filius*, Cencius Sabellus *dictus*, *qui Petrum Antisiodorensem cum Iole vxore Romam venientem Imperatorem Orientis coronauit. Fredericum II. Imperatorem ditionem Pontificiam vexantem Imperij dignitate priuauit. Ordinem à* DOMINICO *institutum primo, deinde* FRANCISCI *ordinem confirmauit. Decretales Pontificum epistolas compilauerat cum moreretur Romæ, postquam sedisset annos decem, menses octo, sepultusque est ad S. Mariam Maiorem ante aram præsepis. Et post diem vnum creatus*

1227. CLXXIX. GREGORIVS IX. *Anagninus, dictus* Vgolinus, *vir doctus & pietati studens, quique doctos eueheret. In precio ob eruditionem habuit præ cæteris* Hugonem *illum Barcinonensem, qui in omnes sacræ Scripturæ libros commentatus est, quiq; Glossam ordinariam conscripsit, & Bibliorum, vt vocant, Concordantias concinnauit primus; vir magni laboris atq; operosæ industriæ, atq;* Raymundum *Barcinonensem, quo adiutore compilauit ipse* Gregorius *quinque libros* Decretalium. DOMINICVM, *qui Bononiæ obierat, in album Sanctorũ retulit nono Kalend. Iunij. Similiter &* FRANCISCVM *mortuum Assisii,* Elisabetham *quoque viduam Hungariæ Regis filiam. Cumque Fredericum compellere niteretur ad recuperandam Hierosolymam, eum infestum sibi vsque fecit: vt excitaret Guelphorum & Gibellinorum factiones apud Pistorienses: quorum hi Imperatori; illi vero Pontifici addicti erant.*

*Magnam calamitatem Italiæ intulerunt, atque ex parua scintilla maximum incendium exortum fuit. Cum enim Pistorienses Gibellinos vrbe eiecissent, Arentini eiecerunt Guelphos. Florentini rursus Gibellinos, & Senensem contrario* G*uelphos in exsuliũ agunt: quorum exempla secutæ sunt plures aliæ ciuitates. Cum itaque in tam discordibus turbarum tumultibus præfuisset Ecclesiæ Gregorius annis quatuordecim, mensibus quinque, diebus tribus; atque audiret Fredericum aliquot Cardinales à se ad Concilium Laterani celebrandum euocatos in vincula coniecisse; mœrore animi obijt Romæ atque sepultus est ad S. Petrum. Postquam vero sedes vacasset diebus triginta, creatus*

1241. CLXXX. CÆLESTINVS IV. *Mediolanensis.* Gaufridus Castello *dictus, senex valetudinarius sedit dies septemdecim. Atque cum ad S. Petrum sepultus esset, vacauit sedes ob Cardinales à Frederico in vincula coniectos & incursiones, quas in regiones Pontifici addictas faciebat annum vnum, menses octo, dies quindecim. Tuncque creatus Anaginæ*

1243. CLXXXI. INNOCENTIVS IV. *Genuensis Ligur Otho Boni filius,*

filius, Smibaldus de Flisco dictus, conuocauit Concilium Lugduni, AN. CHR.
quo mari vectus à Genuensibus feliciter peruenit, & in Vigilia Natalis Domini creatis duodecim lectissimis viris, inter quos & Hugo Barcinnensis titulo S. Sabinæ erat, in Cardinales, instituit vt eius Ordinis hominibus pileus rubeus proprium insigne esset, singulosq; vno donauit, admonens eos, si opus foret, pro Ecclesiastica libertate etiam caput offerre debere, præsertim contra Fredericum Ecclesiæ hostem. Scripserat Apparatus in Decretales, & Autenticas, item Apologeticum de M.Paul. Ve-
Iurisdictione Imperii & auctoritate Pontificis contra Petrum net.3.14.
de Vinea. Erat enim Iurisperitissimus, & viris doctis delectabatur, eiusq; benignitate inuitati. Bernardus & Compostellanus scripsere in Decretales. Verum cum Petrum Veronensem à se Mediolanum aduersus Manichæos missum, & ab hæreticis tertio Kalendas Maij in via occisum albo Sanctorum inscripsisset, moritur Neapoli, cum sedisset annis vndecim, mensibus quinque, diebus quatuordecim. Et post dies tredecim creatus Neapoli

CLXXXII. ALEXANDER IV. Anagninus Gerardi filius, Rai 1261.
naldus dictus, è nobili genere Comitum Signiæ Innocentij III. & Gregorij IX propinquus. Erat valde munificus in pauperes: ideoq; & libellum contra paupertatem Guilielmi de sancto Amore perpetuo edicto aboleuit. Similiter & librum inscriptum Euangelium æternum incendio deleuit, cum auctor statum gratiæ non ab Euangelica lege, sed Spiritu assereret procedere. Vsus est magna liberalitate erga Bartholomæum Brixianum Iurisperitum. Templum quoque olim Baccho dicatum, apud S. Hagnetem Deo consecrauit. Claram Assisiam Virginem ad præscriptum S. Francisci vita peracta mortuam anno ante eius Pontificatum tertio Idus Augusti retulit inter sanctas Virgines. Cumque sedisset annis sex, mensibus quinq;, diebus quinque, Viterbium profectus vt inter Genuenses & Venetos pacem componeret, moritur, ibidem in Cathedrali Ecclesia sepultus. Et post menses tres, dies totidem, creatus

CLXXXIII. VRBANVS IV. Trecensis Gallus, Iacobus Panthaleo 1261.
dictus, ante Patriarcha Hierosolymitanus, patre sutore (vt fertur) natus. Hic veritus Manfredum Siciliæ Regem Ecclesiæ hostem Vrbe-
netani in Tuscia ob loci natura muniti qualitatem cum Curia Romana permansit, vrbemq; ædificijs exornauit, atque conuentum multorum prælatorum celebrauit, ibiq; tractatum vt Carolus Andegauiæ Dux & Comes prouinciæ contra Manfredum è Gallia acciretur. Instituit & vt Feria quinta post octauam Pentecostes festum Corporis CHRISTI solenniter celebraretur, cuius diei officium Thomas Aquinas, qui ea in vrbe tum Theologiam profitebatur, composuit. Cumq; sedisset annis tribus, mense vno, diebus quatuor, obijt Perusiæ, ibiq; sepultus fuit in Ecclesia Cathedrali. Cumq; sedes vacasset quatuor menses, dies duos, creatus cum legatus esset in Anglia

ANNI CHRISTI. 1265. CLXXXIV. CLEMENS IV. *Narbonensis Gallus Fulcodii filius,* Guido Groſſus *dictus, incredibili morum grauitate, & vita sanctimonia Pontificatum administrauit, nec voluit vt cognati atque affines eius vllo modo ob eius Pontificatum superbirent. Delectabatur valde doctrina Bonauenturæ, qui in sententiarum libros Petri Lombardi commentabatur. Postquam vero sedisset annis tribus, mensibus nouem, diebus viginti-quinque, Viterbii mortuus, sepultus est in Ecclesia Prædicatorum. Vacauitque sedes annos 2. menses 9. dies 2. Et creatus*

1271. CLXXXV. GREGORIVS X. *Placentinus,* Theobaldus *vocatus, alias* Thealdus. *è Vicecomitum familia, Mediolano olim pulsa, in Syria absens existens, Romam reuersus, consecratur sexto Kalendas Aprilis: cum antea fuisset Archidiaconus Leodiensis. Fertur Ioannes Portuensis de huius electione hos versiculos edidisse:*

Papatus munus tulit Archidiaconus vnus
Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.

*Indixit autem Lugduni Concilium secundum pro recuperatione Terræ sanctæ, vbi ob vacationem sedis leges latæ sunt, quæ deinceps in Comitiis Romani Pontificis obseruari debeant, nimirum vt post decem dies mortuo Pontifice, quibus Cardinales exspectantur, ij qui in conclaui sunt, soli suffragia sua ferre possint, vtque cuiusuis ordinis & conditionis hominem in Romanum Pontificem creare possint: Et vt Cardinales non poterint conclaui egredi, nisi ante Pontifice creato. Vt venientes ante creatum Pontificem Cardinales etiam Conclaue ingredi possint, & ferre suffragia. Vtq; non liceat prensare, aut quicquam dare aut polliceri. Deinque vt nemo Romanus Pontifex renuntiari possit, nisi duarum partium ex tribus Cardinalium in conclaui præsentium suffragia tulerit. Præfuit Gregorius decem annis, quatuor mẽsibus, diebus decem. Et moriẽs Aretii in Tuscia, ibi in Cathedrali Ecclesia sepultus fuit. Atque post dies decem creatus Aretii*

1276. CLXXXVI. INNOCENTIVS V. *Burgundus,* Petrus Tarentasiensis *dictus Ordinis Prædicatorum sedit menses quinque, dies duos: obiitq; Romæ, atque Laterani sepultus est. Post vero dies decem*

1276. CLXXXVII. HADRIANVS V. *Genuensis Ligur Thedisii fratris Innocentii IV. filius,* Othobonus Fliscus *nominatus post mensem vnum, dies septem obiit Viterbii. ibiq; apud Franciscanos est sepultus. Atque post dies vigintiquinque creatus*

1276. CLXXXVIII. IOANNES XX. *Vlyssiponensis Lusitanus, Iuliani filius,* M. Ioannes Petrus *dictus, vir litteratus, sed ad res gerendas non vsque idoneus, habebatur Medicinæ peritissimus & Problemata Aristotelem imitans quædam edidit. Sedit menses octo, dies octo, obiitq; Viterbii, atque ibidem in Cathedrali Ecclesia sepultus est. Vacante sede mensibus, diebus quatuor creatus*

CLXXXIX.

CLXXXIX. NICOLAVS III. *Romanus, Ioannes Caietanus Vrsinus dictus, vir religionis obseruantissimus, atque temperantia in signis. Cum sedisset annos duos, menses octo, dies viginti nouem; obijt in Castello Sariano, atque inde Romam delatus, sepultus est ad S. Petrum. Et post sex menses creatus* ANNI CHRISTI. 1277.

CXC. MARTINVS II. *dictus* IV. *Turonensis Gallus*, Simon de Bria *dictus, opinione sanctimoniæ clarus, varijs distractus curis, dum tumultuantibus Vrbeuetanis atque Gibellinis Guelphos expellentibus Perusium proficiscitur, ibidem moriens, sepultus fuit in Ecclesia Cathedrali, cum sedisset annis quatuor, mense vno diebus septem. Et post quatriduum creatus* 1281.

CXCI. HONORIVS IV. *Romanus, Lucæ filius*, Iacobus Sabellus *dictus: habitauit in Auentino apud S. Sabinam, egregias ibi ædes extruens. Cumq; integre ac pie sedisset annos duos & dies duos, mortuus, sepultus est ad S. Petrum. Cumq; sedes vacasset ob aliquot Cardinales, subito morientes menses decem, dies octodecim, creatus* 1285.

CXCII. NICOLAVS IV. *Asculanus* Fr. Hieronymus *dictus, fratrum Minorum minister Generalis, licet vir bonus, tamen in partes nimium inclinasse refertur, plusquam deceret Pontificem. Sedit annis quatuor, mense vno, diebus quatuordecim. Atque moriens Romæ, sepultus est ad S. Mariam Maiorem, quam Basilicam ipse cum Iacobo Columna Cardinale restituerat. Post eius mortem Cardinales Perusiū profecti intestinis discordijs electionem per duos annos, & menses tres & dies viginti nouem protraxerunt. Tuncq; creatus* 1288.

CXCIII. CÆLESTINVS V. *Eserniensis Anglerij filius*, Petrus de Murone *dictus: secundo à Sulmone miliario Monasterium incolens, sed dum videretur tanto oneri impar astu, præcipue Benedicti Caietani se abdicauit, atque Cardinalibus alterius subrogandi potestatem dedit Qui postquam sedisset mensibus quinque, diebus septem, & sedes decem diebus vacasset, alium crearunt Pontificem: qui fuit* 1294.

CXCIV. BONIFACIVS VIII. *Anagninus Henricus ex Hispaniæ prouincia Cathelonia oriundus Lutfredi filius, dictus ante* Benedictus Caietanus *Iuris callentissimus, sed vafer ac superbus, atque etiam fraudulentus: vt qui Cælestinum pergentem ad eremum retraxerit, & in arce Fumonis custodiæ traditum misere post biennium mori, atque in Monasterio S. Antonij de Ferentino sepeliri permiserit. Gibellinos valde persecutus est, vt etiam Prochetum Archiepiscopatu Genuensi priuauerit ob nomen. Qui cum die Cinerum ad eius pedes se inclinaret de more, non eis in frontem, sed in oculos impressit contumeliose, dicens:* Memento homo, quia Gibellinus es, & cum Gibellinis in cinerem reuerteris. *Edidit sextum Decretalium, atque ad vniuersitates transmisit. Instituit quoque Iubilæum centesimo* 1294.

ANNI CHRISTI. *quoque anno celebrari. Vt Albertus spreuerat preces, petentis sibi Imperium confirmari: ita biennio post scripsit Philippo Franco se esse Dominum omnium tam temporalium quam spiritualium per orbem terrarum. Consequenter regnũ Franciæ à se debere suscipi; quod cum Rex non fecerat, debere regno priuari. Rex contemptis Legatis, litteras igni publice tradidit. Quare eo excommunicato, regnum Franciæ Alberto Imperatori, quem ante spreuerat, vltro inuadendum offert. Itaque post annos octo, menses nouem, dies viginti-octo subito moriens, atque sepultus ad S. Petrum promeruit, vt hocce ornaretur elogio: quod*

INTRAVIT VT VVLPES,
REGNAVIT VT LEO,
MORTVVS SIT VT CANIS.

## GERMANIA.

*Rodolphus Habspurgensis* obsedit Basileam, vt Stelliferorum factionem (qui à Psittacis vrbe expulsi erant) reduceret. Cumque Basileenses renuntiarent eum electum Cæsarem, lætus obsidionem soluit.

1274. RODOLPHVS *Comes Habspurgensis* & *Alsatiæ* IV Idus Octobris electus, Lausanæ à Pontifice Gregorio decimo fuit confirmatus. Italiam vero non adiit, nec coronatus est à Pontifice in Imperatorem. Eius tempore Austria, quam Danubius mediam perlabitur, & primo à Marchionibus, deinde à Ducibus regnata fuit, stirpe Ducum in femina deficiente, Ottacaro Bohemiæ Regi parebat. Nam *Fredericus* Dux Austriæ sine liberis decedens Margaretæ sorori, viduæ Imperatoris Henrici sine prole vita functi, Ducatum reliquerat; quam anum, vt Austria potiretur, *Ottacarus* in vxorem acceperat: eaque viuente *Cunigundam* Mascheriæ Regis filiam superduxerat. Vocatus ergo ab Electoribus ad Imperium, contempsit: palam inter suos dicens pluris esse Bohemiæ Regem, quam Romanum Imperatorem. *Rodolphus* itaque cum monere vt ditione cedat, quæ deficientibus ex genere Ducum virilis sexus heredibus ad Imperium deuoluta erat. Recusanti cedere Bohemio bellum indictum *Ottacarus* numero militũ vincebat, cum illi pręsto essent Bohemi, Misnenses, Hungari ac Poloni: *Rodolphus* virtute arteque superior erat, quẽ Sueui, Francones, Histrales & Styrienses iuuabant. Commissa pugna trans Danubium in Austriæ cãpis, maior strages Bohemorũ facta, *Ottacarusque* fuit interfectus. Cuius corpus deferri in Bohemiam *Rodolphus* passus est secundo Kal. Decembris. Summa clementia vsus est in Ottacari liberos cum *VVencelao* eius filio dederit nuptui filiam suam *Iutham*: & *Rodolphus* ipsius filius duxerit *Hagnetem* Ottacari filiã, quæ ei genuit *Ioannẽ*, qui *Albertũ*

patruum

patruum suum Imperatorem Romanum interfecit. Domuit vero *Rodolphus* Cæsar etiam Burgundiones. Coniuratas ciuitates Haganoam, Calmariam, Tygurum & Bernam, aliasque, quæ in eum conspirauerant, vi cepit, dignasque de illis pœnas sumpsit. Diripuit ac solo æquauit circiter sexaginta arces in Thuringia præsidio vrbis Erfurdianæ, vbi & celebria Comitia habuit. Eo pacto turbulentum atque seditiosum statum Germaniæ sub pacis leges redegit. In Italiam misit Legatum, qui à potissima parte vrbium receptus est. Sed ipse mansit in Germania, quam plurimis priuilegiis decorauit. Quæ Rebusp. cum ab eo fuissent concessa, voluerunt illæ Ecclesiasticos suis priuare iuribus: ita vt hoc rescripto illud mederi fuerit coactus. ANNI CHRISTI.

RODOLPHVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. *Vniuersis Imperij Romani fidelibus præsentes litteras inspecturis gratiā suam & omne bonum. Quia Regalem decet clementiam sic libertates impendere, & benemeritis liberalitatis & munificentia sua gratiam impartiri: quod ex eo Imperio ac Ecclesiis & Ecclesiarū Prælatis nullū prorsus in suis iuribus præiudicium irrogetur: ad vniuersorum tam præsentium quam futurorum notitiam volumus peruenire: Quod per libertates illas, quibus à creationis nostra tēpore ciuitates & loca quæcumque dotauimus, nullum volumus Imperio & Ecclesiis ac Ecclesiarum prælatis in suis Iuribus & hominibus præiudicium generari. Sed volumus quod Imperium & Prælati Ecclesiastici omnibus illis Iuribus gaudeant, quibus ante libertatem huiusmodi ciuitati & locis à nobis indultam vsi fuerunt: & quæ in eis ante tempora libertatis eiusdem habuisse noscuntur. In cuius rei testimonium præsens scriptum Maiestatis nostra sigillo iussimus communiri. Dat. in Hagenaune quarto nonas Decemb. Indictione vndecima. Anno M.CC.LXXXIII. Regni vero nostri anno decimo.*

*Machteldis* Guilielmi Cæsaris Romani soror nupta, *Hermanno* Comiti de Hennenberch, id est, Monte Gallinaceo, annos nata quadraginta, ipso die Parasceues octauo Kalendas Apriles monstruoso partu peperit trecentos & sexaginta quatuor infantes, ad imprecationem, vt tradunt, pauperculæ, quam, quod gemellos haberet, adulteram esse dixerat. Seruabantur religiose pelues duæ Lugduni in Batauis, in quibus fuerant tincti baptismo, matre moriente ex partu, ibidemque sepulta cum ipsis. 1278.

*Adolphus* Comes de Nassau fratris sui Gerlaci Episcopi Moguntinensis fraude Cæsar Romanus electus bellū gessit in Thuringia contra *Fredericum Morsum fortem* dictum. Affecitque prouinciam illam magnis cladibus; dum Crutzburgum, Franckensteinum ac Friburgum obsideret. Sed expulsus fuit Thuringia à Frederico. Cum itaque multæ ac variæ perturbationes per Imperium exurgerent, atque Adolphus iis compescendis non 1292.

ANNI CHRISTI. ſufficeret: neque rès familiaris eius non ſufficeret ad ferendos ſumptus Magnificentię Cæſareæ, inſuper præter dignitatem indulgeret vagis amoribus, atque cum neglectu Principum ſuſq; deque ferret, ꝙ fuerat promiſſus: per Electores fuit depoſitus Imperio, atque *Albertus* Auſtriæ Dux, Rodolphi filius, in locum eius communibus ſuffragiis eſt electus. Aduerſus quem, dum pro retinendo Imperio in propinquo Wormatiæ prœlio decertat, in conflictu periit ſexto nonas Iulii, cum imperaſſet annos ſex, menſes quinque, dies viginti ſeptem. Sepultum in Roſævalle monaſterio, inde translatum fuit cadauer Spiram.

GENEALOGIA ARCHIDVCVM AVSTRIÆ.

ROMANI PONTIFICES ... ANNI

ANNI sufficeret: neque rés familiaris eius non sufficeret ad ferendos

## ROMANI PONTIFICES. ANNI CHRISTI.

CXCV. BONIFACIO VIII. *post decem dies Romæ creatus à 22. Cardinalibus successit* BENEDICTVS IX. *Taruisinus*, Nicolaus Bocasinus *dictus*, *Ordinis Prædicatorum Philippum Francum à Bonifacio excommunicatum absoluit à censura. Cardinales quoque restitutis bonis Romam redire voluit, quos vt Guelphos Bonifacius expulerat. Sedit octo menses, & sex dies, atque Perusiæ moriens, ad Prædicatores ibi sepultus est. Et post contentionem decem mensium, & viginti octo dierum tandem creatus absens* 1303.

CXCVI. CLEMENS V. *Burdigalensis Aquitanus, Bertrandi filius*, Raimundus Gothus *dictus*, *concessit Lugdunum audita electione, dicens:* Si me volunt habere Pontificem, me sequantur. *Secuti sunt, & consecrarunt eum, ac coronarunt tertio Idus Nouembris. Dumque celebri pompa cum Rege Philippo, atque quamplurimis Principibus incederet, corruente muro multi oppressi fuere: inter quos fuit Ioannes Dux Britanniæ: Pontifex quoque læsus fuit. Cadente quoque Corona Pontificis, decidit atque perditus fuit pyropus, quem vltra ter mille ducatis æstimarunt. Quod aliquod malum præsagire vulgo credebatur. Transtulit vero, quo Philippo gratificaretur, sedem Apostolicam Auenionem. Celebrauit Concilium Viennense pro reformatione Ecclesiæ, & extirpandis hæresibus. Cumque sedisset annis octo, mensibus decem, diebus sedecim, mortuus ad Rhodanum in Roca Maula, ac sepultus, vti petierat, Vrestæ villula ignobili in Vasconia. Cumque sedes vacasset annis duobus, mensibus tribus, diebus septemdecim post longam altercationem creatus* 1305.

CXCVII. IOANNES XXI. *dictus* XXII. *Caturcensis Gallus, Arnaldi filius, nominatus* Iacobus Ossa. *Decretales Clementis misit ad Vniuersitates nomine Clementinarum publice prælegendas. Complures quoque catalogo Sanctorum inscripsit. Rebus nouis audiendis eum valde fuisse deditum, & delectari solitum, cum diffusius scripta redigerentur in compendium, testatur Petrarcha: sicuti etiam liberalem. Fuit contra eum Romæ* Nicolaus V. *Ordinis Minorum dictus* Petrus de Crebario *creatus auctore Ludouico Bauaro, sed coactus post tres annos, tres menses, quatuordecim dies, Auenione abdicauit.* Ioannes *vero sedit annis octodecim, mensibus tribus, diebus viginti octo: atque mortuus, sepultus est Auenione in Ecclesia Cathedrali. Et post dies quindecim creatus* 1316.

CXCVIII. BENEDICTVS X. *Tholosanus, dictus* Iacobus Fornenus, *Guilielmi filius, Ordinis Cisterciensis, vir tantæ constantiæ, vt dimoueri à recto, nec vi, nec precibus vel pollicitationibus potuerit; magno molimine inter Philippum Franciæ, & Eduardum Angliæ Reges pacem componere volens, spe sua decidit, cum illi arma deponere recusarent. Basilicæ S. Petri tectum suo iussu impensaque refici curauit. Multum auri congregauerat, quod Ecclesiæ reliquit, dicens Ponti-* 1334.

ANNI CHRISTI. *tificem non habere consanguineos. Cumque sedisset annis septem, mensibus quatuor, diebus sex, obiit Auenione, atque in Cathedrali Ecclesia sepultus fuit. Post vndecim dies creatus*

1342. CXCIX. CLEMENS VI. *Lemouicensis Aquitanus, Rogerij filius,* Petrus Monstrius *dictus, vir magnæ doctrinæ, liberalis in omnes comis pariter & humanus. Constituit Iubilæum quinquagesimo quoq; anno celebrandum. Et Auenionem vrbem à Ioanna Neapolis Regina emit, quæ in eius patrimonio habebatur feudi permutatione, cum regnum Neapolitanum eo amplius Ecclesiæ debebat. Inscripsit Clemens etiam* Inonem *Decretalium Doctorem natione Britonem Sanctorum catalogo, quod is solitus fuerat pauperibus patrocinari. Tanta pestis ab India ad vltimos terræ terminos vsque per triennium grassata est, vt Florentiæ vltra sexaginta mille: Lubeci nonaginta mille, & alibi plus minus exstincti fuerint. Ita vt cum Iubilæum Romæ celebraretur, centesimus vix hominum superuixisse reperiretur. Itaque defuncto Clemente, cum sedisset annis decem, diebus septem Auenione, atque sepulto in Monasterio Casæ Dei, duodecimo die creatus*

1352. CC. INNOCENTIVS VI. *Lemouicensis, Alberti filius,* Stephanus *dictus, vir integerrimæ vitæ, magnæq; constantiæ & seueritatis constituit, vt omnes prælati atque Pastores, quique beneficiis gauderent, in suis residerent Ecclesiis. Impensas quoque domesticas valde minuit, familiam suam ad certum redigens numerum: atque vt idem Cardinales facerent, mandauit. Instituit & Palatij auditoribus salaria ne muneribus in discernendis caussis se paterentur corrumpi. Cumque sedisset annis nouem, mensibus octo, dies viginti sex, obiit Auenione, sepultusque est in Cathedrali Ecclesia. Et post dies quatuordecim creatus*

1362. CCI. VRBANVS V. *Mimmatensis Gallus Grimaldi filius,* Guilielmus de Grisaco *dictus, vir experientissimus, quique componendæ Republica caussa profectus sit Romam, vbi celebraturus ad S. Petrum inuenit, ibi Apostolorum capita iacere neglecta: quæ argenteis locellis inclusa collocauit super altare maximum in Ecclesia Lateranensi, atque rediens Auenionem, ibi mortuus est, cum sedisset annis octo, mensibus duobus, diebus viginti-tribus. Atque translatus est Massiliam ad S. Victorem, vbi Abbatem egerat. Moxque post dies decem creatus*

1370. CCII. GREGORIVS XI. *Lemouicensis,* Petrus *Comes* Bellifortis *dictus, Clementis VI. ex fratre nepos, discipulus Baldi Iurisperiti, quem à patruo missus Perusii audierat: cuiusque auctoritate in rebus dubiis confirmandis Baldus sæpe vtebatur: Vir comis & perhumanus. Qui dũ accurate omnia, quæ ad Pontificem pertinent, peragere satagit; intolerabili vesicæ dolore moritur Romæ, sepultusq; fuit in*

Diacona

*Diaconia S. Mariæ nouæ, cum sedisset annis septem, mensibus duobus,* ANNI
*diebus viginti nouem. Et post dies duodecim creatus* CHRISTI.

CCIII. VRBANVS VI. *Neapolitanus* Bartholomæus Prignanus 1378.
*dictus, decimo quarto Kalendas Maij, die Pascha ad gradus S. Petri fuit coronatus. Verum Cardinales fugientes in Campaniam fundis alium crearunt decimo-tertio Kalendas Octobris, conquerentes Vrbani electionem coronationemque vi à populo Romano fuisse extortam. Is ergo fuit* Robertus secundus *Episcopus Cameracensis sexagesimus vocatusque est* Clemens septimus. *Fuit vero & Fundis coronatus pridie Kalendas Nouembris. Atque ita exortum est schisma omnium pessimum, & quo non aliud diutius durauit. Nimirum ad quinquaginta annos: cum eius occasione hæreses & superstitiones, quæ Iure Pontificio deberent tolli, passim per Ecclesiã cuncta inuaderent, & iustitia quoque vigore inter Principes labascente, rebelliones, seditiones, ac Tyrannides vbiq; dominarẽtur. Porro Romæ, Neapoli, Luceriæ, Panormi in Sicilia, Genuæ, Pisis, ac Lucæ Pontificatus sui tempus consumpsit Vrbanus, quod fuit vndecim annorum, sex mensium, septem dierum. Iubilæum ex quinquagesimo ad trigesimum tertium reducens annum celebrari curauit anno* 1389. *Mortuus Romæ sepultus est ad S. Petrum. Sedit vero Clemens Auenione: Sequebanturque eius partes Reges Galliæ, Hispaniæ, Scotiæ, Regina Neapolitana, Insubres atque Allobroges. Præter Italiam, sequebantur Vrbanum maxima pars Germaniæ, Flandriæ, cum Hannonienses nec huic nec illi vellent subesse. Itaque cum Clemens sedisset annis quindecim, mensibus vndecim, diebus vigintiocto, mortuus sepelitur Auenione in templo Cælestinorum. Et post dies vndecim creatus* Benedictus XI. *Arragonius Hi-* 1389.
*spanus, dictus* Petrus de Luna, *qui vniuersitatem Salmanticæ instituit. Mortuo Vrbano post dies septemdecim creatus*

CCIV. BONIFACIVS IX. *Neapolitanus* Petrus Tomacellus *di-* 1389.
*ctus. Cum florida ætate esset annos circiter quadraginta quinque natus, molem Hadriani arce muniuit, & vim populi Romani in Pontificem transtulit, creatis suo nutu omnibus Magistratibus. Superstitionem Alborum, qui lineis induti, sacerdotem crucem manu gestantem per Alpes secuti fuerant, atque humi dormiebant, sustulit, sacerdote Viterbij capto, & ad se deducto & interfecto, sectatoribus euanescentibus. Cumque sedisset annis quatuordecim, mensibus vndecim, mortuus sexagenarius, sepultus fuit ad S. Petrum: cum more veteri Iubilæum anno* 1400. *celebrasset.*

# ITALIA.

*Florentini hoc anno Pistorium narrantur imperio suo subiecisse.* 1250.
*Quod opidum cum postea in partes Alborum & Nigrorum, ac deinde Cancellariorum ac Panzadicorum transierit, per summam miseriam pene desertum & incolis destitutum fuit.*

*Florenti-*

ANNI CHRISTI. 1285. *Florentini sex millibus aureorum nummum à Rodolpho Cæsare libertatem redemerunt, atque instituerunt, vt per octo Priores artium & Vexilliferum iusticiæ Respublica per duos menses regeretur. Compararunt etiam Lucenses libertatem duodecim millibus nummum auri.*

*Scarparia vrbs Mugellanæ regionis nunc conditur à Florentinis.*

*Italiæ vrbes imperio parere solitæ nunc excusso iugo, tyrannis subesse cœperunt. Padua Carrarienses, Mantua Passerinos, Verona Scaligeros pati cogebantur. Quin vniuersam Italiam Guelfi atque Gibellini discindebant.*

1308. Henricus VII. *Comes Lucemburgensis Imperator Romæ fuit coronatus Imperator* VI. *Ianuarii renitente Roberto Rege Neapolitano & Vrsinis: Florentiã cinxit arctissima obsidione. Pisas & Senas in potestate habuit: Cremonam quoq; ac Brixiã vrbes. Cumq; imperasset annis quatuor, mensibus nouem, Aretii procurantibus Florentinis veneno sublatus Pisis post aram in templo vetusto ac nobili sepultus fuit.*

## GALLIA.

*Philippus IV.* cognomento *Pulcer*, qui mortuo Henrico Nauarro, eius vnicam filiam duxerat, eaq; de caussa Rex erat Nauarræ, successit patri in regno, quadragesimus-sextus Rex Franciæ. Vir corpore formosus quidem, sed fœdus ac scelestus animo. Erat Guidoni Dampetræ Flandrorum Comiti filia natu minor, quam ex fonte sacro exceperat Philippus, eamque vocauerat Philippam. Hanc pater desponderat Eduardo Regi Angliæ, qui Pulcro erat hostis Itaque Pulcer puellam Parisios vocat, venientemque carceri tradit cum viginti pedissequis, & triginta viris claris. Deinde strangulatas feminas proiici iussit in Sequanam: atque viros suspendi ex furcis Montfalconiis. Scelus horrendum & inauditum. Deinde mouens cum vxore in Flandros, Guidonem cum Anglo se intra muros Gandaui continere compulit. Comes duorũ annorum inducias impetrauit. Quare Anglus, quod se inscio fuerat id factum Gandauũ spoliare conatus est. At ciues tumultuose vsque Anglos contriuere, vt Rex ægre fuerit elapsus. Persuasit Carolus Valesius Pulcri frater, vt pergeret ad Regem, facile se impetraturũ esse pacem. Credidit Guido Valesio, profectusq; est cum duobus filiis, & quinquaginta nobiliorib⁹ prouinciæ suæ. Quos omnes Rex statim diuersis custodus mancipauit: seruans eos per annos octo. Tradens Flandriã Iacobo Comiti S Pauli, qui exigendo quadrantẽ bonorũ atque mercedum operariorũ tumultus excitauit Petro Rege & Ioañe Bredelo Brugis proclamãtibus: *Viuat Leo Flandriæ, Francus omnis fallax, occidamus eos tempestiue.* Occisique sunt Brugis circiter quinq; mille, & postridie Gãdaui bis mille Quod vt vindicaret Pulcher,

Pulcher, misit Robertum fratrem cum Regibus Maioricæ & Melidiæ Hispanis. At Flandri aucti copiis auxiliaribus Ioannis Namurcensis & Gulielmi Iuliacensis Comitum acie decertarunt cum Gallis in campis Groninganis iuxta Cortracum quinto idus Iulii. Vbi ceciderunt Reges duo Hispaniæ: proceres regni Franciæ triginta: equites ter mille cum maxima parte peditatus. Hinc tractatum de pace, vt Rex captiuos redderet, & pro lytro acciperet octingenta millia librarum Parisiēsium, deinde singulis annis mille, locoq; pignoris haberet oppida Insulas, Duacum, & Orchiacum. Restitutus ergo Guido Dampetrus superuixit menses sex moriens vndecimo Kalendas Aprilis. ANNI CHRISTI.

Procurauit *Philippus* Pulcher cudi nummos aureos, quos Gallioues nominabant, quorum quinquaginta duo pendebant Marcam. Erantque singuli valoris septuaginta grossorum Flandricorum cum hac inscriptione: AGN. DEI. QVI TOLLIT PECC. MVNDI MISERERE NOB. In auersa vero parte. XPS VINCIT. XPS REGNAT. XPS. IMPERAT.

## ANGLIA.

*Eduardus I.* Rex Angliæ multum pecuniæ misit Adolpho Cæsari ad conscribendum militem, sed ille sibi pecuniam reseruauit.

*Eduardus II.* Rex Angliæ sacramentum clientelare præstitit Philippo Pulcro ratione Ducatus Guiennensis, & deinde simulans se profecturum contra infideles classe venit in Galliam, cepitq; Rochellam, insulamque S. Martini Ream, atque præsidia Gallica interemit.

*Eduardo* mortuo, postquam triginta quinque annis regnauerat, successit filius eius *Eduardus* secundus. Qui quo sibi regnum stabiliret, Thomam Langcastriæ ducem patruelem suum iussit obtruncari. Quod regnum iure hereditario (fuerat enim eius pater maximus natu filiorum Henrici tertii) ad illum spectaret. Duxit in vxorem N. filiam Philippi Pulcri Galliarum Regis, ex qua tulit Eduardum tertium filium. Fuit probrosis atque obscœnis moribus.

## HISPANIA.

*Didacus Lopeus de Hazo* Princeps Cantabrorum nunc fundauit opidum Bilbaum, frequentia commerciorum florentissimū.

Est eo in opido solenne, virgines, antequam nubant, nec velari, nec alere capillos, qui ipsis detondentur. Solent hinc annuè quinquaginta circiter naues oneratæ lana ad quinquaginta mille saccos mitti in Belgium, Galliam & Angliam. Hinc oriundus erat *Ioannes Iaurechus* qui Guilielmum Nassouium Aurasii Principem sclopeto exonerato glande per maxillas transuerberauit Antuerpiæ anno 1583.

ANNI CHRISTI.

*Alphonsus* XI. in patris locum successit. Vir sæuus in subditos ac crudelis. Ex Maria Portugalla tulit *Petrum*, & ex Leonora Guzmana pellice *Henricum* Comitem Tristamaræ & alios complures. Mauros variis prœliis deuicit, multaq; iis opida abstulit. Cumque regnasset circiter quadraginta annis peste obiit ipso die Parasceues.

1318. *Ordo militum Christi* à Ioanne XXII. Pontifice in Lusitania institutus est, qui Sarracenis Beticæ resisteret, militibusq; bona Templariorum fuere concessa. Magister eius ordinis nunc semper Rex est: suntq; huic ordini annexæ omnes prouinciæ in Asia, Africa, India, atq; Bresilia inuentæ.

*Alphonsus* Portugalliæ Rex genero suo Alphonso subsidium ferens, aduersus Alboacem Maurorum Regem ad fluuium salsum prœlio decertauit, atq; victoria insigni potitus fuit. Ideoq; titulo: Ad salsum Victoris exornatus est.

## TVRCIA.

Hoc anno millesimo trecentesimo Scytharum gens Turcæ *Othomannum Zuchi* filium tenuis condicionis virum quidem, sed manu strenuum ac ingenio callidum in Principem sibi crearunt: qui cum inter eos viginti octo annos regnaret, plurima loco Pontico mari adiacentia in deditionem accepit: & Sebastiam nunc Sinam dictam debellauit. Ab eo *Otthomannica* familia originem ducit.

*Orcanes* II. Turcarum Princeps patri mortuo in Principatu successit, à liberalitate in milites suos commendatus, & ob ductam in vxorem Ciciliæ Regis filiam familiam Othomannicam illustriorem reddidit. Gessit vero bella contra Michaelem Paleologum Orientis Imperatorem. Cumq; annos viginti duos regnasset, & Prusam Bithyniæ regiam vrbem expugnaret, vulnere accepto moritur, Amurathi filio victoriam relinquens.

## ÆGYPTVS.

*Melegmandibron* bella gessit cum Bedeionis ipsi rebellibus. Quo tempore Ioannes Mandeuillanus Anglus inter alios eius Medicus quoque erat, cui vxorem cum multis agris offerebat, modo Christianismo vellet renuntiare.

## GALLIA.

1309. *Amadeus nonus* Comes Sabaudiæ ab Henrico septimo Luxēburgio Imperatore Dux declaratur.

*Ludouicus Vtinus* tertio Nonas Augusti fuit coronatus, cuius vxor Margareta filia Roberti Ducis Burgundiæ, cum ob adulterium esset mortua in carcere, duxit Clementiam Siculam: ex qua tulit filium Ioannem continuo morientem. Itaq; successit ei in regno

regno *Philippus Longus V.* qui cum Flandris pacem fecit, nuptui dans Margaretam filiam Ludouico filio Roberti Comitis. Eiecit hic leprosos Gallia, quod dicerentur conducti esse à Iudæis ad inficiendum fontes. Multi fuerunt ex iis igne combusti. Hic statuerat per omnem Galliam pondera & mensuras æquare, sed præuentus morte tertio Nonas Ianuarii, cum regnasset quinq; annos id perficere non potuit. ANNI CHRISTI.

*Carolus IV. Pulcer* successit fratri mortuo in regno. Et diuortio facto cum *Blanda* Burgunda ob adulterium, ea ratione superduxit Mariam filiam Ludoui Luxemburgii Imperatoris Romani, quod Machteldis Blancæ mater eum ex fonte susceperat. Ex hac tulit filium, sed cum matre obiit. Itaque duxit Ioannam Ludouici Eburoni cum Comitis patris sui filiam, idque Pont. Maximi auctoritate.

Successit huic *Philippus Valesius* eius patruelis, secundum legẽ Salicam. Ludouicum Roberti Claremontensis ex Beatrice Borbonia filium & S. Ludouici nepotem primum Ducem Borbonij declarauit. Sic ergo ex eo tamquam radice postea Duces Borbonii, Vendomæ & Monpenserii originem duxerunt. Cudit vero hic Philippeos dictos valoris centum & sexaginta grossorum Flandricorum, in quibus cernuntur insignia vetusta Franciæ referta liliis. Erant quinq; librarum Flandriæ minorum. 1328.

*Hubertus Delphinus* Viennensis vendit Delphinatũ suum Philippo Regi Franciæ, ea condicione, vt primogenitus Regis esset Dominus eius regionis, & vocaretur *Delphinus.* Igitur Ioannes filius Regis sequenti anno accepit possessionem Delphinusque dictus fuit. Porro Himbertus ordinem Prædicatorum Lugduni ingressus postmodum Parisiis obiit: vbi apud Prædicatores sepultus hoc Epitaphium sepulcro eius inscriptum legitur: HIC IACET PATER ET DOMINVS AMPLISSIMVS HVBERTVS, *primo Viennæ Delphinus, deinde relicto Principatu frater nostri ordinis, Prior in hoc conuentu Parisiensi, ac demum Patriarcha Alexandrinus, & perpetuus Ecclesiæ Rhemensis administrator, & præcipuus huius conuentus Benefactor. Obiit anno* M. CCC. LV.

*Philippo Valesio* defuncto successit *Ioãnes* maior natu filius, cui quatuor filii & tres fuerunt filiæ. Cuius regnũ multis calamitatibus fuit nobilitatum. Nam quo anno cepit opidum S. Ioannis de Angelis ab Anglis, tanta fames pressit Galliam: vt sextarius tritici emeretur octo libris Parisiensibus. Rex ipse quoq; ab Anglis captus in prœlio quadrienniũ detentus fuit in carcere. Galli, quo Rex euader & vincula; cereum lõgitudinis altissimæ turris Pariensis rotæ circumflexum, vt interdiu nocteq; continuo arderet ante statuam D. Virginis Mariæ posuerunt. Sequenti anno Anglis Remos obsidentibus tanta frumenti fuit penuria 1350.

vt sexta-

ANNI CHRISTI·

vt sextarius frumenti venierit octodecim libris Parisiensibus. Hac occasione pace inter Gallos & Anglos firmata Rex è custodia relaxatus est, datis obsidibus vt pro redemptione sui numeraret Anglo 3000000. librarum Parisiensium, quas cum à suis non obtinuisset vltro, remissis obsidibus, se Anglis tradidit, atque eodem anno sexto Idus Aprilis moritur Londini, corpusq; relatum fuit in ædem S. Dionysii. Regnauit itaq; post eum *Carolus V.* qui fratri minimo natu *Philippo* concessit à patre datū Ducatum Burgundiæ: atque eum copulauit matrimonio cum Maria Malana Flandriæ Comite valde imprudenter, cum fratrē natura ferocem & audacem se potestate hoc modo æquauerit. Fuit tamen ob morum maturitatem sapiens dictus. Cudit Scutatos octoginta duorum grossorum Flandricorum. Erat autem exemplum donationis Ducatus Burgundiæ huiusmodi: *Desiderantes affectuosius grauamina & oppressiones à sæuientibus hostibus illatas subditis nostris Ducatus Burgundiæ (qui ex successione bonæ memoriæ Philippi ad nos vt propinquiorem in genere nouiter delatus) amputare & prouidere ipsorum quieti: & ad memoriam reducentes grata, & laude digna seruitia, quæ carissimus Philippus filius noster quartogenitus, qui sponte expositus mortis periculo, nobiscum imperterritus & impauidus stetit in acie prope Pictauos, vulneratus, captus & detentus in hostium potestate, ibi, & post liberationem nostram vero amore filiali ductus hactenus exhibuit:* NOTVM FACIMVS *vniuersis præsentibus pariter & futuris, quod nos his, & alijs iustis considerationibus excitati, & ad humilem supplicationem subditorum nostrorum dicti Ducatus ducti, prædictum Ducatum Burgundiæ, & quicquid Iuris, possessionis & proprietatis habemus, & habere possumus in eodem, cum vniuersis & singulis honoribus, iuribus, redditibus & prouentibus, quocumque nomine vocentur, dicto filio nostro concessimus, donauimusque & concedimus tenore præsentium de nostra speciali gratia, certa scientia, auctoritate Regia & nostra Regia potestatis plenitudine: præmissaque in eum transferimus tenenda & possidenda per eum & heredes suos in legitimo matrimonio ex proprio corpore procreandos perpetuo, hereditarie, pacifice & quiete. Datum Germiniaci super Maternam die sexta Septembris anno Domini, millesimo, trecentesimo, sexagesimo tertio.* Sic signatum super plicam. *Per Regem* YVO.

## GERMANIA.

*Florentius V.* Comes Hollandiæ decimussextus, quo necem patris vindicaret, mouit in Frisios, sed infeliciter pugnauit: primo circiter Veronam, cogebaturque fugam capessere. Redintegratis viribus cum sexcentos Frisios cecidisset, potitus paterno cadauere, illud cōdi apud Præmonstratenses Mittelburgi curauit, apud Adæ Comitis sepulcrū. Cōcessit Delphensibus, vt ii. qui

cœperant

cœperant habitare ad fossam nouam à ponte Arnoldio ad pontē Nosocomij vsque, eodem iure, iisdemq; priuilegijs gauderent, cum ciuibus ad fossam nouam habitantibus, vrbsq; amplior fieret. Concessit Amstelredamensibus Gisberti Amstelani subditis immunitatem telonii ob damna ab eius milite perpessa, cū moueret in Frisios. Erat vero Gisbertus magni nominis: vt q cū Caninefates cum Frisiis atq; Aquitanis minoribus in nobilitatem conspirassent, sedato illorum furore fœdus cum iis ierit, factusque fuerit Dux exercitus. Cum Hermanno quoq; Wordeno aduersus Ioannem Ziricium Episcopum Vltraiectensem prœlio decertauit. Cæterum Florentius Comes ducta in vxorē Beatricē Guidonis Dampetri filia Flandra, ex qua vndecim liberos tulit, etiam vagis indulgebat amoribus. Voluitq; cogere Gerardum Velsium, quem innocuum gladio percusso fratre, post annuam captiuitatem vinculis liberauerat, matrimonio scorto suo iungere. Recusanti scortum ducere: *Velis, nolis*, ait, *scortum meum in vxorem habebis*. Vbi ergo Velsius duxerat Gerardi Wordeni filiā, Gisberti & Arnoldi Amstelanorum cognatā, misit eum Comes Florentinus, cum ei à cōsiliis secretisq; esset, aliquo, vt legatione fungeretur eius nomine. Dum interea vxorem eius indigne constuprare aggreditur in arce Cranenburgo ab ea perquā humaniter exceptus: perpetrando scelus Lucii Tarquinii scelere scelestius: cum hunc amor illicitus; illum odium & iniquissimæ vindictæ cupiditas eo compulerunt. Querela eadem viro & parenti exposita. Vicit mœrorem Wordenia patientia, cum Lucretia ea neglecta sibi manus inferret victa à dolore. Vindices pudicitiæ ambarum principes ac primarii viri: sed his fortuna secunda afflauit benignius; cum illis aduersa procellis persequeretur crudelius. Romani falsa religione imbuti armis, Bataui Christiana pietate insignes consilio contra tyrannidē sunt vsi. Etenim conuentu habito Cameraci, cui Legati Regis Angliæ Eduardi, Ducis Brabantiæ ac Comitis Flandriæ intererant, fuit Decretū vt Florentius captiuus mitteretur in Angliam, atque eius filius Ioannes gener Eduardi Regis inde reuersus pro patre captiuo dominaretur. Egressum ergo ad venandum Comitem armati inuadunt, atq; captiuum, cum eum Caninefates liberare molirētur, interimunt quinto Kalendas Iulii. Cum apud alias gentes Tyrannicidis constituantur ingentia præmia, atq; decernantur honores; placuit Hollandis hos bello persequi, atque in captos tandem acerbissime sæuire, & in singulis ciuitatibus præcipue nobilitatis viros interimere magnis cruciatibus. Præcipue sæuitum in Velsium Leidis, quem vasi clauis ferreis stipato per vias prouoluerunt. Imo nec innoxiis, ac rerum ignaris parcere placuit, sed omni humanitate exuta præter fas & æquum omnem

ANNI CHRISTI. fere cognationem præcipuæ nobilitatis Hollandia expulerunt nomine Bataui, re vera immanissimi Tyranni, & Brutorum cognomine multo indignissimi, cum tamen peccata suos tenere auctores, nec vlterius progredi metu, quam reperiatur delictū, moueat Ius. *C. de pœnis l. sanctius.* Hæc præter institutum referre coegit me inauditi sceleris nefandissimi degeneris Florentii iusta execratio.

Successit in Comitatu Hollandiæ Florentij filius *Ioannes* ex Anglia, vbi Elisabetham Eduardi Regis filiam duxerat, euocatus: vt tumultus sedaret, qui exorti erant, dū Theodoricus Clinius Septemtrionem versus, & Guido Hannonius ad Austrum Hollandiam sitam eius nomine gubernare contendunt. Hic cū nondum militari honore esset decoratus, nil memoratu dignū egit, nisi quod Frisios minores in agro Veronensi prœlio vicit, sexto Kal. Aprilis: atq; cadauer patris Alcmaria elatum condi curauerit ad Rheni castrum apud Moniales. Cumq; consilio Wolpherdi Veriensis Domini tributū nouum exigere molitur, Wolpherdus Delphis ad pœnam expetitus a furente plebe prępilatis pilis e tecto præcipitatus excipitur. Nec vltra annos quatuor Io-
1303. annes Principatu functus est moriens sine prole. Igitur *Ioannes Hannonius* proauita eius natus, hereditario iure ei succedens, quo mortem patrui Guilielmi Regis Romani vindicaret, in Frisios mouit, captoq; præcipuo municipali illorū pago Verona illum incensum diruit, atq; agrum fisco adiudicauit omnē. Gui-
1304. donem Dampetrum instinctu Ioannis Renessensis expugnato Metelburgo, ac Valachria in potestatem redacta obsidentem Ziriczeam, atq; Hollandiam Harlemum vsque post infelicem pugnam inuadentem magno successu expulit suis ditionibus.

Hoc anno, mortuo iam Ioanne, Florentij filio vltimo stirpis Comitum Hollandiæ, ab exsulio redux Gisbertus Amstelanus Toparcha, quo sibi seni prope ætate confecto ac bello infelici contra Hollandorum sæuitiem tutum haberet receptaculum, Amstelredamum pontib. iunxit subliciis, fossaq; & aggere, nec nō ligneis turrib. munire cœpit. Eoq: mortuo & Amstelanæ nobilitatis posteritate se metu ad plebem conferente ciuitas à Ioanne Hannonio concessa fuit fratri Guidoni, viro tantæ modestiæ, vt cum euocatus iam esset Episcopus Vltraiectensis ad Cōcilium Viennense oblatum Cardinalatus galerum à Clemente Pontifice quinto excipere recusauerit, dicens se tanto honore indignum, & imparem oneri: admirante præcipue Philippo Pulcro Gallorum Rege. Hic ergo moriens eam reliquit hereditariā nepoti ex fratre Guilielmo Hannonio cognomine Bono, in quo Iustitiæne prius mireris an pacis artes, belliue labores incertum est. Qui cum immunitatem teloniorum ob damna bello-

rum

tum caussa perpessa bis à Florentio V. Comite decimosexto cõfirmasset, atque ciuitatem legibus municipalibus atq; priuilegiis ornasset, breuissimo tempore ædificiis ac conuenis vsque aucta fuit: & diuitiis locupletata, religioneq; decorata, vt ægre vlli cesserit ciuitati inter Rhenum & Albim. Quamquam fere discor ita semper laborauerit: ita vt ciuis eius clarissimus Cornelius Crocus solitus sit de ea dicere: *Dissidio creuisti, dissidio peribis.* Et Philippus Dux Burgundus, quo olyarchiæ obueniret, æquis partibus ex factione, quæ ab Asello pisce nomen traxit, & ea, quæ ab Hamo Magistratus constituit duodecimo Kal. Decembris anno 1445. Voluitq; diem illum publico epulo quotannis celebrari. Porro ciuitati nomen datum fuit ab amne Amstela, statione fida catinis, atq; aggere, per quem se fluuius duobus emissariis exonerat in lacum. Quod suo epigrammate lepide expressit Nicolaus Cannius Poeta & Theologus, cum eam Cornelius Antonius Geographus veri similitudine exacte depinxisset, ambo clari ciues:

*Hæc illa est Batauæ non vltima gloria gentis,*
*Amnis cui nomen, cui cataracta dedit:*
*Dicta prius Damum raris habitata colonis,*
*Cum contenta casis rustica vita fuit.*
*Hinc Amsterdamum iam facta celebrior, atque*
*Fortunæ creuit tempore nomen item.*
*Vrbs bene nota prope, atq; procul distantibus oris,*
*Dotibus innumeris suspicienda bonis.*
*Diues agri, diues pretiosæ vestis & auri,*
*Vt pleno cornu copia larga beet.*
*Quidne Tagus atq; Hermus vehit & Pactolus, in vnum*
*Vere hunc congestum dixeris esse locum.*

*Ioannes I.* Dux Brabantiæ sibi acquirit mortuo Henrico IV. Cæsare Ducatum Lymburgensem, partim hæreditaria successione, partim armis contra Reinoldum Comitem Gelriæ.

Cum Philippus Rex cum vxore Ioanna Nauarræ Regina venisset Brugas Flandriæ vrbem, videns fastum matronarum: *Ego me, solam*, aiebat, *Reginam putabam, at hic vltra sexcentas conspicio cultu me non inferiores.*

*Ioannes II.* Hannonius Hollandiæ Comes iã declaratus, quo mortẽ auunculi Guilielmi Cæsaris Romani vindicaret in Frisios mouit: Veronam opidum cepit, diruit, ac solo æquauit. Corpus Cæsaris Hochuuouda delatum curauit sepeliri Metelburgi. Exinde Alcmaria cœpit frequentius habitari, cum contra Frisiorũ incursiones tribus muniretur castellis. Paullo post eo mortuo successit in Principatu filius *Guilielmus*, cui ob probitatẽ morum Bono cognomen fuit. Fuit illi Præfectus ærarii Guilielmus

ANNI CHRISTI. Duuenvordius nothus, vir à sollerti industria plurimum commendatus, sed ingenio præfracto & implacabili. Nam cum duxisset in vxorem Heluuigam Zueri Domini Vianensis filiam, illaq; ingressura lectum ingemisceret cum lacrymis; sciscitatur ille causam, nec desistit percontando, donec illa eloqueretur, graue & indignum sibi videri ministro patris (inseruierat enim aliquot annis Zuero Duuenvordius) nuptiali sociari thoro. Tũ ille lecto exiliẽs: *Numquam hoc tibi*, inquit, *eueniet*. Nec vnquam postea, quamuis puellam dicti pœnituerit, adduci potuit, vt cum ipsa communem ingrederetur thorum: vitã quodammodo cælibem agens. Fuerat postulatus argentum ab Eduardo tertio Anglorum Rege genero Comitis, cũ ille cum Philippo Valesio pro Galliæ regno decertabat, rogauitq; Regem, quantum peteret: respondentiq; Regi sibi opus esse centum millia aureorum, ducenta millia se numeraturum promisit, modo Eduardus cõcederet, vt liceret sibi, quoad summa illa restitueretur per Angliam immunem, ac sine vectigaliũ solutione cum mercimoniis versari. Quod cum percrebuisset inuidia atq; odio nobiliũ aliquot apud Guilielmum Comitem accusatus ad reddendam rationem confestim cogitur. Paret dicto, & reuertens ad constitutum diẽ amictus rara veste fascem clauium manu gestabat. Mirari Princeps cum suis nobilibus, & rogare quid sibi mos ille vellet. Respondit; *Reddam rationem nouo more. Hãc arcem exstruxi: tua*, ait, *ô princeps est; & hac clauis ei inseruit, cape igitur. Illam quoq; ædificaui, & hanc cape clauem ergo. Tantum hic, tantum illic argenti est; omne tuum est. Hæc itaq; mea ratio est: quando aliter ob aures tuas ab æmulis occlusas, dari non licet. Cum hoc amictu primum ad te accessi: cum hoc eodem, à te discedo: Vale.* His auditis erubuere Proceres sibi conscii iniquæ accusationis. Iussit igitur optimus Princeps, vti Præfectus erat ærarii, maneret perpetuus. Fundauit hic Carthusianorum monasterium apud Montem S. Gertrudis, & Virginum Liberiorum Clararum Bruxellæ, vbi etiam fuit sepultus. Porro erat Guilielmus Comes æqui iustiq; obseruantissimus, ꝙ insigni hocce exemplo satis declarauit. Fuerat agricolæ vacca lacte vsq; abundans, vt prodigii fere loco haberetur, cumq; eam nec precio nec precibus sibi comparare posset, Prætor agrarius Dordracenus, eam nocte mutauit cum altera ei quã simillima, atq; domum deduxit. Sensit agricola fraudem, suamque sibi restitui à Prætore voluit. Illo tergiuersante profectus rusticus in Hannoniam, rem, vt facta erat, ad Comitem defert. Qui Prætorem ad se accersitum confestim iubet agricolæ suam restituere vaccam, vel potius numerare pro ea centum aureos. Quod prætor se ait facturum: Sic ergo cum satisfeceris rustico, inquit Comes, nequaquam mihi satisfecisti, cui iustitię munus cõmissum.

Arre-

Arreptum itaq; Prætorem facta delictorum exomologesi iussit decollari atq; deportari Dordracũ ad sepeliendum. Porro obiit hic optimus Princeps Valencenis septimo Idus Iunii, ibidemq; fuit sepultus, relinquens Principatus successorem Guilielmum eius nominis quartum & Margaretam filiam, quæ nupsit Ludouico Bauaro Cæsari Romano. ANNI CHRISTI.

# ECCLESIA.

DANTES ALIGERVS FLORENTINVS ab ingrata patria in exsulium relegatus, Poeta Hetruscus longe elegantissimus, simul & doctus, natus annos quinquaginta sex, obiit Rauennæ Eius sepulcrum vetustate deformatum Bernardus Bembus Petri Cardinalis pater, Prætor à Venetis ea in vrbe constitutus, opere cælato & concamerato addito hoc hexasticho exornauit:

*Iura Monarchiæ, Superos, phlegetonta, lacusq;*
*Lustrando cecini, voluerunt fata quousq;.*
*Sed quia pars cessit melioribus hospita castris,*
*Auctoremq; suum petiit felicior astris,*
*Hic claudor* DANTES *patriis extorris ab oris,*
*Quem genuit parui Florentia mater amoris.*

Parisiis nunc floruit *Ioannes Mehumius* Gallicæ linguæ peritus poeta, qui Ouidium de arte amandi & Boethium de consolatione Philosophiæ transtulit.

*Fratricelli*, quorum primus auctor erat *Michael Cesenanus* Minister fratrum Minorum, condemnati sunt à Clemente Pontifice, cum docerent nec *Christum*, nec Apostolos quicquam, nec in particulari, nec in communi habuisse proprium, Imperatorem tantũ in spiritualibus obedire debere Pontifici Maximo. Traxerunt hi in suam sententiam Ludouicum Bauarum Cæsarem, vt Nicolaum crearet Pontificem, à quo Romæ coronaretur. Excommunicauit ergo Ioannes Bauarum simul cum Michaele sectæ auctore, cum ille doceret eos, qui aliter crederent, non posse saluari. Misitq; exercitum in Fratricellos, qui etiam *Pauperes de Lugduno* appellabantur. Contra Pontificem Ludouicus Cæsar & Michael appellabant ad Concilium, quod Perusii indixerant. 1314.

Picturæ barbarie profligata restaurator ac vindex IOTTVS FLORENTINVS nunc pinxit Romæ nauiculam, in qua vndecim metu ac stupore perculsos, ob socium Petrum, quem super vndas meantem videbant, expressit, ita pro se quemq; suum turbati animi indicium vultu & toto corpore præferentem: vt in singulis singuli affectionum motus appareant. Eius sectatores fuerunt *Masus, Ioannes Camburius, Stephanus Scinia, Thadæus Gaddus*, nobiles pictores. In Iure ciuili interpretando florent *Iacobus de Bulgariis & Reinerus de Floreliny.*

ANNI CHRISTI. FRANCISCVS PETRARCHA Incisa Hetruriæ vrbe ortus, ab Vrso Anguillariæ Comite, & Stephano Columna Senatoribus astantibus, Patriciis, populoque Romano in Capitolio poetica corona ex Lauro donatus est: Quæ præmium fuit Africæ Latine à se decantatæ: cum prius Hetruscam linguam ad exactæ elegantiæ fastigium perduxisset; vt in genere eius poesis castitate, candore, dulcedine primus & vltimus existimetur. Hic vt primus omnium litteras a multo æuo sepultas, ad vitam reuocauit. Fuerat vero Incisæ patre exsule Florentino genitus, atque in vico Arquato agri Patauini ætatis septuagesimo anno decessit, ibique sepultus fuit. Lucam suam testamento legauerat *Ioanni Bocatio*, vt ludendo ea *Christo* caneret hymnos. Fuerat vero eius sepulcrum hoc a se composito carmine nobilitatum:

*Frigida Francisci lapis hic tegit ossa* PETRARCHÆ
*Suscipe virgo parens animam, sate virgine parce:*
*Fessaq; iam terris cæli requiescat in arce.*

Erat vero BOCATIVS eo iunior octo annis natus Certaldi opido Hetruriæ: & vernaculæ linguæ orationem prosam primus inchoauit atque absoluit. Dumque maiorem venatur gloriam ex Genealogiis Deorum; fallitur sua spe, nec enim ex his Latine conscriptis iam obsoletis tantam laudem promeruit, quantam ex centum illis nugis Hetrusce iucunditate mira compositis.

1322. NICOLAVS de LYRA vico Normandiæ ortus professione Minorita, hoc tempore commentarium scripsit in Genesim Moysis, nec destitit, donec complesset commentaria iusta in vniuersam scripturam Floruit Parisiis maxime sub Carolo quarto Rege Franciæ: plenusq; dierum anno ab ingressu ordinis quadragesimo octauo moritur, decimo Kalendas Nouembris anno 1340 ornatus titulo *Doctoris plani*, sepultusque fuit Parisiis apud Minores in loco capitulari: vbi & epitaphium eius legitur.

1355. Celeberrimus Iuris Antistes BARTOLVS Montisferati ad Sentinum amnem Vmbriæ natus moritur, Perusii anno ætatis suæ quadragesimo sexto Qui firmitate doctrinæ & mira iudicii constantia æquales suos superauit Quod si ei adfuisset Latinæ eloquentiæ faculeas; summæ gloriæ fastigium proculdubio tenuisset. Quandoquidem in perpetuo docendi munere occupatus; tot & tanta volumina perscribere potuisse quis crederet: Situs est Perusii in cœnobio Franciscanorum medio templi sepulcro marmore occluso, in cuius ambitu Epitaphium conscriptum est: OSSA BARTOLI. Donarat illum Carolus quartus Imperator insignibus, quibus leo rubeus in aurarato campo cum bicipiti cauda saliendo exprimebatur.

*Brigitta* natione Germana, Suetiæ Domina, mortuo marito, p[...] suis liberis sua dedit pauperib⁹, atq; Romã profecta mo-

nuit

auit Vrbanum vt Romæ maneret, nec rediret in Galliam, moritúrque cum ordinem instituisset decimo Kalendas Augusti. ANNI CHRISTI.

Floret nunc *Guido de Cauliaco* nobilis Chirurgus, qui ex variis auctoribus Montispessulani collegit variarum auctorum sententias de Chirurgia in volumen, dum quasi Chirurgus multis inseruiisset Pontificibus Romanis, compleuitque opus illud suum anno Domini 1363.

*Ioannes Mandeuillanus* Anglus, professione Medicus, cum perlustrata magna parte orbis terrarum, librum de iis Gallice conscripsisset, quæ viderat, moritur Leodii Eburonum decimoquinto Kalendas Decembris, sepultusque fuit apud Guilielmitas.

BALDVS VBALDVS Perusinus Iurisconsultus acceptam à Bartholo Iuris doctrinam vsu & scriptis confirmauit. Horum amborum industria tanta librorum exorta est multitudo, vt numerosiores prodierint libri explicandis ac refellendis conditi iuris sententiis quam veterum Iurisperitorum fuerint vmquam. Fuerunt eius coætanei PAVLVS de CASTRO, & eius filius ANGELVS CASTRENSIS & ALEXANDER de IMOLA conscriptis Iuris commentariis longe clarissimi. *Petrus* quoque *Baldi* frater cum filio suo *Matthæo* & *Angelo* Baldi filio. Ceterum *Baldus* Tridenti ludendo cum catello suo rabie affecto in inferiore labio leuiter demorsus fuit. Sed ipse huius rei ignarus, quarto post mense rabidus factus & tandem hydrophobicus miserabiliter Ticini mortem obiit, nullo adiutus medicamento.

*Baldi* quoq; coætaneus fuit BARTHOLOMÆVS SALICETVS qui nascente Academia Ferrariensi summa cum laude ibidem ius explicauit.

Circa hunc annum inuenta sunt incertis auctoribus in Germania tormenta bellica, bombardæ ac sclopeti, simul & puluis tormentarius ex carbone, sulphure & halinitro formari cœptus auctore Bartholomæo SWARDTS, vt creditur, in pernicìem multorum mortalium. 1365.

*Albertus* Austriacus tertius eius nominis in familia illa dictus, cum *Trica* Academiæ Viennensi Mathematicas lectiones intulit; cuius rei confirmationem ab Vrbano sexto Pontifice Maximo hoc anno impetrauit. Curauit filium suum Nothum *Leopoldum*, cuius Astronomicum opus exstat, etiam Astronomiæ initiari. 1384.

## HISPANIA.

Cum *Ludouicus Vtinus* à matre Ioanna regnum Nauarræ hereditario iure accepisset, reliquit illud Ioannæ filiæ, quam ex Margareta Burgunda susceperat.

ANNI CHRISTI.

Cum PETRVS Rex Castellæ tyranni more fratres, aliosqu: complures necaret, atq; etiam Blancam vxorem Ducis Borbonii filiam interemisset, & Proceres Ecclesiæ contineret in vinculis omnibus facultatibus nudatos: famaque esset eum conspirasse cum Rege Granatæ hoste fidei: Vrbanus V. Pontifex maximus Auenionem euocauit Henricum II. eius fratrem nothum cum Petro Arragoniæ Rege, excommunicatoq; Tyranno
1364. Henricum legitimum declarauit Regem Castellæ. Promittente auxilium atque annonam Arragonio Galli milites in Castellam ducti sunt, odioque Tyranni receptus in Regem Hen-
1367. ricus est. Tyrannus implorato auxilio ab Anglis, qui in Aquitania regnabant, prœlio deuictum fratrem in Galliam profugere coegit. Vbi reparatis copiis reuersus Petrum præter opinionem adortus traditum sibi gladio confodit: rerumque potitus cum Gallo fœdus icit, quod Constantia & Isabella Petri filiæ statim in Aquitaniam fuerant deductæ à morte patris, atque nupta Constantia Duci Lancastriæ, verebatur ne & alteram duceret, & alius Regis Angliæ filius, qui sibi ob regnum paternum bellum possent inferre Parata classe quadraginta nauium & tredecim myoparorum ad Gallo auxiliandum, confl xit è regione Rochellæ cum Anglis, & capto in prœlio minore Regis filio, multisque cum Ducibus feliciter pugnauit. Porro regnauit ab occiso Petro octo annis Henricus II. fatoque functus reliquit Eleonoram, quæ nupsit Regi Nauarræ, & Ioannem sibi succedentem: qui ex Eleonora Petri Arragonum Regis filia tulit Henricum III. quem Regem Castellæ & Legionis reliquit: & Ferdinandum, qui postea Arragonum Rex euasit. Amissaque hac vxore duxit Beatricem Ferdinandi Portugalliæ Regis vnicam filiam, ex qua sustulit numerosam prolem.

*Ioannes* hoc nomine primus, Rex Portugalliæ, Septam vrbem munitissimam Mauritaniæ ad fretum Gaditanum sitam expugnauit. Atque deinceps bellum à Lusitanis contra Mauros susceptum haud diu vmquam intermissum fuit.

*Betanchor* Gallus ex concessione Catharinæ matris & nutricis Ioannis secundi Regis Hispaniæ repertas Lancelotum, & Fortemventuram Fortunatas insulas occupauit atq; redegit in cultum Eo mortuo vendidit vtramque heres eius viris Hispanis. Anno quarto accepit regni gubernacula *Ioannes*, atque ducta Maria patrui Ferdinandi filia, ex ea suscepit *Henricum* quartum

*Henricus* vero quarta Ioanna, ex ea Alphonsum & Elisabetham sustulit.

## GENEALOGIA REGVM PORTVGALLIÆ.

Alph
fu

Ioan. II. & I
*nandi Infantis*

Alphonſus & I
*equo decide*

Iſabella *Ferdinan*
*Eliſabeth filia.*

Ferdinandus
*Princeps Hi-*
*ſpaniæ obijt.*

Io
*&*
*P*
*ſt*

Emanuel
*Princeps*
*& Ioanna*
*Carolo V.*
*Imp. filia*

Mari
*Philip*
*II. H*
*niæ R*

Sebaſtianus
*Rex qui ca-*
*ſus fuit in*
*prœlio à*
*Mauris.*

Car
*Prin*
*Hiſp*
*rum*
*tu*



Portugalliæ Duces sunt: *Brugantia, huius prouentus annuus 40000. Ducati.* *Colimbria.* *Visea.* *Trascossa.* *Barcela.* *Aneria.*

Marchiones: *Villa Reala.* *Turris noua.* *Montis maioris.* *Ferreica.*

Comites *sunt numero viginti.*

Magistri ordinum: CHRISTI. *S. Iacobi.* *Auis.* *S. Iannis Prior de Crato,*

Archiepiscopi: *Bracharensis* 24000. *Vlyssiponensis* 16000. *Fundhalensis* 8000.

Episcopi *numeri sunt octo.*

## GERMANIA.

Legati Argentinensis ad *Henricum VII.* Imperatorem pro cõfirmandis ciuitatis suæ priuilegiis, cum se missos à Dominis Argentinensibus magno verborum apparatu dicerent; noluit *Henricus* eos audire, donec dicerent se missos à ciuibus.

*Henricus VII.* Imp. nono Septembris moritur in Tuscia apud Bonconuentum, agri Senensis opidum. Vixit annos 51. mensem vnum, iuxta Onuphrium secundum Petrarcham anno quarto mense octauo, qui & insigni eum ornauit elogio. 1313.

Hoc anno *Heluetij* fœdus cœperunt icere, fuereque præcipui pagi Suicia, vnde dicti sunt Suiceri, Siluania, Vrsella, & post annos sedecim accessit Lucerna, deinde post viginti Clarona, Tugium, Berna atque Tigurinum.

Cum hucusque non fuisset licitum alio lupulo salictario coquere cereuisiam: nisi eo, qui redimeretur ab Hollandis à Principe; concessit *Guilielmus IV.* eius nominis Comes Delphensibus: vt libere possent ab aliis lupulos mercari, soluendo pro Iure Comitis iam antiquato in decem vasa quæque cereuisiæ solidum Hollandicum, seu duodecim denarios. Quę cõcessio summo emolumento fuit ciuitati: cum ab illo tempore bonitate cereuisiæ præ aliis ciuitatibus cœpit excellere atq; palmam adipisci per omnes paullatim regiones, quæ intra Amasim & Schal-

ANNI CHRISTI. dim sternuntur. Cum leuitate proxime accedit ad Anglicanam Londinensem, & Cimbrorum delicias Hamburgensem cereuisiam, primatum concedens Gedauensi, quam & æmulari norunt Delphenses.

1314. Post interregnum anni vnius, mensis vnius, dierum viginti quatuor, decimo quinto Kalend. Nouembris creatus *Ludouicus* v. Bauariæ à Moguntino & Treuerensi Episcopis, Volemaro Marchione Brandeburgensi atque Ioanne Bohemiæ Rege fuit coronatus. Fuit hic filius Ludouici Ducis Bauariæ & Palatini Rheni. Cessit vero fratri Rodulpho Palatinatum, sibi seruans Bauariam. Et illo tempore sequestratæ sunt hæ ditiones: sed tituli non fuerunt discreti, at manserunt in vtroumque posteris. Ludouicus Cæsar reliquit Ducatum Bauariæ Stephano & Alberto ex priore vxore. Ex Margareta Guilhelmi Hannonii reliquit *Guilielmum* & *Albertum* Hannoniæ & Hollandiæ Comites titulo tenus Duces, Germanorum more, Bauariæ.

Eodem die contra Ludouicum creatus fuit *Fredericus Pulcher* Austriacus, Alberti Imperatoris filius, & Rodolphi Cæsaris nepos à Coloniensi Episcopo, Rodolpho Palatino Rheni & Rodolpho Saxoniæ Duce Bonnæ inauguratus. Hic annos XIII. cum Ludouico acriter contendit, donec tandem victus & captus triennio in carcere fuit.

Ludouico vero à Clemente v. excommunicato, CAROLVS IV. Ioannis Bohemiæ Regis filius ab Electoribus quibusdam Imperator eligitur.

1363. Dum *Guilielmus IV.* vigesimus secundus Comes Hollandiæ à Frisiis Orientalibus cum multa nobilitate cæsus esset, sexto Kalendas Octobris, nec ei superesset vlla proles ex Ioanna vxore; *Margareta* eius soror successit in Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ ac Frisiæ Comitatibus. Quæ Guilielmo filio, quem Ludouicus Cæsar secundis nuptiis ex ipsa tulerat, hoc pacto Hollandiam regendam commisit, vt in singulos annos sibi solueret decẽ mille antiquos Scutatos Francicos, nempe vicies octies mille libras Hollandicas. Sed cum ille pactis non staret; cessit matri in Viduæ prouinciam secedens in Hannoniã. Interea factiones oriuntur in Hollandia, quarũ vna ab Asello pisce, quæ Guilielmo fauebat, sibi nomen desumpsit. Erantq; eius Principes *Ioannes*

1364. *nes* Arculensis, *Ioannes* Engmondanus & *Gerardus Emskerrius*: altera Margaretæ deuota factio, ab hamo, quo pisces capi solent, nomen mutuarat, Ducesq; desumpserat *Theodoricũ Brederodium*, *Philippum Wassenarium*, *Ioannem Leccanũ*. sic vt nobilitas ex æquo videretur in duas illæ partes diuisa. Accinerũt Asellani *Guilielmũ* Ooster-

ANNI CHRISTI.

Oosteruanta Cimbrorum olim Colonia ad Scaldim, quæ iure maximo natu Hannoniæ Comitis filio parebat. Hic itaq; illinc Gorcomio profectus Houcanorum domus ac castella vastabat, multoque maximam Hollandiæ partem ad se pertraxit. Tum matrem nauali prœlio ad Mosæ ostium deuictam quarto Nonas Iulij, Hannonia se continere certis condicionibus coegit, vbi illa moriens filio dominatum reliquit.

Mortuo *Carolo* quarto Imperatore sexto Kalendas Martij Wenceslaus deinceps regnare cœpit, longe patri dissimilis voluptatis sectator, laboris fugiens, & vini prorsus, quam regni curiosior. Ferunt eum inter Principes viros suos crebro dicere solitum: *Ego, si me diripiendis vrbibus Italiæ fors præsentem dederit, ceterarum prædam militibus impartiar, vini tantum apud me spolia seruabo.* Et: *Si quis autem in cellam meam vinariam iniussu mei fuerit ingressus, gladio ferietur.* 1394. *Æneas Siluius & Franc. Petrarcha.*

*Gulielmo* mente capto euocatus Germania *Albertus* Bauarus Amstelredamum appulsus in gubernatorem prouinciarum fratris publico decreto fuit constitutus Kalendis Martij. Vir singularis prudentiæ & religionis amantissimus, solitus in suis diplomatibus Carthusianos suos vocare sacellanos: quibus & in propinquo Amstelredamo via Harlemensi monasterium Portus Salutis exstruxit, collatis in eorum insuper subsidium multis agris & insula Horna ad canam fossam in sinu lacus Australis, à colonis cum septem familiis habitari solitam. Mortuo vero fratre absque prole ei in Principatu successit, & opidum Amstelredamum variis priuilegiis ac prærogatiuis decorauit. Præcipue quod concesserit ei, vt liceat illic libere & absque vllo vectigali ostiis Marsorum aluei & Fleui aduehere, euehereque mercimonia, citra alicuius contradictionem.

*Gulielmus Bueckeldus* piscator obiit Bierulieti, qui primus Belgarum omnium haleces saliri muriaque condi in vasis docuit. 1397. Quod eius inuentum merito Carolus Quintus Imperator Romanus tanti fecit, vt cum sorore sua Maria Hungariæ Regina Bierulietum appulsus Idib. Aug an. 1556. adierit, eius sepulcrum salutaria piis ipsius manibus precando.

*VVenceslao* Imp ob ignauiam & voluptatem imperio deiecto, sufficitur *Rupertus* Bauariæ Dux, ac Palatinus Rheni. Vir fuit iustitiæ amantissimus. Mortuus est Oppenheimi & sepultus Heydelbergæ, cum regnasset annos decem. Succeslit ei SIGISMVNDVS Caroli IV. filius. 1400. 1410.

## ANGLIA.

*Eduardus* III. annos natus sedecim, coronatur Londini, atque ducit

ANNI CHRISTI. ducit *Philippam* Guilielmi Hannoniæ & Hollandiæ Comitis filiam. In eo honesta indoles, sincerum atque animosum pectus, & virtutes Principe dignæ eluxerunt.

1363. *Eduardus* II. Rex Angliæ collecto exercitu quatuordecim millium militum cum Eduardo filio Principe Wallensi appulsus in Normandam Canam vrbem expugnauit: vbi captus fuit Conestablius Franciæ. Gallus Anglum vado Somonā flumen trāseuntem adoritur, atque commisso acri prœlio Anglus potitur victoria. Inuenti sunt vndecim Principes viri, octoginta Barones, mille ducenti equites, & triginta mille milites occisi. Deinde cum obsideret Caletum, Dauid Rex Scotiæ à Gallo sollicitatus, collectus circiter quadraginta millibus in Angliam properauit. Aduersus quem Regina moriens cum aliquot Archiepiscopis & Episcopis, occisis quindecim millibus Scotum cepit, victoriaq; exultans ad maritum in Galliam traiecit, ei res à se gestas referens.

Angliæ Regis filius cum Duce Brittoniæ profugo & exercitu tredecim millium Caletum appulsus grassatur per Picardiam, regioneque vastata legatis Pontificiis intercedentibus induciæ factæ fuerunt, constitutusq; est dies, quo conuenirent Brugas Flandriæ, ad tractandum de pace.

*Henricus* Ioannis Ducis Lancastriæ nothus, Anglia à Richardo Rege patruele fuit expulsus: cumque biennium mansisset in Gallia, à Richardo rebellibus Anglis reuocatus cepit Richardum, carceriq; inclusum coegit resignare regnum in manus Ordinum Regni: à quibus ipse Rex fuit constitutus, atque Richardum perimi in carcere curauit.

## ITALIA.

Carolus IV. *Imp. Italiam ingressus Longobardos in potestatem accepit. Gibellinos, qui Florentia exulauerant, eiectis Guelphis, in suas sedes restituit, & Hetruriæ pro suo arbitrio leges dedit.*

1356. Ioannes Delphinus VI. *Dux Venetorum studens rebus nouis, & sibi volens vindicare Rempublicam, captus à ciuitate securi percussus fuit.*

## GOTHIA.

1355. Extremi Asiæ Sinenses populi liberantur à seruitute Scytharum per Hocibi ex Icteri Regum genere oriundum. Hic expulsus Scythis constituitur Rex Sinarum populi præpotentis.

1366. *Iagello* Olgerdi Magni Ducis Lituaniæ filius suscepto baptismo Christi, *Vladislaus* nominatus electus atque coronatus in Regem Poloniæ Heduigim Ludouici Hungariæ Regis filiam decimo-quarto Kalendas Martii anno 1368. in vxorē duxit: cū qua

inse-

insequenti anno ingressus Lituaniam per Bedzanta Archiepi- ANNI
scopum Gueznensem gentem ad fidem *Christi* conuertit. Extin- CHRISTI.
xit in vrbe Viluensi sacrum ignem, lucos succidit, & interemit serpentes quos Barbari colebant. Ex huius stirpe post Reges Poloni fere electi fuerunt.

## GRÆCIA.

Corfu olim Corcyra insula Hadriatici maris hoc anno venit 1382.
in potestatem Venetorum. Eam describunt Volaterranus, Benedictus Bordonius, & Nicolaus Nicolaius.

## GALLIA.

*Iuo* Ammonis Walliæ principis filius conquestus de iniusta patris nece ab Anglo perpetrata à Gallo classem cum quatuor millibus militum accipiens Angliæ oram maritimam deuastauit. Conestabl⁹ exercitu terrestri mouens in Pictones à ciuitatibus patefactis portis recipitur.

Cum sub Kalendas Nouembris vtriusque Regis legati cum Pontificiis Brugas venissent, atque concordia iniri nequiret; offensus Gregorius Pontifex relicta Auenione Romam periit.

Angli obsederunt Ypras celebre opidum Flandriæ: sed terrore compulsi, fugam capessiuerunt.

Mortuo *Ludouico Malano* quinto Idus Ianuarii fit *Philippus* 1384.
Burgundiæ Dux eius gener, Comes Flandriæ. Hinc Flandri dicti *Burgundiones*.

Galliæ Rex *Carolus VI*. cum lineis indutus pice resinaque illitis, atque pilis animalium tectis cum aliquot eiusdem cultus nobilibus instar hominis siluestris in palatio saltaret, cadente igne è face flamma plerosque corripuit, vstulauit, atq; in puteos Sequanamine sese præcipitare coegit; cum Flandra mulier nobilis Regem chlamyde, quem pro suæ gentis more capiti imposuerat, à flammis vindicauit: & illum inuoluens. Quem mente amotum iam deinceps fuisse constat.

In initio eius regni captus fuit ceruus, cui erat torques inauratus cum hac inscriptione: HOC ME CÆSAR DONAVIT. Quare apposuit armis Franciæ duos ceruos volantes: ab vtraque parte vnum. Iussit etiam tria tantum lilia in ijs pingi, cum antea campo ceruleo complura aurea lilia inscriberentur. Cudit scutatos aureos æstimatos antiquitus octoginta octo grossis Flandricis.

## ECCLESIA.

Hoc tempore *Gerardus Magnus* Parisiis in Patriam reuersus Thomas
Dauentriæ verbum Dei Diaconus tantum prædicabat, perq; Vl- de Kempis.
traie-

ANNI CHRISTI. traiectinæ Diœceseos ciuitates profectus cœnobiticam vitam professos ad pietatem præcipue adhortabatur. Instituit cœnobiticum viuendi genus votorum vinculis liberum, in quo sub antistite suo liberam pureque Christianam vitam viuerent sine proprio sineq; mendicitate sacerdotes cucullati quamdiu liberet: scribendis liberis & instituendo iuuentutē victum sibi comparantes. Domus, quam Dauentriæ exstruxit a suo successore nomen sortita *Florentij* vocatur. Et vt adolescentulis, quos pietate quoq; imbuebat, esset quo post studiorum cursum se reciperent, ad Fossam Drusianam, quæ Isula dicitur, cœnobium fundauit Canonicorum Regularium, ad præscriptum D. Aurelii Augustini viuentium, Windeshemo loco nomen. Vbi ex suis sociis THOMAM de KEMPIS, qui libellum *de imitatione* CHRISTI scripsit, constituit: & *Gerardū Zutphaniensem*, qui trigesimo primo ætatis anno moriens, duos de spirituali exercitio elegantissimos libros post se reliquit. *Gulielmus* quoq; *Clincardus* Schoonhouianus domus Florentii œconomus feruore religionis cœnobiticæ propagandæ ad Leccam in Batauis Hominum cœnobium construxit, collato in vsum Canonicorum quidquid peculii agriq; ex patrimonio habebat.

1399. EMANVEL CHRYSOLORAS Byzantinus à Ioanne Imperatore Orientis emissus ad impiorandas opes Principum Europæ fuit. Cumque Baiazete Turca à Tamerlane capto, sublatus esset metus Græciæ. Venetiis primum hoc anno litteras Græcas docuit: quæ Italia septingentis annis exularant: Deinde Florentiæ ac Romæ; Vnde vocatus à Ioanne Galeacio Insubrum Principe Ticini eas professus est. Mortuus vero est Constantiæ, cum eo caussa spectandi Concilium esset profectus Peggius Florentinus eius discipulus his carminibus eius tumulum exornauit:

HIC EST EMANVEL SITVS
SERMONIS DECVS ATTICI,
QVI, DVM QVÆRERE OPEM PATRIÆ
AFFLICTÆ STVDET: HVC IIT
RES BELLE CECIDIT TVIS
VOTIS ITALIA, HIC TIBI
LINGVÆ RESTITVIT DECVS
ATTICÆ, ANTE RECONDITÆ
RES BELLE CECIDIT TVIS
VOTIS EMANVEL, SOLO
CONSECVTVS IN ITALO
ÆTERNVM DECVS ES, TIBI
QVALE GRÆCIA NON DEDIT
BELLO PERDITA GRÆCIA.

## ROM. PONTIFICES. ANNI CHRISTI.

## INNOCENTIVS VII.

CCV. BONIFACIO IX. *post dies quindecim creatus Pontifex successit* INNOCENTIVS VII *Sulmonensis.* Pelignus Cosmatus Meliora.us *dictus, cunctis animi dotibus ornatus, sautia accusatus à populo Romano, quod eius ex fratre nepos vndecim ciues ei insidias struentes necasset, Viterbium concessit. Vnde a Senatu Populoque Romano iam mitigato reuocatus, moritur Romæ, postquam sedisset annos duos, diebus viginti & vno: & ad S. Petrum in sacello conditus sepulcri hanc inscriptionem habet:* 1404.

INNOCENTIO VII PONTIF CI MAX.

QVVM NEGLECTI EIVS SEPVLCRI MEMORIA PÆNE INTERIISSET. NICOLAVS V. PONT. MAX. INSTAVRANDAM HIC CVRAVIT.

*M. x post dies viginti tres creatus*

CCVI. PAPA GREGORIVS XII. *Venetus,* Angelus Corrario *dictus octogenario maior, ea conditione, vt sacerdotium deponeret, si Benedictus faceret idem. Congregatum itaque Concilium Pisis: quo vterque Pontifex accessere. Vterque quoque Pontificatu priuatus per Concilium, sed neuter parere voluit. Creatusque est à Concilio* 1406.

CCVII. ALEXANDER V. *Cretensis septuagenario maior,* Fr. Petrus Philargi *dictus Minorita, hic cum esset magnitudine animi & liberalitate insignis, ioco dicere solitus erat, se diuitem fuisse Episcopum, pauperem Cardinalem, & nunc mendicum Papam, qui cum Pisis discessisset Bononiam, ibidem moritur quinto Nonas Martij, cum sedisset menses decem, dies octo, sepultusque fuit in templo Minorum cum huiusmodi epitaphio:*

Summus Pastorum Alexander V. ac omnis
Scripturæ lumen sanctissimus ordo Minorum
Quem dedit. & proprio Cretensis nomine Petrus.

MIGRAVIT ANNO M. CCCC. X.

CCVIII. IOANNES *dictus* XXIII. *Neapolitanus, vocatus* Balthasar Cossa, *iuris doctor à sedecim Cardinalibus, decimosexto Kalendas Iunij Bononiæ creatus, vir fuit bello & armis, quam religioni ac quieti aptior; nil pensi iustum atque æquum habens. Qui suasu Sigismundi Imperatoris generale Concilium Constantiæ Sueuorum vrbe ad lacum Acronium ad Kalendas Nouembris indixit: quo ex omni orbe Christiano infinita multitudo confluxit. Quod tres Pontifices in schismate sederant, & vnionem Ecclesiæ cuncti fideles desiderabãt, cui & ipse Pontifex intererat. Qui sessione prima præsente Sigismundo solenniter promisit se Papatui cessurum, si* Gregorius XII. *&* Benedictus XIII. *per se suosve legatos etiam cesserint. Cum vero libertas cunctis esset concessa loquendi: & vltra quadraginta crimina in* 1410.

*eum*

ANNI CHRISTI. *eum fuissent probata, noctu clam habitu mutato è Concilio aufugit, & ex fuga retractus capitali quæstione in eum instituta ex Concilij Decreto damnatus, Pontificatusque ei abrogatus est, quarto Kalendas Iunij sessione decimaquarta. Cui damnationi ipse in opido Schaphusia*
1415. *pridie Kalendas Iunij consensit; fuitque quadriennio conseruatus in carcere. Interim Præsides Concilij ediderunt decretum, quo declaratur generale Concilium legitime congregatum esse supra Papam habens potestatem à* CHRISTO, *qui caput est Ecclesiæ. Euocatus ergo Arimino Gregorius, misit Carolum Malatestam, qui eius nomine volentibus Patribus ascendens cathedram promptissime cessit quarto Idus Iulij. Ipseque* Gregorius *biennio post annos natus nonaginta obiit, sepultusque fuit Recaneti in Cathedrali Ecclesia. Restabat* Benedictus XIII. *de quo clamabat Ioannes Gerson, sæpius repetendo, quod non fieret pax Ecclesiæ, nisi etiam auferretur Luna. Qui cum nec minis nec precibus moueri posset, vt abdicaret, atque se in Arragonia contineret in fortissimo castro Panischolæ; omni dignitate priuatus fuit septimo Kalendas Augusti, sessione trigesimaseptima. Itaque vacante sede per Præsides ex quinque nationibus, Germanis, Gallis, Hispanis, Italis & Anglis sex viris, nempe omnes triginta Qui cum vigintitribus Cardinalibus præsentibus communibus suffragiis elegerunt tertio Idus Nouembris, cum triduum consultassent, Othonem Columnam Romanum, Agapeti filium, qui*

1417. CCVI. MARTINVS V. *fuit dictus, annos natus quadraginta nouem. Cuius pedes effusus gaudio Imperator conclaue ingressus osculatus est actis gratiis electoribus. Quo suadente etiam placuerat, cum de rebus Bohemicis sermo haberetur,* Ioannem Hus, & Hieronymum Pragensem *ad Synodum vocari: qui tum cæteris eiusdem regni doctiores, tum populi ductores ac hæresum principes habebantur. Venerunt ambo docendi, quam discendi cupidiores & populares aures captantes. Ioannes ætate maior, & auctoritate habitus. Hieronymus doctrina & facundia superior. Lecti ex omni natione Patres Diuini ac humani Iuris Doctores sæpe cum his colloquium habuere, & dogmata eorum à lege diuina aliena esse demonstrarunt, neque bonis conducere moribus. Rogabant ne plus sapere, quam Ecclesia vellent, sed saperent ad sobrietatem. Peregrinas opiniones relinquerent; & ingenia sua, quæ quidem essent nobilissima VVicleuistarum insania ne fœdarent. Eloquentiam, qua præditi essent, in corroborandis Ecclesiæ institutis, non euertendis; in edocendis populis, non dedocendis exercerent. Posse eos in conspectu Dei, in Ecclesia militante sublimem consequi locum, si reiectis nouitatibus, Patrum vestigia sequerentur, inuentionesque suas vniuersali Cōcilio submitterent. Stetere in proposito pertinaces Bohemorū animi, neque, victi rationibus, vinci voluere: Se veraces, se sancti Euāgelij æmulatores, se* CHRISTI *discipulos esse. Romanā Ecclesiam, cæterasq; per orbē dispersas lōge à traditionib. Apostolorū abiisse.*

Æneas Siluius Histor. Bohem. 36. & Peggius Epist. ad Aretinum.

Prima

*Primores magna Synodi, quam primum pertinaciam & immutabiles animos perditorum hominum animaduerterunt, membra Ecclesia putrida, qua sanari non poterant, ne reliquum corpus inficerent, resecanda censuerunt. Itaque damnati sunt titu. Ioannis Hus 30. sess. 15. cum iam antea sess. 8. damnati fuissent art. Ioannis VVicles 45. Hieronymus vero sess. 19. vtriusque haresim solenniter abiurauit. Cuius eum postmodum pœnituit. Lata est igitur sententia cremandos esse contumaces, qui doctrinam Ecclesia respuerent. Prior igitur Ioannes combustus est. Hieronymus diu postea in vinculis habitus, cum resipiscere nollet, pari supplicio affectus fuit.* ANNI CHRISTI.

*Porro* Martinus *Pont. confirmatis actis ac Decretis, & Canonibus Concilij, Patres ad suas sedes reuertere permittit: & deinde reuersus in Italiam Balthasarem Cossam Florentia Cardinalem creat Tusculanum, qui XI. Kal. Ianuary obijt, atque sepultus Bononia est in Baptisterio S. Ioannis. Mortuo quoque Petro de Luna Kal. Octobr. auctore Alphonso Aragone, in eius locum suffectus Ægidius Numonius Canonicus Barcinonensis abdicauit post quadriennium: sicque omne schisma dissolutum interiit. Romam veniens* Martinus, *pacem inter dissidentes Italia Principes instituit: vrbem adificiis exornauit, agrum Romanum sicariis atque latronibus è medio sublatis, tutissimum reddidit: & tandem apoplexia correptus obiit, ac Laterani hoc elogio sepultus est:*

MARTINVS PAPA V. SEDIT
ANNOS XIIII. MENSES III.
DIES XII.
OBIIT ANNO M. CCCC. XXXI.
DIE XX. FEBRVARII.
FELICITAS.

*Vacauit sedes dies decem*

CCX. EVGENIVS IV. *Venetus, Angeli filius*, Gabriel Codelmerius *dictus, natus annos quadragintaocto creatus, & quinto Idus Martij coronatus. repressit ciuilem seditionem à Columnensibus excitatam. Sigismundum vero Imperatorem Augustali diademate coronauit in Basilica Vaticana. Insubrum Ducis vi & insidiis vexatus, & Roma populari tumultu exactus Florentia consedit, vt eam Ecclesiam Metropolitanam constitueret. Concilium à se Basilea indictum reuocauit. Durauit vero hoc Concilium duodecim annis prasidente in eo Iuliano Cardinale S. Angeli Legato Apostolico. Vbi sessione trigesimanona deposito Eugenio electus fuit in Pontificem* Amadeus *Dux Sabaudia.* 1431.

CCXI. FELIX IV. *vocatus ab electoribus triginta duobus & vno Cardinale. Venere ad Concilium etiam Bohemi. Interim Eugenius Theodorico Coloniensi, & Iacobo Treuirensi Archiepiscopis Pontificali dignitate priuatis, Concilium conuocauit Ferrariam, quod ob* 1437.

ANNI CHRISTI. *grassantem ibi pestem, fuit translatum Florentiam: vbi conuenerunt* Fl. Constantinus Paleologus *Imperator Orientis, & Ioseph Patriarcha Constantinopolis cum aliis Episcopis, Abbatibus ac presbyteris: Vbi post longas disceptationes: an recte facta fuerit additio in Symbolo.* Filioque procedit, *hoc Decretum fuit promulgatum:* Approbante hoc sancta Synodo Florentina definimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, quia Spiritus sanctus à Patre & Filio æternaliter est: & essentiã suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter tamquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit. Declarantes quod id, quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, vt per hoc significetur Filium quoq; esse secundum Græcos quidam caussam; secundum Latinos vero principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignenda dedit, præter esse Patrem hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Definimus etiam explicationem verborum illorum, FILIOQVE, veritatis declarandæ gratia, & imminente necessitate, licite & ratiocinabiliter symbolo fuisse appositam.

† *Magnus profecto & clarus Pontifex fuit Eugenius: contempsit pecunias, virtutem apprime dilexit: neq; secũdis rebus intumuit, neq; succubuit aduersis, neq; spes ei gaudium, neq; metus tristitiam auxit. Sedatus animus eundem semper eius vultũ ostendebat. Sermone breui, eoq; grauissimo vsus est. Durus & asper in hostes, sed promptior in*
1444. *fidem receptis. Ad hac proceritas corporis, oris decor, & veneranda in sene Maiestas. Qui cum quatuor Cardinales creasset, ex quibus successorem suum assumendum esse prædixerat, in lectulo ægritudinis iacens, paullo post migrauit ad Patres, & in Basilica S. Petri apud Eugenium tertium sepultus est anno ætatis sexagesimo-quarto, cum sedisset annis quindecim, mensibus vndecim, diebus viginti & vno. Et post dies decem*

1447. CCXI. NICOLAVS V. *Sarzanus, Thuscus, Bartholomæi Medici filius,* Thomas Lucanus *dictus, Theologica doctrina illustris, & omni fere scientiarum genere insignis in Cathedram Petri suffectus est. Hic vrbem Romam multis & maximis ædificiis mirum in modum exornauit: cuius opera complura iacent adhuc sicut ruinæ murorum ingentes, quando illa non poterat complere. Schisma, quod apud Sabaudos adhuc in Ecclesia vigebat, explosit; Amadæum, cui Felicis IV. nomen inditum erat Papatui renuntiantem in gratiam recepit, Cardinalatus honorem, & in paterno dominio legationem reliquit: vbi Lausanæ obiit, atque sepultus est. Romanos longa pace ditauit.*

*Iubi-*

Iubilaeum celebrauit. Bernardinum Senensem Ordinis Minorum Professorem in numerum Sanctorum retulit. Fredericum tertium, Imperatorem & Leonoram Portugalliae Regis Eduardi filiam Augustam matrimonio iunxit, & de more iunctos coronauit decimoquinto Kalendas Aprilis eorum familias abunde & multa cum laude pauit. Semel Cardinalem creauit Antonium Maioricensem tituli S. Chrysogoni, quem sibi philosophiae studiis, & arcanorum S. Theologiae cognitione ex omnibus parem elegerat. Iterum sex aut doctrina percelebres, aut generis claritate insignes. Inter quos Philippus eius frater germanus erat, vir placidis moribus, & fidei incorrupta. Varios libros ex tota Graecia perquisitos ad se iussit adferri, & in Latinam linguam conuerti curauit, magna praemia translatoribus praebens. Acceptissimi ei fuerunt in transferendis operibus Georgius Trapezontius, Laurentius Valla, Petrus Candidus December, & Georgius Castellanus: Item Flauius Blondus & Demetrius Chalcondyles. Qui soluta vtentes oratione, cum Pontifices aures mirifice oblectarent, nihil ex eo non, quod peterent, abstulerunt. Cumque Homeri poema Heroico carmine Latinum fieri cuperet; nullus praeter Horatium Romanum eius iudicio potuit satisfacere, qui illectus magnis pollicitationibus Iliadem aggressus nonnullos ex ea libros Latinos fecit: quod etiam prisca non improbasset aetas. Nicolaus quoque Perottus Polybio traducto, Ioannes Tortellius Aretinus libro de Orthographia peritissime conscripto, Leo Baptista, Albertus Florentinus conditis de Architectura & pictura egregiis voluminibus, aliique pene innumerabiles noua cudentes opera huius Pontificis gratiam meruerunt. Tot itaque eius nomini à doctissimis viris dicata fuere volumina, quot neque vlli Pontifici vel Imperatori vmquam legantur inscripta. Instruxit itaque & veteribus & nouis libris ornatissimam Bibliothecam, in qua circiter tria millia librorum volumina condidit. Refertur quattuor mille ducatos in praemium proposuisse ei, qui ad se Euangelium Hebraice à Matthaeo Euangelista conscriptum attulisset. Praeterea sacrarium Apostolicum omni precioso ornatu, simul & palatium suum instruxit. Legationibus, quas publice audiebat, vt dubium esset, sapientiam eius aut eloquentiam magis admirareris. Si quos esse in vrbe peregrinos existimatione dignos accepit, confestim eos missis xeniis honorauit. Nobiles domo sua extorres benigne fouit. Pauperibus CHRISTI largas eleemosynas dedit Religiosis mendicantibus nihil ad necessitatem deesse sustinuit. In aedes sacras vrbis plurima dona contulit. In patrimonio Beati Petri plurimas ac munitissimas arces opportunis locis erexit. Sed cum doloribus arthriticis vehementer semper laboraret, è vita decessit anno 1455. cum sedisset annis septem, diebus nouemdecim. Et sepultus est ad S. Petrum in marmoreo sepulchro. Atque post dies quatuordecim successit

CCXII. CALISTVS III. Valentinus Alphonsus Borgia dictus. 1455.

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI. Ioannis filius nobili genere natus, vnus omnium, qui suo tempore scientiã Iuris profiterentur, eminẽtissimus, & qui consiliũ Alphonsi Regis, in quo multis annis præsederat illiusq; artes & cautiones præ se ferret. Inito Pontificatu animum ad delendam Turcarum & legem & gentem conuertit. Parata classe sedecim triremium maritima hostium loca per Ludouicum Cardinalem Aquileiensem Legatum inuasit, & toto, quod vixit triennio multis eos cladibus afflixit. In Pannonia Ioanne Vaiuoda Duce, & adhortatore ad pugnam Ioanne Capistrano Minorita circiter sexaginta millia Turcarum cæsa: Mahomete Tyranno saucio ac fuga salutem quærente

Ob eam victoriam festum transfigurationis Domini instituit Pontifex octauo Idus Augusti celebrandum. Cumq; mortuo Alphonso Rege sine legitimo herede Neapolitanum regnum repetit repugnante Ferdinando eius notho octuagenario maior è viuis eripitur anno 1458 atque in sacrario S. Petri marmoreo tumulo sine vllo Epitaphio sepelitur, postquam sedisset annis tribus, mensibus quatuor. Et post duodecim dies creatus

1458. CCXIII. PIVS II. Siluij ex victoria filius Senensis, Æneas Picolhomineus antea vocatus, in Basiliensi Concilio Cæremoniarum Præfectus, multis legationibus egregie functus, Frederici III. Imperatoris epistolarum Magister ab eo destinatus cum alijs fuit Romam, vt Eugenio obedientiam iam morituro restituerent nomine Germanorum. A Nicolao quinto Episcopus Tergestinus & Senensis creatus est, & à Calisto Varmiensis Ecclesia postulantibus Sarmatis ei fuit commendata. Vir raræ doctrinæ, & qui in tantis negocijs complures conscripserit libros. Non malus Poeta, sed melior Historicus. Male de se loquentes coercuit numquam, libere enim loqui volebat omnes in libera ciuitate. Sententias multas memoratu dignas post se reliquit. Diuinam naturam credendo melius quam disputando intelligi ac comprehendi posse dicebat. Amicos Dei & hac & futura perfrui vita. Sine virtute nulli solidum esse gaudium. Doctum cognitione rerum numquã repleri. Cui plura nosse datum est, eum maiora sequi dubia. Graue Pontificis onus, sed beatũ ei, qui bene fert. Indoctum Episcopum asino portanti mysteria comparandũ. Corpora malos medicos, animas imperitos sacerdotes necare. Vagũ monachum Diaboli mancipium esse. Fideli amico nullum thesaurum anteferendum. Vitia hominũ obtegi liberalitate, nudari auaritia. Dulce bonis, durum iniquis mori. Innumerasque alias. Eius tumulum in Basilica S. Petri in sacello S. Andreæ hoc elogio ornatum conspici licet: PIVS II. PONTIF. MAX. NATIONE TVSCVS, PATRIA SENENSIS, GENTE PICOLHOMINEA SEDIT ANNOS SEX. BREVIS PONTIFICATVS, INGENS FVIT GLORIA. CONVENTVM CHRISTIANORVM MANTVÆ PRO FIDE HABVIT. OPPVGNATORIBVS ROMANÆ SEDIS INTRA ATQVE EXTRA ITALIAM RESTITIT. CATHARINAM SENENSEM INTER SANCTAS

CHRISTI

CHRISTI RETVLIT. PRAGMATICAM IN GALLIA ABROCAVIT. FERDINANDVM ARAGONENSEN IN REGNVM SICILIÆ CIS FRETVM RESTITVIT. REM ECCLESIÆ AVXIT. FODINAS INVENTI TVM PRIMVM ALVMINIS APVD TOLFAM INSTITVIT. CVLTOR IVSTITIÆ ET RELIGIONIS. ADMIRABILIS ELOQVIO. VADENS IN BELLVM, QVOD TVRCIS INDIXERAT, ANCONÆ DECESSIT: IBI ET CLASSEM PARATAM, ET DVCEM VENETORVM CVM SVO SENATV COMMILITONES CHRISTI HABVIT. RELATVS IN VRBEM PETRVM DECRETO EI HIC CONDITVS: VBI CAPVT ANDREÆ APOSTOLI AD SE EX PELOPONNESO ADVECTVM COLLOCARI IVSSERAT. VIXIT ANNOS LIX MENSES IX. DIES XXVII. FRANCISCVS CARDINALIS SENENSIS AVVNCVLO SANCTISSIMO FECIT ANNO M CCCC.LXIV.

ANNI CHRISTI.

CCXIV. PAVLVS II. *Venetus Nicolai ex Polyxena Eugenij sorore filius,* Petrus Barbus *antea vocatus, post peractos sedecim dies succedens, ludos & epulas veterum Romanorum Imperatorum more exhibebat: & officia Ecclesiastica venalia prostituebat. At mox terrore perculsus, timens conspirasse in se iuuentutem Romanam duce Callimacho, qui proprio nomine Philippus dicebatur, complures in vincula coniecit, atque quæstionibus varijs auctores conspirationis ex captiuis cognoscere voluit frustra. Hi fuere præcipui, ex iis, qui se Academicos nominabant* Pomponius Lætus, *antea dictus Petrus Pomponatus ad dicendum caussam è Venetia liberrima Vrbe præter morem extractus* & Baptista Platina *Cremonensis, qui quo se honesto titulo de hac iniuria vlcisceretur, vitas Pontificum descripsit varijs locis aculeis suis Paulum pungens. Scribens quoque illum humanitatis studia vsque odisse, vt eius studiosos vno nomine hæreticos appellaret. Hoc tamen elogio illum ornat, quod Cardinales & Episcopos tenuioris fortunæ, ac nobiles domo extorres & virgines, viduas, atque ægrotos frequenter adiuuaret. Fœdus inter Christianos Principes, & bellum Turcicum suadebat. Georgium Bohemiæ Regem Husitam excommunicatum regno priuauit, quo Matthiam Hungarorum Regem donauit. Fridericum Imperatorem voti caussa Romam venientem honorificentissime excepit. Cumque sedisset annos sex, menses decem, dies viginti sex apoplexia correptus repentina morte obijt octauo Kalendas Augusti, cum vixisset annis quinquaginta tribus, mensibus quinque, diebus tribus, sepultus ad S. Petrum. Et post dies quatuordecim creatur* 1464.

CCXV. XYSTVS IV. *Ligur Sauonensis, Leonardi filius;* Franciscus de Riuiere *dictus, Minorita, ob insignem doctrinam à Pio secundo in precio habitus: & à Paulo secundo Cardinalis creatus Tituli S. Petri ad Vincula, quo tempore ad tollendum errores quorundam & discordias atque altercationes inter Prædicatores & Minoritas, varios scripsit libros: rationibus varijs nixus ostendere Thomam Aqui-* 1471.

ANNI CHRISTI.

natem & Ioannem Scotum in sententiis non dissentire, quamquam verbis non concordant. Pontifex vero factus etiam prohibuit inutiles disputationes de rebus fidei, quæ ex Scripturis probari non possent, volens vt iis inhæreretur, quæ pie semper Ecclesia credenda putauit. Itaque & Minoritis & Prædicatoribus simul interdixit de Conceptione Virginis Matris altercari. Pacificandis enim cunctis erat intentus. Itaque Patrum consensu quatuor Legatos cum summa auctoritate creauit, qui Christianos Principes ad concordiam reuocarent: BESSARIONEM Nicænum Patriarcham Constantinopolitanum, in Galliam, Rodericum Borgiam in Hispaniam, Marcum Barbum in Germaniam & Pannoniam misit: & Oliuerium Carafam classi quam in Turcam parabat præfecit: singulis in mensem quingentis Ducatis constitutis. Consanguineos indulgentius amasse ei vitio dabatur, cum Iulianum Raphaelis fratris sui filium, & Petrū Riarium à se in ordine S. Francisci educatum Cardinales creasset. Quorum hic Nepotinis sumptibus æs alienum grande consumpsit, atque voluptatibus confectus obiit annos natus viginti octo. Ille ferocior armis, quam sacerdotio credebatur magis aptus. Porro licet Xystus bellis quoque esset intentus, Palatina officia precio exponeret, vectigalia augeret, decimas à sacratis hominibus maxima auaritiæ nota exigeret, tamen ob munificentiam atque liberalitatem erga miseros à Turca auitis sedibus pulsos & hospitalitatem erga Principes Romam religionis ergo venientes, & opera publica à se constructa passim laudabatur.

1471. Inter præclara ædificia eius maxime eminet Bibliotheca Palatina in Vaticano, cui præfecerat Platinam, aduectis ex omni Europa libris, constitutisque prouentibus, vnde custodes & Librarii Latini, Græci & Hebraici honeste sustentari possent, librique quot annis emi. Imitatus quoque Cæsarem Augustum Principes viros ad ornandam vrbem ædificiis incitauit. M. Aurelii Antonini æneam statuam equestrem in area Lateranensi poni curauit, cum iaceret neglecta. Eius simulacro in vaticana Bibliotheca adscriptum est hocce Hexastichon.

TEMPLA, DOMVM EXPOSITIS, VICOS, FORA, MOENIA, PONTES
VIRGINEAM TRIVII QVOD REPARARIS AQVAM:
PRISCA LICET NAVTIS STATVAS DARE COMMODA PORTVS
ET VATICANVM CINGERE XYSTE IVGVM:
PLVS TAMEN VRBS DEBET; NAM QVÆ SQVALORE LATEBAT
CERNITVR IN CELEBRI BIBLIOTHECA LOCO.

Bonauenturam ordinis sui Cardinalem doctissimum inter Diuos retulit: Priuilegia quatuor mendicantium ordinibus concessa confirmauit & auxit. Cumque sedisset annis tredecim, diebus quatuor animi dolore & podagra moritur, sepultusque est in æreo monimento in

Basilica

*Basilica S. Petri, cui hac inscripta sunt:* XYSTO IV. PONT. MAX. EX ORDINE MINORVM, DOCTRINA ET ANIMI MAGNITVDINE OMNIS MEMORIÆ PRINCIPI. TVRCIS ITALIA SVBMOTIS, AVCTORITATE SEDIS AVCTA, VRBE INSTAVRATA, TEMPLIS, PONTE, FORO, VIIS, BIBLIOTHECA IN VATICCANO PVBLICATA, IVBILÆO CELEBRATO, LIGVRIA SERVITVTE LIBERATA, CVM MODICO AC PLANO SOLO CONDI SE MANDAVISSET, IVLIANVS CARDINALIS PATRVO BENE MERENTI MAIORE PIETATE QVAM IMPENSA FACIVNDVM CVRAVIT. OBIIT IDIBVS SEXTILIIBVS HORA AB OCCASV QVINTA, ANNO CHRISTI M. CD. LXXXIII. VIXIT ANNOS LXX. DIES XXII. HORAS XII. *Et post dies sedecim creatus.* ANNI CHRISTI.

CCXVI. INNOCENTIVS VIII. *Genuensis Ligur, Aaronis filius,* Ioannes Baptista Cibo *dictus, vir humanus ac mansuetus, sed parcus atque minime liberalis. Publice se adeuntes, patienter audiebat, & Magistratibus Ius seuere dicere iussit. Principes Christianos frequentibus nuntiis hortabatur ad pacem enarrans belli incommoda licet & ipse belli irretitus ærario exhausto instituendo plumbatores bullarum quinquaginta duarum: qui singula officia ducentis ducatis emerent, famæ non satis consuluerit. Fuit & ædificandi studiosus, & villam Pontificum vsui* Beluedere *exstruxit, aliosque ad ædificandũ excitauit. Leopoldum Austriæ Ducem à Francisco Patauo Iurisconsulto laudatum oratione ad Frederici Imperatoris preces inscripsit catalogo Sanctorum. Toto eius Pontificatu & annonæ maxima fuit vbertas & tranquillitas Romæ: cum homicidas ac sicarios omni ditione Ecclesiastica pelleret. Cum vero antequam initiaretur sacris, aliquot liberos sustulisset, ex his duos superstites honoribus magnis & opibus euexit: vni nomine Francisco nupsit Magdalena filia Laurentij Medicis: sicque eius fratrem Ioannem decimumtertium annum agentem creauit Cardinalem. Fuit ingenio culto Innocentius & à litteris non alieno. Cumque sedisset annos septem, menses decem, dies viginti septem, sexagenarius extasi soporifera è vita excessit, atque sepultus est in æreo monumento ad S. Petrum cum hac inscriptione:* 1484.

EGO AVTEM IN INNOCENTIA MEA INGRESSVS SVM, REDIME ME DOMINE ET MISERERE MEI.

## GOTHIA.

TEMIR CVLTVIV. TARTARVM VLVCHAM, qui nostris TAMERLANES dicitur, Baiazet Turcarum Regem prœlio victum ac caueæ inclusum secum vastando Orientem circumduxit. Cum ergo *Tamerlanes* mortuus esset successit eius filius *Temir Gadtz v. Vlu Chan.*

ANNI CHRISTI.

# HISPANIA.

Mortuo *Martino* Aragonum Rege sine prole, ortaque contentione de iure successionis inter Ioannem, Ferdinandum eius patruum atque . . . . Ducem Andegauiæ, armis regnum sibi Ferdinandus asseruit. *Aluarus* de Luna Arragonius nobilis generis, nothus tantum apud Ioannem Castellæ Regem potuit, vt regno Regique videretur imperare, cum Ioannem Arragoniæ Regem, & Henricum S. Iacobi Magistrum Regis patrueles regnum Castellæ gubernare conatos armis deturbasset. Hunc matris inuidia curia pulsum ad eumdem magistratum euehi contingit; dum Ioannem Regem à patruelibus in potestatem redactum, & ad venandum egressum libertati restituit: atque postmodum victor commisso prœlio euadit, Henrico ex vulnere manus occumbente. At cum nobilem minus læta sibi nuntiantem iussu Regis è fenestra ędium suarum præcipitari iussisset, capitali sententia damnatus alacri vultu, & quasi ad epulas inuitatus ceruicem gladio præbuit Princiæ, quæ hodie Vallisoletum nominatur, *Ioannes* quinquagesimo regni sui anno obiit, superstite *Henrico* filio, quem viuens in regni consortium assumpserat.

In Portugallia *Petrus Infans*, qui peragrata omni ferme Europa virtutis suæ documenta ediderat, cum aliquamdiu regnum administrasset summa laude, haud minore fide illud *Alphonso* nepoti restituit.

*Alphonsus* Rex Portugalliæ Tingi ciuitatem cum Arzila bello cepit.

# GALLIA.

## PHILIPPVS AVDAX Dux Burg.

1404. PHILIPPVS AVDAX Dux Burgundiæ obiit Halis sexto Kalendas Maij, relinquens filiis, Philippo *Niuernium*, Antonio *Brabantiam*, & primogenito Ioanni Diuionensi *Burgundiam*. Maria Malana vidua eius claues sepulcro imposuit ob ęs alienum, quod contraxarat continuo belligerando.

*Ioannes* Dux Burgundiæ vir acris ingenii & factiosis cum Sigismundo Hungariæ Rege dum contra Turcas prœliatur; captus fuit atque redemptus patri successit. Hic simultates gessit cum Ludouico Duce Aureliano fratre Caroli sexti ob administrationem regni. Vni pro symbolo erat Planula, qua se omnia æquaturum significabat, cum potentia multum differrent: alter vero fustes nodosos scabrosque depictos aduersario ostentabat, quibus omnia in tuberem excitaturum se minitabatur. Conduxit ergo Ludouicus quemdam, qui Burgũdum per proditionem

perde-

perderet. Quod vbi ille resciuit, promisit percussori duplo plus mercedis, vt occideret Aurelianum. Quem sub noctem domum redeuntem decimo Kalendas Decembris a Regina Rodolphus Datouillus (id percussori nomen) equo deturbatum interemit vna cum famulo, qui eum voluerat seruare. Effugit percussor per domum Atrebatensem. Et Ioannes perpetrato scelere sibi conscius per dispositos equos mox fugit Atrebatũ. Duxerat in vxorem hic Ioannes Margaretam Alberti Bauari filiam, sororem Guilielmi, cui nupserat Margareta eius soror.

*Ioanni Vilerio* Domino Insulæ Adami ingresso Parisios, vociferantiq;, VIVAT BVRGVNDIA, complures adhæsere, atque occidere ad 3000. circiter ex aduersariis, quos adpellabant Arminacos: quod Comes Arminaci Conestabilus Franciæ tueretur partes Delphini. Indictus vero fuit conuentus Monstrioli; quo cum veniret *Ioannes Burgundus* inter loquendum cum Carolo Delphino traditorie à Tanegindo Castellæ intentorio, quod in ponte intra vrbem & castrum erectũ erat, fuit confossus III Idus Septembris, atque cum ocreis & calcaribus ibidem ante aram S. Ludouici sepultus Successitq; ei filius *Philippus* cognomine *Bonus*: qui, quo patris necem vindicaret, Anglis se iunxit. Atque Carolum VI. cum vxore & filia Catharina tradidit Anglo. Qui anno 42 regni sui defunctus Lutetiæ apud S. Dionysium fuit sepultus.

IOANNA Lotharingia AVRELIANENSIS sexto mense obsessos liberauit, & hostes profligauit.

*Carolus VII.* patri succedens & se continens Biturigis ab aduersariis suis Rex Biturigum appellabatur. Attamen ipse titulum Regis Franciæ & sigillum vsurpabat, quamuis non esset Rhemis consecratus. Porro cum vndique Rex ab Anglis vexaretur: venit ad eum puella octodecim annorum nomine *Ioanna*, patre Iacobo Darto, & matre Isabella Damprema Lotharingiæ pago orta, atque oues pascere solita, dicens se missam diuinitus ad Regem, vt ei indicet gladium esse in æde Dominæ Catharinæ Fourbonsi apud Turones, quo accincta esset Aureliam obsidione solutura. Itaque virilibus induta indumentis & armis Gallicas ducebat acies, & ex Anglorum manibus magna ex parte, prima inter primos pugnans victoriam eripuit, atque vrbem obsidione semestri liberauit. Gratitudinis ergo posuere Regi Ioannæque æneas statuas in ponte Ligeris S. P. Q. Aurelianus. Deduxit vero & Carolum Rhemos, vbi decimo-sexto Kalendas Augusti vnxit eum Reginaldus Episcopus in Franciæ Regem. Cum vero Burgundos Compendiũ obsidentes vellet abigere; capta fuit nono Kalendas Iunii & vendita Anglis. Qui eam dicentes magam combusserunt Rothomagi in foro. Scripsitque pro ea Apologiã 1429.

ANNI CHRISTI. *Ioannes Gerson* Theologus Cancellarius Parisiensis: similiter & *Henricus Gorcomius* Batauus.

Post bellum viginti annorum pax inter Francos & Burgundos Attrebati vndecimo Kalendas Octobris fuit facta: & reconciliatio super morte Ioannis Burgundi. Itaque relictis Anglis Philippus ad Gallos defecit.

## GERMANIA.

*Albertus Bauarus*, qui se vindicaret de morte auunculi *Guilielmi* à Frisiis occisi, comparato exercitu mouit aduersus eos, quos & cum leuibus prœliis bis terue vicisset, atq; confidentius Angli auxiliares excurrentes insidiis Frisiorum à castris essent seclusi; ad requisitionem Principis Alberti Delphenses ciues illos periculo exemerunt. Quare gratitudinis ergo ciuitati concessit portum ad Mosæ aggerem liberum, vtq; possent alueum ex Schia amne in Mosam vsq; deducere nauigantium commoditati. Reliquit vero *Albertus Guilielmum VI.* sibi successorem, & *Ioannem* Electum Leodiensem filios, atq; tres filias; quarum *Ioanna* secundis nuptiis tulit Alberto Austriæ Duci quarto *Albertum* Regem Romanorum secundum, patrem Ladislai Regis Hungariæ & Bohemiæ *Catharina* ex nuptiis Eduardi Geltriæ & Guilielmi Cliuiæ Ducum nullam genuit prolem. *Margareta* nupta Ioanni Duci Burgundiæ tulit *Philippum Bonum* Ducem Burgundiæ & Brabantiæ, Comitem Flandriæ, Burgundiæ &c. patrem Caroli Bellicosi

Fuerant *Guilielmo* inimicitiæ cum patre quondam Alberto, cumq; fugisset à patre, erat adiutus pecunia à Guilielmo Eggardo Amstelredamensi mercatore, qui ædes magnificas intersignio perspicilli notatas è regione bilãcis habitabat. Hunc ergo summum sibi constituit Quæstorem Ærarii: permisitq; ei vt ciuitatem Purmetendam ædificaret in Waterlandia. Et quoniam non licitum erat eadem in regione ob gentis priuilegia, in proximis Caninefatibus castrum exstruxit. Templum quoq; D. Virgini MARIÆ, ad exemplum Ambianensis Ecclesiæ primariæ loco vliginoso aluis fistucato construxit: quale alterum tam Augustum intra Fleuũ & Heluum non inuenias. Non ferebat nobilitas nouum hominẽ tantę magnificentiæ esse; Itaq; obiectabant ei generis ignobilitatem. Proposita ergo aliquando quæstione: vnde originem traheret generis claritudo, rogatus sententiam dicere, a Comite Eggardus respondit: quorum maiores antiquissimi digna laude egerunt. Horum posteri vetustatem nobilitatis recte ostentare possunt merito, si à maioribus non degenerauerint. Tales fuere Sem & Iaphet, qui auersi nuditatẽ patris Noe texerunt: cum Cham irridẽdo patrẽ posteritati scelere ignobilitatẽ cõparauerit. Quod si ex eo descenderim, fateor me ignobi-

ignobilem: sin a Sem aut Iaphet de nobili prosapia facile con tenderim. Certe non desunt, qui opinantur Adrianum VI. Pont. Max ab illo originem ducere. ANNI CHRISTI.

Mortuo *Guilielmo Bauaro* iuniore, successit ei in Hannoniæ Hollandiæq; Comitatibus *Iacoba* filia annos nata sexdecim iam viro Ioanne F. Caroli VI. Francorum Regis viduata: quę cum rursum nupsisset Ioanni Antonii Burgundi F. Duci Brabantiæ, Ioannes quondã Electus Episcopus Leodiensis Iacobæ patruus, ducta in vxorem Elisabetha Ducissa Luxemburgensi Ioannis Brabantię Ducis filia, omnem mouebat lapidem, quo neptem ex fratre Iacobam exueret Principatu, per fas atque nefas Dordracum & Brielam occupans, atque Assilanos ad se pelliciens, cum videret Hamenses se dedere partibus Iacobę, mulieris inexplebilis, & parum sollicitæ de famæ honestioris elogio. Coegit ergo eam Ioannes ad ineundas pacis condiciones nequaquam pro dignitate Principis, illoq; sub prætextu gubernandæ prouinciæ tyrannide eam premere satagebat. Ingressus enim Amstelredamũ, Senatum omnem officio priuauit, nouosq; Prætores, Coss. VII.-viros iudiciales suę factionis creauit. Actum sane fuisset de Hollandiæ Zelandiæq; regionibus, ni morte properante fuisset exstinctus Tyrannus: præcipue cum diuortium fieret inter Ioannem Brabantiæ Ducem & Iacobam Bauaram eius vxorem.

*Sigismundus* Imp. vita defungitur quinto Idus Decembris Znoymæ annos natus 70. cum imperasset annis 26 Mens. 8. Corpus eius (miserabile visu) cum captiua imperatrice Barbara delatum eodem curru fuit Varadinum ibique sepultum insculptis his versibus eius monumento:

*Cæsar & imperium tuus en ego Roma Sacratum*
*Rexi non ense, sed pietatis ope.*
*Pontificem summum feci, spretis tribus, vnum*
*Lustraui mundum, schisma negando malum.*

Post interregnum 22. dierum fit *Albertus II.* Austriæ Dux Rex Rom. eius nominis 2. Fuerat hic Alberti IV. Austriæ Ducis & Ioannę Bauaræ Alberti Comitis Hollandiæ filiæ filius, duxeratq; Sigismundi Imp. ex Barbara vnicam filiam Elisabetham in vxorem. Ex qua tulit Ladislaum filium postumum Hungariæ & Bohemiæ Regem: Annam Guilielmi Saxoniæ Ducis vxorem, & Elisabetham nuptam Casimiro regi Poloniæ. Fuit vero iam inde ab adolescentia Albertus princeps laudatus: recti tenax, & scelerum acer vindex; atque fautor eruditorum hominum, necnon belli gloria clarus, vt qui exercitu 80000. pœne militum persequendo Hussitas Morauiam penetrauerit, Poloniæque fines attigerit, & cum Socero deinde Sigismundo obsederit Pragam. Quo mortuo adiuuantibus Christophoro Boiariæ, Frederico Saxo-

ANNI CHRISTI. Saxoniæ Ducibus & Alberto Marchione Brandenburgensi omnes ditiones vxoris hereditarias recuperauit. Nam vno anno paucisque mensibus ex duce Austriæ Dux Lucemburgensis, Morauiæ Marchio, Rex Hungarorum, Bohemorum & deniq; Romanorum creatus est. Cumque imperasset annum 1. menses 9. dies 28. contracta ex comestione peponum disenteria in villa longa, non procul à Strigome est mortuus VI. Kalend. Nouembris, atque in Alba Regale sumptuosissime sepultus fuit.

Hic annus infaustus maxime Hollandis fuit. nam decimotertio Kalendas Decembris fœda tempestate oborta perruptus fuit agger: qui inter Septimontium & Strenam erat situs: ita vt tantum agri eluuione inundaretur, quantum septuaginta pagis obsideretur ferme: cuius magna pars mansit obruta vndis. In Frisiis minoribus Oceanus ad vicum Pettenum rupto aggere quoque intrauit; sed agger ille fuit refectus agrique conseruati. Nam colles exiguos ad mille passus trabibus fistucis in litus adactis seruare instituerunt: quos Oceanus rapidus

*Aluit Euripum referens, Scyllaq; voracis*
*Latratus, quando vnda alti de vertice ponti*
*Lapsa ruit præceps, sterilemq; eructat arenam*
*In circum, sursumq; volans protendere nubem*
*Aut nebulæ speciem, & cælum pulsare videtur.*

Diceres hunc locum esse, vbi Angelus steterit dextro pede super mare & sinistro super terram, leuans manum suam ad cælum, atq; iurans per viuentem in sæcula sæculorum: *Quia tempus non erit amplius, sed in diebus vocis septimi Angeli cum ceperit tuba canere; consummabitur mysterium Dei.* Apoc. 10.

Mortuo *Philippo* Brabantiæ Duce successit ei PHILIPPVS BONVS Dux Burgundiæ, eius patruelis. Qui eodem anno possessionem Comitatus Namurcensis quoq; suscepit, quem sibi emerat. Idem quoq; factus est Comes Hannoniæ, Hollandiæ ac Zelãdiæ vicesimus octau⁹, per resignationẽ Iacobæ Bauaræ consobrinę suæ: quo poriretur amasio suo captiuo Francone Borsalo.

Hoc tempore mortuo *Frederico Blanckenhemo* Episcopo, Vltraiectina Ecclesia variis seditionibus agitatur, dum vna pars *Zuederum Culenburgium*, altera *Rodolphum Diepenhemũ* sibi Præsulem sumit. Quem vt indoctum & Episcopatu indignũ Martin⁹ V. Pont Max confirmare recusauerat. Quem dũ contra ius fasq; sibi Præsulẽ retinent: Pontifex anathema in eos promulgauit. Contempsere Ecclesiasticum gladium obstinati homines, & ad arma ventum est. Sed ingentes Burgundionum vicinorumque Principum copiæ in Vltraiectenses ductæ infeliciter pugnauere. Victor contumax populus septem annis Ecclesiæ mandata contempsit. Zuederus in exsulio obiit. Canonici duodecim, qui pa-

qui patria propter eum pulsi fuerant Walrauenum Motsensem Archiepiscopi Coloniensis germanum successorem elegerunt. Agitata est in Concilio Basiliensi caussa, confirmata electio. Iterum damnata in Synodo Vltraiectensium rebellio. Iterum frustra est pugnatum. Postremo missus ab Eugenio Legatus Ioannes Cosoronensis Episcopus, qui postea ad Cardinalatus honorem vocatus Morinensis appellatus est. Qui cum retulisset vnicam pacandæ prouinciæ viam esse Diopholdio agnosci eique gentis præsulatum committi excluso Walrauenο, rebelli populo satisfactum fuit pulcre. Sane nullæ victis leges fauent, sacrosque Canones potentia vincit.

In dicto Concilio Basiliensi, cum ad illud destinasse Europæ Reges, atq; misisse Oratores potentes & progenie illustres, magna cum & equorum & comitantiũ pompa audiuisset Alphonsus Rex Aragonum, misit eo *Ludouicum Pontanum* summi ingenii *Iurisconsultum* & *Nicolaum de Tudeschis* Episcopum Panormitanum Iuris Pontificii primarium interpretem, dicens ibi nõ agendum esse de nobilitate ac potentia, sed disputandum fore de Iure diuino & humano, icciřco opus esse diuini humanique Iuris peritis. Venerunt quoq; ad Concilium Bohemorum Legati *Ioannes Rochezana* Pragensium & *Nicolaus Galecus* Thaberitarum sacerdotes, & *Petrus Anglicus* Sophista; & nobiles *Guilielmus Cesta* & *Procopius Rasus*, in quẽ præcipue cuncti defigebant lumina. quem mussitantes dicerent esse illum, qui toties fideliũ fudisset exercitus, qui tot opida subuertisset, tot hominum millia dedisset neci, quem sui pariter & hostes metuerent: inuictum ducem, audacem, intrepidum, neq; labore neq; terrore superandum. Excepit Bohemos eleganti oratione *Iulianus Cardinalis*, & cum iis per quinquaginta dies disputatum fuit: & omnib. modis actum est, si fortasse amice trahi possent. Legatio vero insignis Alphonsi, ob discordes animos & inuidia laborantes neq; Regi neq; Concilio vtilis fuit. Nam non minus occupata fuit Synodus ad reconciliandos Pontanum & Panhormitanum Regios Legatos, quam vt Bohemos ad Ecclesiæ Catholicæ consensum reduceret. Cæterum obiit ibidem *Pontanus*: & *Nicolaus Panormitanus* insigne volumen pro hoc Consilio conscripsit.

Porro Alphonsus, qui etiam Neapolis Siciliarumq; Rex fuit, inter optimos Principes merito numeratur: qui etiamnum adolescens cũ mortuo patre administraret regnum, seruula ex Domino prægnante, cum iam prolem peperisset, proclamante ad libertatẽ ex lege Hispaniæ hac: *Serua, quæ ex Domino liberos susceperit, libera esto*: atque Domino inficiante filiolum ex se procreatum, metu ne ancillam amitteret: Rex sagaciter atque iuste decreuit, vt infans sub licitatione venumdaretur. Cumque & vni

alicui,

AN. CHR. alicui, qui maius precium attulisset infans tradi dissimularetur: pater pietate victus à lachrymis temperare non potuit, & suum esse filium fassus est. Quare Alphonsus & patri filium & seruæ libertatem secundum legem adiudicauit. Librum apertum pro insigni gestauit, intelligens bonarum artium cognitionem maxime Regibus conuenire. Cum custos librorum Regis, obseruatæ Bibliotheca, abesset, Alphonsus legere cupiens, forcipe seram excutiebat. Interueniens vero Matthæus Siculus Sacerdos sanctimonia celebris: *Tune Rex optime id manibus proprijs, tune hoc agis?* inquit. Tum Rex subridens: *Quæso*, ait, *vir sancte numquid Deus & natura nequicquam Regibus manus dederunt?* Commentarios C. Cæsaris in omni expeditione secum ferebat, quotidie illos lectitans: laudabatque in Cæsare & dicendi elegantiam, & belli gerendi peritiam, inertissimum se respectu Cæsaris dicens. Demulcebatur quoque valde lectione T. Liuii, quamobrem cum ei Cosmus Medices nondum pacatus dono misisset T. Liuii libros vtique elegantes; hos ne attrectaret ab inimico missos, ob veneni suspicionem, suadebant medici: at ille eos arripiens legit ac euoluit, inquiens: *Regum animos non priuatorum libidini, sed sub Dei cura ac tutela agere.* Caietanis ipsi nunciantibus, apud Formias via Romana extare M. Tullij sepulcrum vetustis litteris inscriptum profectus illuc, atq; purgato tumulo, inuenit non Tullii, sed M. Vitruuii epigramma, solutusque in risum dicebat, Caietanos oleo quidem à Pallade accepto abundare, sed infatuatum esse apud eos salem sapientiæ. Os brachii T. Liuii per Antonium Bonatellum eximium poetam, legatum suum, impetrauit à Republica Patauina, vt Neapolim honoris gratia deferretur: relicto ibi in tabula lapidea ad posteritatis memoriam hoc elogio:

INCLITO ALPHONSO ARAGONVM REGI
STVDIORVM FAVTORI
REIP. VENETÆ FOEDERATO
ANTONIO PANHORMITA POETA
LEGATO SVO ORANTE
ET MATTHÆO VICTVRIO
HVIVS VRBIS PRÆTORE
CONSTANTISSIMO INTERCEDENTE
EX HISTORIARVM PARENTIS
T. LIVII OSSIBVS,
QVÆ HOC TVMVLO CONDVNTVR
BRACHIVM PATAVINI CIVES IN MVNVS
CONCESSERE ANNO CHRISTI M CCCC.
LI. XIII. KAL SEPTEMB.

Cicchum

Cicchum hominem ebriosum inter dolia vini Græci mortuum inuentum iussit sepeliri, atque sepulcro hoc distichon inscribi: ANNI CHRISTI.

*Hic situs est Cicchus, quem testas inter & vtres*
*Mactasti Græco palmite Bacche furens*

Vini ipse Alphonsus aut expers viuebat, aut eo quam dilutissime vsus est, asserens filios eius esse Furorem & Libidinem; itaque sapientiam vino obumbrari. Dicebat quoque, si propter regnū vitam sibi eligere liceret; vitam Iuliani Eremitæ Panhormitani sese electurū, quod is amœnissimo loco in propinquo S. Martini templi, in horto irriguo tenui victu lætus ac Deo deditus viueret. Gloriabatur quod Biblia quater & decies cum glossis & commentariis perlegisset: tenebatq; ea ita memoria, vt non res modo; sed & verba ipsa recitaret. Cum eum Puteolis conuenisset Æneas Syluius, atque de litteris sermo incidisset; aiebat Alphonsus se legisse Augustini libros de Ciuitate Dei Gallice trāslatos, in quorum proœmio scriptum fuerat: *Illiteratum Regem nihil aliud esse quam asinum coronatum.*

*Philippus Bonus* Dux Burgundiæ ducta in vxorem Isabella Portugalliæ Regis filia ordinem Equestrem aurei velleris instituit.

IOANNES FAVSTVS Chalcogr.

O GERMANIA MVNERIS REPERTRIX,
QVO NIHIL VTILIVS DEDIT VETVSTAS,
LIBROS SCRIBERE QVÆ DOCES PREMENDO.

Etenim hocce anno Moguntiæ à IOANNE FAVSTO ars imprimendi exerceri cœpta est. Fuerat is auus Ioannis Scoefferi Chalcographi nostræ ætatis, vir dignus vt celebretur. Hoc etiam tempore *Vdalricus Haen* Germanus Romam veniens primus ibidem artem impressoriam exercuit imprimendo Lactantii opera & Augustini libros de Ciuitate Dei. Celebrauit eum hoc tetrasticho *Antonius Campanus* lepide in cognomen eius, quod Gallum gallinaceum sonat, ludens:

*Anser Tarpeij custos Iouis, vnde quod alis*
*Constreperes Gallus decidit; vltor adest,*
*Vlricus Gallus, ne quem poscantur in vsum,*
*Edocuit pennis nil opus esse tuis.*

Cœperunt & hoc tempore in Batauia agri distingui ac separari aggeribus humilibus, vt molis aquariis possint subito siccari, eiectis atque alueis per emissarios exoneratis superfluis vndis. Prima omnium mola constituta fuit Maeslandiæ in agro, cui nomen ab aggere, in propinquo pago ad Septemtrionem.

ANGLIA.

*Henricus V.* confligens cum Gallis Asincuriæ in Comitatu 1410.
S. Pauli

ANNI CHRISTI.

S. Pauli potitus est victoria octauo Kalendas Nouembris. Perierunt eo in prœlio Philippus Niuernensis, & *Antonius* Brabantiæ Dux fratres. Successit *Ioannes* eius filius in Ducatu Brabantiæ. Perierunt hoc conflictu præcipui nobiles Franciæ quatuor mille numero. Ex Anglis vix quadringenti sunt desiderati.

*Henricus* Rex cernens Franciæ tumultus, Rothomagum obsedit: atque ob annonæ penuriam eam sibi subegit. Cumq; vrbs Parisiensis Rege Carolo VI. Regina & filia eo esset tradita per Philippum Burgundum, fuit ei per Carolum VI. Catharina ipsius filia nuptui data, ea condicione, vt post eius mortem succederet in regno, quod viuente patre etiam gubernaret. Sed Martinus Pont. Rom. noluit has condiciones confirmare, quod iuri & æquitati essent contrariæ. Tulit ex Catharina filium Henricum sextum, atque obiit.


Mortuo Patre *Henricus VI.* cum infans esset anni vnius Rex fuit declaratus, quique eum alebat Dux ..... se Rectorem pro eo Regni scribebat. Nam præter alias vrbes etiam Parisiis potiebantur Angli. Vbi Parlamentum sub nomine Henrici sexti Regis Angliæ & Franciæ ius dicebat. Cudebantur etiam nummi aurei, in quibus Crux salutifera inter Lilium & Leopardum cernebatur; & ab altera facie vtriusque regni insignia. Dictique sunt Saluti, pōderis & valoris aurei Ducati Italiæ. *Henricus* duodecimus Rhemis fuit coronatus.

*Henricus VI.* audiens pacem initam inter Francũm & Burgundum ægre id tulit, atque decimo Kalendas Martii bellum etiam in Flandros proclamari iussit.

Hoc anno Ioanni ANTONII BVRGVNDI filio lis orta est cum Iacoba Guilielmi Bauari Hollandiæ Comitis filia, eo quod nulla procreandorum liberorum spes affulgeret; adeo vt Ioanne relicto in Angliam profecto nupserit Humfredo Clocestriæ Duci fratri Henrici V. Regis. Vnde varia mox inter Burgundos, Anglos, Gallos & Hollandos bella comitata sunt.

# ITALIA.

Iacomuzzus, *cui ob feruidi ingenii impetum* Sfortiæ *cognomen à commilitonibus erat inditum, nunc in Aterno amne periit annos natus 54. Hic terram ligone subigens & à popularibus ad nomen militiæ dandum sollicitatus, ad bellum profectus, in re militari tantum fecit profectum, vt à Ioanne* XXIII. *Pont. Confalonerius Ecclesiæ Ro. & Comes Cotignolanus fuerit dictus, ipsumque opidum pro solutione* 14000. *aureorum, quæ illi pro stipendiis Ecclesia debebat, ei traderetur. Fuit hic nobilissimæ Sfortianæ familiæ auctor, quæ cito miro excreuit, habuitque viros domi militiaque clarissimos.*


IACOMVZZO Sfortia Comiti Cotignolano filii fuere clariss. Duces
Franciscus Sfortia, qui ducta Philippi Maria Ducis Mediolanensis Notha Blanca Maria, ex ea tulit
Leo Sfortia
Alexander Sfortia & Constantia Maletesta
Fuscinus Sfortia.
Bosius Dominus S. Floris opidum ab eo ortus Bosius Pauli III. Pont. Max. gener Pater Guidonis Ascanij Cardinalis.
Constantius Pisauri dominus &
Camilla Aragonia.
Concubina
Galeatium Mariam, cui ex Bona Sabaudia filii
Ludouicum Mariam cui Mauro cognomen: cuius filii
Ioannes & Genopheua Theupola
Constantius secundus obiit impubis.
Ioannes Galeatius Sfortia ex Isabella Aragonia Alphonsi secunda filia
Maximilianus Sfortia
Franciscus Sfortia II.
Franciscus Galeatius Sfortia.

ANNI CHRISTI. 1433. *Cum in principatum Mantuæ* Ludouicus Gonzaga *annos natus vndecim, menses nouem, dies nouem successisset anno* 1407. *Serenissimus* Sigismundus *quartus, decimo Kalendas Octobris sua manibus & ore Marchionem Mantuæ designauit in magnificentissimo tribunali, in foro D. Petri Mantuæ, concessis insignibus ipsi Aquila nigra in campo albo cum rubente Cruce.*

## ECCLESIA.

1404. *Æn. Siluius hist. Bohem. 3* In Bohemia rexerunt scholam Pragensem hucusque Teutones, quod molestum erat Bohemis hominibus natura ferocibus atque indomitis. Ex quibus cum quidam Oxoniæ studens in Anglia ibidem *Ioannis VVicleffi* libros de vniuersalibus realibus offendisset, delectatus eorum lectione, quod paradoxa de Ecclesia, Iure diuino, ciuili, aliisq; quæstionibus continerent, eosdem secum Pragam detulit, iisque, qui Teutonicorum odio flagrabant, exhibuit. Quorum facile princeps erat *Ioannes* obscuro loco natus, ex villa nempe *Hus*, quod anserem significat, cognomen sortitus. Hic cum esset ingenio peracri, & lingua diserta, multumque Dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, argumentis Wicleui Teutones assidue vexabat, sperans illo modo eos scholam relicturos Bohemis. Nec spes eum fefellit. Nam ira accensi Teutones ad numerum circiter duorum
1409. millium Lipsiam Misniæ ciuitatem commigrantes vniuersale studium ibidem erexerunt. Sicque Bohemis scholæ suæ gubernatio patuit, quorum Princeps est habitus *Ioannes Hus* potens lingua, & vitæ mundior s opinione clarus. Qui etiam Bohemice verbum Dei prædicando multa è libris Wicleui (quem pium cæloque dignum asserebat) deprompta populo inculcabat. Qui eius suasu Waldensium mox sectam amplexi sunt, in tanta negligentia Wenselai Regis ebriosi.

*Iacobus Angelus* Florentinus Ptolomæi Alexandrini Cosmographiam ex Græcis codicibus diligentissime lineis ex picturæ dimensione expressam Alexandro quinto dedicauit. Quo munere splendorem ingentem omnium gentium historiæ contulit: cum ex eo verus situs rei gestæ cum mira voluptate contemplari liceat.

1410. Hac tempestate floruerunt Gaudaui IOANNES EICKIVS cum HVBERTO fratre suo maiore natu summi pictores. Quorum ingeniis primum excogitatum fuit, colores terere oleo seminis lini. Nec modo tabulas pinxerunt suis Belgis: sed complures ipsorum tabulæ ad Alphonsum Neapolim, & Laurentium Medicem Florentiam transmissæ in magno apud eos precio fuerunt.

Secutus hos est etiam *Rogerius VVeidenus* Bruxellensis: cuius

tabulam

tabulam sibi vsque placentem Maria Hungariæ Regina precibus ac pretio comparauit Louanii ab æditiis sacelli dolorum Virginis Matris transmisitque in Hispaniam. ANNI CHRISTI

*Hugo* quoque *Leydensis* deinde Goudæ, gloriam sibi pingendo comparauit non exiguam, & post eum *Lancelotus* Brugensis. Porro *Ioannes Eickius* iuuenis Brugis obiit: & *Hubertus* grandæuus Gaudæ, orti Masaico Taxandriæ opido ad flumen Mosam. Hic in D Ioannis sepulcro Flandricis carminibus annum obitus 1426. decimoquarto Kalendas Octobris indicantibus ornato fuit conditus: ille in S. Donatiam, vbi eius Epitaphium elegiaco carmine Latino columnæ appensum legitur:

*Hic iacet eximia clarus virtute* IOANNES,
*In quo pictura gratia rara fuit.*
*Spirantes formas, & humum florentibus herbis*
*Pinxit. & ad viuum quodlibet egit opus.*
*Quippe illi Phidias & cedere debet Apelles,*
*Arte illi inferior hac Polycletus erat.*
*Crudeles igitur, crudeles dicite parcas,*
*Quæ talem nobis eripuere virum.*
*At cum sit lacrymis incommutabile fatum;*
*Viuat vt in cæli parte, precare Deum.*

PETRVS DE ALIACO, Gallus, Doctor Parisiensis, ex Episcopo Cameracensi Cardinalis creatus. Præceptor fuit *Ioan. Gersonis*, Theologi Parisiensis.

*Iohannes de Schoonhouia* Canonicus Regularis multa de Monachi officio conscribens, etiam Apologiam pro *Ioanne Ruysbrouck* edidit.

Cum *Fr. Matthæus Grabon* Dominicanus Groningensis, in Concilio Fratres domus Florentii impietatis traduceret, asserens eos esse ex illorum numero, quos Bonifacius VIII. Clemēs V. & Ioannes XXII. Romani Pontifices sub Beguardorum nomine exterminauerant; restitit eius criminationi *Ioan. Gerson*, proferendoque *Caput 4 Act.* Apostolorum, fratres illos non minus aliis religiosos esse demonstrauit: eoque calumniatorem pepulit, vt palinodiam sit cantare coactus, cum interim Concilium præsidente Martino V. Pontifice modum vitæ tam religiosæ comprobans, hortaretur fratres scholas erigere, & discipulos ad pietatem instituere, quibus Ecclesia Dei fulciri posset, cum illa cum piis doctisque viris vel maxime indigeret. Itaq; ex hac domo Dauentriensi longe lateque quasi coloniæ deductæ fuerunt, cum Eugenius IV. & Pius II. Rom. Pontifices ipsis concederent varia priuilegia.

*Paulus* Episcopus Burgensis ex Iudæo sponte Christianus factus, scripsit ad Alphonsum filium suum, ex legitimo thoro 1414.

ANNI CHRISTI. natum, additiones ad Postillas Nicolai de Lyra super Biblia, aliaque Theologica Fuit vero Archicancellarius Ioannis II. Regis Castellæ & Legionis.

FRANCISCVS ZARARELLA Patauinus I.C. Card. & Episcopus Florentinus, obiit Constantiæ die 6. Nouembris, sepultus Patauiæ in patria. Scripsit in Decretales & Clementinas repetitiones varias.

1422. Cum *Martinus V.* Pont per diploma Germaniæ populos ad sacrum bellum contra Hussitas euocasset. 208. ciues Delphis Hollandiæ vrbe profecti, suo sumptu in Bohemiam, strenuam operam ibidem cum magna gloria præstiterunt, & post annum domum reuersi, in memoriam illius expeditionis, ex consensu Senatus, fraternitatem Eucharistiæ sacram in veteri Ecclesia instituerunt, vexillo, quo vsi fuerant, ibidem appenso.

*Thomas VValdensis* Carmelita Anglus vita defungitur, qui præter Commentaria in Aristotelis Physica, & Scripturæ complures libros, etiam omnium doctissime contra Wicleffi Paradoxa scripsit.

IOANNES GERSON summus Theologus ac Cancellarius Parisiensis, multisque libris conscriptis coactus fugere in patriam Lugdunum, ibidem obiit.

*Nicolaus* Abbas, & postmodum Episcopus Panormitanus: atque *Felinus Sardous* Episcopus Ius Canonicum suis scriptis illustrauit.

*Laurentius Iustinianus* ab Eugenio quarto Pontifice maximo Patriarcha primus Venetis & Primas Dalmatiæ dicitur, translata Patriarchali Ecclesia Grandinensi Venetias. Complures libros conscripsit *Laurentius* piis Theologis valde probatos. Vitam eius conscripsit *Bernardus Iustinianus* eius nepos ex fratre. Mortuo eo successit in Patriarchatu. *Maphæus Contarenus*, etiam ordine Cælestinus.

Cum *Iulianus* Cardinalis postmodum Viennæ Austriæ *Æneam Siluium, Ioannem Amicum* Legatum Coloniensem, aliosq; cœna excepisset, & multus haberetur sermo de Concilio Basileensi, terræmotusque fieret; dicente Ioanne Coloniense surgendum à mensa esse, & in patentes eundum campos. *Bono animo*, inquit Iulianus, *estote, de Synodo Basileensi locuti sumus, quæ omnem Ecclesiam tremefecit, non tamen illisit: ita nec nos terræ motus iste consternauerit.*

LEONARDVS BRVNVS ARETINVS Græce Latineque doctissimus, obiit nunc supremum diem anno ætatis suæ septuagesimoquarto Florentiæ: Vbi à secretis Reipublicæ fuerat, sepultusque est ibidem in templo S. Crucis à Carolo Aretino successore suo in hoc munere Epitaphio decoratus. Fuerat vero

Inno-

Innocentio septimo epistolarum Magister & quatuor subsequentibus Pontificibus. Vertit Morales Aristotelis libros, & Gothicam historiam, suppresso Procopii nomine, edidit. Vnde accusatus furti fuit à Christophoro Porsenna. ANNI CHRISTI.

*Maphaeus Vegius* Laudensis, quod Æneidem Virgilii libro suppleuisset,

*Illustres alios it ante vates*
*Asserta sibi gloria Maronis.*

Quin & grauioris doctrinæ ac summæ prudentiæ opinione Martini Pontificis Maximi amicitiam consecutus, in conferendis sacerdotiis supplicum libellorum officio præfuit: ita vt mox Eugenio & Nicolao carissimus fuerit. Præter glossemata in Scripturas reliquit libellum de reb⁹ antiquis memorabilibus Basilicæ S. Petri, in quo donaria, sepulcraque Pontificum referuntur.

† Dum iam absolueretur Concilium Legati Armeniorum Patriarchæ eo appulerunt dicentes, se suamque Ecclesiam cum Catholica coniungi velle, & Synodi Decretum pie seruare Recepetũtq; Catechismum fidei Orthodoxæ, approbanteq; cuncta Eugenio Pontifice dissolutum fuit Concilium: Græcorum & Armeniorum vnione facta cum Ecclesia Latina.

Diploma continens dogmata hocce Cõcilio confirmata, Latinis Græcisque litteris exaratum, manuque Eugenii Pontificis Cardinalium omnium, Imperatoris Paleologi, Iosephi Patriarchæ, aliorumque Præsulum subscriptum, cum signo Eugenii plumbeo, Imperatoris aureo asseruatur Bononiæ in archiuo vrbis.

Porro quamquam Ioseph Patriarcha & Ioannes Imperator concordibus animis cum Ecclesia Latina fidei symbolum professi fuerant: Constantinopolitana tamen Ecclesia credere, quod Romana sentiret, velut nefas ducebat. Obierat enim Florentiæ Ioseph Patriarcha, nec Imperator domum reuersus diu superuixit, cum imperasset annis viginti quatuor.

*Constantinus Paleologus*, qui ei successit, siue deceptus, siue sponte sua insaniens haudquaquam vnioni consentire videbatur Nam Gregorium Patriarcham, qui Iosepho successerat domo pepulerat, quod in fidei veritate ambularet; bona Ecclesiastica quoq; inuasit. Miserat eo Nicolaus Pontifex Romanus Isidorum Cardinalem Episcopum Sabinensem, percontatum, quã ob rationem Legatorum suorum Græci conuenta cum Latinis Florentiæ habita reiicerent. Hic vt vir erat industrius, & Rhutenorũ Ecclesiam rexerat; iam Imperatorem eusq; Senatum pellexerat in rectã viam: cum Turcarum bellũ, auctore ac duce Mahomete, veluti repentina tempestas contra Constantinopolim

 emersit.

ANNI CHRISTI. emersit. Is enim castellum iuxta litus ad ostium Bosphori paulo ab vrbe remotius aliud dissimulans summa celeritate exstruxit, atq; muniit: bellum deinde vrbi non modo indixit, sed contra fœdera & iusiurandum intulit, simul & gerere cœpit. Græci diffidentes viribus suis ad Latinorum opes confugerant lacrymis auxilia exspectantes. Sed surdæ aures, cæcique oculi Principum Occidentalium, qui non videbant cadente Græcia, ruituram & reliquam Europæ partem aliquando. Itaq; sine odiis seu commodis priuatis posthabita fuit publica salus. Mahometes interea mirabili apparatu terra mariq; vrbem regiam aggressus, cuniculis altissime actis, aggere late edito, ponte, qua Peram opidum versus mare muros alluit, ad millies mille passus raptim exstructo, turribus ligneis eousq; erectis, vti muros quamuis altissimos excederent, machinamentorum tormentorumq; multiplici adhibito genere oppugnare vrbem cœpit, quæ summis virib. vsq; defensa fuit: donec tandem quarto Kalendas Iunii fuit expugnata: Constantinus Imperator dum ad portam se trepidus recipit, fugientium multitudine oppressus interiit: atq; a Constantino Magno, qui primus Constantinopoli imperium instituerat, post annos mille, centum, viginti & vnum vltimus Imperator fuit.

*Bernardinus Senensis* Minorita obiit Aquileę decimotertio Kalendas Iunii. Adscripsit eum catalogo Sanctorum Nicolaus V. Pontifex Romanus.

Claruit hoc tempore ALFONSVS TOSTATVS Episc. Abulensis ex Doctore Theologo Salmanticensi. qui Didymum Chalcenterum ab inuicta scribendi patientia sic dictum, superasse videtur: tot enim scripsit, vt iis legendis vix ætas hominis sufficere possit.

1440. Florebat etiam *Ambrosius Camaldulensis*, in Apennini iugis monachus, Græce Latineque doctissimus, vir sine supercilio, pius & à liuore atq; contentione alienus; vt quum *Valla Poggium* conaretur reconciliare, diceret eos neq; plane literatos, nedum Christianos videri: qui inducta simultate sacrosanctum litterarum decus probrosis libellis importune defœdarēt. Fuit gratus Cosmo Medici, cui Diogenem Laertium à se Latine versum dedicauit. Porro POGGIVS rabula & aliorum subsannator, cū Georgio Trapezontio in theatro Pompei celebri die malediceret, ab eo acriter duplici colapho fuit percussus. Amarulento quoq; libello in Vallam inuectus, ab eodem male audiendo pœnas maledicentiæ suæ cumulatas luit. Hoc illi certe erudita ingenia acceptum referre debent: quod Quintiliani libros in sallamentarii taberna repertos protulerit in lucem: & Ciceronis libros de Finib. & de Legib. à se in Germania descriptos primus attulerit

in Ita-

in Italiam. *Laurentius Vlla* vero non modo etiam *Antonium Rantensem*, sed & *Bartholomaeum Facium* Ligurem & *Antonium Panormitam* Siculum suo felle turgidus iugulare nitebatur. Erat vero *Panormita* Alphōso Aragonio secretioris scrinij Magister: & studiorum expeditionumq; omnium terra marique perpetuus Comes: quique facta & dicta eius conscripserat aureo libello. *Facium* Ligurem liberali stipendio etiam Alphonsus conduxerat, vt res suas bello praeclare gestas posterorum memoriae mandaret. Concesserat & ad Alphonsum Neapolim, atque de auitis bellis in Hispania Sicil aque gestis minus puri stili charactere historiam conscripsit.

Porro *Panormita* moribundus hoc carmen composuit, & liberis, quos ex Arcella senex susceperat, illud suo tumulo inscribere iussit:

*Quaerite Pierides alium, qui ploret amores,*
*Quaerite qui Regum fortia facta canat.*
*Me pater ille ingens hominum sator atq; redemptor*
*Euocat, & sedes donat adire pias.*

Ordo Minimorum nūc exortus est auctore Francisco Siculo, à quibus praeter cruda nihil conceditur, sectatores hi sunt inter varij generis complures alios ordinis S Francisci.

*Ioannes Tortellius* Aretinus laude exacti Grammatici contentus, de potestate litterarum volumen edidit. Ab optimo Pontifice Nicolao quinto intra cubiculum curarum, consiliorum ac studiorum particeps ascitus. *Laurentius Valla* sibi eum tamquam summum Censorem Latinitatis delegit.

*Ioannes Capistranus* opido Italiae Aprutio ortus, in Illyrico paucis diebus post *Ioannem Huniadem* summum belli ducem etiam obiit, sepultusque fuit Villaci apud Franciscanos sui Ordinis monachos Hic tantae auctoritatis, ob cōciones, quas passim faciebat, apud populum erat, vt Æneas Siluius scriberet, illum erecto vel solo digito totam posse mouere Europam. Fuerat Bernardini Senensis discipulus, scripsitq; librum *contra Hussitas*, & tres libros *de cupiditate*. De illo scribens Pius secundus Pontifex Maximus: *Auarissima honoris est*, ait, *humana mens: facilius regnum & opes partitur, quam gloriam. Potuit Capistranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem subigere, gloriam vero spernere non potuit.*

*Laurentius Valla* Romanus cum editis elegantiarum Latinae Linguae libris sex, & Herodoto atque Thucydide Latio donatis obiisset Kalendis Augusti; Catharina eius mater in Laterano, vbi sacerdotio fuerat functus, ei sepulcrum excaelato marmore cum effigie & elogio posuit:

ANNI CHRISTI.

*Laurens Valla est hic, Romanæ gloria linguæ,*
*Primus enim docuit, qua decet arte loqui.*

Cum vero *Bartholomæus Fatius* Vallæ inuisus mox quoque moreretur, quidam salse in vtrumque hoc carmine lusit:

*Ne vel in Elysiis sine vindice Valla susurret*
*Facius haud multos post obit ipse dies.*

# GALLIA.

## LVDOVICVS Dux. Burg.

*Ioannes Intrepidus* Burgundiæ Dux Parisios cum venisset, interficiendi LVDOVICI Aurelianensium Ducis occasionem secretissime vestigabat, qui tandem post varias insidias, simulate per regium cubicularium, iamdudum à Burgundis corruptum, interficitur, cum Regis nomine ex ædibus Reginæ vocatus septem tantum nobilibus stipatus sub vesperam incederet.

IOANNES BVRGVNDVS filius natu Maximus Philippi Audacis Ducis Burgundiæ natus Digeone, Metropoli Burgundiæ, (qui vix duodecimum ætatis annum ingressus, magno cum gaudio, prima induens arma, patrem, Regemque Galliæ contra rebelles Flandros in auxilium Comiti Ludouico auo suo proficiscentes, comitatus est) post varia pace belloque gesta tandem perfide iussu Delphini Galliæ Monteranij occiditur, anno ætatis quadragesimo, anno Christi 1419.

*Ludouicus II.* quamquam erat crudelior atque iniquior erga suos, tamen valde se oblectabat facetiis & libertate linguæ. Cum aliquando intentus negociis nullum inueniret familiarem in aula (exierant enim venatum) Turonis accedens culinam vidit puerum vertentem veru ad ignem, rogatque quis sit, respondet ille se esse ministrum Regis. Tum Rex, *quod tibi nomen? Stephano* ait. *Quantum ergo*, inquit, *lucraris?* at ille; *tantum, quantum Rex ipse. Quid ergo lucratur Rex? Victum & vestitum: Tantumdem & ego, sed ille à Deo, ego vero ab eo, dum illi inseruio.* Delectatus respõso pueri, qui eum non nouerat, curauit illum euehi ad honores. Erat Rex plane amusus, nec voluit filium Carolum instirui humaniorib. disciplinis. Itaque cum legatos accepisset Angliæ, atque rogasset Petrum Bresayũ Præfectum Normandiæ, quo insigni munere illos donaret, quod ipsi parũ prodesset, quoq; sine mœrore facile posset carere. Respondit Petrus: *Est tibi insigne collegium cantorum Musicorum, quod tibi haud multum commodi conferat, cuiusque desiderio, postquã dederis non multũ excruciers.* Subrisit Rex: *At nescio*, inquiens, *num munus illis gratum sit futurũ: tu ergo cũ Cantorib. ad eos accedẽs adorna hoc munus verbu.* Erat Regi moris, nullius auscultare consilio, sed omnia ꝓ libito agere suo.

Cum

Cum ergo eum exiguo gradario equo insidentem conspicaretur hic Petrus: *Robustus*, inquit, *Sire equus iste est, qui tam cõmode Regem totumq; eius Consilium ferat.* Videns Ludouicus Episcopum Carnutensem vehimula bullis aureis ornata: *Olim*, ait, *Episcopi vel inequitabant asinu, vel pedibus incedebant*: Tene ergo oportet tanto sumptu equitare? Cui Episcopus: *Et olim Reges*, inquit, *oues pascebant. Quare si tempora obseruaueris, concordabis & mores.* ANNI CHRISTI. 1378.

Abbatem Bargiensem, quo familiariter vtebatur, rogauit vt vellet sibi permittere conferre Abbatiam alteri, cui tale quid promiserat. Respondit Abbas: *Quadraginta Sire anni sunt, ex quo cœpi discere duas literas A. B. concede mihi & terminum tanti temporis vt duas multo difficiliores addiscam nempe C. D. atque obsecundabor tuo desiderio* Erat hic Abbas summus Musicus, dicebatq; Rex, vt sibi ex grege porcorum pararet harmoniam quamdã, qua posset delectari. Poscebat ille argentum quo accepto diuersæ ætatis ac vocis coemptos porcos complures tentorio inclusit. Fecitq; instrumentum in quo ordine porcos dispositos variis pungeret aculeis: sicque audiebat Musicam Ludouicus Midæ auribus dignam, admirante atque ridente cuncta aula.

*Ludouicus Delphinus* Viennensis, cum Agnetem patri dilectam occidisset, eius odium incurrit. Itaque se nusquam tutum fore arbitratus, ad florentes Philippi Burgundi opes confugiens: *Miserto mei* Consanguinee, inquit, *qui filius Regis sum sine terra.* Ad quem Philippus: *Dum mihi terra est*, ait, *caue te sine terra dixeris: nam quæ mihi prouinciæ parent, eadem tua sunt. nec minus tibi, quã mihi obediant volo.* Post hæc ei & Brabantiæ florentissima opida & ambitiosas Flandriæ ciuitates ostendit dominum & Principem eum in conspectu suo nuncupari iubens Elegit vero Genappum antiquissimum Lotharingiæ inferioris locum, vbi ius clientelare Brabantię exercetur, ad habitandum: ibiq; cum vxore & familia ad quinq; annos vixit, nactus Cononem rusticum sibi amicum: qui regno inaugurato rapas aliquot prægrandes muneri detulit, remuneratus mille coronatis. 1456.

*Arturus* Dux Britonum decedens sine prole reliquit Ducatum *Francisco* Comiti Estampensi, nepoti ex Richardo fratre. 1462.

*Blaumontium* opidum Lotharingiæ quinto Idus Augusti a Carolo Burgundo captum igne fuit conflagratum.

LVDOVICVS XI. consecratus Rhemis secundo Kalendas Septembris venit Lutetiam Parisiorum. Vir valde suspiciosus & animi præferocis: quique male fidens ac infensus nobilitati, plebeios euehebat ad honores & dignitates. Itaque offendit pręcipue *Carolum Valesium* fratrem suum minorem natu, cui tantum concessit Ducatum Bituricensem.

ANNI CHRISTI. 1464. *Ludouicus* XI. misit Legatos ad Franciscum Ducem Britanniç, postulatum vt è titulis suis dimitteret *Gratia Dei*, nec aureos nũmos cuderet sine ei⁹ licentia. Quod sibi licitũ esset, vt superiori Principi vectigal imponere eius ditioni, vtq; Prælati Ecclesiastici temporalia sua bona requirant deinceps à Regibus Franciæ. Petiit Dux terminum deliberandi cũ Ordinibus atque interim mittit ad diuersos Principes & Proceres Regni conquerendo de iniquis condicionibus, quæ sibi proponerentur, implorans etiã auxilium aduersus iniurias Regis, vsus ad hoc negociũ nuntiis indutis variorum Ordinum cucullis. Atq; ita exortum est dirissimum bellum: in quo Carolus Carlesius Philippi Burgundi filius auxiliaturus Britanno primus Suiceros ex Heluetia duxit in Galliam, quorum virtute memorabili conflictu ad mortem Henrici 2000. passuum à Lutetia deuictus fuit Ludouicus xv. Kal. Aug. Periit eo in prœlio pro Rege occisus Petrus Bresar⁹ Normandiæ Præfectus, qui, quo Regem periculo eximeret, cum eo vestes mutauerat. Scoti vero auxiliares seruarunt Regem, eum deducentes in castrum excelsum Montis Henrici. Vnde noctis beneficio elapsus venit Parisios, atque inde fugit in Normandiam. Cumque videret se viribus imparem confœderatis pacem ea conditione fecit, vt recepto Bituricensi Ducatu, fratri Carolo concederet ducatum Normandiæ. Carolo Carlesio restituit Boloniam, Peronam, aliasque vrbes, quæ Philippo eius patri fuerant ablatæ: Ioannem Ducem Borbonum antiquo restituit statui: & Duci Britanniæ non vlterius fuit molestus, reddens ipsi Comitatum Montfortii. Id omne concessit, vt fœdus inter ipsos ictum rumperet, & Carlesium à fœderatis traheret; cui⁹ vires potissimum habebat suspectas. Nam mox veniens in Normandiam fratrem compulit fugere in Britanniam.

## GERMANIA.

### FREDERICVS III. PVLCHER.

FREDERICVS III. Austriæ Dux Kal. Ian. Rex Romanorum declaratus electus, dum Aquisgranum ad coronandum atq; inungendum tendit, *Albertus* frater eius iunctis cum Comitibus Celiæ viribus Carnos inuadit, Labacum insigne opidum ac munitissimum obsidione cingit, Craneburgenses infestat; Tergestinis, se nisi dedunt, exitiũ minatur. Apud Carentanos, apud Stirienses nouas turbas excitat. Seniores, qui apud Ernestum patrem inprimis accepti ac fideles fuerant, suadent Frederico patrimonii, quam imperii maiorem curam gerat: Imperium rem communem esse, & alio tempore posse curari, patrimoniũ rem propriam, & ad heredes transituram: nisi nunc tueatur, frustra in posterum optari quærique. Contra Fredericus Imperii communia negocia, per sese, hereditaria ac propria per procuratores curanda

curanda statuit. Cœptumque iter prosequens belli duces elegit, qui se absente patriæ consulant: coronatusque dum reuertitur, fratrem cum Comitibus profligatum reperit, & ad se vocatum temerati fraterni amoris & Hospitii arguens rursum in gratiam recepit, & quasi nihil peccasset in partem regni restituit. Bohemis ac Hungaris Fredericum Cæsarem sibi Regem petentibus respõdit: *Absit à me scelus hoc, vt patrueli meo Ladislao paternam hereditatem auferam.* ANNI CHRISTI.

*Ladislaus* Rex Hungariæ & Bohemiæ ducturus in vxorem Magdalenam Caroli Gallorum Regis filiam, veneno ab Hussitis propinato in fata vndecimo Kalend. Decembris concessit Pragæ, annos natus octodecim: ibidemque in templo S. Viti apud Carolum quartum Imperatorem fuit sepultus. 1457.

*Albertus* Marchio Brandenburgensis bellum Vrbium gessit contra Norimbergam & plerasque alias Imperii vrbes: octoque prœliis Norimbergenses prostrauit. Cum vero ciuitates maximum exercitum instruerent, interroganti cuidam, cur aduersus Principem non vsque diuitem ac potentem tot copias conscriberent, responsum fuit: *In Alberti astutia ac fortitudine omnium Germaniæ Principum vires opesque contineri*: Et nequaquam vox ea vana fuit: septemdecim enim Principes ad suas partes pertraxit, ciuitatesque multis incommodis attritas petere pacem coegit. Fuit vero *Teutonicus Achilles* dictus ob virtutem. 1449.

Voluerunt Calixti quoque imperium illudere Vltraiectenses, qui mortuo Diepholdio Episcopum ab eo datum Dauidem Burgundum recipere recusarunt. Sed apparatibus Philippi Burgundiæ Ducis patris eius ac potentia territi, & primis conatibus infeliciter vsi, furore deposito paruerunt.

Erat faceti ingenii quoque Philippus Burgundus, qui cum Brugis Flandrię aliquando concubia nocte rediens conspicatus esset Baiulum vino sepultum indormire silicibus plateæ: iussit hominem in aulam deportatũ imponi suo lecto, ablatisque suis propriis vestibus, ducalib' foueri. Mane intrare pueros aulicos, qui ex more adsint surrecturo, eumque vestiant quasi Ducem: nobiles quoque salutatum præsto esse atque deducere ad templum, indeque reducere ad mensam opipare instructam, accumbenti inseruire, & vario lusus genere eum post epulas recreare: deni que sub vesperam inuitare ad largius potandum. Quæ vbi facta fuere, iussit eum inebriatum ad eum locum deportari, vnde sublatus fuerat, suis vestibus indutum. Qui miser vbi euigilauerat ignarus erat, an e per somniũ an vera accidisset. Itaq; Philippus ad suos ita & vita mortaliũ præcipue magnatũ, qui licet sibi Dii quodãmodo prosperis rebus ebrii videãtur, peracta vitæ fabula ad aliud vitæ genus traducentur, secundũ me ita ipsorũ.

Oblecta-

ANNI CHRISTI.

Oblectabat se quoq; Dux sæpius Antonio sacerdote Louaniensi Paeptonio cognominato, cuius Erasmus meminit in cōuiuio fabuloso, homine scurrili ingenio & ad illudendum cuiuis nato: & vel ipsi imponere Philippo, quem procliuem ad amores vagos nouerat. Adulteria committere tunc sæculum erat: & Lenoni summo Principis in singulos dies tantumdem, quantum cuiquá summorum procerum, persoluebatur; cum aulæ negociis vacarent nempe triginta sex solidi Arthesienses: cæteris aulæ Magnatibus numerabantur viginti quatuor modo: Sumptusque diurni tam magnifici Ducis non superabant quinquaginta libras Arthesienses: Vti mihi Insulis ostensum fuit in rationum Principum libellis: qui ibidem summa cura seruantur.

Erat & in deliciis Philippo *Gerardus Ensius* Consul Enchusianus, qui pernas fumo induratas, haleces alıasq; Frisiæ minoris delicias ad ipsum solitus erat deferre: Vir aperti animi & omnis fuci ignarus. Quem cum videret magni inter suos haberi ob suá familiaritatem, ornauit eum cingulo militari, indignantib. aulicis virum nauem agentem inter equites auratos annumerari.

Cum aliquando Gandauum venisset, atque Ducem Brugas profectum secuturus esset; equo, cui erat insessurus, sellam contrario modo imposuerunt, nimirum vt anterior eius pars vergeret caudam versus. Itaq; Ensius equitandi imperitus ita corpore fuit quassatus vt triduo decubuerit, multum irato ob hoc ludēdi genus etiam cum indignatione Philippo, cui carus erat.

1468. Cum Leodienses Tungris eduxissent Ludouicum Borboniū Episcopum suum captiuum Leodium; Carolus Burgundus iusta ira excandescens vrbem Leodium obsedit, atque tertio Kalend. Nouembris vi cepit, diripuit atque euertit: cum ad sacrificii Introitum caneretur hic versus: *Omnia quæ fecisti nobis, in recto iudicio fecisti nobis, quia peccauimus tibi.*

*Adrianus Berland. in vita Caroli Audacis.*

1471. *Ioannes Antonius Campanus* Episcopus Aretinus in conuentu Ratisponæ insignem orationem habuit. de laudibus Germanorum ad exhortandos Principes pro bello contra Turcas suscipiendo in præsentia Friderici Imp.

*Carolus Burgundus* Senatum Mechliniensem instituit, ad quē omnes fere prouinciæ possent prouocare per Belgium.

1473. Decimo octauo Kalendas Decembris omnis monetæ ratio mutata fuit. Nam vsi Burgundiæ Principes in rationibus libris Burgundicis, solidos seu stuferos cuderant duorum grossorum cum semisse: quos Braspenningos appellabant, quod tantundē tum soluere pro prandio cœnave moris erat. Ex hoc tempore per libras Arthesiæ quadraginta grossorum Flandriæ computari cœptum fuit. Erantque solidi à Philippo cusi accepti pro duobus

bus grossis Flandriæ, sed formam, manente precio, mutarunt Philippus & Carolus Austriaci Principes.

*Maximilianus Archidux* Austriæ in vxorem duxit MARIAM filiam Caroli Burgundi, per quam potitus est Burgundia, ac ceteris Regionibus Belgii. Nata erat Maria Bruxellis anno 1457. 13. Febr. & anno 1482. ex equo in venatione lapsa diem obiit extremum. 1478.

Cum pecuniæ precium ob belli motus varios per Belgiũ vsq; excreuisset, vt Florenus Rhenensis aureus valeret centum & viginti-sex grossos Flandricos, Ducatus Hungaricus centum & octoginta-duos, & similiter cætera aureorum nummorum ac argentorum genera ad eundem modum: Maximilianus parta pace decimo-octauo Kalendas Decembris pessimo vsus consilio precium nummis iniquissimum statuit multo minus nimirum, quam valor esset metallorum: Nimirum vt Florenus Rhenensis quadraginta-octo, & ducatus Hungaricus quinquaginta-octo grossis Flandricis æquiualeret, & sic deinceps. Quæ subita inæqualis atque inordinata monetæ mutatio plurimum damni intulit Belgio, ita vt anno fere integro omnis fere cessauerit negotiatio, donec valor metallorum magis æquo precio æstimaretur.

*Sigismundus Archidux* Austriæ, atque Comes Tirolis, nunc nummos argenteos vnciales cudi curauit æstimatos quinquaginta sex grossis Flandricis. Quem imitatus mox est Ludouicus primus Rex Bohemiæ: & Fridericus, Ioannes & Georgius Duces Saxoniæ. Dictique fuerunt numini à valle sancti Ioachimi: Jochimdaelders.

*Matthias Coruinus* Rex inclytus Hungariæ apud Erumnam è viuis excessit. Qui emendo varios Hebraicos & Græcos libros è media Græcia Budæ memorabilem Bibliothecam instituerat. 1490.

MAXIMILIANVS procurante patre Friderico tertio imperante decimo-quarto Kalendas Martii, Aquisgrani electus est in Regem Romanũ. Erat Maximilianus linguę Latinæ satis doctus, resque à se gestas stilo satis puro conscribebat ad imitationẽ C. Cæsaris. Conquerebaturq; subinde, quod res gestæ Germanorũ sine delectu ac ordine conscriptæ, male scribendo fuissent corruptæ. Erat ei è consiliis *Sebastianus Brant* Iurisconsultus, linguę Germaniæ disertissimus: facile, vt qui prosam illam *Aue praeclara* Hermanni Contracti elegantissime verterit, seruato etiam cum accentibus syllabarum numero, ad Ionicum Hypoionicũ quemodos decantandam. Erat eius Mathematicus *Ioannes Stabius*: quo etiam pro historico vtebatur. Misere gratulatum Maximiliano Veneti *Hermolaum Barbarum* Legatum, qui coram 1494.

patre,

ANNI CHRISTI. 1378. patre, atque illo Brugis Flandriæ tertio Nonas Augusti oratio- nem gratulatoriam habuit: quam L. Carondeleto eius supremo Secretario post triduum misit, exoptans vt res eius gestas posset describere.

Interea dum Maximilianus Cæsar cum Flandris ac Brabantis belligeratur, *Franciscus Brederodius* ex Hollandia profugus arma- ta manu soluens è Flandria decimo tertio Kalendas Decembris ad portum Delphensem appulsus Roterodamum præsidiis va- cuum intrauit, omnem inferioris Bataiuæ oram vastans. Sicque Hollandia iamdiu factionibus Asellorum & Hamorum vexata, bello penuria atque morbis maxime infestabatur. Frustra oppu- gnata Schoonhouia, Schiedamum traditione fuisset à Francisco receptum, nisi Bataui actius obstitissent. Arx cum opido Wor- deno ab hostibus dolo fuit capta, ita vt Bataui vndique preme- rentur. Quin portu Delphensi incenso & Ouderstia ab hoste oc- cupata, cum ciues Delphenses inde hostes pellere conantur, pars cæsa, alii submersi, complures quoque capti fuere. Descri- psit multo elegantissime hãc calamitatem patriæ suæ *Guilielmus Goudanus*, inducens Hollandiam suam miseriam deplorantem insigni carmine, atque inter cetera dicentem:

*Heu non me tellus infortunatior vsquam*
*Fatum adeo miserabile nulli*
*Vndique clausa premor, pugna est intusque forisque*
*Vndique mors me pallida spectat*
*Sum tot nuda meis rebus, tolerabile-Simon*
*Et populi viduata cateruis.*
*Res bello periere mea, bellumque & egestas*
*Saua, viros hausere frequentes.*
*Praterea pars magna neci toto errat in orbe*
*Exsul, egens victusque larisque*
*Nec miserus dulcem patriam, nec visere paruam*
*Fas sobolem cum coniuge chara.*

1494

PHILIPPVS I. Rex Castellæ, Brabantiæ Dux Louanii, præsente patre Maximiliano Imperat inauguratur, ætatis anno decimo- sexto.

*Maximilianus* Rex Romanorum ob fidem & merita sibi præ- stita aduersus *Franciscum Brederodium*, quarto Idus Februarii Amstelredamensibus concessit, vt ad decorem insigne ciuitatis corona Imperiali ornaretur: litterasque super ea re datas Scie- dami propria manu subsignauit.

Cum *Maximil.* Cæsar comitia Colonię habet, pacẽ inter *Alb. Bauar.* & *Philipp. Palat.* cõciliat. Inde profect⁹ secũdo Rheno Arn-

hemum Gelriæ opidum obsessum deditione cepit, vna cum filio Philippo ad quem ius Ducatus Gelriæ spectabat. ANNI CHRISTI.

*Eberhardus* Comes sublimatur à Maximiliano Cæsare in Ducem Wirtembergensem in Comitiis Wormaciensibus: Vbi tum etiam ciuitates Imperiales nominatæ fuerunt numero octoginta nouem, imperioque addictæ. 1495.

*Sigismundus* Archidux Austriæ reliquit moriens omnem hereditatem suam Maximiliano Cæsari cognato. 1497.

Heluetii contra vicinos suos Austriacos arma mouerunt, ad quos comprimendos Maximilianus e Belgio venit, & post aliquot leuia prœlia pax facta fuit. 1499.

Basilea se abstrahens ab Imperio cum Heluetiis fœdus percussit, sicut & Scafhusia. 1501.

*Henricus* Dux Saxoniæ apud Hermunduros condidit opidum Annæburgum.

Pace nunc per Europam vigente videbantur rediisse aurea sæcula, cum Principes inter se viderentur certare flando feriundo puros fere aureos nummos, atq; argenteos iusti ponderis atque valoris. Etenim prouocatus magnificentia Maximiliani Cæsaris, qui Realos cuderet, Henricus septimus Rex Angliæ auri ditissimus cudit duplices Rosatos ponderis valoris libræ sterlingæ. Quem superare contendens Emanuel patrueli Ioanni in regno succedens Lusitaniæ curauit Cruciatos cudi decem Ducatorum. Sed palmam adepti fuerunt Ferdinandus & Elizabeth, dū oculis gratissimos dublones viginti, decem, quatuor, duorum ducatorum procudunt, atque titulo amoris symbolum manifestant. Etenim

*Vir Iouis ipse locum magni tenet: inclita coniux*
*Iunonis speciem, & sceptra superba gerit.*
*Dignus vterq; loco Capitoli: dignus vterque*
*Et cælo ac terris proximus esse Ioui.*

Porro cum tellus per Hollandiam igne iam interea passim cōsumeretur, eluuionibus atq; fluctibus intus forisque diminueretur, & arena sterilis vi ventorum acta operiret arua fœcunda pascuaque fertilitate præstantia, sicque miseræ prouinciæ acerrimum bellum continuaque lucta foret cum quatuor elementis rerūve principiis robustissimis hostibus; Prouidentia factum, vt nunc regioni, alioquin plane interituræ auxilio venerint ingenia, fauor, industria atque labor hoc modo. Erat in aula Philippi Austriaci munificentissimi Principis nobilis quidā assecla, qui cū ingrauescenti ætati vellet prouidere de necessariis ad sustentation ē vitæ, adiit procuratores Nosocomii Harlemēsis, dicēs se impetraturū à Principe propediē pro Nosocomio tantum agri, quātū in futurū annue penderet vltra mille libras Hollandicas,

si grati-

ANNI CHRISTI. si gratitudinis ergo ipsi, vt honeste vitam exigere posset, vellet prouidere. Pactis condicionibus obtulit Philippo libellum supplicem, rogans procuratorum nomine, vt Nosocomio vellet cócedere quidquid collium arenariorum esset inter nemus & furcas, ex quibus nihil in vsum ipsius proueniret. Annuit petitioni facilis Princeps. Tum ille procuratoribus, accessit meo inuento, inquit, fauor: restant nunc industria & labor, quibus aderit mox quæstus: etenim auferendæ erunt arenæ & vendendæ pro saburra nautis Amstelredamensibus iusto precio fundusq; irriguus aptissimus erat pascendis armentis. Forte sub idem fere tempus contigit agricolam Soeterwoudæ tribus millibus passuum à Leidis auferre è fundo suo proiectos iam olim cineres. illicq; vidés luxuriare gramina, cœpit quoq; cineres cœno permixtos spargere per arescentes agros: Secutiq; sunt alii eius exemplum: immo cum iam nunc etiam primum inciperent cœnum extrahere fossas ad alimentũ ignis: cœperunt & eas fossis cœno exhaustas viminibus stramineq; operire, iisq; iniicere arenam cum cineribus ac fimo, atq; optima facere pascua, resarciendo damnum ab igne passum cum lucro.

1493. *Fredericus III.* Imperator Cæsar Romanus, cum præfuisset Imperio annis quinquaginta tribus, mensibus septem, diebus nouédecim, annos natus septuaginta octo obiit decimo quarto Kalendas Septembris Lintii, sepultusque est Viennæ in æde S. Stephani superbo monumento variorum poetarum carminibus celebrato: in quo perficiendo quadraginta mille aureos Maximilianus Cæsar scribitur impendisse. Habuit orationem eius funebrem Ioannes Cuspinianus: decantauit ei Epicedion Paulus Amaltheus Cuspiniani præceptor:

*Augusto proprior Fridericus tertius orbem*
*Quinquaginta annis rexerat atque tribus.*
*Sic tribus hunc vita Augustum superauerat, auo*
*Longior hic, ille ast ditior imperio.*

*Maximilianus* vero, cum octo annos cum Patre imperasset, & nunc mortuo imperium auspicatur.

1500. Zenocarus. *Carolus V.* Philippi Hispaniarum Regis, & Ioannæ filius, nascitur Gandaui, 24. Febr. feliciter. Puero apud baptisterium septem munera donata fuere. I. Ducatus Lucemburgensis à Patre Philippo. II. Galea argentea, affabre elaborata, à Carolo Croio. III. Aureus gladius à dynasta Bergensi. IV. Poculum aureum lapillis preciosis plenum à Margareta Britannica infantem vlnis suis baiulante. V. Patera aurea margaritis & vnionibus referta à Margaretha Philippi sorore, Caroli V. amita. VI. Nauis argentea à ciuitate Gandensi. VII. Nouum testamentum ab Abbatibus, cum has epigraphe: *Scrutamini Scripturas.*

VIRI

# VIRI ILLVSTRES.



*D. Antoninus* Archiepiscopus Florentinus Theologus & Historiographus, moriens quarto Nonas Maii, multa litterarum monumenta orbi reliquit. Eum ob vitæ sanctimoniam Hadrianus sextus Pont. Max. Diuorum albo inscripsit.

*Georgius Purbachius* Astronomicæ in Academia Viennensi instaurator hortatu Bessarionis Cardinalis, Ptolomæi Almagestum breuibus Commentariis exponere, & lucem ei adferre aggressus opere imperfecto nondum quadraginta annos natus obiit. Eius Theoricæ Planetarum summo habentur loco. 1458.

*Nam Musa expressit doctis Purbachia chartis*
*Arte, manu, lingua, sydera quicquid habent.*

Floruere nunc Bessarionis. Card. familiares, *Georgius Trapezuntius, Gaza*, ARGYROPYLVS BYZANTINVS, *ac* FRANCISCVS PHILELPHVS homines doctissimi, quique Græciam in Italiam collocasse quodammodo videntur.

*Philelphus* peragrata Græcia ac monte Parnasso ascenso Byzantium profectus, *Emanuelis Chrysolora* filiam vxorem duxit, qua Græce elocutionis magistra vsus vsque profecit, vt legatum Paleologi Imperatoris Græce ac Latine passim orantem Italiæ Principes cum admiratione exceperint. Post res Græcorum euersas Tusculanas prælegebat quæstiones Ciceronis: simulque conscribebat conuiuia vsque doctis probata, vt illa studiosis Louanii prælegere dignatus fuerit Ioannes Ludouicus Viues. Miserat Pio II. iam Pontifici creato hocce distichon:

*Laus tua, non tua fraus, virtus non copia rerum*
*Scandere te fecit hoc decus eximium.*

Quod cum & in contrarium sensum legi posse præsentisceret Pius rescripsit.

*Quæ misisti mihi accepi tua carmina vates,*
*Carmina si dederis, carmina reddidero.*

Tum ille delusus spe hocce distichon remisit.

*Si pro carminibus sors carmina tibi dedisset,*
*Non capitis foret tanta corona tui.*

Vixit ad nonagesimum proximus ætatis annum, atque Bononiæ obiit, relinquens Marium filium egregie doctum. Perlepide eius certamen cum Timotheo Græculo de vi syllabæ Icon. tendente, atque victoris inexorabilem superbiam hoc carmine expressit Myrteus: *Paulus Iouius in Elog. u.*

*Numquid non tibi sat fuit* Philelphe
*Lingua gloria nobilis Latina?*
*Ni Græcas quoque peruagatus vrbes*
*Dignus coniuge, nuptiisq; Græcis*

ANNI CHRISTI.

*Ferres Timothei nouum triumphum?*
*Cui dum vna super ille dictione*
*Tecum pignore certat, atque barbam*
*Abradi sibi ferro pollicetur*
*Victus, aut positam pecuniam abs te*
*Victor auferat. Abnegasti eadem*
*Barbam posse pecunia obtineri*
*Victor: atque nouacula expedita*
*Barbam illius habere maluisti*
*Iam nunc non Itala*, Philelphe, *sed sis*
*Græca gloria nobilis palæstra.*

Porro *Philelpho* tam teneræ delicatæque fuerant aures, vt Bernardinum Senensem opinione sanctitatis clarum Mediolani prædicantem dicto aculeatiori ita pupugerit, vt ex eo omnem ordinem fratrum Minorum non in se modo, verum in omnes litteratos armauerit: exindeque insectari studia humanitatis ordinis eius prædicatores numquam publice priuatimque desierunt. Licet alioquin in Satyris suis candide non vno loco Bernardini meminerit.

*Nicolaus de Cusa* Treuir Episcopus Brixiensis, & Cardinalis Tituli S. Petri ad Vincula, Mathematicus, Philosophus, ac Theologus conscriptis variis libris. Ex quibus dedicauit Nicolao Quinto Pontifici Geometriæ studioso, qui ipsi opera Archimedis sibi oblata tradiderat, librum de Mathematicis complementis: Pio II. Pontifici Mahometicæ sectæ hosti acerrimo, cribrationem Alcorani Iuliano Cardinali præceptori suo, libros tres de docta ignorantia: alios item aliis, moritur hoc anno. De more laudauit eum *Ioannes Andreas* Episcopus Aleriensis Apostolicæ Bibliothecæ Secretarius, quondam eius contubernalis.

1463. FLAVIVS BLONDVS Foroliuiensis Historicus celebris, & multis Pontificibus à Secretis moritur Romæ septuagenarius, sepultus in Capitolio extra limen Templi Deiparæ Virginis.

ANTONIVS CAMPANVS rustica muliere opere fessa sub lauro in agro genitus, cum à Perusinis ciuitate esset donatus, quod apud eos Latinas profiteretur litteras, Pii secundi Pontificis Maximi gratiam similitudine studiorum promeruit, à quo ob virtutem Mutinus Præsul est creatus. Cumque Pius secundus arcem munitissimam Tybure extrueret; aditum eius hocce disticho Campanus exornauit:

*Grata bonis, inuisa malis, inimica superbis*
*Sum tibi Tybur, enim sic Pius instituit.*

At Xystus quartus eum in exsulium egerat, quod immodice Typhernatum faueret tyrannis. Scripserunt in eum Epitaphia *Baptista Platina* & *Angelus Politianus.*

Apud

Apud *Campanum* plurimum valuit & auctoritate & beneuolentia FRANCISCVS ARETINVS, Græcarum litterarum doctissimus, vt declarant ea, quæ è Græco in Latinam linguam transtulit; vt sunt Diogenis Cynici & Phalaridis epistolæ, B. Ioan. Chrysostomi in Ioannem Commentarii, & alia. ANNI CHRISTI.

Cum *Leonardus Pisanus* Indiam atque Æthiopiam perlustrasset, ex illa cyfras, quæ retrogrado gradu & munerando excrescunt, atque etiam multiplicando præter morem posterorum Iaphet, ex hac Cossicas notas reportauit. Ars vero Cossica initiũ sumpsit à Mahomete Mosis Arabis filio, qui quatuor regulas de ea reliquit. Post tres accessere, quas conscripsit *Lucas Picciolus*. Deinde *Scipio Ferreus* Bononiensis capitulum Cubi, & rerum numero æqualium (rem mirabilem) inuenit. *Nicolaus Tartalia* Bruxellensis, *Ludouicus Ferrarius*, & *Hieronymus* Cardanus plura etiam sunt perscrutati.

DESIDERIVS ERASMVS Roterodami opido Hollandiæ ad Mosam nascitur septimo Kalendas Nouembris, patre Gerardo Goudano presbytero. Domus, in qua natus fuit, litteris variis inscripta ostenditur in vico latiore ad læuam ex aggere descendenti ad templum Matrem Septimonsem fuisse commemorant. 1465.

Fuit *Petrus* Germanus frater eius duobus circiter annis ipso maior natu.

Quarto Idus Martij obiit Ruremundæ DIONYSIVS RYCHELIVS Carthusianus, Leuacis ortus, Theologus Polygraphus, vt qui non modo in vtrumque Testamentum: sed & pleraque quæ ad Ethicam atque Politicam, insuper Metaphysicam spectant copiose tractauit: vt inde ipsi nomen *Doctoris Extatici* fuerit datum. 1470.

Cœperunt nunc innotescere varii Symphonetæ, inter quos hac ætate vel primus fuit *Iacobus Obrechtus*, qui Erasmo Roterodamo puero præceptor fuit in Musicis Vltraiecti: vbi ob exilitatem acutæ vocis Erasmus Choraulum agebat. Dum vero ætate maturior se subinde cum sodalibus Musica oblectaret Erasmus, finito carmine, folia, quibus inscriptum erat notulis illud, solitus erat in aera proii ere, addens: *Tam leuis cantorum grex esse solet moribus.* Post Obrechtum Ioannes Okegem Belga, summus Symphoneta fuit habitus: vt qui cantum triginta sex vocum instituerét, & cantus sine clauibus, vt in *Vt* vel *Re*, aut *Mi* cantari à Symphonetis possent pro libito faceret varios. Mortuo cum Philomusus insigne Epitaphium conscripsisset indignabundus morti ita loquitur tandem:

*Quid facis inuida mors*
*Vel hoc iniqua maxime,*

ANNI CHRISTI.

*Æqua quod omnibus es?*
*Sat erat tibi pr miscue*
*Tollere res hominum:*
*Diuina res est Musica,*
*Numina cur violas?*

1477. IOANNES de Regio-monte, Episc Ratisbonensis, Astronomorum princeps, natus anno 1436. Moritur Romæ sub Xysto IV. anno ætatis XLI. Scripsit doctissime in Almagestum Ptolomei, & alia.

ALEXANDER quoque TARTAGNVS Imolensis, Iurisconsultissimus, & legum clarissimus interpres, scriptis ad Ius Ciuile commentariis à viuis excessit Bononiæ. anno ætatis LIII. cum annos XXX summa cum laude & perspicuitate Ius fuisset interpretatus.

Obiit Romæ *Catharina* Regina Bosniæ, cuius monimentum exstat in Ara cæli Illyricis Cyrillicis litteris & vernacula gentis lingua in hunc sensum inscriptum:

*Catharinæ Reginæ Bosnensi, Stephani Ducis Sancti Sabæ ex genere Helenæ & domo Principis Stephani natæ, Thomæ Regis Bosniæ vxori. Quæ vixit annos quinquaginta quatuor: & obiit Romæ Anno Domini M.CCCC.LXXVIII. vigesimoquinto die Octobris. Monumentum ipsius scriptum positum.*

BAPTISTA PLATINA Cremonensis, Bibliothecæ Romanæ à Xysto V. Præfectus, scriptis vitis Pontificum Rom obiit Romæ, 1481. hocce Epitaphio:

1478. *Quisquis es (si pius es)* PLATINAM,
*Et suos ne vexes, angustæ*
*Iacent & soli volunt esse.*

1481. Hoc anno edidit LEO BAPTISTA Albertus Florentinus decē libros *de architectura*, Latine tres libros *de arte pictoria*, atq; alios tractatus sculptoribus, architectis ac pictorib. perutiles edidit: in quibus ipse aliis optimis præceptis præluxit, cum ipse nihil pingeret, quod laudem mereatur.

1482. *Nicolaus Vordeus* Mechliniensis cæcus à tertio natiuitatis suæ anno ingenii præstantia tantam doctrinam consecutus est: vt Coloniæ & Louanii iura publice profiteretur, & Theoremata quædam reliquerit; ita vt eum vocitent, cum hoc anno moreretur, *Miraculum naturæ.*

1488. ANDREAS del SARTO Florentinus Pictor excellens hoc anno nascitur. Obiit anno M.D.XXX. Ætatis XLII.

Princeps interpretum Græcorum consensu omnium floruit THEODORVS GAZA Thessalonicensis in libris de animalibus & Problematis Aristotelis, quos libros Xysto quarto Pontifici Maximo dedicauit: Item de stirpibus Theophrasti, siue decore atque

atq; elegantia interpretationis; siue copia Latina, qua certauit cum Græcis, siue felici audacia fingendis ad analogiam vocabulis, quibus carebant Latini; vt cõmodius Græca redderet. Rursum tanta felicitate librum M. Tullii de senectute Græcum reddidit, vt etiam Maiestatem eloquentiæ Ciceronis exprimat. Cum vero libros suos in membranis eleganter descripsisset, illosque obtulisset Xysto, atq; ei Pontifex donasset ducentos ducatos, fertur nummos in Tyberim proiecisse dicendo: *Perierunt labores, pereat & precium: Effugere hinc lubet, postquam optima segetes in olfactu prapinguibus asinis sordescunt.* Natus erat in Gręcia, educatus in Italia, atq; in magna Græcia fuit sepultus. ANNI CHRISTI.

Eum MICHAEL MARVLLVS Tarchaniota Græcus Poeta ac miles, qui paullo post in Cecina amne apud Volaterranum submersus est, decorauit hoc elogio:

*Hic Gazes iacet & Gaza Sophia addita mater*
*Alterutrum quoniam mors rapere haud potuit.*

Cumque *Baptista Platina* post Pontificum vitas à se descriptas libros *de honesta voluptate* ederet, in quibus rem culinariam tractat, hunc ille quoq; hoc carmine perstrinxit:

*Ingenia & mores vitasque obitusque notasse*
*Pontificum, arguta lex fuit historia.*
*Tu tamen hinc lauta tractas pulmenta culina*
*Hoc Platina est ipsos pascere Pontifices.*

Gazam æmulatus MARSILIVS FICINVS Platonicos varios vt Plotinum, Iamblichum, Psellum, & Synesium, ac deniq; Platonem ipsum Latina donauit ciuitate.

HERMOLAVS BARBARVS Louanium profectus visendæ Academiæ caussa petiit sibi adduci quempiam Philosophiam profitentem. Itaq; venit ad eum *M. Adrianus* Vltraiectensis, qui in Falconis pædagogio docebat, quem ob eruditionem admiratus frequenti eius congressu se oblectabat. Hunc à legatione redeuntem Innocẽtius VIII. admiratione virtutis, Aquileiensem Patriarcham renuntiauerat: Cumque esset in vrbe pestilentia correptus, atque mortuus ad Flumentanam portam sub colle hortorum in S. Vrsulæ fuit sepultus, vbi hoc eius Epitaphium legitur: 1486.

*Barbariem Hermolaus Latio qui depulit omnem*
*Barbarus hic situs est, vtraque lingua gemit.*
*Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclita Roma,*
*Non potuit nasci, nobiliusue mori.*

Miserant illi Florentio per dispositos equos antidotum IOANNES PICVS Mirandulanus *Phœnix Doctorum* suffragio appellatus, & ANGELVS POLITIANVS, qui ambo eodem anno quoque decesserunt, cum hic natus esset annos quadraginta quatuor,

ANNI CHRISTI.

ille triginta & duos. Politiani, qui prior obierat, hoc carmen affixerat eius tumulo discipulus *Petrus Crinitus*:

*Hic, hic viator paullulum gradum siste,*
*Vatem potentis spiritus vide, & clarum*
*Qui mente promptus aeri & arduum spirans,*
*Ac summa quæq; & alta consequi suetus,*
*Is ego ille* ANGELVS POLITANVS *sum.*
*Fouit benigno me sinu Flora, & illic*
*Infata cessi. Parthenopeos Reges*
*Cum Gallica arma irruerent minabunda.*
*Tu vale, & hoc sis meriti memor nostri.*

Mirandulanum quoque hoc disticho Hercules Strozza Ferrariensis Titi poetæ filius inter alia celebrauit:

IOANNES *iacet hic Mirandula, cetera norunt*
*Et Tagus & Ganges, forsan & Antipodes.*

Et altero Baptista Mantuanus Carmelita:

*Picus Ioannes cælos, elementa Deumq;*
*Doctus, adhuc iuuenis sanctificatus obit.*

IOANNES vel IANVS LASCARIS, omniũ fere qui Othomannicis armis pulsi patria in Italiam confugerunt, nobilissimus atq; doctissimus fuit, genus nempe ad Impp Constantinopolitanos referebat. Naufragum exrexit Laurentius Medices Florentiæ Dux, a quo & in Græciam ad Græca volumina conquirendum missus fuit. Obiit Romæ anno ætatis xc

Ioannes Wirici de Nussia Carmelita hoc tempore viuit varia conscribens Coloniæ, istius Prouinciæ Prior Prouincialis, Maximiliani Cæsaris & aliorum Principum, Ecclesiastes dilectus, & studiorum Mecœnas.

1485. RODOLPHVS AGRICOLA natus Basseldi patre Curione, atque Groeningæ educatus moritur quinto Kalend Nouembris, atq; Heidelbergæ sepelitur in cucullla vti iusserat apud Minores. Hic primus Græcas litteras Germaniæ intulit. Eius opera à propatruo suo Adelpho Occone sibi relicta, perquam humaniter orbi communicauit, edique curauit Pompeius Occo Amstelredami ciuitate donatus: vir magni nominis ac summæ prudentiæ pater Sibrandi, atq; socer Hayonis Frisii Iurisconsulti, cuius meminit Erasmus in Ciceroniano. Adscriptus inter ciues Amstelrodamũ etiam fuit *Arnoldus Huysman* (agricolam vox ea sonat) Rodolphi ex fratr. nepos, vir valde modestus ac probus, mihiq; familiaris. Miserat vero Rodolphi Agricolæ effigiem Sibrando Occoni Viglius Zuichemus, quæ ex ipsiusmet autographo fuit delineata. Nam inter ceteras artes liberales, in quibus admiraculum excelluit, pictura etiam refertur cum primariis eius magistris certaro

tare potuisse. Quam tamen sine vllo doctore, sola ingenii fretus praestantia, exacte conceperat. Fuit et Musices peritissimus atq; complures cantiũculas lingua vernacula ad quatuor voces apte composuit. Fertur & organum pneumaticũ in D. Martini Groningae exstruxisse. Superuixerat Agricolae, atque aetatem produxerat in annum 69. *Wesselus Hermanni* Groningensis Ordinis fratrum Hieronymitanorum, quos Gerardus Magnus Dauentriae instituerat. Qui reuersus Parisiis; quo illũ Ludouicus Rex IX. euocauerat, in patria anno 1489. moritur, atque ibdem sepultus est in conuentu sacrarum Virginum ante altare. ANNI CHRISTI.

Hoc tempore complures adolescentes docti prodierunt è schola Dauentriensi, quos Rodolphi Agricolae discipulus doctissimus *Alexander Hegius* erudierat. In primis *Erasmus Roterodamus*, qui inter Canonicos Regulares ad Isulae ripam prope Goudam in Steinensi coenobio, solitus ludere carmine cum *Guilielmo Goudano*, quem inter doctos optimum, & inter optimos doctissimum esse asserebat. Qui certe Italicis Poetis potuisset facile comparari ni Baccho postmodum potius, quam Musis voluisset vacare. Erat in eo sodalitio & *Cornelius Aurelius* Goudanus Historiae scriptor nequaquam contemnendus, & poetica laurea ornatus à Caesare Maximiliano: atq; *Seruatius*, cui plurimũ honoris deferebant. Sed euocauit Erasmum monasterio *Henricus à Bergis* Episcopus Cameracensis; quo eum sibi comitem haberet proficiscenti Romam. Nouerat quoq; eleganter pingere: vti testatur tabella illa Crucifixi CHRISTI, quã inter sua cimelia Cornelius Musius habebat, hoc carmine aureis litteris inscriptam:

*Hac Desiderius (ne spernas) pinxit Erasmus,*
*Olim in Steinaeo quando latebat agro.*

Dum ergo Episcopus profectionem adornat, in Castello Halterno agri Bergensis libros *Antibarbarorum* conscribit.

Inde missus Louanium in schola, cui nomen Lilium Philosophiae studuit: correctorq; mox fit Theodorici Alostensis Typographi, victum sibi comparans apud Ioannem Paludanum Rhetorem vniuersitatis quindecim Ducatis aureis: tam paruo tum viuebatur in Belgio. Missus deinde Parisios à Cameracensi, fruebatur amicitia *Roberti Gaguini* Historici & *Aegydii Delphi*, Theologi ac poetae conterranei sui: cuius poemata Gilbertus Cognatus Nosoraeus Desid. Erasmi amanuensis Basileae curauit imprimi: quando *Guilielmi Goudani* poemata cum praefatione Roberti Gaguini iam fuissent impressa Parisiis anno 1496.

PHILIPPVS CALLIMACHVS, Poeta, Orator & Historicus, scripta Historia de gestis Ladislai Sarmatiae atq; Pannoniae Regis, miseram est expertus fortunam: nam in exsulium relegatus, in Vilua Sarmatica diem clausit extremum. 1497.

ANNI CHRISTI. 1498. HIERONYMVS SAVANOROLA Ferrarienſis Dominicanus, auſtera vitæ diſciplina, erudito ſubtiliſque ingenio, & in ſacris cōcionibus admirabili facundia claret Florentiæ. Qui futura prædicere veluti numine afflatus credebatur, ita vt etiā ſummi Magiſtratus conſiliis adhiberetur: & nomine ciuitatis Legatus miſſus ſit ad Carolum octauum Gallorum Regem. Quod vero occulta ambitione in vrbe factioſa in necem ſeptem ciuium videbatur conſenſiſſe, & Alexandri Pontificis mores dicendi libertate inter concionandum ſugillaſſet, depoſcente Pontifice, atque conſentiente Senatu cruenta irruptione comprehenditur, tormentis ſubiicitur, ac denique in medio foro ſtrangulati corpus crematur, diuerſo hominum affectu, dum hi iure ac merito necatum clamant, alii lugentes indigna morte trucidatum cōqueruntur. Reliquit *Commentarios in Pſalmos* trigeſimum, quinquageſimum & ſeptuageſimumnonum in carcere conſcriptos: *Methodū confitendi*: & præcipue *Triumphum Crucis* aduerſus eius ſæculi ſapientes. Proſecutus eius Manes hocce cœnotaphio eſt inſignis Poeta ac Scripturarū interpres M Antonius Flaminius:

*Dum fera flamma tuos Hieronyme paſcitur artus*
*Relligio ſancta dilaniata comas,*
*Fleuit, & ô dixit, crudeles parcite flammæ,*
*Parcite, ſunt iſto viſcera noſtra rogo.*

Circa hæc etiam tempora in Italia floruit Baptiſta Ferrarienſis Carmelitani inſtituti vir de omni ſciētiarum genere optime meritus & Ferrariæ ſydus cuius etiam hiſtoriam ſcripſit, cui etiam multæ B. Chryſoſt. orationes acceptæ referri debent, quas de Græco in Latinum elegantiſſime conuertit.

1497. LEONARDVS de VINCI Florentinus, præter pingendi artem in qua excelluit, Geometriam & Arithmeticā apprime calluit, atque omnes qui ſui pictores longe antecelluit. Fuit is nempe primus, æui in Italia gratiam arte addidit Sculptor quoque non inter poſtremos fuit, ſcripſit & de arte pingendi accurate, quæ à peritis deſideratur. Obiit Mediolani natus annos LXXV.

IOSQVINVS Pratenſis Archiſymphoneta cum præfectus eſſet ſodalitati Cantorum à Ludouico duodecimo: vt Regem memorem redderet promiſſi Sacerdotii compoſuit Motettā (*Memor eſto verbi tui*) longe elegantiſſime, quam identidem decantabat. Non animaduertente Rege eius deſiderium, adiunxit alteram (*Portio mea non eſt in terra viuentium*) interim Rex præſtitit promiſſum. Tum denique & tertiam canere exorſus eſt (*Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo*) Sed in his carminibus motus vehementior deſiderantis, quam gratias agentis fuiſſe iudicatum fuit. Mortuum inſigni Nænia proſecutus eſt Gerardus Auidius, in qua ſub finem

*Ioſquinus*



A
C

rdus
ves.
dalc-

Al-

*Iosquinus* (inquit) *optimo* ANNI CHRISTI.
*Et maximo gratus Ioui*
*Triumphat inter cælites*
*Et dulce carmen concinit*
*Templorum decus*
*Musarum decus.*

Conspicitur *Iosquinus* depictus Bruxellis in D. Gudulæ in tabula aræ dextræ ante chorum honesta sane facie ac blandis oculis.

*Georgius Merula* Alexandrinus, qui in libros Calderini, Galeotti & Politiani acerbius censuram publicatis annotationum libellis exercuerat, & ex eo famam apud stupentes Grãmaticos acquisierat, cum quadraginta annis Mediolani iuuentutem docuisset, tonsillis fauces occupantibus obiit exactæ ætatis senex, sepultusq; est in templo Eustorigiano, hoc carmine Lancini eius sepulcro inscripto:

*Vixi alijs inter spinas, mundiq; procellas,*
*Nunc hospes cæli Merula viuo mihi.*

IOVINIANVS PONTANVS anno ætatis suæ septuagesimo septimo fato functus, à M. Antonio Flaminio hoc tetrasticho fuit decoratus.

*Quæ cecinit claro fulgentia lumina cælo*
*Pontani doctis versibus Vrania,*
*Phœbe tuis magna ad lucem addidit ignibus, atque*
*Nunc melius niteant sidera cuncta, facit.*

# ITALIA.

Alphonsus *Rex Aragonum octauo Idus Iunij Neapolim pertinacissime obduratam cepit, atque stricto ense obequitans per urbem prospiciebat, ne quis alteri vim aut contumeliam inferret. Victis liberorum iura concessit immemor iniuriarum; etiam cædis Petri fratris, qui glande tormenti ictus occubuerat.*

COSMVS MEDICES *ætatis suæ anno octogesimo fato concedens tanta in ciuitate Florentina fuerat auctoritatis, vt cuncta pro eius arbitrio agerentur Vir summa prudentia. Sepulcro in æde S. Laurentij à se condita inscriptum legitur Elogium:* 1468.

COSMVS MEDICES HIC SITVS EST
DECRETO PVBLICO PATER PATRIÆ.

Tranquillum heroa & mixta grauitate verendum
Sunt oculis, dulcique nota gia lumina vultu
Ipse sui columenq; fori, sanctiq; Senatus
Hetruscum decus, & nomen super æthera vexit.

*Successit ei in regimine ciuitatis* Petrus *filius, cui successit mox* Laurentius *filius, omnium eruditorum atque artificum summus patronus & auctor similis.*

## GENEALOGIA DVCVM FLORENTIÆ.

ANNI CHRISTI. LAVRENTIVS MEDICES *Petri filius, Cæsari nepos, natus annos quadraginta tres moritur; cum* PETRVS LEONIVS, *qui inter medicos primus fere prolato Galeno verum Medicinæ limen aperuerat, nihil verendam esse morbi vim diceret, & oblata ab aliis ex arte remedia reiiceret: vt* Lasarus Placentinus *Ludouico Sfortiæ Papiæ missus, ob neglecta morbi initia, Leoninum oblique perstringeret. Quare contracto Medicea familiæ odio in puteo villæ Caregio proxima submersus inuentus fuit In quem feruida Petri Medicis ira mortem patris etiam scelere vindicantis præceps datus fuisse credebatur.*

*Fouendo ingenia & feliciter exercendo Musas Cosmum auum* Laurentius *eruditi sæculi decus superauit: filio quoque Leone decimo, & nepote ex fratre Clemēte septimo Romanis Pontificibus beatus fuit æstimatus Per quos Medicea familia ad summos honores est euecta.*

Paulus Iouius. *Iubilæi secularis annus funesto totius Italiæ motu insignis, quo* Ludouicus Sfortia & Ascanius *Cardinalis frater opera Heluetiorum capti detrusique in Gallicum carcerem, paterno imperio exciderunt.* Catharina Sfortia *bello capta Forocornelij & Forolinij possessione excessit.* Eustorgius Manfredus *adolescens necatus, & in Tyberim proiectus, Faueatiam cum vita reliquit: Varanij Camertes reguli quatuor strangulati. Vrsini nullo salubri consensu coeuntes* Paulus & Franciscus *itemque* Vitellotius Tifernas Liberectusque Firmanus *necati:* Baptista *Cardinalis Vrsinus in arce cantharidum veneno sublatus* Bernardinus & Iacobus Sermonetæ *in Latio Reguli, hic ferro, ille aconyto extincti. Præterea* Malatestæ Arimino, Sfortiæ Pisauro Feltry Vrbino *pulsi & in exsulium acti: cum iam Columnij proceres saluti suæ consulentes & paterna oppida Borgiarum nefariæ cupiditati inuadenda relinquentes ad Fredericum Neapolim ac in Siciliam diffugissent.*

## GRÆCIA.

1445. AMVRATES II. Turca occupat Isthmum Corinthiacum, atque fundit præsidia Græcorum simul, & Peloponnesum deuastat.

1452. *Athenæ* omnium artium & disciplinarum inuentrices ab immanissimo MAHOMETO II. octauo Turcarum Principe captæ soloque æquatæ sunt, etiam fundamentis quibusdam in locis effossis; & Munychia atque Piræo dirutis. Arcem saxo impositam Florentinus, qui etiam præsidio tenebat, Mahometo tradere fuit coactus; cum frustra Christianorum Principum opem implorasset. Est nunc opidulum *Satines* dictum, ita vt ne nomen quidem manserit inuiolatum.

*Albania* olim Macedoniæ pars fuit inter Dyrrachiū & Apolloniam. Sero gentis neque Græcis neque Illyricis notus Hic

Camusæ

Camusæ hæreditatem accepit *Georgius Scanderbechius*, qui ætatem pæne omnem in armis pro *Christi* nomine pugnando consumpsit, multas & magnas Turcarum strages fecit, atq; regionem in Euangelio *Christi* continuit, quæ magna ex parte deserta esse fertur. Rex Alphonsus sæpe milites in Albaniam misit: & Troiam vrbem in potestatem receptam à Turcis defendit. Nepos Scanderbechii ex fratre cum Turcis fauens, patruo insidias moliretur, ab eo captus ad Alphonsum missus in carcerem coniectus fuit. Calixtus quoque Pontifex Romanus auxilia pecuniaria Scanderbechio non pauca misit. ANNI CHRISTI.

*Baiazetes* tertio Imperii sui anno Valachiam subegit. Maximoque & terrestri, & maritimo belli apparatu debellatis Lithostomo ad Danubii ostia sito, atque Moncastro erga flumen Boristhenem posito Constantinopolim reuersus est. Acomathem Bassam fortissimum interfici iussit, quod timeret eius potentiam ac virtutem. Volensque Caytbero Sultano bellum mouere quod Zizimo fratri suo fauisset, Cherseolum & Calubeium Bassas cum ingenti exercitu Tharsum Ciliciæ misit. 1484.

# HISPANIA.

*Henricus* Infans Portugalliæ annos natus sexaginta septem cœlebs moriens nono Kalendas Nouembris, nauigationes Oceani, atque Madeiram insulam eius auspiciis inuentam ad coronam regni Lusitaniæ tamquam fundum hereditarium transmisit. Itaque iam inde culta fuit à Lusitanis insula Madera: & ora Africæ, quæ à Nigritis habitantur, vnde grana Paradisi deportantur, fuere lustrata. 1461.

Alphonso quippe Henrici ex Eduardo fratre Rege nepote mortuo, Ioannes secundus eius filius tanto studio nauigationi Oceani institit, vt eius auspicio classis Lusitanica maximam partem Æthiopiæ perlustrauerit. Cumque extremum Africæ inuenissent promontorium; iussit illud Bonæ spei appellari: missisq; in Indiam Legatis exploratum; quomodo superato illo promontorio cursus Indiam versus esset instituendus, vt addiscerent à nauigandi peritis iussit.

*Alphonsus* Rex Aragonum, Siciliarum & Neapolis in arce Lucullana, nunc Oui dicta, obiit mense Iunio, cum regnasset annos viginti & duos. Corpus eius deuectū in Aragoniam in æde Populeti pro more Regum veterum fuit sepultum. Reliquit regna Aragoniæ & Siciliarum fratri. Et filium *Ferdinandum* nothum Regem Neapolis constituit.

*Leonora* Eduardi Regis & Ioannæ Portugalliæ filia Vxor Friderici Imperatoris moritur tertio Nonas Septembris. 1467.

Portugalenses parata classe 50. nauium Anaffam seu Anfim 146[illegible]

opidum

ANNI CHRISTI. opidum florentissimum regni Fessæ ad Oceanum expugnatum vastarunt: cum illi piraticam soliti fuerant exercere.

*Ferdinandus* & *Elizabetha* Castellæ Reges, cum exploratum haberent Iudæos, qui inditione ipsorum erant, nefaria contra religionem Christianam moliri, omnes, qui Christiani fieri abnuebant, in exsulium eiecerunt.

*Ferdinandus* Rex Catholicus Rheuda vrbe, aliisque septuaginta opidis captis vltra quadraginta hominum milia Christianę ditioni restituit. Lopiam, Morlinum. Illoram, & Montem frigidum, compluraque castella præsente Regina Elizabeth expugnauit. Misere Rex & Regina Legatos Inicum Mendozam Comitem Tendillæ, & Ioannem Methynensem Iurisconsultum, & Antonium Geraldinum Oratorem & Poetam Laureatum Romam, qui decimo tertio Kalendas Octobris Innocentio octauo obedientiam obtulerunt. Magna pars Iudæorum pulsa Hispania venerat in Portugalliam soluentes singuli Ioanni secundo Regi octonos aureos: vt ad certum tempus ibi manerent. Quo elapso, si viderentur, ibidem libertatem amitterent. Quod compluribus accidit, dum mercatorum ac nautarum iniurias extimescunt.

Hoc anno *Iacobus Canus* emissus à Ioanne secundo Rege Portugalliæ oram exploratum Æthiopiæ in regnum Congo peruenit, atque occasionem præbuit, quo missa illuc classe Rex cum vxore, patruo & maiore natu filio, magnaque parte populi Christiani per baptismum fierent.

1486. *Ioannes II.* Rex Portugalliæ Arabicæ linguæ peritos viros Lusitanos Alphonsum de Paua, & Ioannem Petrum à Couilhan quasi mercatores Nonis Maii exploratum Indiam Orientalem Æthiopiamque misit. Quorum ille ex Aden in Æthiopiam nauigans ad Preciosum Ioannem ibidem moritur. Hic perlustratis Calecutio Goa, omnique litore Malabarum, & in Æthiopiam ex mandato Ioannis Regis reuersus, ad Preciosum Ioannem nominis Alexandrum cum venisset; ab eo humaniter fuit exceptus, docens eum ex charta marina nauigationes à Portugallis factas. Sed mortuo Alexandro, frater eius *Nau* in regno succedens illum noluit dimittere, atque apud se retinuit.

Cum Hispani in Occidente, Portugalenses in Oriente nouas atque incognitas terras perquirerent: oborta contentio est inter eos, quod Portugalenses dicerent à se primum Oceanũ fuisse nauigatũ ideoque nauigationis ius ad se pertinere: & Castellani mare commune esse omnibus contra assererent, propterea cuiq; licere occupare, quæ Christianis habitatoribus vacua fuerint. Res eo facilius fuit composita, quod Ioannes Rex consobrinus Elizabethæ Reginæ Castellæ. Nã ex vtriusq; partis consen-

su Ale-

su Alexander VI. Pontifex Maximus arbiter constitutus, hac ANNI
ratione orbem ipsis nauigandum partitus est: vt ab Insulis He- CHRISTI.
speridum, quas Capitis viridis vocant in Occidentem trecentas sexaginta leucas linea versus Arcticum, & altera versus Antarcticum protenderentur, quoad coirent: sicque pars Orientalis Portugallensibus, occidua Castellanis nauigaretur.

*Alphonsus* Ioannis secundi Portugalliæ Regis filia ducta Isabella in vxorem tertio mense post nuptias collapsus cum equo in conspectu recenter nuptæ ceruicem fregit. Eam parentes Emanueli nuptum collocarunt, quæ ei peperit Ferdinandum: & mox mortua deinde fuit: decessit etiam infans.

Legitur apud L. Anneum Senecam eiusmodi oraculum: quod 1492.
hoc tempore verum fuisse res ipsa comprobauit:

*Veniunt annis*
*Sæcula seris, quibus Oceanus*
*Vincula rerum laxet, & ingens*
*Pateat tellus, Tiphysque nouos*
*Detegat orbes, nec sit terris*
*Vltima Thule.*

*Vasco de Garma* Promontoriũ Bonę spei prim⁹ præternauigat.

*Vlyssibona* per seditionem sæuit plebs in Iudæos baptizatos, quod Pascha more Iudæorum celebrare dicerentur. Ferunt vltra trecentos fuisse trucidatos, deinde vltra mille & quingentos. Sed Rex in seditiosos animaduertit, vt ad ducentos supplicio varie affecerit.

CHRISTOPHORVS enim COLVMBVS Genuensis Ligur, vir rei maritimæ peritissimus, cum à Ioanne secundo Portugalliæ Rege, cui Occidentalium Indiarum nauigationes ostendere pollicebatur, repulsus atque non auditus dimissus esset; ad Ferdinandum & Elisabeth Hispaniarum Reges profectus, auspiciis eorum parata classe trium nauium, cum ducentis & viginti naualibus sociis Kalendis Septembris soluens Gadibus ad Canarias Insulas appulsus est, cumque ibi se aqua aliisque rebus necessariis prouidisset; Occasum versus pernauigans complures insulas inuenit: quas indigitauit, *Hispaniolam, Ioannam, Dominicam, Cubam.* Cum genti ferrum non esset, nauigia ex trunco excauata lapidibus acutissimis habebant, octoginta remigum capacia: iisque lapidibus etiam ligneas exstruunt ædes. Fuit mihi donatus culter talis lapideus pellucidus, quo acutiorem vidi numquam: vt qui posset certare cum nouacula. Porro inuenta est quoque ea terræ pars, quam putant continentem, cui ab Americo Vespucio nomẽ Americæ fuit inditum. Nauigabant vero Lusitani versus Indiam Orientalem, quam magna ex parte Alphonsus Albuquerquus sub imperium Portugallorum reduxit.

ALPHON-

ANNI CHRISTI. ALPHONSVS ALBVQVERQVVS totam ferme Indiam sub potestatem redegit Portugalensium.

1489. Armuza seu Ormus Persiæ inclita vrbs cogitur Regi Portugalliæ annuatim soluere tributum.

1490. Potiti sunt hoc anno Lusitani insigni victoria, insula, & vrbe in ea Goa sita in mari Calecutico.

1492. *Granata* Metropolis Beticæ post diuturnam obsidionem dedita fuit Kalendis Ianuarii ob rerum omnium penuriam certis conditionibus. Sicque Mahumeti superstitione profligata veri cultus Diuini & Christianæ religionis ritus introducti fuerunt: Vnde Ferdinandus CATHOLICI cognomen sortitus, ad posteros transmisit Reges. Granatenses quater sumptis armis rebellare nisi sunt In montibus Apixarteusibus freti natura loci magnum exercitum congregarunt, atq; prœlio superati coacti fuerunt Hispania excedere.

Cessatum fere ab omni opere fuit in Hispania ob dolorem mortui Principis Ferdinandi. Margareta eius vidua Maximiliani Cęsaris filia, iam sexto mense grauida afflicta mœrore mortuum edidit partum.

1492. Mortuo *Ioanne* Principe Hispaniarum, moritur etiam *Elizabeth* eius mater, sicque *Ioanna* filia & per eam *Philippus* gener fit Rex Castellæ.

*Diego Dasambusa* auspiciis Emanuelis Portugalliæ Regis Tzaffin elegans Africæ opidum Mauris eripuit nonis Iulii.

## ANGLIA.

1460. Hoc anno mouit seditionem *Richardus* Dux Eboracensis in Anglia, atq; Henricum sextum Regem captū inclusit turri Londinensi, ac multos ei sanguine iūctos interemit Paullo post *Hufridus* Dux Excestriæ cepit Richardum cum secundo natu filio, & Comitem Salberensem, quibus obtruncatis imposuit capiti Richardi coronam stramineam: Henricumque restituit regno. Interim Eduardus maior natu filius Richardi prœlio deuicit Henricum cum suis: certarumque fuit triduum, cæsis vtrimque vltra triginta mille Anglis. Profugiente in Scotiam Regina cum
1462. fautoribus suis. Itaque Eduardus coronatus fuit quartus eius nominis. Misit ad auxiliandum Reginæ cognatæ suæ Ludouicus vndecimus Gallorum duo millia, sed nulla re perpetrata redierunt.

Arturus Henrici septimi filius duxit in vxorem Catharinam Ferdinandi Elizabeth Hispaniarum Regum natu minimam filiam. Moxq; eo defuncto, habito à Romano Pontifice consensu, nupsit illa fratri eius Hērico octauo. Quo anno decessit Margarita Eboracensis Caroli Burgundi vidua & Eduardi quarti atque Richardi II soror Mechliniæ sepulta apud Minores.

ÆGY-

Anni Christi. 1465.

# ÆGYPTVS.

*Mameluchi* Imperatorem ſibi deligunt *Caytbeium* Scytham quod antiquior quodve & Magiſtratu ſummo, & auctoritate polleret. Hic erat ingenio & virtute bellica præclarus: fecitque Mameluchos ſibi fidos, cum per triginta tres regnaret annos. Nam veteribus tanta diuturnitate temporis, bello morbiſque conſumptis, nouos omnes ſua pecunia coemerat, atq; aluerat ſatis liberaliter.

*Caytbeus Sultanus* mittit ſuos Mameluchos contra turcas ad ſe venientes, commiſſoq; prœlio apud Adanam Caramaniæ ciuitatem Mameluchi inſigni victoria potiti ſunt. Nec vnquam antea Turcæ maiorem cladem fuere perpeſſi, ſicq; pax inita fuit inter *Caytbeum* & *Baiazetem*.

Exercere inter ſe cœperunt capitales inimicitias *Acbardinus* & *Campſorus* Campſomia ambo eiuſdem pagi Scythæ, ita vt alter alteri perniciem machinaretur, quo ipſe imperare poſſet. Sed mortuo *Caytbeo* elegerunt ex more Mamelchi Mahometē Caytbei filium annos natum vixdum ſedecim Imperatorem Sultanū; quem & eorum Pontifex Califfus, ad quem ſacra ſpectant, confirmat; iuſque ſuum concedit ter mille dragmatum auri pretio. Hic Mametes dum abutitur poteſtate atque auunculo ſuo aliiſque optimatibus necem ſtruit, à Tomumbeto obtruncatur in conuiuio in agro intra tectoria constructo, cum vix Ægypto præfuiſſet annis tribus. Creatus Campſeus Chiarcheſius eius auunculus Sultanus, & Tomumbeius factus eſt Præfectus exercitus eius. Qui inſidias ſtruens fœdere inito cum Zambalato Syriæ Præfecto res nouas moliente Campſeum, cum regnaſſet annum vnum, menſes ſex in vincula coniicit: deinde & confœderatum captum ſtrangulari iuſſit poſt menſem vix tertium.

Qui creatus Sultanus ob ſæuitiem & rapinas ac mercatorum expilationes Mameluchorum indignationem incurrerat. Eum quoq; ſecutus Tomumbeius ob exactiones & noua excogitata vectigalia octauo nondum menſe peracto à Zambalatti familiaribus, quaſi pernicies Ægypti confoditur. Poſt quem Prætoriē curiæ Campſoum Gaurū renitentem atq; inuitum cogunt ſuſcipere imperium. Cumq; ſe nō ſatis diuitem ſoluendis donatiuis (quæ decies centies mille ducatos excedunt) diceret: conceſſere ei octo menſes, quibus eam ſummam colligat ex prouentibus ditionum ſuarum. Hunc adiit Legatus *Petrus Martyr* nomine Ferdinandi & Eliſabeth Regum Hiſpaniarum, ſed nihil dignum perficere potuit ob accuſationes Maurorum, qui Bætica erant propulſati. Vidit & menſus eſt Pyramides & alia miracula Ægypti.

GO-

ANNI CHRISTI.

*Æqua quod omnibus es?*
*Sat erat tibi promiscue*
*Tollere res hominum:*
*Diuina res est Musica,*
*Numina cur violas?*

1477. IOANNES de Regio-monte, Episc. Ratisbonensis, Astronomorum princeps, natus anno 1436. Moritur Romæ sub Xysto IV. anno ætatis XLI. Scripsit doctissime in Almagestum Ptolomei, & alia.

ALEXANDER quoque TARTAGNVS Imolensis, Iurisconsultissimus, & legum clarissimus interpres, scriptis ad Ius Ciuile commentariis à viuis excessit Bononiæ, anno ætatis LIII. cum annos XXX summa cum laude & perspicuitate Ius fuisset interpretatus.

Obiit Romæ *Catharina* Regina Bosniæ, cuius monimentum exstat in Ara cæli Illyricis Cyrillicis litteris & vernacula gentis lingua in hunc sensum inscriptum:

*Catharinæ Reginæ Bosnensi, Stephani Ducis Sancti Sabæ ex genere Helenæ & domo Principis Stephani natæ, Thomæ Regis Bosniæ vxori. Quæ vixit annos quinquaginta quatuor: & obiit Romæ Anno Domini M.CCCC.LXXVIII. vigesimoquinto die Octobris. Monumentum ipsius scriptum positum.*

BAPTISTA PLATINA Cremonensis, Bibliothecæ Romanæ à Xysto V. Præfectus, scriptis vitis Pontificum Rom. obiit Romæ, 1481. hocce Epitaphio:

1478. *Quisquis es (si pius es) PLATINAM,*
*Et suos ne vexes, angusta*
*Iacent & soli volunt esse.*

1481. Hoc anno edidit LEO BAPTISTA Albertus Florentinus decē libros *de architectura*, Latine tres libros *de arte pictoria*, atq; alios tractatus sculptoribus, architectis ac pictorib. perutiles edidit: in quibus ipse aliis optimis præceptis præluxit, cum ipse nihil pingeret, quod laudem mereatur.

1482. *Nicolaus Vordeus* Mechliniensis cæcus à tertio natiuitatis suæ anno ingenii præstantia tantam doctrinam consecutus est: vt Coloniæ & Louanii iura publice profiteretur, & Theoremata quædam reliquerit; ita vt eum vocitent, cum hoc anno moreretur, *Miraculum naturæ*.

1488. ANDREAS del SARTO Florentinus Pictor excellens hoc anno nascitur. Obiit anno M.D.XXX. Ætatis XLII.

Princeps interpretum Græcorum consensu omnium floruit THEODORVS GAZA Thessalonicensis in libris de animalibus & Problematis Aristotelis, quos libros Xysto quarto Pontifici Maximo dedicauit: Item de stirpibus Theophrasti, siue decore atque

atq; elegantia interpretationis; siue copia Latina, qua certauit cum Græcis, siue felici audacia fingendis ad analogiam vocabulis, quibus carebant Latini; vt cōmodius Græca redderet. Rursum tanta felicitate librum M. Tullii de senectute Græcum reddidit, vt etiam Maiestatem eloquentiæ Ciceronis exprimat. Cum vero libros suos in membranis eleganter descripsisset, illosque obtulisset Xysto, atq; ei Pontifex donasset ducentos ducatos, fertur nummos in Tyberim proiecisse dicendo: *Perierunt labores, pereat & precium: Effugere hinc lubet, postquam optimæ segetes in olfactu prapinguibus asinus sordescunt.* Natus erat in Gręcia, educatus in Italia, atq; in magna Græcia fuit sepultus.

ANNI CHRISTI.

Eum MICHAEL MARVLLVS Tarchaniota Græcus Poeta ac miles, qui paullo post in Cæcina amne apud Volaterranum submersus est, decorauit hoc elogio:

*Hic Gazes iacet & Gaza Sophia addita mater*
*Alterutrum quoniam mors rapere haud potuit.*

Cumque *Baptista Platina* post Pontificum vitas à se descriptas libros *de honesta voluptate* ederet, in quibus rem culinariam tractat, hunc ille quoq; hoc carmine perstrinxit:

*Ingenia & mores vitasque obitusque notasse*
*Pontificum, arguta lex fuit historia.*
*Tu tamen hinc lauta tractas pulmenta culina*
*Hoc Platina est ipsos pascere Pontifices.*

Gazam æmulatus MARSILIVS FICINVS Platonicos varios vt Plotinum, Iamblichum, Psellum, & Synesium, ac deniq; Platonem ipsum Latina donauit ciuitate.

HERMOLAVS BARBARVS Louanium profectus visendæ Academiæ caussa petiit sibi adduci quempiam Philosophiam profitentem. Itaq; venit ad eum *M. Adrianus* Vltraiectensis, qui in Falconis pædagogio docebat, quem ob eruditionem admiratus frequenti eius congressu se oblectabat. Hunc à legatione redeuntem Innocētius VIII. admiratione virtutis, Aquileiensem Patriarcham renuntiauerat: Cumque esset in vrbe pestilentia correptus, atque mortuus ad Flumentanam portam sub colle hortorum in S. Vrsulæ fuit sepultus, vbi hoc eius Epitaphium legitur: 1486.

*Barbariem Hermolaus Latio qui depulit omnem*
*Barbarus hic situs est, vtraque lingua gemit.*
*Vrbs Venetum vitam, mortem dedit inclita Roma,*
*Non potuit nasci, nobiliusue mori.*

Miserant illi Florentio per dispositos equos antidotum IOANNES PICVS Mirandulanus *Phœnix Doctorum* suffragio appellatus, & ANGELVS POLITIANVS, qui ambo eodem anno quoque decesserunt, cum hic natus esset annos quadraginta quatuor,

ANNI CHRISTI. ille triginta & duos. Politiani, qui prior obierat, hoc carmen affixerat eius tumulo discipulus *Petrus Crinitus*:

*Hic, hic viator paullulum gradum siste,*
*Vatem potentis spiritus vide, & clarum*
*Qui mente promptus aeri & arduum spirans,*
*Ac summa quaq; & alta consequi suetus,*
*Is ego ille* ANGELVS POLITANVS *sum.*
*Fouit benigno me sinu Flora, & illic*
*In fata cessi. Parthenopeos Reges*
*Cum Gallica arma irruerent minabunda.*
*Tu vale, & hoc sis meriti memor nostri.*

Mirandulanum quoque hoc disticho Hercules Strozza Ferrariensis Titi poetæ filius inter alia celebrauit:

IOANNES *iacet hic Mirandula, cetera norunt*
*Et Tagus & Ganges, forsan & Antipodes.*

Et altero Baptista Mantuanus Carmelita:

*Picus Ioannes calos, elementa Deumq;*
*Doctus, adhuc iuuenis sanctificatus obit.*

IOANNES vel IANVS LASCARIS, omniū fere qui Othomannicis armis pulsi patria in Italiam confugerunt, nobilissimus atq; doctissimus fuit, genus nempe ad Impp Constantinopolitanos referebat. Naufragum exrexit Laurentius Medices Florentiȩ Dux, à quo & in Græciam ad Græca volumina conquirendum missus fuit. Obiit Romæ anno ætatis xc

Ioannes Wirici de Nussia Carmelita hoc tempore viuit varia conscribens Coloniæ, istius Prouinciæ Prior Prouincialis, Maximiliani Cæsaris & aliorum Principum, Ecclesiastes disertus, & studiorum Mecœnas.

1485. RODOLPHVS AGRICOLA natus Basseldi patre Curione, atque Groeningæ educatus moritur quinto Kalend Nouembris, atq; Heidelbergȩ sepelitur in cuculla vti iusserat apud Minores. Hic primus Græcas litteras Germaniæ intulit. Eius opera à propatruo suo Adelpho Occone sibi relicta, perquam humaniter orbi communicauit, edique curauit Pompeius Occo Amstelredami ciuitate donatus: vir magni nominis ac summæ prudentiæ pater Sibrandi, atq; socer Hauonis Frisii Iurisconsulti, cuius meminit Erasmus in Ciceroniano. Adscriptus inter ciues Amstelrodamū etiam fuit *Arnoldus Huysman* (agricolam vox ea sonat) Rodolphi ex fratre nepos, vir valde modestus ac probus, mihiq; familiaris. Miserat vero Rodolphi Agricolæ effigiem Sibrando Occoni Viglius Zuichemus. quæ ex ipsiusmet autographo fuit delineata. Nam inter ceteras artes liberales, in quibus admiraculum excelluit, pictura etiam refertur cum primariis eius magistris certare

tare potuisse. Quam tamen sine vllo doctore, sola ingenii fretus praestantia, exacte conceperat. Fuit et Musices peritissimus atq; complures cantiúculas lingua vernacula ad quatuor voces apte composuit. Fertur & organum pneumaticũ in D. Martini Groningæ exstruxisse. Superuixerat Agricolæ, atque ætatem produxerat in annum 69. *Wesselus Hermanni* Groningensis Ordinis fratrum Hieronymitanorum, quos Gerardus Magnus Dauentriæ instituerat. Qui reuersus Parisiis; quo illũ Ludouicus Rex XI. euocauerat, in patria anno 1489. moritur, atque ibidem sepultus est in conuentu sacrarum Virginum ante altare. ANNI CHRISTI.

Hoc tempore complures adolescentes docti prodierunt è schola Dauentriensi, quos Rodolphi Agricolæ discipulus doctissimus *Alexander Hegius* erudierat. In primis *Erasmus Roterodamus*, qui inter Canonicos Regulares ad Isulæ ripam prope Goudam in Steinensi cœnobio, solitus ludere carmine cum *Guilielmo Goudano*, quem inter doctos optimum, & inter optimos doctissimum esse asserebat. Qui certe Italicis Poetis potuisset facile comparari ni Baccho postmodum potius, quam Musis voluisset vacare. Erat in eo sodalitio & *Cornelius Aurelius* Goudanus Histor:æ scriptor nequaquam contemnendus, & poetica laurea ornatus à Cæsare Maximiliano: atq; *Seruatius*, cui plurimũ honoris deferebant. Sed euocauit Erasmum monasterio *Henricus à Bergis* Episcopus Cameracensis; quo cum sibi comitem haberet proficiscenti Romam Nouerat quoq; eleganter pingere: vti testatur tabella illa Crucifixi CHRISTI, quã inter sua cimelia Cornelius Musius habebat, hoc carmine aureis litteris inscriptam:

*Hac Desiderius (ne spernas) pinxit Erasmus,*
*Olim in Steinæo quando latebat agro.*

Dum ergo Episcopus profectionem adornat, in Castello Haltereno agri Bergensis libros *Antibarbarorum* conscribit.

Inde missus Louanium in schola, cui nomen Lilium Philosophiæ studuit: correctorq; mox fit Theodorici Alostensis Typographi, victum sibi comparans apud Ioannem Paludanum Rhetorem vniuersitatis quindecim Ducatis aureis: tam paruo tum viuebatur in Belgio. Missus deinde Parisios à Cameracensi, fruebatur amicitia *Roberti Gaguini* Historici & *Ægydii Delphi*, Theologi ac poetæ conterranei sui: cuius poemata Gilbertus Cognatus Nosoræus Desid. Erasmi amanuensis Basileæ curauit imprimi: quando *Guilielmi Goudani* poemata cum præfatione Roberti Gaguini iam fuissent impressa Parisiis anno 1496.

PHILIPPVS CALLIMACHVS, Poeta, Orator & Historicus, scripta Historia de gestis Ladislai Sarmatiæ atq; Pannoniæ Regis, miseriam est expertus fortunam: nam in exsulium relegatus, in Vilna Sarmatica diem clausit extremum. 1497.

ANNI CHRISTI. 1498. HIERONYMVS SAVANOROLA Ferrariensis Dominicanus, austera vitæ disciplina, erudito subtilique ingenio, & in sacris cōcionibus admirabili facundia claret Florentiæ. Qui futura prædicere veluti numine afflatus credebatur, ita vt etiā summi Magistratus consiliis adhiberetur: & nomine ciuitatis Legatus missus sit ad Carolum octauum Gallorum Regem. Quod vero occulta ambitione in vrbe factiosa in necem septem ciuium videbatur consensisse, & Alexandri Pontificis mores dicendi libertate inter concionandum sugillasset, deposcente Pontifice, atque consentiente Senatu cruenta irruptione comprehenditur, tormentis subiicitur, ac denique in medio foro strangulati corpus crematur, diuerso hominum affectu, dum hi iure ac merito necatum clamant, alii lugentes indigna morte trucidatum cōqueruntur. Reliquit *Commentarios in Psalmos* trigesimum, quinquagesimum & septuagesimumnonum in carcere conscriptos: *Methodū confitendi*: & præcipue *Triumphum Crucis* aduersus eius sæculi sapientes. Prosecutus eius Manes hocce cœnotaphio est insignis Poeta ac Scripturarū interpres M Antonius Flaminius:

*Dum fera flamma tuos Hieronyme pascitur artus*
*Relligio sancta dilaniata comas,*
*Fleuit, & ô dixit, crudeles parcite flammæ,*
*Parcite, sunt isto viscera nostra rogo.*

Circa hæc etiam tempora in Italia floruit Baptista Ferrariensis Carmelitani instituti vir de omni sciētiarum genere optime meritus & Ferrariæ sydus cuius etiam historiam scripsit, cui etiam multæ B. Chrysost. orationes acceptæ referri debent, quas de Græco in Latinum elegantissime conuertit.

1497. LEONARDVS de VINCI Florentinus, præter pingendi artem in qua excelluit, Geometriam & Arithmeticā apprime calluit, atque omnes qui sui pictores longe antecelluit. Fuit is nempe primus, ꝗ in Italia gratiam arte addidit Sculptor quoque non inter postremos fuit, scripsit & de arte pingendi accurate, quæ à peritis desideratur. Obiit Mediolani natus annos LXXV.

IOSQVINVS Pratensis Archisymphoneta cum præfectus esset sodalitati Cantorum à Ludouico duodecimo: vt Regem memorem redderet promissi Sacerdotii composuit Motettā (*Memor esto verbi tui*) longe elegantissime, quam identidem decantabat. Non animaduertente Rege eius desiderium, adiunxit alteram (*Portio mea non est in terra viuentium*) interim Rex præstitit promissum. Tum denique & tertiam canere exorsus est (*Bonitatem fecisti cum seruo tuo*) Sed in his carminibus motus vehementior desiderantis, quam gratias agentis fuisse iudicatum fuit. Mortuum insigni Nænia prosecutus est Gerardus Auidius, in qua sub finem

*Iosquinus*



A
C
1

s.

rdus
ses.

gdale-
Me-

Al-

*Iosquinus*(inquit)*optimo* ANNI CHRISTI.
*Et maximo gratus Ioui*
*Triumphat inter cælites*
*Et dulce carmen concinit*
*Templorum decus*
*Musarum decus.*

Conspicitur *Iosquinus* depictus Bruxellis in D. Gudulæ in tabula aræ dextræ ante chorum honesta sane facie ac blandis oculis.

G*eorgius Merula* Alexandrinus, qui in libros Calderini, Galeotti & Politiani acerbius censuram publicatis annotationum libellis exercuerat, & ex eo famam apud stupentes Grãmaticos acquisierat, cum quadraginta annis Mediolani iuuentutem docuisset, tonsillis fauces occupantibus obiit exactæ ætatis senex, sepultusq; est in templo Eustorigiano, hoc carmine Lancini eius sepulcro inscripto:

*Vixi alijs inter spinas, mundiq́; procellas,*
*Nunc hospes cæli Merula viuo mihi.*

IOVINIANVS PONTANVS anno ætatis suæ septuagesimo septimo fato functus, à M. Antonio Flaminio hoc tetrasticho fuit decoratus.

*Quæ cecinit claro fulgentia lumina cælo*
*Pontani doctis versibus Vrania,*
*Phœbe tuis magna ad lucem addidit ignibus, atque*
*Nunc melius niteant sidera cuncta, facis.*

## ITALIA.

Alphonsus *Rex Aragonum octauo Idus Iunij Neapolim pertinacissime obduratam cepit, atque stricto ense obequitans per vrbem prospiciebat, ne quis alteri vim aut contumeliam inferret. Victis liberorum iura concessit immemor iniuriarum; etiam cædis Petri fratris, qui glande tormenti ictus occubuerat.*

COSMVS MEDICES *ætatis suæ anno octogesimo fato concedens tanta in ciuitate Florentina fuerat auctoritatis, vt cuncta pro eius arbitrio agerentur Vir summa prudentia. Sepulcro in æde S. Laurentij à se condita inscriptum legitur Elogium:* 1468.

COSMVS MEDICES HIC SITVS EST
DECRETO PVBLICO PATER PATRIÆ.

Tranquillum heroa & mixta grauitate verendum
Sunt oculis, dulcique notagia lumina vultu
Ipse sui columenq; fori, sanctiq; Senatus
Hetruscum decus, & nomen super æthera vexit.

*Successit ei in regimine ciuitatis* Petrus *filius, cui successit mox* Laurentius *filius, omnium eruditorum atque artificum summus patronus & auo persimilis.*

## GENEALOGIA DVCVM FLORENTIÆ.

ANNI CHRISTI.

LAVRENTIVS MEDICES *Petri filius, Cæsari nepos, natus annos quadraginta tres moritur; cum* PETRVS LEONIVS, *qui inter medicos primus fere prolato Galeno verum Medicinæ limen aperuerat, nihil verendam esse morbi vim diceret, & oblata ab aliis ex arte remedia reiiceret: vt* Lasarus Placentinus *Ludouico Sfortia Papiæ missus. ob neglecta morbi initia, Leoninum oblique perstringeret. Quare contracto Medicea familia odio in puteo villæ Caregio proxima submersus inuentus fuit In quem feruida Petri Medicis ira mortem patris etiam scelere vindicantis præceps datus fuisse credebatur.*

*Fouendo ingenia & feliciter exercendo Musas Cosmum auum* Laurentius *eruditi sæculi decus superauit: filio quoque Leone decimo, & nepote ex fratre Clemēte septimo Romanis Pontificibus beatus fuit æstimatus Per quos Medicea familia ad summos honores est euecta.*

Paulus Iouius. *Iubilæi sæcularis annus funesto totius Italiæ motu insignis, quo* Ludouicus Sfortia & Ascanius *Cardinalis frater opera Heluetiorum capti detrusique in Gallicum carcerem, paterno imperio exciderunt.* Catharina Sfortia *bello capta Forocornelij & Forolituij possessione excessit.* Eustorgius Monfredus *adolescens necatus, & in Tyberim proiectus, Fauentiam cum vita reliquit: Varanij Camertes reguli quatuor strangulati. Vrsini nullo salubri consensu coeuntes* Paulus & Franciscus *itemque* Vitellotius Tifernas Liberectusque Firmanus *necati:* Baptista *Cardinalis Vrsinus in arce cantharidum veneno sublatus* Bernardinus & Iacobus Sermonetæ *in Latio Reguli, hic ferro, ille aconyto extincti. Præterea* Malatestæ Arimino, Sfortiæ Pisauro Feltrij Vrbino *pulsi & in exsulium acti: cum iam Columnij proceres saluti suæ consulentes & paterna oppida Borgiarum nefariæ cupiditati inuadenda relinquentes ad Fredericum Neapolim ac in Siciliam diffugissent.*

## GRÆCIA.

1445. AMVRATES II. Turca occupat Isthmum Corinthiacum, atque fundit præsidia Græcorum simul, & Peloponnesum deuastat.

1452. *Athenæ* omnium artium & disciplinarum inuentrices ab immanissimo MAHOMETO II. octauo Turcarum Principe captæ soloque æquatæ sunt, etiam fundamentis quibusdam in locis effossis; & Munychia atque Piræo dirutis. Arcem saxo impositam Florentinus, qui etiam præsidio tenebat, Mahometo tradere fuit coactus; cum frustra Christianorum Principum opem implorasset. Est nunc opidulum *Satines* dictum, ita vt ne nomen quidem manserit inuiolatum.

*Albania* olim Macedoniæ pars fuit inter Dyrrachiū & Apolloniam. Scrap o gentis neque Græcis neque Illyricis notus. Hic

Camusæ

Camusæ hæreditatem accepit *Georgius Scanderbechius*, qui ætatem pæne omnem in armis pro *Christi* nomine pugnando consumpsit, multas & magnas Turcarum strages fecit, atq; regionem in Euangelio *Christi* continuit, quæ magna ex parte deserta esse fertur. Rex Alphonsus sæpe milites in Albaniam misit: & Troiam vrbem in potestatem receptam à Turcis defendit. Nepos Scanderbechii ex fratre cum Turcis fauens, patruo insidias moliretur, ab eo captus ad Alphonsum missus in carcerem coniectus fuit. Calixtus quoque Pontifex Romanus auxilia pecuniaria Scanderbechio non pauca misit.

*Baiazetes* tertio Imperii sui anno Valachiam subegit. Maximoque & terrestri, & maritimo belli apparatu debellatis Lithostomo ad Danubii ostia sito, atque Moncastro erga flumen Boristhenem posito Constantinopolim reuersus est. Acomathem Bassam fortissimum interfici iussit, quod timeret eius potentiam ac virtutem. Volensque Caytbero Sultano bellum mouere quod Zizimo fratri suo fauisse-, Cherseolum & Calubeium Bassas cum ingenti exercitu Tharsum Ciliciæ misit. 1484.

# HISPANIA.

*Henricus* Infans Portugalliæ annos natus sexaginta septem cœlebs moriens nono Kalendas Nouembris, nauigationes Oceani, atque Madeiram insulam eius auspiciis inuentam ad coronam regni Lusitaniæ tamquam fundum hereditarium transmisit. Itaque iam inde culta fuit à Lusitanis insula Madera: & ora Africæ, quæ à Nigritis habitantur, vnde grana Paradisi deportantur, fuere lustrata. 1461.

Alphonso quippe Henrici ex Eduardo fratre Rege nepote mortuo, Ioannes secundus eius filius tanto studio nauigationi Oceani institit, vt eius auspicio classis Lusitanica maximam partem Æthiopiæ perlustrauerit. Cumque extremum Africæ inuenissent promontorium; iussit illud Bonæ spei appellari: missisq; in Indiam Legatis exploratum; quomodo superato illo promõtorio cursus Indiam versus esset instituendus, vt addiscerent à nauigandi peritis iussit.

*Alphonsus* Rex Aragonum, Siciliarum & Neapolis in arce Lucullana, nunc Oui dicta, obiit mense Iunio, cum regnasset annos viginti & duos. Corpus eius deuectũ in Aragoniam in æde Populeti pro more Regum veterum fuit sepultum. Reliquit regna Aragoniæ & Siciliarum fratri. Et filium *Ferdinandum* nothum Regem Neapolis constituit.

*Leonora* Eduardi Regis & Ioannæ Portugalliæ filia Vxor Friderici Imperatoris moritur tertio Nonas Septembris. 1467.

Portugalenses parata classe 30. nauium Anaffam seu Anfam 1468.

opidum

ANNI CHRISTI. opidum florentissimum regni Fessæ ad Oceanum expugnatum vastarunt: cum illi piraticam soliti fuerant exercere.

*Ferdinandus* & *Elizabetha* Castellæ Reges, cum exploratum haberent Iudæos, qui in ditione ipsorum erant, nefaria contra religionem Christianam moliri, omnes, qui Christiani fieri abnuebant, in exsulium eiecerunt.

*Ferdinandus* Rex Catholicus Rheuda vrbe, aliisque septuaginta opidis captis vltra quadraginta hominum milia Christianę ditioni restituit. Lopiam, Morlinum, Illoram, & Montem frigidum, compluraque castella præsente Regina Elizabeth expugnauit. Misere Rex & Regina Legatos Inicum Mendozam Comitem Tendillæ, & Ioannem Methynensem Iurisconsultum, & Antonium Geraldinum Oratorem & Poetam Laureatum Romam, qui decimo tertio Kalendas Octobris Innocentio octauo obedientiam obtulerunt. Magna pars Iudæorum pulsa Hispania venerat in Portugalliam soluentes singuli Ioanni secundo Regi octonos aureos: vt ad certum tempus ibi manerent. Quo elapso, si viderentur, ibidem libertatem amitterent. Quod compluribus accidit, dum mercatorum ac nautarum iniurias extimescunt.

Hoc anno *Iacobus Canus* emissus à Ioanne secundo Rege Portugalliæ oram exploratum Æthiopiæ in regnum Congo peruenit, atque occasionem præbuit, quo missa illuc classe Rex cum vxore, patruo & maiore natu filio, magnaque parte populi Christiani per baptismum fierent.

1486. *Ioannes II.* Rex Portugalliæ Arabicæ linguæ peritos viros Lusitanos Alphonsum de Paua, & Ioannem Petrum à Couilhan quasi mercatores Nonis Maii exploratum Indiam Orientalem Æthiopiamque misit. Quorum ille ex Aden in Æthiopiam nauigans ad Preciosum Ioannem ibidem moritur. Hic perlustratis Calecutio Goa, omnique litore Malabarum, & in Æthiopiam ex mandato Ioannis Regis reuersus, ad Preciosum Ioannem nominis Alexandrum cum venisset; ab eo humaniter fuit exceptus, docens eum ex charta marina nauigationes à Portugallis factas. Sed mortuo Alexandro, frater eius *Nau* in regno succedens illum noluit dimittere, atque apud se retinuit.

Cum Hispani in Occidente, Portugalenses in Oriente nouas atque incognitas terras perquirerent: oborta contentio est inter eos, quod Portugalenses dicerent à se primum Oceanũ fuisse nauigatũ, ideoque nauigationis ius ad se pertinere: & Castellani mare commune esse omnibus contra assererent, propterea cuiq; licere occupare, quæ Christianis habitatoribus vacua fuerint. Res eo facilius fuit composita, quod Ioannes Rex consobrinus Elizabethæ Reginæ Castillæ. Nã ex vtriusq; partis consen-

Lı Ale-

sis Alexander VI. Pontifex Maximus arbiter constitutus, hac ratione orbem ipsis nauigandum partitus est: vt ab Insulis Hesperidum, quas Capitis viridis vocant in Occidentem trecentas sexaginta leucas linea versus Arcticum, & altera versus Antarcticum protenderentur, quoad coirent: sicque pars Orientalis Portugallensibus, occidua Castellanis nauigaretur.

*Alphonsus* Ioannis secundi Portugalliæ Regis filia ducta Isabella in vxorem tertio mense post nuptias collapsus cum equo in conspectu recenter nuptæ ceruicem fregit. Eam parentes Emanueli nuptum collocarunt, quæ ei peperit Ferdinandum: & mox mortua deinde fuit: decessit etiam infans.

Legitur apud L. Anneum Senecam eiusmodi oraculum: quod hoc tempore verum fuisse res ipsa comprobauit: 1492.

*Veniunt annis*
*Sacula seris, quibus Oceanus*
*Vincula rerum laxet, & ingens*
*Pateat tellus, Tiphysq; nouos*
*Detegat orbes, nec sit terris*
*Vltima Thule.*

*Vasco de Garma* Promontoriũ Bonę spei prim⁹ præternauigat.

*Vlyssibone* per seditionem sæuit plebs in Iudæos baptizatos, quod Pascha more Iudæorum celebrare dicerentur. Ferunt vltra trecentos fuisse trucidatos, deinde vltra mille & quingentos. Sed Rex in seditiosos animaduertit, vt ad ducentos supplicio varie affecerit.

CHRISTOPHORVS enim COLVMBVS Genuensis Ligur, vir rei maritimæ peritissimus, cum à Ioanne secundo Portugalliæ Rege, cui Occidentalium Indiarum nauigationes ostendere pollicebatur, repulsus atque non auditus dimissus esset; ad Ferdinandum & Elisabeth Hispaniarum Reges profectus, auspiciis eorum parata classe trium nauium, cum ducentis & viginti naualibus sociis Kalendis Septembris soluens Gadibus ad Canarias Insulas appulsus est, cumque ibi se aqua aliisque rebus necessariis prouidisset; Occasum versus pernauigans complures insulas inuenit: quas indigitauit, *Hispaniolam, Ioannam, Dominicam, Cubam.* Cum genti ferrum non esset, nauigia ex trunco excauata lapidibus acutissimis habebant, octoginta remigum capacia: iisque lapidibus etiam ligneas exstruunt ædes. Fuit mihi donatus culter talis lapideus pellucidus, quo acutiorem vidi numquam: vt qui posset certare cum nouacula. Porro inuenta est quoque ea terræ pars, quam putant continentem, cui ab Americo Vespucio nomẽ Americæ fuit inditum. Nauigabant vero Lusitani versus Indiam Orientalem, quam magna ex parte Alphonsus Albuquerquus sub imperium Portugallorum reduxit.

ALPHON-

ANNI CHRISTI. ALPHONSVS ALBVQVERQVVS totam ferme Indiam sub potestatem redegit Portugalensium.

1489. Armuza seu Ormus Persiæ inclita vrbs cogitur Regi Portugalliç annuatim soluere tributum.

1490. Potiti sunt hoc anno Lusitani insigni victoria, insula, & vrbe in ea Goa sita in mari Calecutico.

1492. *Granata* Metropolis Beticæ post diuturnam obsidionem dedita fuit Kalendis Ianuarii ob rerum omnium penuriam certis conditionibus. Sicque Mahumetis superstitione profligata veri cultus Diuini & Christianæ religionis ritus introducti fuerunt: Vnde Ferdinandus CATHOLICI cognomen sortitus, ad posteros transmisit Reges. Granatenses quater sumptis armis rebellare nisi sunt In montibus Apixarteusibus freti natura loci magnum exercitum congregarunt, atq; prœlio superati coacti fuerunt Hispania excedere.

Cessatum fere ab omni opere fuit in Hispania ob dolorem mortui Principis Ferdinandi. Margareta eius vidua Maximiliani Cęsaris filia, iam sexto mense grauida afflicta mœrore mortuum edidit partum.

1492. Mortuo *Ioanne* Principe Hispaniarum, moritur etiam *Elizabeth* eius mater, sicque *Ioanna* filia & per eam *Philippus* gener fit Rex Castellæ.

*Diego Dasambusa* auspiciis Emanuelis Portugalliæ Regis Tzaffin elegans Africæ opidum Mauris eripuit nonis Iulii.

## ANGLIA.

1460. Hoc anno mouit seditionem *Richardus* Dux Eboracensis in Anglia, atq; Henricum sextum Regem captũ inclusit turri Londinensi, ac multos ei sanguine iũctos interemit Paullo post *Hufridus* Dux Excestriæ cepit Richardum cum secundo natu filio, & Comitem Salberensem, quibus obtruncatis imposuit capiti Richardi coronam stramineam: Henricumque restituit regno. Interim Eduardus maior natu filius Richardi prœlio deuicit Henricum cum suis: certatumque fuit triduum, cæsis vtrimque vltra triginta mille Anglis Profugiente in Scotiam Regina cum

1462. fautoribus suis. Itaque Eduardus coronatus fuit quartus eius nominis. Misit ad auxiliandum Reginæ cognatæ suæ Ludouicus vndecimus Gallorum duo millia, sed nulla re perpetrata redierunt.

Arturus Henrici septimi filius duxit in vxorem Catharinam Ferdinandi Elizabeth Hispaniarum Regum natu minimam filiam. Moxq; eo defuncto, habito à Romano Pontifice consensu, nupsit illa fratri eius Hẽrico octauo. Quo anno decessit Margarita Eboracensis Caroli Burgundi vidua & Eduardi quarti atque Richardi II soror Mechliniæ sepulta apud Minores.

ÆGY-

ANNI CHRISTI. 1465.

# ÆGYPTVS.

*Mameluchi* Imperatorem sibi deligunt *Caytbeium* Scytham quod antiquior quodve & Magistratu summo, & auctoritate polleret. Hic erat ingenio & virtute bellica præclarus: fecitque Mameluchos sibi fidos, cum per triginta tres regnaret annos. Nam veteribus tanta diuturnitate temporis, bello morbisque consumptis, nouos omnes sua pecunia coemerat, atq; aluerat satis liberaliter.

*Caytbeus Sultanus* mittit suos Mameluchos contra turcas ad se venientes, commissoq; prœlio apud Adanam Caramaniæ ciuitatem Mameluchi insigni victoria potiti sunt. Nec vnquam antea Turcæ maiorem cladem fuere perpessi. sicq; pax inita fuit inter *Caytbeum* & *Baiazetem*.

Exercere inter se cœperunt capitales inimicitias *Acbardinus* & *Campsorus* Campsomia ambo eiusdem pagi Scythæ, ita vt alter alteri perniciem machinaretur, quo ipse imperare posset. Sed mortuo *Caytbeo* elegerunt ex more Mamelchi Mahometē Caytbei filium annos natum vixdum sedecim Imperatorem Sultanū; quem & eorum Pontifex Califfus, ad quem sacra spectant, confirmat; iusque suum concedit ter mille dragmatum auri pretio. Hic Mametes dum abutitur potestate atque auunculo suo aliisque optimatibus necem struit, à Tomumbeto obtruncatur in conuiuio in agro intra tectoria constructo, cum vix Ægypto præfuisset annis tribus. Creatus Campseus Chiarchesius eius auunculus Sultanus, & Tomumbeius factus est Præfectus exercitus eius. Qui insidias struens fœdere inito cum Zambalato Syriæ Præfecto res nouas moliente Campseum, cum regnasset annum vnum, menses sex in vincula coniicit: deinde & confœderatum captum strangulari iussit post mensem vix tertium.

Qui creatus Sultanus ob sæuitiem & rapinas ac mercatorum expilationes Mameluchorum indignationem incurrerat. Eum quoq; secutus Tomumbeius ob exactiones & noua excogitata vectigalia octauo nondum mense peracto à Zambalatti familiaribus, quasi pernicies Ægypti confoditur. Post quem Prætorē curiæ Campsoum Gaurū renitentem atq; inuitum cogunt suscipere imperium. Cumq; se nō satis diuitem soluendis donatiuis (quæ decies centies mille ducatos excedunt) diceret: concessere ei octo menses, quibus eam summam colligat ex prouentibus ditionum suarum. Hunc adiit Legatus *Petrus Martyr* nomine Ferdinandi & Elisabeth Regum Hispaniarum, sed nihil dignum perficere potuit ob accusationes Maurorum, qui Bætica erant propulsati. Vidit & mensus est Pyramides & alia miracula Ægypti.

GO-

ANNI CHRISTI.

# GOTHIA.

## CHRISTIERNVS Daniæ Rex.

1474. CHRSITIERNVS Danonum Rex conquestus apud Fridericum Imperatorem Tithmarsos nullis parere legibus, nullique imperio; postulat sibi potestatem concedi, vt illos subigat.

Concessit id illi Fridericus: sed morte præuentus expeditionem non perfecit.

1479. *Ioannes* Moscouorum Princeps Gazimero Duci Lithuaniæ Nouogardiam eripiens trecentos currus onustos auro, argento, & vnionibus in Moscouiam abduxit.

# TVRCIA.

*Mahometus* in Ægyptum mouens, cum Nicomediæ in propinquo esset, colicæ dolore correptus ætatis annum agens quinquagesimum tertium, finiuit vitam quinto Nonas Maij. Vectusque Constantinopolim ibi sepultus est.

Mox Ianizari BAIAZETEM absentem Imperatorem creant, & Corchutum eius filium annorum 13. vsque substituunt, donec ille Constantinopolim venit. vnde deinde mouit in fratrem Zizimum, qui potitus Bursia Natoliā sibi subiicere quęrebat. Quem semel atque iterum fugatum compulit fuga sibi consulere, atque se tradere fidei Magistri Magni Rhodii, à quo postea ad Innocentium quartum Pont. Max. missus est.

1498. *Cadumus Bassa* cum octo millibus equitum à Baiazete missus nunc in Hungariam, omnia Zagabrigiam vsque deprædatus est. Quamobrem Slauoniæ, Croatiæ atq; Hungariæ Principes magnum inter se exercitum compararunt, atque tribus ordinibus contra tres Turcarum ordines congressi misere cæsi sunt, ita vt vltra septē mille fuerint desiderati. In testimonium stragis Christianis illatæ complura capita, ac nasi interfectorum missa fuerunt ad Baiazetem. Qui etiam Venetis bellum intulit, quod Ioannem Cermouichium Comitē contra Turcas defendēdum suscepissent. Missus *Halis Eunuchus Bassa* classe ad Iodram vsq; Dalmatiam ferro igneque deuastauit, ne Veneti milites in maritimi belli vsum conscribere possent. Ceterum Veneta Classis eis obuiam veniens prope Methonem occasionem victoriæ omisit. Quare Antonius Grimanus classis Præfectus in Vinculis Venetias fuit deductus. Turcæ vero Corinthiacum ingressi suum Naupactum opidum ceperunt. Deinde sollicitatus à *Ludouico Sfortia* Baiazetes Scenderū Bassam mittens Forum Iulii excursionib⁹ infestari iussit. At Scēderus in Taruisinū agrum vsq; populabundus processit. Cum omnes captiuos secum abducere non

possent

posset in ripa Tiliauenti vltra quatuor mille hominibus capita amputari iussit. ANNI CHRISTI.

*Baiazetes* ipsus ad expugnandum deinde Methonem profectus, vrbe potitus quarto Idus Augusti, Venetos omnes trucidauit. Episcopum quoque Methonensem cum aliis compluribus iussit decollari. Moxque inde digressus cœpit Iuncum aliaque Peloponnesi opida. Hac itaque occasione Galli, Hispani & Lusitani iunctis Venetis, ad oppugnandam Cephalėnam insulam perrexerunt. Veneti quoq; S. Mariæ Insula potiti opera Andreæ Gritti, qui captiuus Constantinopoli detinebatur, paçem obtinuere restituendo Insulam. Baiazetes enim podagra laborans, omissis bellis Auerrois Philosophia se oblectabat. Interea quoque instaurabat mœnia Constantinopolitana, quæ terræ-motu erant prostrata.

Euasit tum quoque magnus apud Persas HISMAEL SOPHIS Heidaris, cui Mardneli cognomen, filius ex Vsuncassani Regis filia genitus: qui Mahometis legem nouis expositionibus interpretando regnum sibi comparauerat. Habebat is primum tumultuarium exercitum, qui vsque excreuit, vt inito prœlio cum *Coragne Bassa*, eum deuicerit, atque prope Cuciam vrbem palo suffixerit. Postquem *Halis Bassa* Persas insecutus in ipsa victoria occubuit.

Porro *Selimus* Iunior Baiazetis filius accepta in vxorem Tartarorum Regis filia, patri struebat insidiis, quo ipse imperaret: cum Atomathes frater in Cappadocia voluptatibus potius quam bellis incumberet: & Corcuthus in Magnesia Mahumetanæ legis doctrinæ operam impenderet. Sed acriter in conflictu vulneratus equi spadicis optimi beneficio seruatus ad Tartarum socerum se contulit. *Acomathes* deinde Natoliam occupare præsumpsit, quo sibi imperium compararet. Aduersus quem cum Selimum pater euocaret, venientem milites Imperatorem salutauerunt. Curauitque vt pater præ dolore in morbum lapsus 1512. pharmaco à Iudæo medico præparato annum agens septuagesimum-quartum interierit, cum imperasset annis triginta & vno. Defuncto patri Selimus pompas funebres, ac sepulcrum magnificum apparauit, quo hac simulata atque vana pietate manifestum parricidium contegeret.

SELIMVS patri succedens ilico thesauros numerauit, amplissimum donatiuum Iaoizaris & Portæ equitibus dedit, militibusque stipendia auxit. Deinde fratrem Cappadocia expulit: atque Arcyræ nepotes ex fratribus complures interfecit. Mustapham Bassam, qui eum ad imperium euexerat, Bursiæ suffocari, atque nudum eius cadauer canibus proiici iussit: quod eius admonitione duo Acomathis filii fuissent elapsi. Corcuthes à fuga retractus

ANNI CHRISTI. arcus neruo fuit suffocatus. Interea Acomaches implorato auxilio à Sophi atque Alepi Principe auxilio, decimo octauo Kalendas Maij, cum ipso conflixit: atque victus, vti ante frater, ita etiam suffocatus est. Filius eius Aladinus apud Sultanum febre interiit, atque alter Amurathes in Persia apud Sophim complures annos permansit. Pacem deinde cum Ladislao Rege Hungariæ fecit & eam à Baiazete cum Venetis factam confirmauit. Profectus in Persis cū ducentis millibus tam equitib⁹ quam peditibus transgressus Euphratem prope Taurium Armeniæ ciuitatem peruenit: vbi Sophis Rex cum instructissimo equitatu se ostendit. Nono vero Kalendas Septembris inito prœlio Sophis fuit sclopeti glande in scapulis vulneratus, atq; noctis beneficio cum reliquijs Persarum fuit elapsus. Inter mortuos inuentæ armatæ mulieres, quas Selymus honorifice sepeliri iussit. Deinde Taurium deditione accepit, quod tamen redeunte cum nouo exercitu Hismaele opibus, virisque nobilibus ac artificibus spoliatum reliquit. Transeuntem Euphratem Hiberi latrones & transgressum Aladulus Princeps molestabant. Sed domū reuerso gloriæ datum, quod viginti dierum itinere vltra, quam Mahometus eius auus, progressus ostēderit se superiorem Hismaele, cuius vires excellere credebantur. Insequente anno Aladulo, qui Taurum montem Cappadociæ incolebat, atque inter Sophim, Sultanum & Turcam medius dominabatur, bellum intulit. Costagelus Dux Tauri loca munierat, sed proditus à suis Selymo fuit: qui obtruncati caput insignum victoriæ Venetias transmisit.

Bizantii terræ motu plurimæ ædes conciderunt.

1513. Cairum opidum cepit Selimus Turca octauo Kalendas Februarii, omnium maximum, quod Chaldæis *Alchabyr*, Hebræis *Mesraim*, Latinis *Babylon* antiquitus fuit dictum.

TOMMOMBEIVM Sultanum vltimum inter iuncos & cannas latitantem tertio Idus Aprilis captum iussit per vrbem mulo vehi gerentē collo laqueum, quo in porta ciuitatis fuit suspensus. Itaque tota Ægyptus fuit subiecta deinceps Turcarū potestati.

# GALLIA.

## CAROLVS VIII. Rex Franciæ.

1484. CAROLVS VIII. successit patri mortuo, natus annos tredecim, exspectatumque fuit ad Kalendas Iunias, vt Rhemis coronaretur. Fuere vero simultates obortæ.

1486. IOANNES Comes Engolismensis, Ludouici Aureliani Ducis filius moritur, duobus relictis liberis, anno ætatis 64.

Carolus

*Carolus VIII.* dum cum vxore videt Ambosæ ludi pila palmaria apoplexia cadens, continuo moritur septimo Idus Aprilis: sepultusq; fuit apud S. Dionysium. Fuerunt veri sumptus funeris æstimati viginti duorum millium aureorum coronatorum. An. Chr. 1499.

Successit illi LVDOVICVS AVRELIANENSIS eius nominis duodecimus, qui Rhemis est consecratus sexto Kalend. Iunii. Moxque sententia Philippi Cardinalis Luxemburgii fuit declaratum eum non contraxisse legitime matrimonium cum Ioanna.

*Ludouicus XII* Gallorum Rex rupto fœdere, quod cum Iulio secundo Pontifice Maximo & Maximiliano Cæsare icerat, Rauennam obsidebat, aduentuque Pontificiorum prœlio decertans, atque Cadmea potitus victoria, eam deditione cepit atq; diripuit.

## ROM. PONTIFICES.

CCVII. *Mortuo* INNOCENTIO VIII. *sedecim diebus post creatus est* ALEXANDER VI. *Valentinus Hispanus Iofredi Lenzolii filius*, Rodericus Borgia *dictus, qui quamquam gente Lenzolia esset ortus, Borgia nomen, quo cum gentilitiis insignibus ab auunculo donatus fuerat, auito relicto, vsque ad obitum retinuit. Calisti tertii ex sorore nepos nonnullorum Cardinalium ambitione corruptorum opera dicitur esse creatus. Quorum princeps erat Ascanius Sfortia, qui postmodum exitialis amentia sua dignas pœnas luit: Ceterum in Alexandro æquabant vitia virtutes: inerant namq; ei ingenium: & eloquentia quædam naturalis, & aduersarios lenitate atque patientia deuincicbat, & numquam negotia voluptate omittebat: Mulieribus quoq; erat addictus, ex quibus Vannociam Romanam in minoribus constitutis prope vxoris loco habebat. Ante Pontificatum, tulit duas filias & quatuor filios. Ex his* Cæsarem Borgiam *Cardinalem creauit Valentinum.* Godefridum *minimum natu principem Squilatinum: &* Ioannem *natu maximum Ducem* Gandia *creari procurauit. Qui insidiis Cæsaris fratris noctu interfectus, & in Tyberim proiectus fuit, cum simul apud matrem Vannociam cenassent: conniuente ad immane parricidii scelus patre, qui ab efferato filio vim metuebat. Sicq; in eius locum suffectus Cæsar, atq; dux exercitus Pontificii iam factus, renuntiato Cardinalatu Carlottam de Alibreto Ludouici duodecimi Gallorum Regis propinquam in vxorem ducens opidum valentiam Cauarum à quo dux Valentinus dictus est, dotis nomine accepit.* 1502.

*Regis Galliæ deinde auxilio, patre adiuuante maximum in Italia sibi imperium parauit Æmiliam omnẽ, præter Bononiam, eiectis partimque necatis antiquis Dominis in suam potestatem redegit. Eandem quoque sententiam in aliis quoque Italiæ regionibus exercebat, sicque pater cum filio exitio Italiæ videbantur nati, cum numquam*

ANNI CHRISTI. *in vrbe populi Romani libertas minor, maiore licentia gladiatorum atque sicariorum. Quem & ipse Pontifex cum Cæsare filio opulentissimis quibusque exitium struebant.*

*Cumque Cardinales aliquot ditiores cæteris conuiuio exceptos ad Vmbrosum Vaticani fontem turis instituerat veneno tollere, errore pincernæ fatali mortem filioque calamitatem peperit: Cum ille exquisitis antidotis ex atrocissimo morbo conualescẽs dilabentes suas copias, duosque veteres hostes paucissimis diebus creatos viderit: Alexander vero senio grauis vi veneni sublatus sit ætatis annum septuagesimum prætergressus. Papatus anno vndecimo, die octauo, sepultus vili Latericio monumento in Basilica Vaticana post mensem vnum, dies tres electus.*

1503. CCXVIII. PIVS III. *Senensis Nanis & Laodemiæ filius ab auunculo gentilicijs insignibus & Picolhomineorum familia nomine donatus,* Franciscus Tudeschinus *dictus vir pius & doctus, quem ostenderunt terris tantum fata, neque vltra esse siuerunt, cum senecta vitijs & mortifero cruris vlcere affectus intra vigesimum sextum Pontificatus diem, non sine suspicione veneni Pandulphi Petrucij Senensis Tyranni consilio vulneri illiti obierit anno ætatis suæ sexagesimoquarto, mense quinto, die decimo: Sepultus est ad S. Petrum marmoreo sepulcro iuxta auunculum Pium secundum cum hoc titulo:*

PIVS III. PONTIFEX MAX.
A PIO II. AVVNCVLO
DVOS ET VIGINTI ANNOS NATVS
IN CARDINALIVM COLLEGIVM ADSCITVS
VRBIS AC PICENI LEGATIONE
INTEGERRIME FVNCTVS,
A PAVLO II. AD FRIDERIC. III. MISSVS,
VT GERMANORVM ARMA IN TVRCAS
CONCITARET,
CONVENTVM FREQVENTISSIMVM
PONTIFICIS MORTE
DISSOLVTVM HABVIT.
SVB INNOCENTIO VIII. VMBROS
DISSIDENTES PACAVIT.
CAROLO GALLORVM REGE
ITALIAM IRRVMPENTE
AB ALEXANDRO VI.
SERO ADMODVM OBVIAM MISSVS.
EO MORTVO DVO DEQVADRAGINTA
PATRVM SVFFRAGIIS
PONTIFEX CREATVS
DVM DE RESTITVENDA

IN PRI-

IN PRISTINAM MAIESTATEM
CHRISTIANA REPVBL. AC VRBE AGIT
VI. ET XX. DIE
E TANTA EXSPECTATIONE RERVM
PVBLICO OMNIVM LVCTV DECESSIT:
ELOQVIO, PRVDENTIA, RELIGIONE,
INNOCENTIA ET GRAVITATE
DOMI FORISQVE INSIGNIS,
IN DICENDIS IN SENATV SENTENTIIS
LIBER ET GRAVISSIMVS.
Vixit annos LXIV. menses V. dies X.
Obiit Anno Salutis Christi ∞. D. III.
XV Kalendas Nouembris.
IACOBVS & ANDREAS fratri sanctissimo
POSVERE.

*Et post dies quatuordecim creatus*

CCXIX. IVLIVS II. *Sauonensis Ligur Raphaelis filius, Xysti quarti ex fratre nepos,* Iulianus de Riuiere *ante vocatus. Vir acri & callido ingenio, animoque excelso, variam in vita sua fortunam expertus ocy ac pacis impatiens. Primum Borgiam familiam persecutus est, quod Alexander VI eum decennali exsulio mulctasset. Cæsarem Borgiam fugam adornantem ea condicione Neapolim nauigare permisit, vt arces eius præsidio munitas reciperet Qui à Magno Consaluo Neapoli captus iussu Catholici Regis in Hispaniam transmissus est. Inde ad Ecclesiasticum imperium animum appulit. Primum ergo vt recuperaret Rauennam, Ariminum ac Fauentiam, cum Maximiliano Cæsare, Franciæ atque Hispaniæ Regibus, Ferrariæ & Mantuæ Principibus fœdus Cameraci percussit, atque Venetos aqua & igni interdictos atq; deuictos intra paludes se continere perpulit: cum omnem exercitum ad Glaream Abduæ superati prœlio à Ludouico Francorum Rege, decimoquarto Kalendas Maij amisissent. Mox quo vires Gallorum formidabiles Italiæ auerteret, Venetos in amicitiam recepit. Cumque Ferrariæ Ducem Alphonsum Estensem à Gallorum fide retrahere nõ posset, cum Ferdinando Rege Hispaniæ fœdere icto, conductis mercede Heluetiis, creatoque exercitus Duce Francisco Marchione Mantuæ Bononiam venit, impetuque in Ferrariensem facto, Mutinam ei ademit. Mirandulum quoque, quæ à Gallis præsidio tenebatur, expugnauit. Inde Gallorum Rex cum Maximiliano Pontifici ob Venetorum reconciliationem consilio Cardinalium, qui ab eorum partibus stabant, generale Concilium Pisis indicunt ad Kalendas Septembris, illucque Iulium ad dicendam caussam citant: Bononia recedens audita clade copiarum suarum apud fossam Giliolam Pontifex Rauennam concedit. Sicque præsidio vacuam Bononiam Bentiuoli præsidio Gallorũ occupant. Legatus Franciscus Cardinalis fuga elapsus Rauenna ab* 1503.

ANNI CHRISTI. *Vrbini Duce Francisco Maria Iulij ex fratre nepote interficitur Pontifex cum frustra pacem cum Gallo inire tentaret, quo tollere Pisanũ Concilium, Synodum Laterani generalem indixit, vbi Pisani acta omnia antiquata sunt. Cumque se videret, imparem Galli viribus ab Henrico Angliæ Rege & Ferdinando Catholico auxilium implorauit. Huncque contra Ioannem Nauarræ Regem Gallo fœderatum; illum in Aquitanos incitauit. Euocat & Heluetios, atque in odium Florentinorum, qui Pisas Concilio celebrando concesserant, Ioannem Medicem Cardinalem, qui cum tota Medicea familia exsulabant, totius fœderati exercitus Legatum constituit. Cumque Gallos, vndique bello potitus, iacere belli aleam, atq; supremo prœlio decertare constituit. Itaque prope Rauennam ipso die Paschæ quarto Idus Aprilis per sex horas continuo cruenta pugna dubie pugnatum fuit. Ad viginti millia hominum, vtrimque fere æquata clade, cæsa traduntur. Et ex his centum quinquaginta nobiles Galli, vna cum Fosseio Imperatore, & quinque tribuni militum. Ex Pontificiis Ioannes Legatus captus, cum aliquot nobilibus Ducibus Gallorum viribus attritis: Pontifex & Ferdinandus reparatis viribus, Matthæi Cardinalis Sedunensis atque Heluetiorum opera, septuagesimo à pugna die maximo fortunæ ludibrio Galli Italia exacti sunt Itaque Heluetios magnis muneribus donatos spetioso* ITALICÆ LIBERTATIS ASSERTORVM *titulo decorauit. Deinde cum Imperatore Maximiliano inito fœdere contra Venetos; cum eos idem cum Gallis fecisse videret: schismatis timore decubuisse fertur, atque fluente sensim aluo rebus humanis excessisse septuagenario maior anno Pontificatus nono, mense tertio, die vigesimo primo. Sepultusque est in Xysti Patrui sacello in Vaticana Basilica, quam veteri parte disiecta Bramantis architecti opera portentosæ vastitatis inchoauerat. Sepulcrum marmoreum ei fecit M. Angelus Bonarottus in Exquiliis in S. Petri ad vincula, Vir excelsi animi & bellica gloria Pontifici indecora clarus, vacauitque sedes dies viginti octo Concilio Lateranensi adhuc perdurante.*

1513. CCXX LEO X. *Florentinus Laurentij filius, Ioannes Medices dictus, qui Gallis fugientibus è via effugerat, atque in patriam receptus Iulianum fratrem Principem constituerat, viginti trium Cardinaliũ suffragiis Pontifex renuntiatus, decimo quarto Kalendas Aprilis coronatus fuit. Statimque Legatos ad Principes de pace tractanda aut induciis paciscendis misit Cardinales à Iulio Senatu amotos supplices recepit, dignitatesque eis restituit. Concilium Lateranense perficiendũ curauit. Cum litteris enim renascentibus opiniones veterum Philosophorum resuscitabantur, neglectaque pietate Sacra Theologiæ studium ob scriptorum barbariem contemtui erat: videbanturque complures Atheismum velle excitare negata animorum immortalitate. Itaq; sacrum hocce Concilium præsidente Leone, decimo quarto Kalendas Ianuarij, sessione octaua damnatis opinionibus, quæ animam morta-*

*mortalem, & vnam in cunctis hominibus esse, saltem secundum Philosophiam, vt dicebant, affirmabant. Animam rationalem immortalem, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilia, & multiplicata, & multiplicanda esse declarauit. Omnibus Philosophiam profitentibus iniunxit, vt inter conclusiones & principia Philosophorum ab Orthodoxa fide deuiantia manifestent veram religionis Christianæ fidem, atque argumenta Philosophorum rationibus pro viribus refellant, veritatemque omni conatu inter docendum sedulo persuadere conentur. Quodq; ij, qui in sacris Ordinibus constituti sunt, non vltra quinquennium post perceptas Grammaticam & Dialecticam, Philosophiæ aut Poeseos studiis, citra Theologiæ aut Iuris Pontificij studio, vacare possint. Fuitque Concilium absolutum decimo septimo Kalendas Aprilis. Ratio corrigendi Kalendarium Ecclesiasticum intermissa est, quod Solis & Lunæ motus nondum satis dimensi haberentur. Vbi à Paulo Semproniensi Episcopo admonitus Nicolaus Copernicus ei negotio præcipue animum intendit. Res Italiæ maximis bellorum turbinibus actæ tum quiescebant.*

ANNI CHRISTI.

*Leo magnificentiæ ac liberalitatis famam quoque aucupabatur: & bellum meditabatur in Turcas. Committebat Ecclesiæ, Iurisq; negotia grauissimis viris; quibus ne quid præter fas & æquum facerent iniunxit. Erant ei ab epistolis* PETRVS BEMBVS *Venetus &* Iacobus Sadoletus *omnium litteratorum doctissimi, maximeque eloquentes, Vaticanæ Bibliothecæ præfecerat* Philippum Beroaldum *minoris Beroaldi ex fratre nepotem, Odis æternitate dignis, clarum. Qui scribens Bentiuoli* fortia Principis

Nunc facta & Ligurem sanguine Iulium
Gaudentem Latio infestaque Galliæ
Nostris agmina finibus,
Nec Pario referens carmine quam fera
Atrox in Selumum bella gerat Sophis
Dum Turcas odio persequitur graui
Regnis pellere patriis.

*Instaurauit etiam Romanum Gymnasium præstantissimis Professoribus, inter quos* AVGVSTINVS NIPHVS *Suessanus Philosophiam Aristotelicam;* Christophorus Aretinus *Medicinam;* Hieronymus Butigella *iura profitebantur. Inter Theologos eminebat* Thomas de vio Caietanus, *quem Leo etiam Titulo S. Xysti Cardinalem creauit. Latinas* Ianus Parhasius, *Consentinus, qui in Claudianum Cōmentaria scripsit, Græcas litteras* Basilius Calchōdyles, *docebant: Demetrij hic filius, ille gener. Delectabatur Leo vsque Poesi, vt fama audiīs Nicolai Manciauelli miri leporis comœdiam cum summo plausu Florentiæ actam, eam cum toto Scenæ cultu, ipsisque histrionibus Romam acciuerit; vt etiam ea voluptate frueretur. Cumq; frater eius Iulianus ciuitate donaretur; confecta à lepidis ingeniis antiqua comœdia*

ANNI CHRISTI.

*in Capitolio acta fuit, vbi Baptistæ Pij, qui Beroaldi præceptoris inepta æmulatione exoleta rancida vetustatis vocabula sectabatur, suo habitu suoq; idiomate loquentis persona inducebatur, ab obiurgante reprehendenteq; Prisciano more puerorum male discentium clunibus nudatis plagas flagello excipiens. Astabat etiam inter erudita voluptatis instrumenta ad mensam* Camillus Quernus, *quem Academiæ sodales in Aesculapij insula Tyberis brassica, pampino lauroq; coronatum Archipoetam salutauerant, dignum Principis auribus Leonis; qui præscripto argumento bina saltem carmina tributi nomine ad lyram decantare cogebatur, aut bibendum ei erat dilutius. Cumq; ob opulentam saginam in podagram incidisset, & de se canere iussus in hunc hexametrum erupisset:*

Archipoeta facit versus pro mille poetis

*Pontifex Leo perargute hoc pentametro*

Et pro mille aliiis Archipoeta bibit.

*respondit. Tum Quernus respondit:*

Porrige, quod faciat mihi carmina docta,
Falernum.

*Moxq; Leo Virgiliano versu subridens ait:*

Hoc etiam eneruat debilitatq; pedes.

*Erat ei & in delicijs* Andreas Maro, *qui cum summa doctorum admiratione ex tempore variis numeris ac modis instar torrentis Latinos versus fundebat. sacerdotio donatus à Leone, quod post celebre epulum cui Regum Legati Cardinalesq; intererant, de suscipiendo sacro bello canere iussus iucunda id verborum figurarumq; varietate perfecerit orsus hoc nobili carmine:*

Infelix Europa diu quassata tumultu
Bellorum.

*Musicos quoque, eius artis peritissimos valde amauit, qui vndequaq; etiam Romam confluebant. Aedificandi insuper studio incensus Basilicam Vaticanam à Iulio secundo inchoatam magno animo perficere aggressus est. Aulæa serica auro intertexta ad ornatũ sacelli Pontificij quinquaginta millibus aureorum in Belgijs emi curauit. Palatium quoq; operibus, atque structuris, signis insuper ac tabulis splendidissimum fecit. At interea dum genio indulget, seq; oblectat Põtifex his rebus: atq; diuulgato Iubilæo indulgentiarum expeditionis in Turcas gratia, ecce ex parua scintilla exoritur in Saxonia incendiũ, quo vniuersa Europa pæne visa fuit flagrari: scribente contra has indulgentias Martino Luthero Augustiniano Theologiæ doctore VVittenbergensi. Atq; Syriam & Aegyptũ subegit Selymus Turca. Quibus nuntiis vsq; eo conseruatus fuit Pontifex, vt pedibus discalceatis cum omni aula supplicando à Basilica S. Petri, vsq; ad S. Mariæ de Minerua templum progressus sit. Coniuratum tum quoq; in eum fuit ab Alfonso Petrucio, qui post Orlandi Aethiopis manu in mole Adriani strangulatus est; & com-*

*& complures ordine amoti. Creauitque triginta Cardinales &* Anni Christi.
*in his* Adrianum *ac* Clementem *suos successores. Misit* Thomam de Vio Caietanum *ad Maximilianum Cæsarem.* Bernardum Bibiennam *ad Franciscum Gallorum, &* Ægidium Viterbiensem *ad Carolum Hispaniarum Reges, vt sublatis offensionibus bellum inferrent Turcæ, Paulum Baleonum è Perusia euocatum magnis promissis, securi percussit, & Amadeum Ricinatium tyrannum iussit suspendi.*

*Excellebant tum pictores eximij* Raphael Vrbinas *&* Michael Angelus *Florentinus; Hic Apelli non dissimilis iudicium illud extremum toti orbi admirandum in pariete Sacelli Sixti Basilicæ Vaticanæ depinxit. Illius qui Protogeni non impar, tabula illa est, vbi Paulus in Ariopago concionatur inter Stoicos atque Epicureos.*

*Interim excogitauit Scutiferos milites S. Petri, aliaque venalia officia, Romanis, vectigal salis muniuit, fuitq; posita statua cum hac inscriptione:*

OPTIMO PRINCIPI LEONI X. MED.
IOAN. PONT. MAX.
OB RESTITVTAM INSTAVRATAMQVE
VRBEM
AVCTA SACRA BONASQVE ARTES,
ADSCITOS PATRES,
SVBLATVM VECTIGAL,
DATVM CONGIARIVM,
S. P. Q. R.

*Cumque sedisset annis octo, mensibus octo, diebus viginti non sine suspicione veneni exstinctus est, annos natus quadraginta quinque, menses vndecim, dies viginti & vnum: sepultusq; in templo S. Mariæ de Minerua. Vacauit sedes mensem vnum, dies septem.*

## VIRI ILLVSTRES.

*Demetrius Chalcondyles* Græcus Grammaticus, mortuo Laurentio Medice Florentia à Ludouico Sfortia Mediolanũ accitus; Lexicon Suidæ hoc ãno edi curauit magno studiosorum cõmodo, vbi amissis tribus filiis infelici fato octogenario maior, mortuus atque sepultus fuit, paullo antequam Galli Iulii Pontificis Maximi & Venetorum armis Italia pellerentur.

Reliquit discipulos doctissimos, in his & BENEDICTVM IOVIVM Nouocomensem, quem Demetrii auditorem Mediolani fuisse, auctor est Paullus Iouius. Scripsit autem Benedictus Historiam & res gestas Heluetiorum, laudatque ibidem Iouius Episcopus.

AN. CHR. 1507. *Franciscus de Paula* Turonensis auctor Minimorum moritur quarto Nonas Aprilis. Eum LEO X. Pontif. adscripsit Catalogo Sanctorum.

Moritur & hoc anno M. ANTONIVS COCCIVS Sabellicus, Historicus & Poeta. Ipse Epitaphium sibi hocce scripsit:

*Quem non res hominum, non omnis ceperat ætas,*
*Scribentem capit hac* COCCION *vrna breuis.*

IOANNES STABIVS Mathematicus & poeta iussu Maximiliani Cæsaris laurea Viennæ à Ioanne Cuspiniano donatur. Qui in laudem tum poeseos orationem habuit, & vitas Cæsarum conscripsit.

1507. PANDVLPHVS COLLENVCIVS obiit, strangulatus à Ioanne Sfortia Pisaurensi tyranno. Scripsit libellum *de Vipera: & Capitis ac Pilei Dialogum.*

HERCVLES quoque STROZZA, Ferrariensis Poeta excellens, dum noctu à cœna reuertitur, interfectus est, nec vmquam de homicida quispiam rescire quid potuit.

*Ioannes Murmellius* Ruremondensis Grammaticus euocatus Alcmaria (vbi Scholam aperuerat) Dauentriam ibidem pleuresi exstinctus est. Alii Monasterii diem clausi extremum anno 1513. relicto filio scribunt. Hoc tempore ad octo quæstiones à Maximiliano Cæsare sibi propositas respondit IOANNES TRITHEMIVS Abbas Spanheimensis ad quem & Polygraphiæ libros sex vna cum claue conscripsit: multaque alia.

1509. PHILIPPVS COMINÆVS Flander, qui Carolo Burgundo & postmodum Ludouico vndecimo Gallorum Regi inseruierat: variam expertus fortunam, moritur Argentorici in Pictonibus decimosexto Kalendas Nouembris, & aduectus Parisios sepultus est in templo Augustinensium. Hic quamuis esset ignarus Latinæ linguæ, commentaria rerum sui temporis Gallice eleganter conscripsit. Vixitque annos sexaginta-quatuor, atque eius ex filia fuit nepos *Ioannes* Dux Estampensis.

*Conrardus Celtis* suaui carmine quoque Germaniam suam celebrauit.

ALBERTVS vero CRANTZIVS Decanus Hamburgensis nunc etiam Saxonum, Cimbrorum ac Gothorum, nec non Vandalorum historiæ multum lucis attulit. Doctrin apud Gothos etiam clarus erat *Gaddus* Lincopensis Episcopus Legatione functus Romæ.

*Mainardus Mannius* Wormaria Caninefatum artus fit Abbas

1509. Engmondensis. Qui vir sanctimonia insignis non modo collapsa vetustate monasterii ædificia restituit: verum & exstinctum prope inter suos pietatis studium restaurauit.

1515. FRANCISCVS XIMENIVS, Cisnerius, Ordinis Minorum, S.R.E.

S.R.E. Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, vir pius & eruditus, & eruditorum Mœcenas, auctor Academiæ & Bibliorum Complutensium: cuius vitam Aluarus Gometius copiose est prosecutus. Obiit anno 1516. ætatis fere LXXX. VI. Idus Nouemb. ANNI CHRISTI.

Excellebat in arte pictoria QVINTVS LOVANIENSIS Antuerpiæ; vt cum Erasmum & Petrum Egidium ita eadem in tabula pinxisset, vt ille librum manu teneret, in quo titulus Paraphrasis in Epistolam ad Romanos cum eius nomine legeretur: & Petrus legeret literas Mori manu ad se scriptas: voluerat enim Morus, vt falsorum, ridendo accusare: affirmans se itidem easdem litteras tam exacte non posse imitari, quam eas Quintinus expresserat. Et quod mirum, hic relictis incude ac malleo (faber ferrarius enim fuerat) sine doctore penicillo magnum contulit decus.

Multum nunc adiumenti attulit etiam *Albertus Durerus* artificibus variis, edendo libros suos de Geometria ac Symmetria, hoc est, de proportione corporis humani, vrbibus, arcibusque condendis muniendisque. Cum vetustis pictoribus merito conferendus, vt qui pinxerit quæ pingi non possunt, lumina in vmbris, fulgura, tonitrua, ventos. Fuit certe decori Norimbergo, sicuti Leydæ *Lucas*, & Amstelredamo *Guilielmus Crocus* & *Iacobus Cornelius*, Harlemo *Theodoricus Dauentriensis*, & *Ioannes Sinapius*. Hannoniæ *Ioannes Mabusius*, inter lumina artis principem sortitus locum: cum nudos pingeret & floridis præ aliis vteretur coloribus. Pinxit tabulam Middelburgi in Præmonstratensium templo accersitus a Maximiliano Burgundo Abbate in qua & seipsum expressit quæ periit Iconoclastarum in Belgio tempore. eius est & illa tabula in D. Rumoldi Mechliniæ, quæ aram pictorum exornabat.

HIERONYMVS quoque BOSCHIVS Buscoducensis mirus nunc etiam artifex exstitit pingendis Gryllis. Vocant ridiculi habitus formæue figuras eo nomine iocoso, quod talem apud sæculum prius depinxerit Antiphilus

*Iodocus* denique *Cliuensis*, qui euocatus Antuerpia Parisios Franciscum Galliæ Regem cum Regina, maximaq; nobilitatis turba ad viuum penicillo expressit.

Porro quum pridem *Hermolaus Barbarus* in Vaticana Bibliotheca Linacrum attente Phædrum Platonis Græce legere conspexisset, diligenter accedens ad pluteum Hermolaus: *Non tu, inquit, Hercle hospes, vti ego sum plane, Barbarus esse potes, quod lectissimum Platonis librum tam diligenter euoluas.* Ad id Linacer subridens respondit: *Nec tu sacrate heros alius iam esse potes, quam ille fama notus Patriarcha Italorum Latinissimus.*

Ab hac amicitia casu feliciter cõflata in Britanniam Thomas rediit,

ANNI CHRISTI. rediit, datusque fuit præceptor Arturo Regis Henrici VII. filio, cui Procli sphæram dicauit.

Medicina vtraq; nunc illustrari maxime cœpta, cum Chirurgicam *Ioannes Vigius* Genuensis apud Iulium secundum Pontificem exerceret, & eandem exacte libris conscriptis doceret: atque Cliuicam profiteretur MARCVS MVSVRVS Cretensis Græcus. *Petrus* quoq; *Leonius* primus Galenum Græcum doceret. Quem *Thomas Linacer* Anglus Latio donabat, sanitati Henrici VIII. Anglorum Regis intentus: quando Rex interim suauiter philosopharetur. Itaq; profligatis è scholis Arabibus, & detersa barbarie pristini sæculi nitori ars Medica fuit restituta.

PETRVS POMPONATIVS Mantuanus enarrans emendata ac leui elocutione Aristotelem & Auerroem Bononiæ: animas post corporis mortem interitura ex sententia Aristotelis probare nixus: iuuentutem valde corruperat, & ad dissoluendam Christianæ vitæ disciplinam fæda fundamenta iecerat. Seque eo tuebatur, quod Philosophice loqueretur: sed aliter, cum Christianus esset, sentiret. Scripsit *de occulta incantationum potestate & Fato*: atq; stranguria sexagesimo tertio ætatis anno Bononiæ mortuus, Mantuæ sepultus est.

1512. Obiit ALEXANDER ACHILLINVS Bononiæ in patria; accuratus hic fuit Auerrois interpres: qui cum Patauii Philosophiam profiteretur solidæ constantisq; doctrinæ famam obtinuit, vel ipso Pomponatio acri æmulo insidiosa ambitione scholam eius depopulante. Edidit ex Peripatetico dogmate singulos libros de Elementis, de Intelligentiis, & de Orbibus, secutus opiniones Auerrois, quibus totius ingenii eius fama nitebatur.

Porro male etiam audiebant humanitatis studia atque bonæ litteræ ob peruersa aliquot ingenia, qui auditores *Pomponii Læti*, *Phædri*, *Angeli Politiani* atq; *Domitii Calderini* eiusq; farinæ hominum fuerant. Hi enim veterem Rempublicã Romanam somniantes Romulum colere, neglecta pietate, ac Numæ cærimonias sacrosque ritus antiquorum Romanorum crepare solitierant.

*Ludo. Viues de trad. disc.* Celebrabat POMPONIVS Natalem vrbis, & se Dictatorẽ, Phædrum autem Magistrum equitum nominabat.

*Politianus* totam sacram lectionem aspernabatur, dicens se non posse Barbarizare: inuehebaturque canino dente in eos, qui cultu simpliciore atque incessu pietatem ostentabant.

CALDERINVS etiam sacra Christiana aspernabatur occupatus Priapeis carminibus exponendis & Martiale. Nec reuerebantur homines impii Scripturæ verbis admodum antiquæ Satyræ abuti, vt mores hominum sub Pasquilli vmbra, etiam illustrium, carperent.

Tum

Tum (quod dolendum) laborabat *D. Erasmus* etiam vehementer: quem adeo lectione Luciani in eo adauctum esse conspicimus, vt nec hospiti suo, nec etiam fratri germano, licet sub alienis nominibus pepercerit. Cum enim Venetiis editurus Adagiorum opus ab Asulano Aldi Manutii socero esset exceptus hospitio, genus viuendi hospitis sui delusit conscripto Colloquio, quod sub titulo *Opulentiarum sordidarum* edidit. Cumque diploma pro deponendo habitu Canonicali sollicitaret sub nomine Florentii, non veritus est germanũ suum sub nomine Antonii ingenio tardum, strenuum compotorem, nec scortatorem ignauum vocare, scribens Lamberto Grunnio Scribæ Apostolico: cum tamen esset non malus Poeta ille & perhumanus, vt testantur Canonici Grauesandenses, apud quos honeste vixit, & sepultus est. Edebat tum quoque *Moriam* salsa aspergine, sed Theologo prorsus indecorum opus: quod, ne quid deesset, illustrauit commentariis sub nomine *Gerardi Listrii Rhenensis* in Batauis Grammatici: de quo male audiendo animum ad sacras literas appulit: vertitq; è Græco Latine nouum testamentum, quod Leoni decimo Pontifici Maximo dedicauit. AN. CHR.

Erat *Martinus* Wittenbergensis, monachus Augustinianus, qui contra indulgentias à Leone decimo concessas, quas Albertus Archiepiscopus Magdeburgensis per Tecelium & alios Prædicatores Monachos per Germaniam diuulgauerat, tum scribebat patronum habens Fredericum Saxoniæ Ducem. Mussitabant contra eum Theologi, quorum scripta ridiculi Latina lingua edita, suppresso nomine, satyrice deridebat *Ioannes Reuclinus Capnion*, confictis *Litteris obscurorum virorum*, in quibus stilum barbarum admirabili facetiarum lepore expresserat Hoc reportans præmii, quod cum librum *De verbo mirifico*, & *de Cabala scientia placitis* eloquentia illustri ad Leonem decimum cõscripsisset, Iudæorum impietati assentiri, atq; ex animo recutitus esse existimaretur. Ceterũ dum *Lutherus*, quæ contra indulgentias ediderat, videt placere populo, *de captiuitate Babylonica Christianaq; libertate* noua quoq; profert commentaria. Tum se opposuit *Ioannes Eccius* Sueuus, qui coram populo contentiose disputauit: missæq; sunt rationes vtriusq; Parisios, vt à Sarbonicis iudicarentur. Sed dum censura differtur in longum, Martinus assertiones suas mordicus defendit, Leo damnat eum hæreseos, & à cœtu fidelium proiicit. Ille à Pontifice minus edocto, ad eundem magis edocendum prouocat. Moxque inde appellat ad futurum Concilium. Et quia Pontifex per bullam tertio Nonas Ianuarii emissam iusserat libros eius tradi incendio, ille Decreta ac Decretales Epistolas Pontificum publice Wittembergæ exurens dicebat: *Sicut fecerunt mihi, sic facio illis.* Edebatque

nouа

ANNI CHRISTI.

*noua Paradoxa*, quæ à Coloniensibus, Louaniensibus ac Parisiensibus Theologis damnata fuerunt. Scripserat præter alios volumen plane eruditum aduersus eum Henricus Rex Angliæ, quod Londini impressum quinto Idus Octobris, ac Leoni Decimo dedicatum cum hac inscriptione. *Anglorum Rex Henricus Leoni X. mittit hoc opus, & fidei testem & amicitiæ.* Quod cum Pontifex inter Cardinales legendum exhibuisset; in tantum placuit, vt Regem ex senatusconsulto ornauerit titulo FIDEI DEFENSORIS.

Leo vero cum conspiceret ob turpem quæstum à Luthero primum damnari Indulgentias, concessit legentibus librum Henrici Angliæ Regis Fidei defensoris decem annorum & decem quadragenarum Indulgentias gratis. Fuitque Bulla per Ioannem Clercq reportata Londini, impressa in ædibus Pynsonianis vna cum epistola ad Saxoniæ Duces, in qua monet ne permittant eum Sacræ Scripturæ libros in Saxonicam transferre linguam: eum enim id non bona fide esse facturum. Quæ res adeo Martinum accendit ad iram, vt Regi pro sua dignitate non satis honeste responderit. Euulgauit cum Regis priuilegio tum quoque IOANNES FISCHERVS, Roffæ Episcopus, volumen aduersus Lutherum: cui numquã fuit à quoquam responsum. Admirabantur & Rex & Episcopus multũ libros *Thomæ Waldensis*, qui ante complures annos contra *Ioannem Wiclessium* in Anglia scripserat. Scribebat Coloniæ *Iacobus Hoochstratanus*, Louanii *Iacobus Latomus*, Romæ *Siluester de Prierio* Summista atque *Ambrosius Catharinus* Senẽsis. Pro Luthero certabant *Philippus Melancthon*, puritate Latini sermonis inter Septemtrionales populos primũ locum promeritus. In quo moderatiora ingenia improbant, quod sui φίλαυτ⊕ libro quinto Chronicorum agens de Ecclesia ambitiosius de seipso ita loquitur: *Deus Luthero adiunxit παραστάτην & σύνεργον ac laborum tantorum socium Philippum Melancthonem; qui controuersias omnes mira vi ingenii & dexteritate plane diuina ex intricatissimis Scholasticæ doctrinæ labyrinthis ad planissimam & explicatissimam methodum reuocatus disputationibus & scriptis illustrauit & defendit.* Hoc de seipso homo non satis constans in receptis semel opinionibus: cum eas sæpius mutasse comperiatur. Accesserunt ad illos duos *Andreas Carolostadius*, qui Sacerdotum primus vxorem duxit, *Andreas Osiander*, *Iustus Ionas*, *Iustus Mennius*, *Ioannes Æpinus*, *Caspar Cruciger*, *Ioannes Bugenhagius* Pomeranus, cui de factis in Anglia scribẽti insigni & erudita epistola respõdit *Thomas Morus*: *Nicolaus Ambsdorfius*, cõpluresq; alii exuẽtes varii coloris cucullos apostatæ.

In Heluetia apud Tigurinos *Vlricus Zuinglius* Indulgentiarum annuntiatorem quoque oppugnare aggressus est, atque se profi-

profiteri nouæ sectæ auctorem. Cui se oppugnandæ strenuum exhibebat Lutherus. ANNI CHRISTI.

Oppugnare Lutherum etiam aggrediebatur diserte ac Ciceroniana facundia CHRISTOPHORVS LONGOLIVS Schoonhouius sed opere imperfecto: qui Patauii apud Reginaldum Polum febre consumptus est tertio Idus Septembris, tumulumque eius hoc carmine Petrus Bembus S.R.E. Card. honestauit.

*Te iuuenem rapuere Deæ fatalia nentes*
*Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo*
LONGOLI, *tibi si canos seniumq; dedissent.*

POLYDORVS quoque VIRGILIVS Vrbinas illo quoque concesserat: Commeabat eo etiam frequenter *Desiderius Erasmus*: qui colloquium Alcumistæ ideo descripsit: vti *Cudebertum Tonstallum* eruditissimum Episcopum Londinensem à damnoso illo opere auerteret; cum is inde sibi aureos polliceretur montes.

Viuebat & ibidem *Bilibaldus Pierkheymerus* Norimbergensis, qui pridie Kalendas Maias Erasmum certiorem per litteras fecerat *Ioannem Oecolampadium* nono Kalendas monachum esse factum ordinis Sanctæ Brigittæ prope Augustam in monasterio Saluatoris.

*Richardus Paceus*, *Guilielmi Latonerus & Grocinus*, *Thomas Morus* atque *Linacer*. In Germania præter *Capnionem* linguam Hebræam tractabat SEBASTIANVS MVNSTERVS Minorita Ingelsheimensis ob Cosmographiam & Herolographiam tunc celebris, sed post Apostata.

Ceterum in Anglia tum magnopere florebant litteræ, cum *Henricus VIII* Rex, *Guilielmus Varanus* Episcop. *Guilielmus Montioius* doctos fouerent. Versabatur Oxonii IOANNES LVDOVICVS Viues Catharinæ Reginæ perquam charus.

Præterea VDALRICVS quoque ZASIVS & *Claudius Cantiuncula* insignes Iurisperiti ornamento erant Germaniæ, Sicuti Bataniæ NICOLAVS EVERARDI F. Mittelburgensis, rudis eloquio, sed scientia perquam peritus; qui præses octodecim annos erat Curiæ Hagiensis, & eruditam progeniem post se reliquit EVERARDVM NICOLAI præsidem Mechliniæ, *Hadrianum Marium Cancellarium Gelriæ*, NICOLAVM NICOLAI Grudium, *Petrum Monachum*, & IOANNEM SECVNDVM Poetam: in cuius natu minimum Ioannem hocce disticho lepide Cornelius Musius lusit.

*Non fecit merito nomen qui forte* SECVNDO
*Imposuit: primus iure vocandus eras.*

Numquam Curia Hagiensis pluribus lectissimis viris decorata fuit, ita vt Asylum Iuris, & legalis scientiæ apotheca merito haberetur.

Erat

ANNI CHRISTI. Erat & ibidem IODOCVS SASBOVT Delphus Iurisconsultus, & Poeta multum perceleris, qui pacatis Gelris Arnhemi à Carolo V. Cæsare Imperatore Augusto Cancellarius fuit constitutus, vt Ius diceret Sicambris, vbi & mortuus tum esset, *Adrianum Marium* Nicolai Euerardi filium in Cancellariatu successorem habuit.

Florebant tum & in Hollandia scholæ bonarum artium, præcipue Alcmariæ vbi *Ioannes Murmellius* Latinas docuerat litteras: & *Gerardus Bastius* Græcas primus ea in regione. Fauore prosequente eruditos egregie Meinardo Mannio Wormario Abbate Engmondensi summo patrono Martini Dorpii Naldiceni Curionis Ouderschiæ eruditi apud Louanium Theologi. Vbi exstructo ab Hieronymo Buslidio insigni collegio *Conrardus Goclenius* Latinas, *Rutgerus Rescius* Græcas, & *Ioannes Campensis* Hebræas profitebantur litteras: *Adrianus Barlandus* Rhetoricam: *Ioannes* vero *Driedon* Tournontius atque *Iacobus Latomus* & *Franciscus Titelmannus* Hasselanus purius sacras tractabant litteras. Sicuti *Iodocus Clichtoueus* Neoportuensis Parisiis: vbi Philosophiam nitori restituere sedulo nitebatur *Iacobus Faber* Stapulensis Qui summopere admirabatur eruditum ingenium *Corneliæ Adrichomiæ* monialis apud Beueruicum Caninefatum: cum Psalmos Dauidicos carmine redditos aliaq; pia eius poemata ipsi Parisiis ostendisset CORNELIVS SVSIVS Patricius Hagiensis, Corneliæ sanguine iunctus. Vertendo Chrysostomo erat intentus *Germanus Brixius*: Poesi oblectabat Regem *Faustus Andrelinus*. Paulus vero Æmilius Gallorum res gestas conscribebat eleganter.

GVILIELMVS quoque BVDÆVS edendo nunc sua commentaria Græcæ linguæ, peritiora aperiebat. Scribebatq; Commentaria in Pandectas Iuris. Sicque

*Hoc duce iam Latium, & Romana potentia discit*
*Inclyta Barbarico ponere iura foro.*

Præterea Italia iam præsertim scatebat eruditis ingeniis, cum *Hieronymum Fracastorium, Ioannem Cottam*, M. *Antonium Flaminium, Andream Nauagerium*, aliosq; ostentaret clarissimos Poetas: inter quos cum digna Marone caneret *Balthasar Castalio* effromator perfecti Aulici, digna etiam Maronis carmine faciebat, cum arma tractaret.

IACOBVS SANAZARIVS equestris ordinis, Neapolitanus, intactæ Virginis partum tanta grauitate decantabat, vt *Petrus Bembus* eius tumulo marmoreo iuxta villam Mergillinam prope Neapolim hocce distichon inscribi curauerit.

*Da sacro cineri flores: hic ille Maroni*
*Syncerus Musa proximus, vt tumulo.*

Calco-

Chalcographiæ ars floret per *Iohannem Frobenium* Basileæ: & præcipue Venetiis per ALDVM MANVTIVM, in quo industria simul cum doctrina certabat: quique Græca castigatissime primus ederet in lucem. Eius officinæ hæcce admonitio præfixa cernebatur. ANNI CHRISTI.

QVISQVIS ES, ROGAT TE
ALDVS ETIAM ATQVE ETIAM
VT SI QVID EST QVOD A SE VELIS,
PERPAVCIS AGAS,
DEINDE ACTVTVM ABEAS,
NISI TAMQVAM HERCVLES,
DEFESSO ATLANTE,
VENERIS SVPPOSITVRVS HVMEROS:
SEMPER ENIM ERIT,
QVOD ET TV AGAS,
ET QVOTQVOT HVC ATTVLERINT
PEDES.

IOANNES MARIVS CATANEVS, Nouariensis, Demetrij discipulus, eruditum in C. Plinij epistolas Cōmentarium scribebat, Genuā carmine, & Gotofredi Bullonij bellū sacrum celebrabat.

LVDOVICVS ARIOSTVS, nobili genere Ferrariæ ortus, in litterarum etiam castris militabat, inter primos Hetruscæ linguæ Poetas.

POMPONIVS quoque GAVRICVS præter Poemata de Physiognomia & Statuaria arte opuscula artificibus mire laudata edebat.

Musica summe fuit culta hac tempestate, cum *Ioannes Montonus* Francisci Regis Galliæ symphoneta à Leone Pontifice plurimum commendaretur, qui primus diminuere notas instituit, & *Adrianus VVillardus* in Hungaria apud Regem Ludouicum esset in honore, *Ioannes Vannius* Brisgoicus Friburgi, & *Michael Rubellus* Bernæ in Heluetiis excellerent. A quorum vltimo & à Ioanne Cochlæo Norico Theologo cum didicisset Musicam *Henricus Glareanus* Patricius Claronensis, atque Coloniæ Agrippinæ coram Maximiliano Cæsare Romano & Principibus Imperij Heroica sua carmina ad Dorium modum cantasset, promeruit lauro coronari Cæsareis manibus. Delectabatur enim cum historiis, tum & poesi Maximilianus atque etiam facetiis. Conscripsit librū Germanico sermone Rhithmice, quem inscripsit Tewerdanck.

Medicinam illustrabant IOANNES MAINARDVS Ferrariensis, & ciuis eius *Antonius Musa* Brasanolus. Ius ciuile *Iason Mainus*, & PHILIPPVS DECIVS Mediolanenses. Quorum cuius *Galeacius Capella* res in Italia gestas memoriæ mandabat. Et *Petrus Martyr*

ANNI CHRISTI. ab Anglaria ad Leonem decimum Pontificem epistolaribus libellis de rebus Oceanicis nouoque orbe, quæ euenerant, accurate perscribebat. Quos ANTONIVS NEBRISSENSIS collectos in ordinem redigebat, & per impressores in numerosos codices propagandos curabat. Certe *Martyri* non deerat materia cum singulis annis nouæ inuenirentur regiones ac insulæ. Nam *Ferdinandus Cortesius* Marchio de Valle regionem Mexicanam, & in ea ingentem ciuitatem Temystitan in lacus medio satam nō sine incredibili omnium admiratione auspiciis Caroli Cæsaris
1520. Quinti edomuit, vti per litteras ei significauit tertio Kalendas Nouembris è noua hacce Hispania missas, & alteras Cuioacæ
1522. Idibus Maij scriptas. Quæ postremæ cum deportatæ essent ad Cæsarem; appulit octauo Idus Septembris nauis VICTORIA Hispalim etiam cum reliquis octodecim viris; quæ triennio ante quarto Idus Augusti cum Ferdinando Magellano Portugallensi V.C. auspiciis Cæsaris nauigauerat Occidentem versus ad quærendas insulas Moluccas. In quo itinere amisso Magellano classis Præfecto multas adierunt insulas, in quibus pax, ociū, & aromata abunde erant. Solem Orientem carminibus salutabāt Caphræ Gentiles, & Lunam colebant per noctem: hosque ceterarū stellarum putabant parentes. Rex insulæ Theodori acceptis muneribus à Cæsare missis in cælum suspiciens: *Iam*, inquit, *biennium agitur, cū vos à maximo Rege Regum ad inquirēdas has terras demissos è siderum natione cognoui. Quare aduentus vester mihi tanto gratior iucundiorque est, quanto astrorum significatione diutius mihi præscius fuit. Cum ergo hoc sidera significare animaduerto, vt Regi vestro paream, volens libensq́ deposito Regio fastigio, eius nomine huius insulæ procurationem gerere me æstimabo.* Sicque amplexos regaliter excepit atque alimentis refecit. Hispani vero oneratis Gariophilo nauibus & acceptis muneribus pro Cæsare, Indicis ensibus, & quinque auiculis discessere læti. Et ex duabus, quas habebant, nauibus, circūnauigato orbe Hispalim hæc vna VICTORIA rediit, celebrior certe Argo. Illud videbatur mirū, quod cum secundum cursum solis semper Occidentem versus nauigauerint; vno die minus interuallum temporis numerauerint, quam ij, qui in Hispania tempus annotauerant. Ad id cognitum satis Astronomis, qui norunt facile, quod si Orientem versus circumnauigetur orbis eodem temporis spacio diem vnum redundare: sicque differentiam esse duorum dierum inter in diuersim nauigantes Orientem versus atque occidentem.

1528. *Hermannus Buschius* Pasiphilus coram vniuersitate Coloniensi Carmine *Flora* nominato laudes vrbis Coloniæ quoque decantauerat.

ALBERTVS DVRERVS Noricus inter pictores atque incisores facile

facile Princeps obiit Norimbergæ anno ætatis suæ quinquagesimo, sexto octauo Idus Aprilis. Tantus in arte incisoria artifex, vt Germania nondum habuerit parem: vt qui tantum superauerit Israelem magistrum suum; quanto ipso inferior, mansit HENRICVS ALDEGRAVIVS eius discipulus Suzatiensis pictor itidem & sculptor egregius cui in pingendo incidendoque comparo paucos, antepono neminem. Natus est in Westphalia; mortuus est Soestij, haud procul ab vrbe Nouasteriensi. ANNI CHRISTI.

Florebat hac tum tempestate Roterodami *Ioannes Einoutus*, insignis quoque pictor, qui exemplo Moriæ ciuis sui D. Erasmi prouocatus pinxit tabulam ex albo CHRISTI affigendi crucem in qua varii coloris atque diuersæ formæ deformium hominum figuræ conspiciebantur. Ita vt artifices in ea viderent errata omnium celebrium pictorum: videreturque ipse non modo artifici bus, sed etiam illusisse arti. Hanc tanti æstimabat *Petrus Longus* pictor, vt mihi diceret eam non posse æstimari auro, sed insigni aliqua prouincia.

## GOTHIA.

*Ioannes* Rex Daniæ ac Noruegiæ conducta manu magna gregariorum militum mouit in Suecos titulo, quod esset ab illis electus in Regem. Primum fuit ei tradita Gothlandia insula; deinde Gubernatorem Stenonem cõpluribus cæsis profligauit. Mox quoque rusticorum turba ex mineris metallorum producta, vulneribus confecta cadebat. sicque Ioannes ex animi sententia rerum potitus Sueciæ atque Gothorum Rex quoque factus fuit. Donec tumultuante populo Rex Suecia excedens, populo concedit vires recolligere vsque vt tandem Regina capta priuetur regno Sueciæ. Licet *Christiernus* filius quasdam arces à Suecis infessas expugnaret, æquaretq; solo: & Rex apud vrbes Germaniæ maritimas de iniuriis sibi factis à Sueciæ populo quereretur. 1500.

*Stenone* mortuo ad Nonas Decembris *Suanto* in locum eius fuit surrogatus opera Gaddi Liacopẽsis Episcopi. Hic in Danos mouens Hollandiam ac Schoningiam cæde flammisque vastauit. *Acho* Hanson eius Præfectus ad insidias pertractus cæsus occubuit. Itaque *Ioannes* Daniæ Rex Christiernum filium, in Westrogothos misit cum exercitu, qui insurgentibus Suecis, fuga sibi consuluit. Qua occasione Lubecenses, quibus cum Ioanne bellum erat, Suantonis confœderationem poscunt: sicque classibus iunctis in Danos profecti magnam regionis partem depopulantur, donec Suanto obiit.

*Sigismundus* Rex Poloniæ electus coronatur Kal. Ianuarij.

Fuit *Sigismundus VI.* Rex Poloniæ ex stirpe Iagiello electus,

ANNI CHRISTI. cuius auus erat Vladislaus Iagiello, cui filii fuere ex secundis nuptiis.

Vladislaus *secundus Poloniæ & Hungariæ Rex.* — Casimirus *Dux Lituaniæ deinde quoque Rex Poloniæ, cuius filii*

Ioannes *Albertus Rex Poloniæ.* — Alexander *Rex Poloniæ.* — Sigismundus *Magnus Rex Poloniæ.*

Sigismundus II. *obyt sine prole.* — Anyntas *nupta Ioanni Vainodæ* — *N. nupta Ioan. Sueciæ, Gothiæq; Regi.*

Stephanus *Rex Poloniæ* — Sigismundus III. *Rex Poloniæ.*

1512. Cum *Steno* Sture esset prælatus *Erico* Trolle competitori in Principatu Suecorum atque Gothorum; perniciosa discordia inter ipsum & Gostauum Erici filium Archiepiscopum Vpsaliensem exorta est. Quem in castro Almestrech obsessum deditione cepit Steno. Sed intercedente Legato Pontificis Romani Ioanne Arcimboldo mulctatum Archiepiscopatu, vti suis bonis
1513. frueretur permisit. Qua occasione Christiernus Daniæ Rex contractis maximis copiis in Stenonem mouit, atque Stocholmiam terrestribus maritimisque copiis obsedit: sed pressus commeatus inopia Hemingum, Gaddum, & Gostauum Erissonum legatos ad se pro pace induciisue missos, erectis velis in Daniam secum captiuos contra Ius Gentium auexit.

*Christiernus* reparatis copiis per aquas gelu constrictas in Gothiam regressus cum Stenone in Westrogothorum campis prœlium commisit: vbi is accepto ex bombardæ ictu vulnere in femore vectus pèr leuorem glaciei in lacu Melere expirauit. Quo mortuo exercitus eius omnis dissipatus est, frustraque Christina eius vidua auxilium Sigismundi Poloniæ Regis implorauit. Nam proceres ii, qui factionis erant Gostai Danisq; fauebant, Christiernum Stocholmiæ coronauerunt Kalend. Nouembris. Vbi post habitum cum Danis consilium vocatos ad epulum regni primates post triduum procurauit trucidari: nec Episc. Vincentio Scharensi, & Matthiæ Strengonensi, qui primi sunt cæsi, vt se exomologesi expiarent, concedendo. In familiam Rubingam vsque sæuiit, vt non pepercerit etiam teneræ ætati. Cadauer Stenonis erutum morsu etiam lacerabat, atque vna cum posthumo eius mortuo infante iussit cremari, atq; cineres dispergi. Dedit quoq; militi vrbem in prædam. Dum in Daniam

reuer-

reuertitur, obsessis præsidiis munitionibus regni, postridie Kalendas Februarias, cum esset exceptus honorifice in Noua valle monasterio, interfuissetque sacris, Abbatem cum omnibus Monachis iussit in profluentem amnem abiici. Interea Gostauus è vinculis elapsus Suecos ad defectionem sollicitabat à Tyranno, ignoto habitu circuiens regionem. Is ergo à Dalecarlis, qui montes inter Sueciam & Noruegiam habitant, electus in Vindicem libertatis, pręsidium Danorum deturbat oppido Aorosia, atque tandem auxilio Lubecensium potitus est regno; fugiente Gastauo Archiepiscopo in Daniam exsulatum.

## GERMANIA.

IOANNES primus Princeps Palatinus Rheni, Comes Sphanheimensis vita decedit. 1509.

Coloniæ Agrippinæ popularibus seditionem mouentibus duo Consules tertiò Idus Ianuarii gladio fuerunt percussi, & postridie tres Senatores. 1513.

Cum N. Comes Embdanus Georgio Saxoniæ Duci Clienti Caroli Quinti Groningam abstulisset, nec tueri posset, cessit eam Carolo Duci Gelriæ. Itaque Saxo vrbem & vniuersam Frisiam tamquam superiori Domino Carolo quinto Imperatori cessit Hinc bella oborta inter Gelros & Burgundos.

Cum Cardinalis Strigonensis Legatus Apostolicus crucem in Turcas denuntiasset per Hungariam, exorti sunt complures rustici se Cruciatos nominantes, qui Duce Georgio Ceruleo regno Hungariæ magnam intulerunt cladem crudelitate mira sęuientes. Hos auspiciis Vladislai Regis oppressit Ioannes Comes Zepusiensis Vaiuoda Transsiluaniæ. Ita vt per quatuor menses, quibus hic tumultus durauit, desiderata narrentur in Hungaria septuaginta millia hominum vtriusque sexus, & inter illos complures nobiles. Dux Georgius à suis laniari dentibus iussus est, antequam decollaretur, plurimi ex arboribus suspensi passim visi fuerunt.

MAXIMILIANVS Cæsar Viennæ Austriæ per quindecim dies excipiens Vladislaum Hungariæ, Sigismundum Poloniæ, & Ludouicum Bohemiæ Reges, eorumque comitatum præter munètum precium ducenta milia aurea Rhenensia in iis alendis magnifice impēdit: cum Mariam neptem Ludouico nuptui dare, & Ferdinandum eius sorori Annæ matrimonio iungere satageret. 1515.

Dum *Carolus* Archidux Austriæ exspectat ventum secundum Middelburgi vt inaugurandus in Hispaniam nauiget; aliquot prædones Gelri Medenblicium appulsi Alcmariam diripiunt, atque incendiis Caninefatum regionem vastant, indeque in

ANNI CHRISTI. Batauos progressi Asperum opidulum capiunt: in omnis sexus & ætis mortales fæde sæuientes: in quos postea laqueis gladioque vindicatum fuit.

1419. *Maximilianus* Cæsar annos natus sexaginta - tres Velsum veniens correptus morbo obiit secundo Idus Ianuarii. Cumque delatus fuisset Neostadium Austriæ apud matrem Eleonoram sepultus fuit, cum regnasset atque imperasset annos post patrem viginti quinque, menses quatuor, dies viginti quinque.

Electus Francofurti ad Mœnum in Cæsarem fuit CAROLVS quintus Maximiliani ex Philippo filio nepos 28. Iunii ætatis 20. cum esset in Hispania. Vnde reuersus coronatus fuit solenni more Aquisgrani quarto Idus Nouembris.

1521. *Carolus V.* Imperator nunc ad veterem normam Imperii Romani pecuniam cudi curauit, vt Realus aureus æquiualeret solido Romano, quem feriri fecerat Iustinianus Imperator: semi quoque Realus semi - solido, & Carolæus tremissi, qui valeret septem vlyesis, seu quadraginta duobus grossis Flandricis: Et sic deinceps. Recteque id inceptum fuit Antuerpiæ, quod ibi esset Marchionatus sacri Imperii à Iustiniano institutus.

Cum honos nunc aleret artes, quisque suam aliis præferebat: fuitque inter ingenia agitata quæstio: *Vtrane pictura an sculptura sit præstantior*: multis in vtramq; auditis sententiis, rogatus qui vtriusq; erat peritissimus *Michael Angelus Bonaretus*; rogabat ille meliorne superficies esset an corpus: præstare corpus respondentibus: *Tantumdem*, inquit *& sculptura picturà.*

Fuit etiam disceptatum inter Musicos, cantusne planus an Symphoniacus honoratior esset, illum laudabant ab antiquitate, quodque Psalmistam & Poetas veteres ad modum elegantem sua carmina adoptasse atque concinuisse soliti fuissent, asserebant: potuisse sic optime intelligi verba, quæ alioquin tot garritibus vestita male percipiebantur: conuenireque simplicem cantum præcipue sacrificio atque sacris.

1520. Epist. lib. 14 *Desiderius Erasmus Roterodamus* litteris Idibus Septembris Louanio ad Leonem decimum Pontificem missis se excusauit, quare non scripserit aduersus Martinum Lutherum.

Florent nunc duo rara canicie spectabiles viri Bataui ac ciues Leidenses *Petrus Blomeuenna* Theologus, & *Lucas* Pictor atque incisor eximius. *Blomeuenna* opera, dum Prior domus S. Barbaræ apud Agrippinam Coloniam Ruremondenses visitaret Carthusianos, libri Dionysii Richelii Doctoris, vt vocant, extatici a blattis tineisque vindicati, & in diuinæ Theologiæ candidatorum gratiam typis accurate excusi fuerunt.

Florebat & Goudæ *Reinerus Snoyus* Medicus, qui Batauiæ illustrandæ operam suam contulit: maiore sane laude dignus, quam

quam ii, qui eius scriptis à meipsis traditis profecerunt, illi detulere

*Iacobus* quoque *Ceratinus*, Horna Hollandiæ opido maritimo ortus, linguæ Græcæ doctissimus Tornaci & deinde Louanii floruit, vnde euocatus à Georgio Duce Saxoniæ Lipsiam migrauit idque hortante maxime Erasmo Roterodamo.

BAPTISTAM MANTVANVM ex gente Hispaniola ortum Sodalitatis Carmelitanorum Antistitē senem iam LXXX. annorum defunctum Dux Mātuæ Fredericus eo honore prosecutus est, vt eius effigiem Marmoream cum laurea posuerit, iuxta Virgilii Maronis simulacrum iniquiore sane comparatione.

*Virgilius metro Cicero Prosa*

Cum passim D. *Erasmus* Roterodamus diceretur oua, quæ Martinus Lutherus excluserat, ipsi supposuisse: multi erant, qui illum hortarentur ad capessendum imperterrito animo negotium Euangelicum. Quibus quid respondendum esset, per litteras significauit Iacobo Ceratino Hornensi, qui Petro Mosellano succedens Græcas litteras Lipsiæ profitebatur: scribens se dubitare de Lutheri spiritu, & admirari tantam variorum dogmatum diuersitatem, cum quisque quod sibi visum fuerit, nominet Euangelium. Quin ne in tanta perturbatione rerum quiesceret. *Diatribam* conscripsit. Quare ira excandescens Lutherus conscripto *Seruo arbitrio* illum acerbe perstrinxit. Vt se ergo excusaret Erasmus *Hiperaspiste* edidit, atque inimicitias magis accendit. Quum vero Ioannes Oecolampadius Basileæ rebus inciperet studere nouis, quo eum dicteriis notaret; iussit Nicolaum Cannium Amanuensem suum per aliquot menses gestare in capite pileum ex pelliculis pedum ouium consarcinatum, quali tum vtebatur Oecolampadius, qui vultu coloreque sufflans Cannium apte referebat. Sub Cannii igitur eiusque contubernalis Polyphemi Borussi nominibus conscripto *Euangeliophoro* colloquio astutiam Ioannis & Cyclopicos mores eius sectatorum delineabat. Quare euntem ad hortos Frobenianos, ni fuisset prohibitus, Oecolampadius ferro cōfodisset. Fuit certe coactus discedere Basilea Erasmus cum sarcinis, quod ab Oecolampadio dissideret, atque res nouæ ipsi displicerent. Soluens itaq; a porte, atque populo ad spectandum expositus hoc tetrastichon lusit:

*Petrus Canisius in præfat. in Selectas Hieronym. Epistolas*

*Iam Basilea vale, qua non vrbs altera multis*
*Annis exhibuit gratius hospitium.*
*Huic precor omnia læta tibi, simul illud Erasmo*
*Hospes vti ne vmquam tristior aduentat.*

Scripsit & aduersus *Gerardum Nouomagum*, sub nomine *Vulturij*: quod nomen eius Germanicum fortitudinem vulturis sonaret.

ANNI CHRISTI.

*Thomas Muntzerus* Anabaptiſmi Auctor, presbyter Saxo occaſione libri Lutheri de libertate Chriſtiana, quem legerat, plebem incitat in Clerum ac Principes, vt ſe vendicent in libertatem. Complura ergo ruſticorum millia per Franconiam circiter ducentas arces & monaſteria vaſtarunt: occiſo Ludouico Comite Heuelſteno, cui iuncta matrimonio fuerat Maximiliani Cæſaris filia notha. Thomas ab Erneſto Comite à Mansfelt gladio percuſſus fuit. Melchior quoq; Heptmannus ab Argentoracenſibus in vincula eſt coniectus: fuereque diuerſis prœliis ad quinquaginta millia ruſticorum cæſa. Sic vt reliquiæ ſeſparſerint variis locis Baptiſmum iterantes.

Moritur hoc anno Mediolani FERDINANDVS DAVALVS, Marchio Guaſtius bellator virtutis & fortunæ admirandæ, & poſt Deum auctor præcipuus victoriæ de Gallis ad Papiam partæ.

Circa hæc tempora vas illud vinarium longum viginti octo pedes, altum nouem, circulis quatuordecim ligatum octoginta duo plauſtra, hoc eſt, octingentas & viginti amas Dordracenſes vini continens, in cœnobio Erpachio ordinis S. Bernardi in Rhingauia celebrauit hoc carmine Vincentius Opſopæus:

*Plurima cernuntur paſſim miracula rerum,*
*Cernimus humana condita multa manu:*
*Sic Rhodus aereos quondam eſt mirata Coloſſos,*
*Memphis Pyramidas, Caria buſta Ducis.*
*Suſpexere diu Babylonia mœnia Perſæ*
*Quæ Regis coniunx ſtruxerat alta Nini.*
*Quid vetat Erpachium vas annumerare vetuſtis*
*Miraclis? quo non vaſtius orbis habet.*
*Dixeris hoc rectè pelagus viciniq; paludem,*
*Nectare quæ Bacchi nocte dieq; fluit.*
*Fac Bernarde voces quot habet Ciſtercia fratres*
*Hiſque tui omnigenos Ordinis adde viros.*
*Annua præbebit tunctis hæc pocula trulla*
*Nondum dimidio deficiente mero.*
*Securo Erpachij fratres ſorbete, lagena*
*Hac ſalua eſt, vobis nulla timenda ſitis.*

1525. *Carolus V.* Cæſar cū *Franciſco* Rege tractauit Toleti de ineunda pace Idibus Ianuarii, & poſtea pax confirmata fuit Madriti his conditionibus: vt Franciſcus cederet quicquid Iuris haberet in Dominiis Apuliæ, Siciliæ, Lombardiæ, Burgundiæ, Flandriæ, Artheſiæ & Tornaci: vt Ludouico Borbonio ſua reſtitueret, ei pro illato & damno perſolueret ducenta millia aureorum, atque po Cæſare perſolueret Henrico octauo Anglorum Regi ducenta

ducenta millia Angelotorum. Sicq; datis obsidibus Francisco Delphino & Henrico filiis permitteretur redire in Galliã. Quo cum peruenisset; persuaserunt ei Proceres regni non standum esse pacto coacto: offerendum honestũ lytrum pro redemptione filiorum: placari enim Principes oportere muneribus. Dumque magno molimine diu multumque frustra laboratum esset; tandem post querelas varias apud Europæ Principes factas: vndecimo Kalendas Februarii venerunt duo fæciales à Francisco Gallorum & Henrico Octauo Anglorum Regibus fœdere iunctis Burgos coram Imperatore sedente in solio Maiestatis suæ. Quorum prior sic orsus est: *Dominus meus Rex Christianissimus plurimum dolet non esse pacem, durare bellum, tot strages, tot prædas, tot mala fieri, vt tota Christianitas exagitetur. Quæ omnia (timendum est) in caput tuum redundare, qui horum caussa es omnium. Per te enim stat, quo minus habeant, quod appetant omnes quietem & pacem. Exigis à Domino meo iniquissimas condiciones: quas cum honore non posset implere. Obtulit tibi pecuniæ plus satis ad filiorum redemptionem, & noluisti suscipere, malens fundi sanguinem tot Christianorum, quam pacem Christi admittere. Exercitus tui Romam misere deprædati sunt, Templa Dei violarunt, Sanctorũ reliquias indigne tractarunt, Vicarium Christi captiuum detinent omnibus bonis spoliatum, Totam Italiam bello fatigant. Vt interim taceam Turcicas nationes dissensionum istarum occasione oblata non dormitaturas. Etenim hæc omnia facile quiescerent, si tu iustis pactionibus acquiesceres. Protestatur itaq; Dominus meus coram omnipotẽte Deo, cunctisq; Principibus Christianis, ad quos etiam litteras super hac re misit, se omnino cupere pacẽ: tædere belli: neque ex parte sua peccatum esse. Vnde & multæ nationes, vt Angli, Veneti, Florentini, Dux Barrensis, & alij Principes (te contempto) cohærent illi videntes iustitiam tanti Regis. Tibi vero cũ indignatione magna Dominus meus bellũ indicit, & ex nunc omnem amicitiam & pacta tecum prius inita irrita pronuntiat: facturus, quicquid tibi mali potuerit. Contenti sunt autẽ Dominus meus & frater eius Rex Anglorum dare inducias quadraginta dierum mercatoribus tuis vt asportent bona sua, si tu idem feceris erga nostros. Dixi.* Ad quæ Imperator placida voce respondit:

*Miror Dominum tuum, captiuum meum sic facere voluisse. Rem nouam nuncias, nunc primum bellum indici ab eo, qui iam sex aut septẽ annis absque tali indictione contra me bellat. Quantum ad Pontificem, quod passus sit, absque meo iussu factum est. Nemo magis eius vices, quam ego, indoluit. Quem restitutum esse noueris, vt heri certis accepimus nuntijs. Quod ad filios attinet, sciunt legati eius nuper missi quid responderim, Non sum in caussa illius discordiæ. Quod ad auum meum Regem Angliæ attinet, si ita est, vt dicis, male inductus est. Credo eum altera audita parte mihi non restiturũ. Itaq; trade*

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI.

*nobis chartam, cui inscripsere quæ libuit: scriptoque vera respondebimus.* Post hæc citra scriptum ita Anglus infit: *Sire, Dominus meus præcepit, vt dicerem quomodo Turca occasione tui in Christianos prævalet. Non vsque diu est quod Belgradum in Hungaria ceperit, & paullo post Rhodum. Sed & heresis noua sæuit. Serui tui sancta Roma tot abominabilia nuper commiserunt, vt aerem inficere recitata possent. Tu ipse Pontificem abduci & abscondi fecisti captiuum, quem vt Imperator protegere tenebaris. Rogauit te Dominus meus & frater eius Christianissimus vt ipsum restitueres sedi suæ, vtque filios Christianissimi Regis sub honesta redemptione redderes, vt sibi redderes pecuniam debitã, vt pacem denique admitteres. Sed quia nihil horũ facere pergis, debellabit te terra marique, & coget facere vel inuitum, quod spõte noluisti. Mercatorib. autem indulget quadraginta dies, vt saluis rebus abscedere possint, si tu identidem feceris.* Tum Carolus respondens: *Non credo Dominum tuum satis nosse ea, quæ gesta sunt: certe prius nosse debuerat, antequam talia mandaret. Idcirco eum breui admonebo, quæ acta fuerint. Pontifex vero, quem nec capi, nec abduci curaueram, restitutus est libertati suæ. De pueris aũt proposuerat mihi Franciscus ipse media quadã, quibus completis, facile ei restituentur. Quod minaris Dominum tuum compulsurum me reddere vel inuitum, cõfido in Domino quod ita custodietur, vt eos inuito mihi nemo abripiat. Porro debitum soluere negaui nunquam. Magis autem dixi Legatis eius, scripsique ipsi me paratum esse, quandocumque voluerit. At si contra me bellum mouerit, reperiet resistentem: committe litteris quæ locutus es, scriptoque latius respondebo.* Fecit Anglus vt postulatus erat, atque recessit. Francus autem solus reuocatus est, cui Carolus: *Post fœdus initum Madriti multi meorum capti triremibus impositi fuerũt. Sunt & quidam de eius subditis apud nos. Reddat nostros atque accipiat suos. Non loquor de mercatoribus. Quærat ex Legatis suis, quid responderim Granatæ: comperietque me melius fecisse quam Madriti promiseram.*

Sexto Kalendas Februarii rescripta, quæ referret, ipsis fuere tradita: quibus lectis Franciscus ira percitus hostilia ostendere cœpit. Mox Induciæ octo mensium proclamatæ fuerunt duodecimo Kalendas Augusti per Belgium. Processerant Galli cum Venetis in Campaniam, atque captis Capua, Anuersis, Puteolis, Nola, Neapolim obsidione cingebant: vbi partim peste, partim gladio consũpti sunt, amissoque Odeto Lotrechio cuncta à Cæsarianis sunt recuperata. Interea Ludouica Sabauda Frãcisci mater & Margareta Austriaca Cæsaris amita per internuntios de pace componenda tractare cœperunt. Locus designatus fuit Cameracum, quo tertio Nonas Iulii conuenerunt intercedenteque Legato Clementis Põtificis Cardinale Bernardo Saluiato cautũ fuit, vt pro redẽptione filiorum suorum Gallus persolueret

bis cen-

bis centies centum mille coronatos solatos: cederetque iuri, ANNI
quod in Belgas ac Sequanos habebat, & in æternæ pacis pignus CHRISTI.
duceret in vxorem Leonoram, maximam natu Cæsaris sororem,
viduam Emanuelis Regis Portugalliæ. Itaque Nonis Augusti
post sacra à Roberto Croio Episcopo celebrata Philippus Marius Decanus conditiones pacis publicæ legit magno Principum populiq; plausu exceptus. Arrisereque etiam vero Gallo, vt illuc quinto Idus Augusti veniens biduum lætus hæserit. Fuit hac pace Europa plane exhilarata, quæ si vmquam alias, nunc certissime abundauit ingeniis atque pie eruditis viris.

## ITALIA.

HERCVLES XIV. *Principum Ferrariensium Ducum vero II. domi & foris multa vi atque prudentia militari praclare gessit. Incumbentium enim Venetorum grauissima arma egregie sustinuit, Gallicoque bello, quo Italia in summum amittendæ libertatis discrimen adducta est. Ludouicum Sfortiam generum suum procurata pace cum Rege Galliæ Carolo liberauit fato concedens quinque liberos ex Helionora Ferdinandi regis Aragonum filia reliquit.* 1500.

CÆSAR BORGIA. *Valentinus Dux, Alexandri Pontificis filius à Consaluo Ferdinando Magno duce in vincula conijcitur, postquam varijs artibus ad Imperium Italiæ sibi viam parasset, Ducem Vrbinatem prœlio fregisset, & variis cædibus ac rapinis emergere studuisset. Eius hoc elogium fuit,* Aut Cæsar aut nihil; *qui tandem etiam nihil factus est, cum propter nefarias artes trucidatus fuit.* 1504.

Genuenses *pulsa nobilitate statum popularem instituerunt, populari viro Paulo Nouio ad summum honorem euecto. Sed capite plexus est, cum Ludouicus* XII *Gallorum rex ciuitatem armis subegisset.* 1507.

IOANNES FRANCISCVS PICVS *eiectus à Ludouico fratre Mirandula, ope Iulii secundi Pontificis Maximi, eam recepit: reiecta Ludouici vidua Francisca Ioãnis Iacobi Triuultij notha & Galeotho filiolo. Cumque eam post Rauennatem pugnam Triuultius reduxisset; mox Gallis Italia pulsis Maximilianus Cæsar per legatum suum Cardinalem Gurcensem Ioannem Franciscum Picum restituit.*

Forma Reipub. Genuensis instituta anno Domini M. D. XXVIII. quam Carolus V. Imperator multis additis priuilegiis ratam firmam in perpetuum voluit anno insequenti. 1528.

*Ex viginti octo gentib. Patriciis (Albergos vocant) Senatus CCCC. Dux vnus, octouiri dicti Gubernatores Octouiri Procuratores, Quinque Syndici leguntur.*

*Ducis potestas biennium durat, tum sorte succedit alius. Quique dux fuerat superior omni vita inter Procuratores est. Omni quoque semestri spatio duo ex Gubernatoribus ad Procuratores mittuntur,* paribus-

ANNI CHRISTI. *paribusque temporibus totidem Procuratores varij, & vacant à cura, sicq; contingit Gubernatores annis quatuor publicam habere potestatem, qua rem publicam administrent. Fuit vero Dux primus creatus* Albertus Acianus V. C. *& moribus antiquis: quem secutus est* Baptista Spinola; *eum* Baptista Lamuellinus; *hunc* Christophorus Rubrius *insignis Medicus, & sic alij alios deinceps.*

## HISPANIA.

*Emanuel* Rex Portugallæ missa classe ducentarum nauium Azaamurum Ducale opidum ad Oceani litus ab Afris conditum cepit quarto Nonas Septembris.

1516. *Ioannes* Rex Nauarræ decessit, & mox quoque eius vxor Catharina, relinquens filium Henricum *Albretum.*

Quarto Idus Martii TRISTANVS CVGNA Legatus Emanuelis Portugalliæ Regis Flumentana porta præeunte Elephante & Panthera mansuefacta & feras venari perita equo Persico inequitante, cum tribus filiis magnaque cognatorum amicorumq; caterua vrbem inuectus magnifica dona Leoni decimo Pontifici Maximo obtulit sacras acu pictas planetas, pluuiales Dalmaticasque vestes: atque à Leone obtinuit, vt tertiæ & decimæ partes prouentuum sacerdotum in commodum Regis cederent ad bellum prosequendum, quod Emanuel cum Mauris gerebat: vtque iis, qui vellent pecunia hoc bellum Africanum iuuare, cælestia beneficia è CHRISTI thesauris deprompta large tribuerentur. Quæ quidem largitas hominum reprehensione carere non potuit. Misit Rex etiam postmodum Pontifici Rhinocerotem: sed naue Liguriæ scopulis allisa, bellua mersa periit. In vtraque animalia ad viuum depicta hoc lusum fuit disticho:

*Humanos Elephas retinet sub pectore sensus;*
*Rhinoceros numquam victus ab hoste redit.*

1515. GONSALVVS FERDINANDVS, post summam gloriam bello partam, post Nauarræ regnum Hispanorum imperio adiectum, post Gallos Neapoli exactos, post ducentas vrbes, & septingenta opida regi suo acquisita, Magni Ducis cognomentum adeptus, & Maximi promeritus, moritur Granatæ anno ætatis climacterico, Anno Christi M. D. XV.

1516. Decimo Kalendas Februarii obiit *Ferdinandus* Aragonius Hispaniarum Rex Catholicus. Cui in regno successit *Ioanna* eius filia Philippi Austriaci vidua; & Carolus ob alienationem mentis matris.

*Carolus* Rex Hispaniarum mouens contra Marrahanos insigni victoria fuit potitus, occisis vltra viginti millibus. Misit in signum victoriæ auo suo Maximiliano Cæsari duo signa militaria hostibus ablata.

Aduersus

Aduersus Belgas Præsides in vlteriore Hispania à popularibus valde fuit tumultuatum, quod eos auare imperitare caussarentur. ANNI CHRISTI.

Idibus Decembris Emanuel Rex Portugalliæ elocata Beatrice filia Carolo Duci Sabaudiæ in morbũ incidens nono die obiit Vlyssipone Idibus Decẽbris, postquam vixisset annos quinquaginta duos, menses sex, & regnasset annis viginti sex. mense vno diebus quindecim. Fuitque in templo Bethlehemitico quod exstruxerat, sepultus. Vir laudatus & optimis Principibus annumerandus. Regni patrimonium miris accessionibus auxit. Armuzium, Arabiæ partem, Indiam Indo & Gangæ definitam, 1520.
eamq; quę vltra Gangem est, extremaq; Orientis loca imperio adiecit, & terras incognitas perlustrauit per Duces præstantissimos inter quos FERDINANDVS MAGELLANVS & FERDINANDVS CORTESIVS: hic Mexico noui orbis vrbem, capto potentissimo Rege MOTECZVMA occupauit: atque ita *Nouæ Hispaniæ* imperium constituit. Ille fretum Magellanicum, ita ab ipso vocatum, aperuit, Moluccas insulas adiit, Bonæ spei promontorium superat, totumque terrarum orbem circum nauigauit: postmodum tandem ab Hispano Regno exutus.

## ANGLIA.

*Henricus* VIII. Rex Angliæ vendidit Tornacum à se captum Francisco Valesio Gallorum Regi, atque præsidio liberatam vrbem ei tradidit.

Ædificauit & *Henricus* domum insignem Guynæ apud Caletum, ad quam ornandam ex Belgio euocati fuerunt sculptores, pictores, atq; vitri pictores exquisitissimi quique. Venit illuc ad colloquium Franciscus Rex Galliæ. Quo discedente venit & Carolus V. Cæsar Romanus.

## ÆTHIOPIA.

Cum missis hinc inde variis litteris ab Helena matre Nauaiaque Dauidis Imperatoris Æthiopiæ ipsoque Dauide Abyssinorum Rege & Emanuele Rege Portugallię amicitia fœderaq; inter ipsos fuissent contracta: præter ceteros *Franciscus Aluaresius* Sacerdos moribus inculpatis interiora regni Abyssini, omnisq; Æthiopiæ peragrauit, historiolamque de eadem conscripsit elegantem, cum eius socius in Camara insula maris Erythræi vita esset defunctus anno 1520. mense Maio.

## TVRCIA.

SOLYMANNVS vnicus Selymi Imperator filius patri in Imperio suffectus est, qui variis rebus gestis patris gloriam longe supera- 1521.

ANNI CHRISTI. perauit; Syriam rebellantem composuit, Hungariam inuasit Rhodum insulam expugnauit, Ludouicum Regem Hungarorum prœlio deuicit, & variis Persam expeditionibus profligauit, decessit anno ætatis 76. cum imperasset annos 46. anno Christi M D.LXVI.

## HISPANIA.

1526. Hoc anno FRANCISCVS PIZARRO & *Iacobus Almegrius* oram Orientalem continentis terræ Americæ Lustrantes regionem Peruuiam primum inuenerunt. Quam postmodum auspiciis Caroli V. Imperatoris bello capto Rege ATABALIBA subiugarũt. Est vero Peruuia auri ferax si qua alia mundi pars. Ita vt ex præda solius Regis collegerint auri facti sexaginta mille Peses: quorum singuli valent quatuordecim denarios, quos Hispani Realos vocant; cæteraq; prędа auri vltra tricies centũ mille Carolæos superauerit, & argenti centũ & quinquaginta mille marcas argenti puri. De qua victoria misso fratre Ferdinando in Hispaniam, Pizarro Carolum V. Imperatorem certiorem fecit.

Cum *Nonius Cugna* Dux Indiæ designatus solueret Vlyssibona cum classe, tantam apud Indos obtinuit victoriam, vt prælætitia terrifico & insolito strepitu campanæ Antuerpiæ etiam sonarent. Quin & litteras quarto Idus Octobris ad Regem Ioannem tertium remisit: quomodo missis ad varia Indiæ loca Antonio, Diodoro, atque Hectore Silueriis Indos Rhomæosque (hi sunt Veneti aliique ciuitati Christiani) deuicerint: coegerintque Regem Adenæ obsidione iterum liberatum tributum Portugalis soluere quotannis centum milium Seraphinorum aureorum, quæ summa Latina supputatione quinquaginta facit sestercia. Hique ex prædis contulerunt in ærarium Regis Portugalliæ trecentos mille Pardaos aureos, hoc est duodecies H-S. ad rationem Romanorum.

## ROM. PONTIFICES.

1522. CCXXI. ADRIANVS VI. *Vltraiectinus, Batauus, Florentii Naupegi ex Gertrude filius, ex Episcopo Derthusensi in Hispania, & Cardinale SS: Ioannis & Pauli absens Pontifex creatus fuit. Sunt tamen qui arbitrantur eum Amstelredamo oriundum, & genus ducere paternum à Guilielmo Eggerdo primario ciue, cuius progenies, Ioan. Bauaro infestante Hollandos, migrauit ex ea vrbe in alias ditiones. Argumento esse aiunt gentilicium Eggerdicæ gentis insigne quo semper vsus fuerit Pontifex etiam Adrianus. Haud quisquam ex humiliori sorte ad maiorem vnquam peruenit dignitatem. Nam cum Svvollis didicisset Grammaticam, Louanii ob paupertatem gratis vitilitans* Philoso-

*Philosophiam apud Porcenses edoctus fuit. Euexit eum post lauream in Philosophia adeptam ad Sacræ Theologiæ Doctoratum Euerardi quarti Angelorum Regis filia Margaretha, vidua Caroli Burgundi; quæ etiam pastorali sacerdotio Goreæ eum donari procurauit. Est vero Gorea à fida statione dicta opidulum exiguæ insulæ ditionis Vurnensis ad ostium mosæ. Quo sæpius solebat ventitare, cũ Louanij Theologiam profiteretur. Vbi etiam Decanus sancti Petri Cancellariusq; creatus, quod nemo eo maior Theologus, maiorve Philosophus haberetur. Eoq; nomine iuuenili ætate commentatus erat* Hermolao Barbaro, *cum is legatione fungeretur apud Maximilianum. Atq; cũ eum Barbarus Louanij conuenisset, petiuit sibi dari eius Genesim, iam tum aliquid magni de eo præsagiens Hadriano illam non mittente præ pudore; misit Venetus Legatus hocce epistolium sua manu exaratum:* Natiuitatem tuam, quã pollicitus es, præstolatur Hermolaus. *Porro Maximilianus Cæsar eum Caroli nepotis Philippo patre orbasi præceptorem esse voluit, cum id muneris antea obijsset Ludouicus Vacca Hispanus. Hac occasione Episcopatu fuit ornatus Derthusensi, atq; etiam Caroli nomine gubernauit Hispaniam, cum ille apud Belgas hæreret: habens collegam, Franciscum Ximenium Archiepiscopũ Toletanum, qui Academiam Complutensem instituit, atq; Biblia Complutensia Hebraice, Chaldaice, Græce & Latine edi procurauit. Opes illas, quæ annuæ plus minus erant centum & quinquaginta millium ducatorũ, ad ædificationem Ecclesiæ atq; in vsus pauperum consumens. Galerum Cardinalitium misit Leo Pontifex Adriano in Hispaniã, cum eũ multis laudib⁹ extulisset* ALBERTVS PIVS *Carpensis Comes, Maximiliani Cæsaris in Vrbe legatus; post lectas eius* Quæstiones Quodlibeticas & Commentaria in quatuor libros Sententiarum, *mire ad illum amandum incensus: Caroli quoque in vrbe Procurator, scriptor Apostolicus Guilielmus Enchauordius Buscoducensis. Mortuo Leone cum Cardinales suffragijs dissiderent, præter omniũ exspectationem triginta octo votis in Pontificẽ absens fuit electus: missusq; est Alexander Cæsarinus Cardinalis, qui eum ex Hispania, vt oppressa dissidijs Italiæ adesset, adduceret Romam. Quo cum venisset magno plausu exceptus, secundo Kalendas Septembris ex more fuit coronatus. Atque secretioris Consilij* Enchauordium, Ioannem Rufum *Episcopum Consentinum in Senatum, simul* Theodoricum Hesium *Secretarium,* Petrum Maleum *Cubicularium Belgas sibi adsciuit. Obsessa à Solymanno tum erat Rhodus, ad quam obsidione liberandam cum animum intenderet, eodem quo dedita fuit, labẽte saxo ingenti è superiore limine sacelli Pontificij prodigiose fere fuisset oppressus sacris operaturus, quo Ludouico Hungariæ Regi subueniret, quinquaginta millia ducatorum per Thomam Caietanum Cardinalem misit ei ad resistendum Turcæ. Simul ad conuentum Germanorum Principũ Norimbergæ, missus est* Franciscus Cheregatus

*Episcopus*

ANNI CHRISTI.

*Episcopus à se creatus Fabrianensis: quo is suaderet, ne Germania oblicem Hungariæ nobilissimum regnum paterentur fieri rapinam Solymanni, simulque exploderent dogma Lutheri vomicam Germaniæ futuram. Ea quoque de re scripsit litteras ad omnes Principes, & præcipue Fredericum Ducem Saxoniæ, qui Martinum VVittenbergæ fouebat. Iudicans indignum esse familiæ Saxonicæ facem orbis ac fidei Orthodoxæ oppressorem intra suam ditionem sustentare. Spondebatque, sedatis bellorum tumultibus se generale Concilium indicturum, vt Ecclesiæ status in integrum posset restitui. Solitusque fuerat dicere querentibus Sacerdotibus de hæresibus tum exsurgentibus:* Obseruentur Canones, & cessabunt hæreses.

*Damnabant in eo parsimoniam ac frugalitatem Batauicam, cum merlucio pisciculo, is similis Blyco nostrati est, vesceretur libenter: preciumque ac honos illi generi accresceret, ridente toto foro piscario insulsum Pontificis palatum. At ille exhorrebat, cum fortuito rationes sumptuarias Leonis inspexisset. Tarditatem quoque incusabant: vnde libera illa vox* Hieronymi Balbi *Hungari Ferdinandi fratris Cæsaris Legati, cum Patribus ad consulendum de subueniendo Hungariæ cõgregatis cunctantius in re petita ageret, dicentis:* Sanctiss. Pater, Fabius Maximus cunctando restituit rem Romanam, tu cunctando rem Rom. atque adeo vniuersam Europam perditurus videris: Anto Florent. *Archiepiscopum, &* Bennonem *Misnensem Episcopum albo Sanctorum inscripsit. Grauissimo pestis tempore ex Vrbe non secessit. Poetis erat ob lasciuiam atque gentilitatis memoram iniquior: decreuerat que tollere Pasquilli statuam, ni monitus fuisset, maiori studio ingenia Romanorum eius manibus quotannis solenniter suis carminibus esse parentatura. Habebat Vaticana Bibliotheca* Hieronymum Aleandrum *custodem, qui vasta memoria varias linguas complexus, Latinam, Græcam ac Hebraicam pro vernaculis habebat: & ei litteras Theophili Alexandrini Patriarchæ ad ipsum scriptas interpretatus est. Laude quoque prosequebatur Pontifex* Paulum Iouium *(qui etiam eius vitam post descripsit,) quod Historiæ conscribendæ potius, quam Poesi incumberet. Ceterum cum sedisset annum vnum, menses octo, dies sex, annos natus sexagintaquatuor, menses sex, dies tredecim, obiit Romæ decimo octauo Kalendas Octobris, conditusque fuit inter Pium secundum & Pium tertium temporario monumento ad S. Petrum cum hoc elogio:*

HADRIANVS VI. HIC SITVS EST:
QVI NIHIL SIBI INFELICIVS
IN VITA,
QVAM QVOD IMPERARET,
DVXIT.

*Donec Guilielmus Enchauordius, quem Cardinalem creauerat, gratitudinis ergo ei suo patrono magnifici operis sepulcrum pararet*

ad Gir-

ad Circum Flaminium in templo S. Mariæ Germanorum cum hacce inscriptione: ANNI CHRISTI.

HADRIANVS VI. PONT. MAX.
EX TRAIECTO INSIGNI
INFERIORIS GERMANIÆ VRBE.
QVI DVM RERVM HVMANARVM
MAXIME AVERSATVR SPLENDOREM,
VLTRO A PROCERIBVS
OB INCOMPARABILEM
SACRARVM DISCIPLINARVM
SCIENTIAM
AC PROPE DIVINAM CASTISSIMI ANIMI
MODERATIONEM
CAROLI V. CÆSARIS AVGVSTI
PRÆCEPTOR,
ECCLESIÆ DERTHVSENSIS ANTISTES,
SACRI SENATVS PATRIB. COLLEGA,
HISPANIARVM REGNI PRÆSES,
REIPVBLICÆ DENIQVE CHRISTIANÆ
DIVINITVS PONTIFEX ABSENS
ADSCITVS.
Vixit Annis LXIV. mens. VI. dies XIII.
Decessit XVIII. Kal. Octobris,
Anno à partu Virginis M. D. XXIII.
Pontificatus sui anno secundo.
WILHELMVS ENCKENFOORT
ILLIVS BENIGNITATE ET AVSPICIIS
TT. SS. IOANNIS ET PAVLI
PRESBYTER CARD. DERTHVSENSIS
FAC. CVR.
Quo Romanorum Sextus Pater atq; Sacerdos,
Hoc etiam pietas conditur in tumulo.

*Depinxit Roma Adrianum* Ioannes Schorelius, *exemplumque vnum reliquit Louanii in domo eius, quæ relicta fuit studiosis Theologiæ in collegium Pontificiu titulo ornatum. Alterum donauit ædi S. Mariæ Vltraiecti, vbi Canonicatu ipse erat donatus.*

*Vacauit sedes menses duos, dies quatuor.*

CCXXII CLEMENS VII. *Florentinus Iuliani filius, dictus* Iulius Medices, *Leonis decimi Pontificis patruelis, coronatus fuit sexto Kalendas Decembris. Celebrauit Iubilæum, quando rustici per Germaniam grassantes cæsi fuerunt, & Franciscus Gallorum Rex apud Ticinum fuit captus. Qua victoria cum Cæsariani, maxime Columnenses cristas erigerent, Pont. maxime fuit perturbatus. Præcipue direptis Parmensium ac Placentinorum agris à Cæsarianis indignatus, cum* 1523.

AN. CHR. *Venetis & Gallorum Ducibus occulta consilia inire cœpit, quæ Cæsarem Mediolano exuerent, atque Franciscum Sfortiam in arce obsessum liberarent. Liberatoque Gallorum Rege, duobus filiis obsidum loco relictis, fœdus cum Clemente à Gallo & Venetis ictū fuit pro Italica libertate tuenda, atque Sfortia paterno imperio restituendo. Idque cum Columnenses intelligerent, auctore Pompeio Cardinale copias specie tuendi regni Neapolitani conscribere cœperunt. Sed res composita sunt hac condicione, vt armis in Pontificia ditione nihil molirentur Columnenses: & si operam suam Cæsari nauare vellent, id facerent extra Ecclesiæ limites. Fidens huic pacto Pontifex militem non sine auaritiæ nota exauctorauit. Tum Columnenses copiis aucti atque adscito Hugone Moncata Calimontana porta vrbem irrumpunt, atque in Vaticanum contendunt. Clemens circumuentus, in arce residens, pacem componit, his condicionibus, vt euocaret exercitum suum Gallia Cisalpina, Pompeio ceterisque Columnensibus parceret, atque Petri Medicis patruelis sui generum Philippum Strozum obsidem Neapolim mitteret.*

*Sed mox Pontifex rupto indecoro fœdere, spretoq; obside Cæsarianis bellum infert. Cæsar hæc intelligens, Carolum Lanoium Neapolis Proregem cum sex millibus Hispanorum in Italiam mittit, & Georgium Fronspergum cum tribus Germanorum legionibus illuc quoque euocat. Interea Clemens sæuit in Columnenses, quatuordecim eorum opida in Latio diripiens atque incendens. Misit Cæsar Franciscum Quingnonium, qui Pontifici pacem offerret. Quæ hac condicione confecta est, vt Lanoius curaret, ne Bourbonius accederet ad vrbem. Verum ille contempto Lanoij edicto, summa celeritate Romam peruenit, vbi ad Vaticani mœnia perueniens, dum scalam ostendit, hortaturq; milites ad muros subeundos traiectus tormenti globo cadens emoritur pridie Nonas Maij. Exercitus vero per pontem Ianiculensem, quem Xysti vocant, ingressus, magna truculentia sæuiit per vrbem, nulli parcendo. Templa direpta, Bibliotheca spoliata libris, virgines violatæ, multique trucidati fuere. Mole quoque Adriani obsessa, Pontifex in potestatem hostium deditione venit: & postmodum mutato habitu nocte intempesta elapsus, Ludouico Gonzaga comitante, venit ad vrbem veterem Tusciæ opidum, quo omnium Principum Legati ad eum venerunt. Amicitiaque inter eum & Cæsarē renouata est, ijs condicionibus, vt Margareta Cæsaris notha nuberet Alexandro Medici Laurentij minoris ex concubina filio, bellumque Cæsar aduersus Florentinos susciperet, vt Medicæis vetus in patria dominatus redderetur. Interea Cæsar ab Andrea Auria triremibus Genuam aduectus venit Bononiam, vbi incredibili apparatu pompaque magnificentissima ipso natalis sui die, sexto Kalendas Martij, diadema de manibus Pontificis Clementis septimi accepit: cum biduo ante suscepisset coronam Lombardæ ferream, Creauit Cæsare ac Francisco Gallorum Rege petentibus*

*bus complures insignes viros Cardinales. Henrico octauo Angliæ Regi repudianti Catharinam vxorem, atque superducenti Annam Bolenıam indicauit ac monuit, vt Anna relicta Catharinam reciperet, se ei aliter sacris Christianis esse interdicturum.* ANNI CHRISTI.

*Catharinam Medicem Laurentij minoris filiam Henrico Valesio Francisci Regis secundo genito nuptui dedit: interfuitque vna cum Francisco nuptiis, quæ ingenti pompa Massiliæ celebratæ fuerunt: indeq; classe Gallica reuectus, in Vaticano facta, excessit, septimo Kalendas Octobris, anno ætatis quinquagesimo sexto, mense decimo, die septimo: sepultus prius ad sanctum Petrum, deinde cum Leonis reliquiis delatus ad sancta Maria de Mineruа. Et post dies septemdecimà triginta quatuor Cardinalibus creatus*

CCXXIII. PAVLVS III. *Romanus Petri Lusii filius*, Alexander Farnesius *dictus, natus Canini, coronatus fuit tertio Nonas Nouembris Fuit autem gens Farnesia celebris, & ad summos honorum gradus adscendit, vt ex hac Genealogia patet.*

Genealogia FARNESIORVM.

*Ranucius Farnesius.*

*Petrus Farnesius.*

*Ranuicius Farnesius.*

*Petrus Luisius Farnesius.*

ALEXANDER *Farnesius, qui & Paulus III. Pont.*

*Petrus Luisius Farnesius Dux Parmæ & Placentiæ, & Hieronyma Vrsina.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Octauius Farnesius & Margareta Austriaca.* | *Alexander Farnesius Card.* | *Ranutius Farnesius Card. S. Angeli.* | *Horatius Dux Castil. & Valesia Henrici II. filia notha.* | *Constantia & Bosius II. Sfortia.* |

| | | |
|---|---|---|
| *Alexander & Maria filia Eduardi filij Emanuelis Regis Portugalliæ.* | *Victoria & Guido Vbaldus Vrbinatium Princeps.* | *Guido Ascanius Sfortia Card.* |

*Ranucius.*

ANNI CHRISTI.

*Enituit vero Paullus in administranda Republica illustri quodam diuersarum virtutum temperamento, ita vt sacrati Pontificis, & optimi Principis nomē tueretur: neque se vel harum vel illarum partium, sed communem omnium patrem esse profiteretur. Fuit omnium artium peritus, Mathesim etiam edoctus ab Alberto Piggio Campensi, qui præter sacræ Theologiæ insignem doctrinam, magnam scientiam motuum astrorum sibi comparauerat. Hunc à Paullo idcirco duobus millibus ducatis donatum fuisse ferunt. Porro Pontifex, quo Ecclesiæ dissidia tollerentur, atque Europa pace frueretur, missis Legatis in Hispaniam ac Galliam, vt Franciscus Rex ad oppugnandos Turcas vnanimi consensu iungeretur Cæsari, sedulo operam dabat. Exstruxit Palatium Farnesianum in propinquo Theatro Pompeij ex Tiburtino lapide. Quod cum Antonius Gallus inchoasset, Michael Angelus consummauit. Commendatur vero hoc Tetrasticho:*

Tertius has Paullus struxit Farnesius ædes
Quarum forma oculos ponitur ante tuos.
Aspicis immensos hospes qui frontis honores,
His similes dices Roma nec orbis habet.

*Fuit tum inter rudera Thermarum Antoniarum inuentum signum Herculis cum hac inscriptione:*

ΓΛΥΚΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ.

*Quod in interiori porticu fuit locatum. Porro intendit quoq; Paullus animum ad Concilium sæpius à Germanis antea efflagitatum celebrandum, quod primum Mantuæ, deinde Vincentiæ: postremo Tridenti indictum fuit. Interea volens corrigi prauatos mores Clericorum nouem doctrina ac pietate clarissimos viros* Gasparem Contarenum *Venetum,* Ioannem Petrum Caroffam *Teatinum,* Iacobum Sadoletum *Carpentoractensem,* Reginaldum Polum *Anglum Cardinales,* Fredericum Fregosium *Salernitanum,* Hieronymum Alexandrum *Brundusinum, Archiepiscopos,* Matthæum Gisbertum Veronensem *Episcopum,* Gregorium Cortesium *Venetum Abbatem,* Thomam Badiam *Magistrum Sacri Palatii lectissimos viros delegit: qui conscripto libello de reformatione illum ei obtulerunt. Misit* Augustinum Triuultium *Cardinalem ad Franciscum Gallum &* Marinum Caracciolum *Cardinalem ad Cæsarem pro pace reconcilianda Turcis bellum Venetis inferentibus, fœdus cum iis ac Cæsare iniit: vt Cæsar octoginta duas triremes, Veneti totidem, & ipse triginta sex in Græciam educerent. Impendit enixe quoque operam vt Carolus Imperator & Franciscus Rex Reipublicæ caussa in colloquium conuenirent, atque se sequestro pax iniri posset, locum designans Nicæam Prouinciæ vrbem, quæ ditionis Caroli Sabaudii Ducis auunculi Francisci Regis erat. Henricum VIII. Regē Angliæ post repudium Catharinæ vxoris sæuientē in Clerū sacris Christianis inter-*

*interdixit: atque abrogata omni potestate, regijs titulis quoque pro au-* ANNI
*ctoritate sua eum priuauit. Octauium Farnesium nepotem suum cum* CHRISTI.
*Margareta Austriaca Caroli Imperatoris filia notha matrimonio iunxit. Omniq; studio, vt pax inter Imperatorem & Gallum iniretur, continuo laborabat. Qua tandem confecta Concilium hactenus* 1546.
*impeditum bello denuo conuocauit Tridentium: Quod inibi inchoatum fuit Idibus Decembris: præsidentibus S. R. E. Cardinalibus Ioanne Maria à Monte, Marcello Ceruino, & Reginaldo Polo Anglo, Legatis Apostolicæ sedis de latere. Vbique Ludouicus Madrusius Episcopatui praerat insignis eruditionis Cardinalis, summæq; auctoritatis Conuenerunt illuc itaque viri clarissimi ex cunctis orbis partibus. Qui primum statuentes Symbolo Constantinopolitano, quod in Ecclesia Catholica inter sacrificandum decantatur, vtendum esse pro fundamento, cui reliqua fidei professio erat superstruenda. Deinde declarant omnes sacros vtriusque testamenti libros vt Canonicos à se recipi, exceptis tertio & quarto qui habentur sub titulo Esdræ: decernunt de editione & vsu eorumdem librorum. Cumq; decretum de originali peccato edidissent, decreuerunt etiam mores esse reformandos. Post quæ persequuntur Idibus Ianuarij decretum de Iustificatione, omnesq; errores circa illam triginta tribus Canonibus anathemate damnant; atque reformationem simul prosequuntur. Quinto mox Nonas Martij tredecim Canonibus errores circa Sacramenta, & quatuordecim circa Baptismum, atque tribus circa confirmationem cum anathemate ostendunt: reformationem quindecim capitibus decernendo. Deinde ob pestilentiam translato Concilio Bononiam, ob infrequentiam Patrum & exortum nouum bellum Gallicum in negocio Concilij fuit cessatum. Nam cum Petrus Luisius Farnesius, quem Paulus Pontifex tertius pater Ducem Parmæ & Placentiæ ante biennium creauerat, ob immoderatius imperium à quibusdam coniuratis Placentiæ crudeliter esset trucidatus, libertatemq; proclamantibus eiectus arce. Octauius Farnesius eius filius, cum Placentia in Caroli Quinti Imperatoris fidē potestatemq; concessisset, nequiens vindicare mortem parentis Gallos in sui auxilium Parmam aduocauit auctorq; fuit supremi belli, quod socer eius Carolus contra Gallos gessit. Paulus quoque Pontifex omnis contumeliæ insolens, & iam senex octoginta & vnius annorum, mensium octo, dierum decem in Quirinali monte è vita discessit, cum sedisset annis quindecim, diebus viginti octo, nullaq; pompa deportatus in Vaticanū ad S. Petrum conditus fuit temporario monumento, donec Alexander Farnesius Cardinalis eius nepos magnificentissimū Mausoleum ipsi fieri procurauit, in quo perficiendo Gulielmus Fothrodius Delphus etiam elaborauit. Post vero menses duos, dies viginti nouem septimo Idus Februarij*

CCXXIV. IVLIVS III. *Aretinus Vincentij filius, dictus* Ioan- 1550.
nes Maria de Monte, *Romæ natus, postridie die festo Cathedræ S. Pe-*

ANNI CHRISTI. *tri à Cardinale Cybo coronatus fuit. Iubilaeum per annum primum sui Pontificatus celebrauit atque ad Concilium Tridentinum euocauit Patres celebrādum ad Kalendas Maÿ per continuationem, misso quoquouersum diplomate. Vbi Decretum de Sanctissimo Eucharistia Sacramento editum fuit: vndecim Canones contra errores cum anathemate, & octo capita reformationis, saluusque conductus datus Protestantibus. Tum etiam doctrina edita de pœnitentia & extrema vnctione, hac tribus, illa nonaginta & vno capitibus declarata fuere. Canones quoq; quindecim de erroribus circa pœnitentiam, & quatuor circa vnctionem, cum tredecim capitibus reformationis. Cumq; nulli aduenirent Protestantes secundario saluus conductus datus est. Et mox Concilium ob bellorum pericula intermissum fuit tertio Kalendas Maÿ Patribus quaquauersum diffugientibus. Venit vero* Simō Sulaka *electus Patriarcha Assyrius annos natus quadraginta, vt à Pontifice Romano confirmaretur pulcerrimam & doctam fidei sua confessionem edens: quem Pallio donatum ac Viatico Iulius ad Ecclesiam suam remisit. Pontifex dum incautius euocato Camillo Vrsino Parmā Octauij Ducis arbitrio committit, se bellico inuoluit tumultu, qui magnam Italia intulit calamitatem. Extruxit Iulius villam Iuliam supra portam Flaminiam, vbi septuagenarius fere Genio indulgebat. Reginaldum Polum Legatum misit in Angliam ad expiandum regnū ritusque Ecclesia pristinos restituendos. Et podagra doloribus continuo cruciatus atatis sexagesimo septimo sexto mense, die decimo quarto obiit cum sedisset annos quinque, mensem vnum, dies sedecim: corpusque pone aram S. Andrea conditum est in Basilica Vaticana, & post dies septemdecim creatus à triginta nouem Cardinalibus,*

1555. CCXXV. MARCELLVS II *Politianensis Thuscus Richardi filius, cognomine* Cerui nus, *cuius patrem, qui Astrologia peritissimus erat Pontificatum predixisse ferunt. Paulum tertium Pontificem sua prudentia & dexteritate ita sibi deuinxerat, vt omnibus maioribus molis negotiis eum adhiberet. Habuit in honore doctissimos quosque pracipue* Gaspatum Contarenum *Cardinalem Venetum, cuius de elementis & eorum mixtionibus doctissimum volumen ei fuit dedicatum &* Guilielmum Sirletum *incredibili doctrina & pietate virum:* Onuphrium Panuinum *Veronensem Romana antiquitatis vindicem multa dum sibi Ecclesia polliceretur, apoplexia correptus vigesimo secundo die Pontificatus LV. atatis sua anno obiit. Corpus que in Vaticana Basilica Marmoreo monumento conditum fuit. Vacauit sedes dies xx.*

1566. CCXXVI. PAVLVS IV. *Neapolitanus Ioannes F.* Ioannes Petrus *ante vocatus. Theologus trium linguarum longe doctissimus, atque Episcop. Theatinus creatus est Pontifex Max. Hic octo annis sub Ferdinando*

*Catholico*

Catholico & Carolo Imper. in Hispania sacelli Regij sacerdos fuerat, AN. CHR. atque linguam Hispaniam exacte addidicerat. Vir antiquæ Ecclesiasticæ seueritatis, & propositi tenax, quique hominū studia promereri nō curaret, neq; pecuniæ esset cupidus. Præcipue corrigendis abusibus, quæ Ecclesiæ Rom. irrepserant erat intentus: quo aduersarij nihil haberent, quod Pontificiis dare possent crimini. Multa in vrbe optime instituit & pop. Rom. multis sibi deiunxit beneficiis, ita vt publico decreto ipsi statua ex Marmore in Capitolio fuerit posita. Hispani nominierat iniquior, euocatisque Gallorum ac Heluetiorum præsidiis, bellum graue cum Philippo Hispaniarum Rege suscepit, nec vllas rogatus à prorege Neapolitano Ferdinando Duce Albano pacis condiciones voluit pacisci; sed eos, qui à Cæsare ante steterant, aut in carcerem coniiciebant, aut exilio damnabat, exuebatque sacerdotiis. Nec mouebatur, quod Albanus occupatis ostia aliisque compluribus latii opibus, diceret se in vsum Ecclesiæ, & commodo futuri Pontificis ea conseruare. Maxime spe sua decidit, quando Rex restituit sororio suo Octauio, Farnesio Placentiam, illiq; omnia condonauit, &, in amicitiā rursum recepit. Gallorumquoq; clade in Veromanduis eo fuit compulsus, vt æquis condicionibus pacem inierit, seq; dissoluto Gallico fœdere, neutri Principum parti addicere promitteret. Tanto flagrabat ardore puniendi à fidei norma deuiantes, vt etiam in mole Adriani in vincula coniecerit Ioannem Moronum Cardinalem & Thomā Stanfelium Episc Cauensem, quasi hæreseos reos. Creauerat Ant Michaelē Gislerium inquisitorem hereticæ prauitatis, quem vt se minorē cum Moronus iudicem agnoscere nollet, illico eumdem creauit Cardinalē tit. S. Gabinæ. Ægerrime tulit se inconsulto Imp. Carolū Ferdinando fratre Imperii habenas tradidisse: nec voluit Martinum Gusmanum Hispanum Ferdinandi Legatum Vti Imperatoris agnoscere, cum tamen eum priuatum perhumaniter exciperet. Misit in Belgium Carolum Carafam Card. vt Philippum Regem ad pacem cum Gallo ineundam induceret, & Antonium Triuultium Card. in Galliam, vt idem suaderet Henrico. Conscripsit etiam formam fidei, quam volebat Episcopos profiteri antequam confirmarentur. Ad requisitionem Sebastiani Regis Portugalliæ Episcopatus constituit in India Orientali Cochinensem, & Malaclinensem, vt subessent Goanēsi Metropolitano. Impetrauit etiā ab eo Philippus Rex misso Romā Francisco Sonnio Theologo, vt in ditionis suæ inferiore Germania sub Metropolitana Cameracensi esset atrebatensis, Tornacēsis, Audomarensis & Namurcensis Episcopales & Ecclesiæ Harlemensis, Dauentriensis, Leouardiēsis, Gruningensis Parerent Archiepiscopali sedi Vltraiectinæ. Noua vero Mechliniensi Metropolitanæ subessent Antuerpiensis, Gandauensis Brugensis, Iprensis, Buscoducensis Cathedra: forentque omnes iuris patronatus Principis Belgii. Horum Episcopatuum creandorum caussæ fuere: quod in tam longe lateq; florentissima regione nulla esset

ANNI CHRISTI. *esset Metropolitana Ecclesia, cogebanturque aliarum ditionum Metropolitis subesse Antistites, diuersorum sæpius idiomatum, & numero paucissimi. Cum inter XII. Cardinales doctrinæ & integritatis ratione creatos, etiam, V.C. Ioannes Gropperus Theologus ac Iurisperitus Coloniensis longe celeberrimus esset: oblatum is purpureum galerum recusauit, rationemq; eius facti scriptis litteris reddidit. Ceterũ dum vitiis seuerius puniendis intẽtus, moritur Paulus anno ætat. LXXXIII. mense I. diebus XXII. Pontificatus an. IV. mens. II. & diebus XXIV. carcer inquisitionis, quem fieri curauerat à seditiose tumultuante plebe, eiusque seueritatem detestante, effringitur. Statuaque eius in capitolio caput abscissum per triduum circa vrbis vicos prouoluitur ac in Tyberim deÿcitur bonorum virorum misericordia. Corpus ob metum militari manu aliquantisper custoditum tenui pompa sepelitur in S. Petri Basilica: vnde post septennium sublatum ad S. Mariam de Minerua conditum fuit in Mausoleo arte Pyrrhi Ligorÿ Neapolitani facto, impensis Pÿ V. Pontificis Max. gratitudinis ergo cum hoc elogio:*

IESV CHRISTO<br>
SPEI ET VITÆ FIDELIVM<br>
PAVLO IV. CARAPÆ PONT. MAX.<br>
ELOQVENTIA, DOCTRINA, SAPIENTIA,<br>
SINGVLARI INNOCENTIA,<br>
LIBERALITATE, ANIMI MAGNITVDINE<br>
PRÆSTANTISSIMO,<br>
SCELERVM VINDICI INTEGERRIMO,<br>
CATHOLICÆ FIDEI<br>
ACERRIMO PROPVGNATORI:<br>
PIVS PONTIFEX MAXIMVS,<br>
GRATI ET PII ANIMI<br>
MONVMENTVM POSVIT.<br>
Vixit annos LXXXIII. Mens. I. Dies XX.<br>
Obiit M.D LIX XV. Kalend. Sept. Pont. Anno V.

1560. *Vacauit sedes menses IV. dies septem.*

CCXXVII. PIVS IV. *Mediolanensis Bernardini filius* Ioannes Angelus Medices *vocatus septimo Kalendas Ianuarÿ, atque Idibus eiusdem mensis Pontifex Max. coronatur.*

*Placet autem Medicea familia nobilissima Genealogiam hic adscribere.*

Ioannes

ANNI CHRISTI.

Ioannes *Iacobus Medices: cuius filii* Bernardini Medices *ex Cæcilia Sobellonia liberi fuerunt*

- Ioannes *Iacobus Marchio Mariniani,*
- Ioannes *Angelus* PIVS IV. *Pont. Max.*
  - Hannibalem *Comitem Altempsium cui nupta fuit Cardinalis* Caroli *Boromai soror ex Patre.*
  - Marcum *Siricum Cardinalem tituli* XII. *Apostolorum.*
  - Gabrielem *Comitem*
- Ioannes *Baptista.*
- Augustus *Marchio Melemanni.*
- Gabriel *casus in bello.*
- Clara *nupta Lupo Comiti Altempsia tulit*
- Margareta *nupta Gisberto Comiti Arenæ.*
  - Fredericum *Comitem Arenæ:*
  - Carolum *Borromæum Cardinalem Archiepiscopum Mediolanensem.*
  - Camillam *nuptam Cæsari Gonzagæ.*

*Porro Pontifex principio populo Romano condonauit quod per interregnum commiserant. Deinde approbauit dignitatem Imperatoriam Ferdinandi Imp. à Carolo fratre ei collatam; Ioannem Moronum Cardinalem, & Thomam Sanseluium Episcopum Cauensem carcere liberauit: vtq; ad Ecclesias suas reuerterentur præcepit: cum per calumniam fuissent traditi custodiæ. Carolum Carafam Cardinalem, me-*

ANNI CHRISTI.

mor qua ille in cōclaui contumeliosius dixerat, cū Ioan. Paliani Duce & Allifano Comite, ac Leonardo Cardinale in Adriani molē coniectū nō satis iuridice cōuictū infētati criminis strāgulari procurauit, socijs gladio percussis. Imperat. Carolum ipsiusq; filium Philippū Hispaniarū Regem innocentes pronuntiauit, & à cunctis absoluit quæ ijs à Paullo quarto fuerant obiecta. Inter quadraginta sex Cardinales, quos quatuor electionibus creauit, emicuere morum grauitate, sacrarum litterarum scientia, vitaq; innocentia Stanislaus Hosius *Polonus*. Hieronymus Seripandus *Neapolitanus*, Antonius Perenotus *Burgundus*. Bernardus, Naugerius *Venetus*, & Carolus Borromeus *Mediolanensis*, Gisbertus *Comitis Aronæ filius*, & *Pontificis ex Margareta sorore nepos*, *Concilium Tridentinum prosequendum Paschate atque inchoandum: indixit eaque de caussa missis Legatis ac litteris Principes Christianos omnes ad illud promouendum adhortatus est. Quod celebrari cœptum decimoquinto Kalendas Februarij Atque frustra expectatis Protestantibus decimo septimo Kalendas Augusti quæ restabant de Sacramento Eucharistiæ, oblatione incruenti Sacrificij, Sacramenti Ordinis, Matrimonijq; doctrinam, quæq; reformanda sint vna cum Canonibus decreuit. Postremo decretis de Purgatorio, inuocatione, veneratione, reliquijsq; Sanctorum honestandis atq; sacris imaginibus editis, & quæ de morum correctione restabant: gratiis Deo Opt. Max. actis per Legatum Ioannem Moronum Cardinalem, & fausta precatione facta à Carolo Lotharingiæ Cardinale, acclamationibus Patrum Concilio finis impositus fuit pridie Nonas Decembris. Subscripserunt actis Concilij quatuor legati Cardinales, duo alii Cardinales, Patriarchæ tres, Archiepiscopi Viginti quinque, Episcopi centum & sexaginta octo. Abbates septem, Procuratores absentium Legitimi triginta nouem, Generales monasticorum ordinum septem. Confirmauitque omnia pius quartus Pontifex Maximus cum viginti sex Cardinalibus Romæ septimo Kalendas Februarii & formulam iuramenti secundum decreta Concilii, quo deinceps iurarent Episcopi instituit. Eisdemque edixit, vt in suis Ecclesiis residerent. Plurimis ædificiis vrbem Romam decorauit. Acciuit Venetiis doctissimum Typographum* PAVLVM MANVTIVM *Aldi filium, eumque præfecit officinæ vt libros sanctorum Patrum accurate & integre elegantissimis typis excuderet. Præposuit tribunali inquisitionis nouem lectissimos Cardinales, ea lege, vt quæ maior pars sanxisset rata forent. Odetum Castilionem Cardinalem Hugonottam, cum decem eiusdem partis Episcopis sacerdotiis exuit. Legationem Aueniones Carolo Borbonio Cardinali commisit. Cum nullam viam inuenisset de concordia sarcienda ob quæstionem motam in Tridentino Concilio de præsidentia Hispaniorum Regis & Gallorum, post longas tergiuersationes primū locum Gallo assignauit, indignante plurimum Ludouico Requesens*

*Hispaniæ*

*Hispania Legato, qui post publicam contestationem Regis sui nomine factam, Roma discessit morbo ex victus intemperantia hausto; Carolo Borromai Cardinalis nepotis sui manibus sacramentis Ecclesia munitus adstantibus Paleoto & Syrleto Cardinalibus è vita excessit Pontificatus anno quinto, mense undecimo, die decimo quinto: atatis vero sexagesimo sexto anno, mense octavo die, nono, sepultusq; est in Basilica Vaticana, vacauit sedes dies viginti nouem.*

CCXXVIII. PIVS V. *Alexandrinus Pauli filius* Antonius Michael Gislerius *dictus, Ordinis prædicatorum, ex humillimis initiis ad apicem Pontificatus euectus est. præter suam omniumque expectationem procurantibus hoc Farnesio & Borromao pracipue Cardinalibus. Carafios à Pio quarto eiectos benignissime reuocauit. Michaelem ex Gardina sorore nepotem Cardinalem creauit. Franciscum Commendonem Cardinalem Augustam Vindelicorum ad indictum à Maximiliano Cæsare conuentum Legatum destinauit. Iubilæum pro concordia regni Galliæ & Ecclesiæ pace à Deo deposcenda concessit. Breuiarium ac Missale rituales libros secundum ordinationem Concilii Tridentini correctos publicauit, vtq; quam castigatissime ederentur in lucem procurauit. Margaretam à Marca Arenbergiam casum maritum Ioannem Lignium in prælio lugentem functus pii Pontificis officio pie per litteras consolatus est. Nobilibus quoq; viris aliquot per litteras in Poloniam missas gratulatus est, quod dimissis erroribus se præstitissent fidei Ecclesiæ professores, Ferdinando Toletano res pro Philippo Rege strenue gerenti, auream, ex more, in Belgas rosam transmisit. Fœdus etiam cum Philippo Rege ac Venetorum Republica icit contra Selymum secundum Othomannicum Orientis Imperatorē Turcam Præfectus est classi Imperator* Ioannes Austriacus *Caroli quinti Imperatoris filius nothus, cui additus Legatus Ludouicus Requesenius magnus Commendator Castellæ. Vitæ monasticæ disciplinā rigidius obseruari cum vellet per Belgium seueritate ac iustitia eorū, qui illud tractabant negocium turbæ exortæ sunt: dum sacræ virgines de tertia, vt vocant, regula S. Francisci se durius, quam pro votis, tractari conquererentur, misit Michaelem Alexandrinum Cardinalem suum ex sorore nepotem Legatum in Hispaniam, Lusitaniam atque Galliam vt curaret quæ ad Dei gloriā & Reipublicæ Christianæ vtilitatem spectare viderentur. Multa eius opera inchoata præpropera eius morte manserunt imperfecta. mortem eius præcessisse terræ fremitus ac motus fluminum inundationes refert in funebri eius oratione vir clarissimus, ac ciuis Romanus* M. Antonius Muretus *Iurisconsultus: cum enim sedisset annis sex, mensibus tribus, diebus XXIII. obiit Kalendis Maij anno millesimo, quingentesimo septuagesimo secundo.* 1566. 1525.

## GERMANIA.

CAROLVS BORBONIVS exercitus Caroli V. Dux, Romam oppu-

ANNI CHRISTI. oppugnans, moritur. Ipsa vero vrbs à Caroli militibus capitur & diripitur.

1529. *Solymannus* confertissimo exercitu Viennam Austriæ adortus, arcte eam cum summa sæuitia obsedit, & tormentis labefactatam, cuniculisque suffossam quater cum maxima suorum strage oppugnauit. Sed tandem vigesimo quarto obsidionis die reiecta spe vrbis potiundæ exercitum suum inde abduxit, & inglorius in Thraciam rediit.

*Fredericus* Saxoniæ Dux Principes suæ religionis conuocat ad vndecimum Kalendas Ianuarij Smalcaldium Thuringiæ opidulum: Vbi primum fœdus Smalcaldicum fuit initum, ad quod postea plurimi accesserunt.

1531. Anabaptistæ exsurgere cœperunt in Hollandia. Vnde migrantes *Ioannes Matthæus* pistor Harlemensis, & *Ioannes Bueckeldus* sartor Leidensis iuuenis, Prophetas se Dei esse dictitabant. Quibus *Iacobus Campensis*, vt Episcopus, & *Ioannes Gelensis* quasi militiæ Præfectus se admiscuerunt. Quorũ astu ac fraude cum multitudo plebis fuisset dementata eiectis Optimatibus Monasterium Westphaliæ vrbs Cathedralis ab ipsis fuit occupata. Ioanne Matthæo mortuo, qui creatis Bernardo Cnipperdolingo & Cippenbrocho Consulibus se Ducem belli declarauerat IOANNES BVECKELDVS sartor simulato enthusiasmo nudus (hoc solenne sectæ erat) per vrbem discurrens identidem proclamabat REX SION VENIT. Deinde se domum contulit atque condit, atque ad se venientibus scripto significabat à Numine linguam suam constringi per triduum. Quo exacto in publicum prodiens docet se mandatum accepisse, vt duodecim Iudices crearet ad numerum filiorum Israelis: quibus ius diiudicandi caussas, & ius gladii quoque esset.

Per hos sibi cum videret præcludi viam ad regnum, adornat *Ioannem Warendorpium* fabrum aurarium, qui quasi nouus Propheta abrogat iudicibus magistratum, ipsi offerat gladium, appelletque Regem non Sionis modo, sed vniuersi orbis terrarum. Itaque salutatur Rex ab omnibus. regnoque nouo solenni more inauguratur. omnemque Reipublicæ formam transmutans, corona caput aurea redimitus, catenisque aureis collum cingentibus, globum in modum orbis terrarum effictum aureo argenteoq; ense decussatum transfixum cum cruce aurea in fastigio cum hac inscriptione, REX IVSTITIÆ HVIVS MVNDI, gestans, thronoq; excelsiori insidens ter per singulas hebdomadas se in foro populo conspiciendum exhibebat, assistente ei Cnipperdollingo instar Præfecti Palatii: multitudineque vxorum regnum Israeliticum se repræsentare asserebat. Lusit quidam non illepide hoc Chronico disticho in hũc Monarcham ad sartores:

T.L.Llll

*ToLLIte nVnC anIMos sartores, toLLIte CrIstas* ANNI
*OrdInIbVs VestrIs regIa VIta VenIt.* CHRISTI.

Nummos quoque argenteos ponderis unciæ cudit suis signis.

Ceterum obsidebat vrbem Monasterium Episcopus tribus castris, vt cui auxilia Metropolitanus Coloniensis, *Carolus* Dux Gelriæ, & *Philippus Lantgrauius* Hessiæ miserant. Conceperat animo *Ioannes Buetkeldius* Rex potiri etiã Hollãdia ac Frisia, simul & ditione trãsisulana. Eaq; de caussa emiserat, qui tentarent clã conscripto milite inuadere Amstelredamum atq; Dauentriam, Ioannem Gelensem, & Ioannem Netellum rei militaris peritos. Quorum hic delusus à socio Propheta, qui auro onustus ad Episcopum transfugerat, haud diu Dauentriæ hæsit, ad Regem se recipiens. Ille cum quinto Idus Maij tumultu excitato à Senatu ciuibusque cum coniuratis suis fuisset insigniter oppressus in domo Ciuica traiectus sclopeti glande oppetijt. In socios acerbe animaduersum est, edito exemplo, ne qui tale quid deinceps attentarent. Gratiæ que ac laudes Deo Opt Max. dictæ fuerunt ob conseruatã vrbem: parentatumq; Consuli Petro Colino, atque ciuibus cæsis. Numerus retinctorum, in quos ante inique hoc tumultu ad quartum Kalendas Augusti vario suppliciorum genere animaduersum est, fuerunt centum & quadraginta & vnus inter quos fuere viginti quinque mulieres: ceteri beneficio obscurissimæ noctis elapsi. Porro post longinquam obsidionem ductu Ioannis Longoplateensis transfugæ admotis muro scalis Monasterium inuaditur, atque compluribus trucidatis, Rex viuus annos natus viginti sex in potestatem Episcopi venit, quarto Kalendas Iulij. Captiui omnes gladio perempti, paucis elapsis. Conquerenti Episcopo se ex diuite pauperem fuisse factum, intrepide respondit Rex captiuus; *Facile damnum resarciri posse, si se inclusum cauea curauerit per Europam spectandum tertio deferri.* Quare excruciatum cadentibus laminis cadauer iussit includi ferreæ caueæ Episcopus, atque ex turri Sancti Lamberti in monumentum rei gestæ suspendi.

Cum vero ita tumultuarentur passim Anabaptistæ inter Rhenum & Amasim fluuios, egregium hymnum cecinit Ioannes Secundus, nulli huius sæculi Poetarum secundus, ad Deum Optimum Maximum, in quo enarrata magnificentia Domini ita orat:

*Huc ades, Rex ô hominum & Deorum*
*Si tuas sancte celebramus aras,*
*Et tibi gratos humili Camena*
*Dicimus hymnos.*

Bellaque

ANNI CHRISTI.

*Bellaq; & sectas hominum nefandas,*
*Et mali quicquid vitiis meremur,*
*Pelle de nostris laribus focisq;*
*Præcipue illos,*
*Qui noua sub religionis vmbra*
*Cæde grassantur, populantur vrbes,*
*Et tuæ genti excidium minantur*
*Dira frementes.*
*Frange conatus populi furentis,*
*Publicorum ausus prohibe latronum,*
*Et tuam nobis placidam misertus*
*Redde quietem.*

Oppresso ac deleto ferme seditioso ac crudeli hocce hominum genere exsurgunt subito Dauidioriani, Batenburgici atq; superstitiosissimi Memnonistæ: qui a Memnone Simonio Curione Frisio seducti pædobaptismum damnantes, adultis tantum id inter suos suo ritu conferebant: & Photini aliorumque veterum hæreses amplectentes se καθαρούς existimantes, pœnitentiá contrahebant in arctum. Horum Paradoxa primum oppugnare aggressus est *Martinus Duncanus* Queinpenas: dum Wormariæ celebri Caninefatum pago pastorem ageret: quem etiam secutus est *Georgius Cassander*, aliique complures.

Sed nec Scripturas nec rationes, patrumue auctoritates, nisi quatenus pro se facere videntur, auscultat gens superstitione atque obstinatione mentis cum Pharisæis comparanda. Decantant inter se carmina vernacula de nece hominum suæ superstitionis, quibus haud minorem auctoritatem tribuunt, quam Scripturæ, cum interea vix exiguam fidem adhibeant Ecclesiasticæ historiæ antiquissimæ.

Delphi tertiæ dignitatis Hollandiæ opidum subito incendio conflagrauit quinto Nonas Maii, circa horam post meridiem tertiam. Vbi cum ciconia pullos implumes nequiret exportare nido ardenti supra ædes Ioannis Heuteri Prætoris: se ipsam in flammam coniecit, nolens impie superviuere natis. Eam insigni Elogio celebrauit Cornelius Musius Delphus.

*Fredericus* Palatinus Rheni ducit in vxorem Dorotheam Christierni Regis Danorum filiam Bruxellæ.

*Georgius* Dux Saxoniæ moriens sine prole ditiones suas Henrico fratri, eiusque filiis Mauritio atq; Augusto testamento reliquit.

Obiit & *Ioannes* Dux Cliuiæ ac Iuliæ relinquens Guilielmum filium successorem & tres filias.

Obiit & nono Kalendas Nouembris *Florentius Egmondanus* Comes

Comes Burensis insignis cunctator, relinquens filium *Maximilianum*. Quem Carolus Quintus Imperator Frisiis ac Transisulanis constituit Gubernatorem, cum se virum bellicosum monstraret. ANNI CHRISTI.

Indixerat Carolus Quintus Imperator Comitia Haganoæ, quibus præerat Ferdinandus Cæsar: qui exaudito, quod Turca respiceret ad occupandam Hungariam eo se contulit. Fuitque conuentus indictus Wormatiæ ad tollendum dissidia Germanorum, quæ ob religionis discrepantiam fuerant exorta. Præsides erant constituti *Fredericus* Comes Palatinus & *Nicolaus Perenottus* Granuellanus, disputantibus *Ioanne Eccio* & *Philippo Melanchthone*. Nihil vero commemoratu dignum fuit actum, cum indicerentur amplissimi conuentus celebrandi Ratisponæ ad mensem Aprilem. Quo Carolus Quintus Imperator ipse venit, & Legatus Pontificis *Gasparus Contarenus*, atque Legatus Regis Franciæ Visum fuit instituere colloquium sex doctorum, num ij media possent statuere, per quę resarciri posset concordia Germanicæ nationis.

Hi fuere a parte Catholicorum *Ioannes Eccius, Iulius Pflug*, & *Ioannes Gropperus*, quibus erant Assessores Præfectus aulæ Archiepiscopi Moguntinensis, Cancellarius Palatini Rheni, & Theodorus Comes de Manderscheyt. A parte vero Protestantium *Philippus Melanchthon, Martinus Bucerus & Ioannes Pistorius* cum assessoribus Cancellariis Saxoniæ & Hassiæ, cum Iacobo Sticonio Argentoratensi. Præsidentibus Frederico Palatino Rheni & Nicolao Perenotto Granuellano Burgundo: Exhibuit Imperator volumen, cui inscripta erant varia sub his viginti tribus titulis.

1. *De integritate naturæ ante peccatum.*
2. *De arbitrij libertate.*
3. *De caussa peccati.*
4. *De peccato originali.*
5. *De Iustificatione peccatoris.*
6. *De Ecclesia, signisq; & auctoritate eius.*
7. *De signis per quæ Ecclesia cognoscitur*
8. *De cognitione & interpretatione Scripturæ.*
9. 10. 11. *De Sacramentis, numero eorum,*
12. 13. 14. *vi, atque potestate, & effectu.*
15. 16. 17.
18. *De Charitate.*
19. *De Hierarchia Ecclesiastica.*
20. *De Sanctis.*
21. *De disciplina Ecclesiastica.*
22. *De disciplina populi.*
23. *De certis Caremoniis.*

Post-

ANNI CHRISTI.

Postquam Protestantes hæc legerant, exhibuerunt suas Protestationes, ad ea, cum quibus non conuenirent. Interim Imperator modo Doctores, modo Assessores, modo quoq; Præsides sedulo admonuit vt inter se vellent conuenire: cumque hinc inde multa fuerint dicta: Melancthon sua, deinde Bucerus alia scripta exhibuerunt: quæ omnia exhibita fuerunt Legato Contareno: Legatus autem cum omnia perlegisset, videretque aliquot esse controuersias, ad sedem Apostolicam censebat esse deferendas.

In caussis Imperii fuit conclusum, vt Ferdinando Regi Ordines subuenirent contra Turcam viginti mille militib. & quatuor mille equitibus: & insequenti anno quadraginta mille & octo mille. Quod anno insequenti quoq; ratum fuit habitum Spiræ in Comitiis.

*Carolus V.* Imperator vndique sopitis bellis, Imperioq; tranquillitati restituto reuersus in Belgium, Philippum Principem Hispaniarum filium ad se accersiri iussit; quo traditis ei hereditariis ditionibus, optatæ se posset tradere quieti.

Itaque Philippus ex Hispania soluens peragrata Italia atque Germania in itinere maximis affectus honoribus exspectatissimus Bruxellas ad patrem venit. Qui cum Ducem Brab. inaugurari Bancæ in propinquo Louanio, curauit. Vnde præcedente clero ac Senatu, comitatus Ioanne Christophoro Stella Historico, qui omne felicissimum eius iter Hispanice describebat, processit in vrbem Dux amœnissimam, & ingeniis tum maxime florentem: Profitebantur enim Latinas literas *Petrus Nannius* Alcmarianus, Græcas *Theodoricus Langius* Enchusianus, Hebræas *Andreas Balenus*. In Mathesi excellebant *Gerardus Mercator* Rupelmundanus, *Ioannes Stadius, Gemma Frisius*, atque *Cornelius Gemma* eius filius. in Philosophia *Ioannes Beuerus*: Rhetoricam profitebatur *Guilielmus Lupus*; *Hieremias Brachelius* Medicinam. Ius Ciuile *Gabriel Mudæus*. Theologos inter præcipue eminebant *Ruardus Tapper* Enchusianus, *Ioannes Hasselanus, Iodocus Tiletanus*, *Michael Baius* Athensis, *Ioannes Hessels* Louaniensis, *Adamus Sasbout* Delphus, *Liuinus Brechtanus*, Ordinis S. Francisci, ambo insignes quoq; poetæ.

Ceterum inauguratus deinde compluribus Brabantiæ, Flandriæ, Arthesiæ, Hannoniæq; vrbibus magna pompa & applausu præcedente quasi in triumphum Ioanne Frederico captiuo Saxoniæ Duce, ad tertium Idus Septembris à S.P.Q. Antuerpiensis, atque diuersarum nationum mercatoribus magnifico apparatu fuit exceptus. Ad limitem territorii, vbi Marchio Sacri Imperii fuit inauguratus, in abaco arcus temporarii hæc legebatur inscriptio:

Sit

SIT TIBI Ô PHILIPPE
IN PRÆCLARAM VRBEM ANTVERPIAM,
VT PARENTI TVO MAXIMO,
ITA ET TIBI MVLTO DEVOTISSIMAM
IAM IAM INGRESSVRO,
FELIX AC FAVSTVM.
TE HOC LOCO IN ANTIQVISSIMAM
SACRI IMPERII MARCHIONATVS
DITIONEM A DIVO OLIM
IVSTINIANO CÆSARE INSTITVTI
ATQVE A TVIS PROGENITORIBVS
ILLVSTRI TITVLO HACTENVS SERVATI,
MAXIMO OMNIVM DESIDERIO
HODIE INAVGVRARI
QVO QVIDEM OMINE,
TE VELVT IACTIS FVNDAMENTIS,
PATRI ALIQVANDO IN IMPERII
SVCCESSIONEM VENTVRVM,
NIHIL MAGIS PERSVASVM,
NIHIL MAGIS OPTANDVM.

Procedentem ad vrbem maxima pompa nouum Marchionem sequebantur confestim CAROLVS Imp. Pater. *Leonora* Franciæ & *Maria* Hungariæ Reginæ amitæ eius, cum multo amplissima nobilitatis caterua: sonante per vrbem nola primaria in D. Virginis cui Carolo nomen ab Imperatore Carolo V. puero fuit datum, cum ex more consecraretur. Fuere à Ciuitate, Hispanis, Genuensibus, Florentinis, Anglis ac Germanis arcus temporales erecti complures, pegmata aliaq; opera prope infinita: cum in iis faciendis operati essent fabri lignarii ac statuarii octingēti nonaginta quinque, pictores ducenti triginta tres, atque alii opifices quingenti nonaginta octo. Primaria laus fuit data arcui Genuensium Corinthio toti. Ordinauerat Stephanus Ambrosius Schrappalarius Ligureum, excogitatisque historiis ænigmaticis (quas Franciscus Florius ex Italia reuersus, atque ad artis fastigium euectus mirabili artificio pinxerat) exornarat: adscriptis titulis quoque erudite iocundis. *Præter* hunc & Hispanorum aurum, cetera omnia Cornelius Grapheius Poeta vrbi à Secretis excogitauit, disposuit, inscriptionibus decorauit. vsus plurimum opera conterranei sui Petri Alostensis pictoris Cæsarei. Exceptus fuit Marchio ab vrbe post ludos varios publico epulo: cui interfuere etiam Carolus V. Imperator, Franciæ & Hungariæ Reginæ, Princeps Pedemontanus, Adolphus Holsatiæ & Ericus Brunsuici Duces.

ANNI CHRISTI. Duxitem Albanus, innumeriq; alii Belgæ ac Hispani Principes; omnis enim aula Antuerpiam commigrarat: In qua excellebant eruditione clarissimi *Viglius Zuichemius* præses, & *Ioachimus Hopperus* Iurisconsulti.

ANDREAS VESALIVS Medicus Imp. Anathomices omnium qui fuerunt peritissimus: *Nicolaus Nicolai* Grudius poeta insignis. Antonius denique Perenottus omnium scientiarum summus Patronus. Cuius fratris Perenotti Sanctantoniani cum Polixena Brederodiana honestarunt Imper. Carolus Philippus Princeps, ambæque Reginæ. Deinde vt inauguraretur in Hollandia Dordracum, Delphos, Leidas, Harlemum atque Amstelredamum venit, eumque ibidem sodalitia sagittariorum eodem vestitus genere conspexisset, iterum ea videre voluit, prohibente illis *Viglio Zuichemio* ne exonerarent sclopetos. Admirabatur supra modum *Ioannes Christophorus Stella* tabulam in æde D. Nicolai, quam IOANNES SCHORELIVS summa arte pinxerat (in qua conspiciebatur à sinistra CHRISTI latro; cuius spinā d. rsi simul & pectus videre licebat,) nunquā satis ab artificibus laudatus. Asserit vero Stella in suis Commentariis tabulā illam totius Belgii fuisse artificiosissimā; Certe *Scorelius* summam gloriam penicillo contulit Batauis, optices peritissimus & exactissime pingens, quantum quid à quo distare debeat. In extremis quoque lineis ducendis, vmbraque erigendis corporibus ac mediis rerum obtinebat palmam.

Discipulum reliquit ANTONIVM MORVM Vltraiectinum, summis Principibus obpingendi artem gratissimum, in Philippi etiam Regis aulam adscitus. Obiit Antuerpiæ, annos natus LX.

*Franciscus Campanus* Geographus Gandauensibus nunc per chartam Topographicam demonstrauit oportuna loca, per quę possent ducere alueum ad mare vsque. Quod vt fieret, Imperator Carolus ciuitati concessit.

1554. *Ioannes Fredericus* Dux Saxoniæ moritur Nonas Martii, cum IX. Kal. eiusdem mensis Sibylla Cliuensis eius vxor iam obiisset.

1555. Cum *Rissardus* Marienburgum à Maria Hungariæ Regina anno 1543. ædificare cæptum in Hannoniæ finibus Henrico II. Gallorum Regi tradidisset, nec posset illud vllo modo recipere Carolus V. Imperator in propinquo condidit Carolomontium, & Philippi villam.

ALBERTVS Brandenburgensis rursus conscribit militem: contraque fœdere icto Mauritius Saxo & Henricus Brunsuicensis se ad defensionem parant. Albertus Bambergam & Suinfurtū capit ac munit VII. Idus Iulii. Ab Alberto & Mauritio cōmittitur prœlium cruentum: in quo Mauritius cum multa nobilitate

periit,

periit, nec minorem cladem passa est pars Alberti, multum lætā bus Cæsarianis, quibus vtraque pars erat suspecta. Porro Albertus 6. Idus Ianuarii moritur cum nondum excessisset trigesimum quintum ætatis annum. ANNI CHRISTI. 1577.

*Melchior Lobel* Episcopus & Dux Wirtembergensis XVI Kal. Maij in porta vrbis supra Moznum trucidatur, nec sceleris perpetrator vnquam fuit inuentus.

*Antonius à Scauvvenburg* Archiepiscopus Coloniensis obiit XIV. Kal. Iulii, successit illi *Ioannes Gebhardus à Scauvvenburg*.

FERDINANDVS mortuo *Carolo* fratri, XVIII Martii ab Electoribus sufficitur. Princeps fuit mitis, placidus & affabilis. 1558.

Reliquiæ arborum sacri nemoris medio itinere inter Delphos & Leidam in Batauis venditæ atque excisæ fuerunt: Soluq; octoginta iugerum datum est colonis in Emphiteosim: qui sublata arena ad quatuor pedes fecere illud pascuum.

*Maximilianus* Austriacus II. Ferdinandi filius præsente octauo Kal. Decembris Francoforti ad Mænum Rex Romanorum declaratus pridie Kalendas Decembris ibidem coronatur.

CONRADVS LYCOSTHENES Rubeaquensis apoplexia tactus moritur Basileæ anno ætatis XLII. 5531.

*Maximilianus* Rex Romanorum, Presburgi in Regem quoque Hungariæ coronatur.

Valentinus Gentilis Neapolitanus maximus impostor Bernę capite truncatur. In Transiluania vrbs Giula munitissima Pertauo Bassæ Veziri proditur, proditore mox a Turcis perfidiæ pœnam persoluente.

Bremæ per tumultum ac seditionem eiecti fuerunt Consules & Senatores partium M. Lutheri ab iis, qui Ioannis Caluini dogmata sequebantur.

ALEXANDER FARNESIVS Dux Parmæ ac Placentiæ in Matrimonium ducit MARIAM Eduardi Lusitaniæ Principis filiam, celebrat æque sunt nuptiæ Bruxellis an. 1565. Mense Nouemb.

*Guilielmus Grombachius* à Ferdinando & Maximiliano proscriptus, cum contemneret eorum sententiam ab Augusto Electore Saxoniæ, cui executio commissa erat, Gotha occupata fortissimoq. castro Grimmensteino expugnato captus, tertio Kalendas Maii supplicio iusto mulctatur.

*Guilielmus Tetbrodius* Delphus statuarius molem marmoream arę maximę viginti quatuor signis ex alabastrite lapide mire ornatam in æde D. Hippolyti nunc faciebat, inter miracula orbis etiam annumerandam: in quam hocce tetrasticho Cornelius Musius postea Martyr lusit:

ANNI CHRISTI.

*Hoc opus augustum diuerso ex marmore pulcre*
*Perfectum, vt nusquam cultius inuenias,*
*Alter Praxiteles, si non illustrior illo est,*
*Delphus apud Delphos Tethredius posuit.*

Antonius quoque Bloclandus Montfortius Delphos tabulis decorabat, cuius arti

*Dum vario distincta refert noua signa colore*
*Cedit Apellea Cypria picta manu.*

Decori etiam fuere nunc suo Amstelredamo *Theodorus Bernardus* Titiani Veneti discipulus, & *Iodocus Ioannis* Statuarius

*Quorum hic spirantes finxit de marmore vultus*
*Ille oculos pictus fallit imaginibus.*

1568. Pax octennalis inter Maximilianum II. & Selymũ Turcarum Imp. & Transiluanum constituta. Quo tempore colloquium institutum Aldenburgi de controuersiis Fidei. vocati mox ad eas sopiendas Theologi viri insignes.

Post Maximilianus Spiræ comitia indixit, de imperii statu in medium consulturus. quo anno duas filias nuptui dedit duobus potentissimis Regibus, Philippo Hispaniarum Annam, Carolo IX. Galliarum Elizabetham.

## VIRI ILLVSTRES

1527. M. ANTONIVS CASANOVA, Romanus, poeta excellens, & in Epigrammatis subtilis & acutus moritur Romæ.

*Gregorius Haloander* dum, vt Germaniæ tumultus vitaret, se in Italiam confert, quo ad exemplum Oratoris Ciceroniani Iurisconsultum suum in tranquillitate atque ocio perficeret, Italiæ cælo Transalpinis nationibus præclara ingenia inuidente, febri ardente correptus, septimo die acerbissimis cruciatuũ doloribus consumptus est magno damno studiosorum Iuris.

Kalendis Nouembris Heluetiis ob religionem inter se belligerantibus, *Huldericus Zvvinglius* in prœlio occubuit.

ANTONIVS MONTFORT, cognomento Blöcklant, natus est Montforti, anno CHRISTI 1532. cum natura sua ad artem pictoriam ferretur, totum se eidem, ac præcipuis sese artificibus instruendum tradidit: qui mox tantus euasit, vt varia eius per Hollandiam sparsa opera non mediocrem laudem obtineant. Mortuus est Vltraiecti anno ætatis 49.

Obiit hoc anno *Ioannes Harius* Gorcomiensis, Hagæ in Batauis, qui omni vita intentus fuerat emendis libris, sicq; Bibliothecam instructissimam reliquit Carolo quinto Imperatori testamento, vt esset Curiæ Hagiensi ornatui.

BILIBALDVS BIRCKHEYMERVS, Norimbergensis, Germaniæ breuem

breuem historiam scribit: deque ratione conscribendæ historiæ aliaque Græca Latio donat. ANNI CHRISTI.

*Ioannes Franciscus Picus* Galeoti filius & Ioannis Pici ex fratre nepos, vir raræ eruditionis & pietatis, Comes Mirādulæ, & Cōcordiæ, variam cum summi animi constantia expertus fortunā, mense Octobri à Galeoto ex fratre Ludouico nepote per dolum cum quadraginta armatis in arcem irrumpente, IESVM, ad cuius imaginem crucifixam prouolutus erat, vti opem ferret inclamans, cum Alberto filio crudelissime trucidatur: Ioāna Caraffa eius vxor cum liberis in carcerem detrusa. Itaque Mirandulam Galeotus ad annum Domini 1548. possedit; tum enim acceptis magnis redditibus in Galliis eam Henrico secundo Francorum Regi cessit.

IOANNES etiam DANTISCVS, poeta floret, ac Soteria aliaque versibus Elegiacis ludit.

Hoc anno *Viglius Zuichemus* Frisius, à Petro Bembo, cui ab Erasmo Roterodamo erat commendatus, exemplar Institutionum Imperialium Græcum Theophili ex Marciana Bibliotheca sibi commendatum liberaliter in studiosorum gratiam Ioannis Frobenii typis excudi curauit. Fuerat vero hoc exemplar Venetis à Bessarione Cardinale relictum legati nomine. 1531.

*Sanctes Pagninus* Lucensis Theologus ordinis Prædicatorii, Latine, Græce, Hebraice, Chaldaice, Arabiceque doctissimus moritur septuagenarius Lugduni in Gallia.

*Ioannes Antonius Flaminius* Foro-Corneliensis poeta & orator summus Bononiæ: vbi diu docuerat, fato cōcessit in porticu Dominicanorum hoc elogium sepulcro ei⁹ inscriptum legitur:

IOANNIS ANTONII FLAMINII
FORO-CORNELIENSIS VIRI DE
VTRAQVE LINGVA
B. M. OSSA.

Exstat filii eius *M. Antonij Flaminij*, poetæ Philosophi ac Theologi clarissimi hocce Epigramma in morientem:

*Vicisti genitor bene ac beate*
*Nec pauper, neque diues, eruditus*
*Satis, & satis eloquens, valente*
*Semper corpore, mente sana, amicis*
*Iucundus, pietate singulari*
*Nunc lustris bene sedecim peractis*
*Ad Diuum proficisceris beatas*
*Oras: I genitor tuumque natum*
*Olympi cito siste tecum in arce.*

Anno sequenti mortuus est Erasmus Basileæ cum Friburgo

ANNI CHRISTI. euocatus à Carolo Imperatore Belgium peteret ætatis anno septuagesimo, mense octauo, die decimoquinto.

*Conrardus Coclenius* Latinæ linguę professor in collegio Buslidano Louanij longe celeberrimus, natione Westphalus, hinc quoque versa Luciani Hermotimo de sectis, & Thomæ Moro inscripto, æternæ memoriæ nomen reliquit. Fuere inuenti bis mille circiter Ducati ab Erasmo apud eum depositi, qui pauperibus sunt distributi. Subsecutus Erasmum suum deinde est sydus illud Hesperiæ IOANNES LVDOVICVS Viues Valentinus calculi, podagræ, febriumque doloribus vixdum quadragesimum octauum ætatis annum ingressus Brugis Flandrorũ vrbe è vita sublatus, atque in Donatiani æde sepultus. Post libros de disciplinis & Commentaria in Augustini opus de Ciuitate Dei & alia complura; præclarum illum ingenij sui fœtum de veritate fidei Christianæ nondum lambendo satis formatum quasi posthumũ fati necessitate post se relinquens. Quem Margareta Valdaura eius vidua Paulo tertio Pontifici Maximo per V. C. Franciscum Craneueldium Iurisconsultum Magni Consilii Mechliniæ Consiliarium dedicauit: atque benigne cygneum illud extremum mariti optimi melos studiosis communicauit. Itaque

*Iam non mors violenta, non edaces*
*Ignes, nec series vetusta sæcli*
*De vita poterunt tulisse* Viuem
*Doctrinæ columen, decusque vitæ.*

Decimo tertio Kalendas Septembris secutus est *Guilielmus Budæus*, quo viro Gallia acutiore ingenio, acriore iudicio, exactiore diligentia, maiore eruditione nullum vmquam produxit. Nihil est vsquam vel Græcorum, vel Latinorum scriptorũ, quod ille non euoluerit, legerit, excusserit. Græca & Latina iuxta & summe callebat. De libro Græco quæ erant scripta legebat Latine, de Latino Græce. Facilius tum Latine tum Græce extempore scribebat, quam et earum linguarum peritissimi intelligant. Nihil est tam reconditum, tam abstrusum in his linguis, quod non peruestigarit, adierit, inspexerit & è tenebris produxerit in lucẽ. Infinitæ sunt seu vocum significationes, seu loquendi figuræ ac proprietates, quas vnius Budæi opera sciunt homines studiosi prioribus sæculis ignoratas. Quæ omnia sine magistro ipse per se didicerat. Felix illi ac fœcundum erat ingenium, quod in se vno inuenit & doctorem & discipulum, & docendi viam rationemq;. Omnis Philosophiæ erat peritus, iuris antiqui ac æqui peritissimus: quæ omnia probitate, innocẽtia atq; constãtia decorabat. Homo versatus in Legationibus, in aula, inter Principes viros nihil vmquã gratiæ dedit, nulli assentari in animũ induxit: muneribus inuidiosissimis functus, non inuenit vt vel suspicione criminis in gente satis suspicaci perstringeretur. Modestiæ eius

adſcribitur, quod noctu voluerit ſepeliri tacite, quod eleganter expreſſit Cornelius Muſius ſuo carmine allegoricōs ludens:

*Eccuium funus ſequitur denſiſſima turba?*
*Budæus, dolor, his tenditur in loculis.*
*Cur igitur non æra ſonant ſacrata? Quod eius*
*Vulgata hoc ſtrepitu ſit ſine fama ſatis.*
*Cur non plus facibus pro conſuetudine ſancta,*
*Proq; adeo veteri relligione datum?*
*Nempe per obſcuras tenebras vt diſcere poſſes,*
*Lucem eſſe exſtinctam Gallia clara tuam.*

FRANCISCVS CVRTIVS Papienſis, Iuriſconſultus, hac tempeſtate, celebris habetur, qui etiam editis ingenii ſui monumentis, apud poſteros immortalem ſe quodammodo reddidit. Eius leguntur Conſilia in iure, de ſequeſtro, de iureiurando ſuper Codice, ff. & Feudis, omnia typis euulgata. 1536.

Mortuus nunc quoque eſt *Ioannes Secundus* Hagienſis poeta clariſſ. D. Præſidis Nicolai Euerardi F. in Monaſterio S. Amandi in Hannonia, cuius morte immatura nuntiata Andreas Alciatus I.C. quem Biturigis audierat, hoc epigrammate diſcipulum ſuum honeſtauit:

*Nomen perpetuum vita breuiore rependunt,*
*Eliſiiſq; addunt te tua fata locis.*
*Vincere ne veteres poſſis magnoſq; Poetas,*
*Par quibus hoc modico tempore factus eras.*
*Flent Muſæ, & Charites, lachrymas quoq; fundit Apollo,*
*Et tua deſerto buſta Helicone colunt.*

Orbata Anglia clariſſimis ingeniis, apud Germanos ſtudia bonarum artium florebant. Quorum Antiquitates BEATVS RHENANVS Seleſtadienſis atque *Ioachimus Vadianus* S. Gallenſis erudierunt.

In Matheſi excellebant PETRVS APPIANVS & IOANNES SCHONERVS: Coſſicas ſubtilitates atque omnem Arithmeticam ac Geometriam docebant *Ioannes Sceubelius* & *Michael Stifelius*. Artes ſermocinatrices libris editis tradebant *Philippus Melanthon* & *Ioannes Riuius*, *Henricus Glareanus* Muſicam tractauit pereruditе. Inter Medicos illuſtrauerunt rem Metallicam ſumma cum laude *Georgius Agricola*: Herbariā LEONHARTVS FVCHSIVS, qui imitatus *Othonem Brunfeldium* Carthuſianum viuas ſtirpiū imagines ab excellentiſſimis artificibus exprimi procurauit. Itaq; cum antea regiones peregrinas plæriq;. alii alias sūptu ingēti, ſtudio indefeſſo, nec ſine diſcrimine vitæ adierint, vt ſimplicium materiæ cognoſcendæ facultatem compararent ſibi: eam materiam vniuerſam ſtudioſis ſummo & impenſarum & temporis compendio, cognoſcere præbuit: cum variis linguis

ANNI CHRISTI.

nomina, formas, loca, tempora, temperamenta, denique facultates ex Dioscoride, Galeno, Plinio aliisque classicis auctoribus adscribit. Nouam sectā Medicinæ AVREOLVS PHILIPPVS THEOPHRASTVS quoque excitabat. In iure *Claudius Cantiuncula*, *Conrardus Lagus* & *Ioannes Oldendorpius*. Inter Protestantes *Martinus Bucerus* & *Matthias Flaccus Illyricus*, quibus *Ioannes Gropperus* Coloniensis, & *Fredericus Nausea* Episcopus Viennensis facile opponebātur. *Conrardus* postremo *Gesnerus* Tigurinus Medicus conscripto omnium scriptorum catalogo Censorem se ingeniorum constituebat. Idem animalium historiam imaginibus illustrabat.

Contra Buccerum, Oldendorpium aliosque istius fecis homines præter cæteros egregie scripsit Euerhardus Billicus patria Agrippinas, instituti Carmelitici Zelator egregius, eorumque in prouincia Alemaniæ inferioris Prouincialis Prior, in Concilio Tridentino nomine Electoris Coloniensis Legatus & Orator, cuius oratio ibidem habita de Circumcisione elegantissima typis prostat. Designatus suffraganeus Coloniensis apud suos Coloniæ moritur, mortuo talis ponitur epigraphe:

*Billicus in nostro vixit celeberrimus orbe*
*Scutica vt hæreseon extitit occubuit.*

Clarissimum sidus apud Sarmatas nunc emicuit *Nicolaus Copernicus* Torinensis absolutæ subtilitatis Mathematicus, qui nouis excogitatis motibus contra veterum opinionem Solem mundi centrum statuit, orbique terrarum tribuit triplicem motum: librosq; suos cum demonstrationibus Paulo tertio summo Mathematico atque acerrimi iudicij Pontifici dedicauit. Scripsit super eas *Erasmus Reinfeldius* mox absolutissimas tabulas.

Habebat etiam Vltraiectum GEORGIVM MACROPEDIVM Buscoducensem Comicum per quam lepidum, atque CORNELIVM VALERIVM primarium Grāmaticum, qui post *Petro Nannio* Alcmariano, Philologo, & Græcarum litterarum peritissimo in Collegio trilingui Buslidiano successit.

PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS, Senensis Medicus, suos in Dioscoridem Commentarios edit, pro iisque Apologiam contra Amatum Lusitanum scribit.

Eminebant ibidē quoque ALBERTVS PIGHIVS Cāpensis, atq; HERMANNVS LETMATIVS Goudanus Theologi præstantissimi.

Latebat tum & apud Sarmatas Regiomonte *Gulielmus Gnaphæus* Hagiensis, qui Comico argumento *Acolastum* filium minorem prodigum sane eleganter conscripserat. Post quem *Cornelius Crocus Iosephum Patriarcham* edidit, atq; in eo Comici omnes numeros expressit. Quo Roma nunc reuersus in patriam Amstelredamum cum *Alardo* Polygrapho, *Nicolao Cannio*, atque

*Quirino Thalesio* Amanuensibus quondam Desid. Erasmi suauiter versabatur, non minus ob vitæ sanctitatem, quam ob Latinæ linguæ puritatem orbi conspicuus.

Nardam opidulum decorabat *Lambertus Hortensius* Montfortius Poeta Satyricus, atque non ignobilis Historicus. Apud Flandros Historiam patriæ scribebat *Iacobus Meyerus* Balliolanus, & *Christianus Massæus* Cameraci multiplicis historiæ Chronica à se cōscripta per annos fere quinquaginta Cornelio Sceppero (cuius opera edita sunt) legenda offerebat. Quæ vendi idcirco prohibita fuere, quod Legatus Franciæ apud Imperatorem querebatur in iis taxatum fuisse suum Regem Franciscum. Carolus enim ad se vocatum Scepperum increpando: *Cur edendis historiis*, ait, *odii inter Principes semina seritis vos eruditi. Quod si libet res gestas scribere, edite libros nobis mortuis, vt non cogamini inseruire aliorum affectibus, exemplo C. Suetonii.* Est certe periculosum quidquā scribere de Principibus, quod nomen eorum videatur offuscare. Minabatur certe *Lamberto Hortensio* Maximilianus Buranus Comes, quod inter describendum Tilæ obsidionem; Tilam à Tila obsideri dixerat: eo quod Florentius eius pater exercitus Duxillo dicterio fuisset segnitiei infidæ notatus. Minore inuidia edebat illam omnium quæ fuerunt elegantissimam orbis descriptionem Cosmographicam GEMMA FRISIVS Louanii, cum hocce distichon illi inscriberet:

*Consortem Imperii voluit quia Iuppiter orbis*
*Astra Deo cedunt, Carole terra tibi.*
GEMMA, *cui secti patuerunt inuia mundi*
*Et quidquid longa vidit vertigine Phœbus:*
*Cui nubes superare vagas, sedesq; repostas*
*Mente datum sancta est, & auito currere cælo*
*Fatalesq; rotas tereti suspendere ligno.*
*Immortale ferens nomen, dum* GEMMA *feretur*
*In digitis, fuluoq; decens radiabat in auro.*
*Phœbeiq; terent iteranda volumina currus.*

Similiter & ORONTIVS FINEVS Dolphinas Matheseos Parisiis professor Regius, qui ad Ctesibii Alexandrini exemplum Hydraulicam in nauis formam machinam ad cognoscendas diei horas elaboratam Francisco Regi omnium artium patrono munifico exhibebat.

GVILIELMVS quoque PHILANDER, qui commentariis eruditis in Vitruuium editis Architecturam illustrabat.

Porro Galliæ ornamento tum quoque fuere *Nicolaus Borbonius*, & *Salmonius Macrinus* Poetæ. *Iacobus Tusanus* Græcæ linguæ, atq; *Franciscus Vatablus* Hebraicæ, *Adrianus Turnebus* Latinę professores. *Ioachimus* quoq; *Perionius* ore Ciceronis docens

ANNI CHRISTI. loqui Aristotelicam. & *Ioannes Ruellius* Suessionensis cunctis qui de stirpibus scripsere, gloriam præripiens. *Iacobus Siluius, & Ioannes Farnelius* Ambiani Medicinam illustrantes. Deniq; *Ioannes Gagneus* insignis Theologus, & à sacris Musis non alienus.

In Hispania excellebant *Ferdinandus Pintianus* Antonii Nebrissensis discipulus: *Andreas Resendius* poeta, cuius amicitia fruebatur Eboræ NICOLAVS CLENARDVS Distensis vir festiuissimi ingenii, qui quo post perceptas Græcas ac Hebraicas litteras in Arabicis quoque excelleret omnem mouit lapidem vt etiam profectus fuerit Fessam, vbi emptum præceptorem centum & octoginta ducatis, eum Regi restituit quingentis, cum audisset tres alios Tunetenses venales esse in Hispania. Cum ergo inde rediisset eo proposito, vt litteras Arabicas profiteretur Louanii, quo Theologi possent disputare contra Machometum, obiit Granatæ.

Superuixit illi viginti circiter annis *Ioannes Vasæus* Brugensis, qui præterquam quod Salmanticæ Græce interpretaretur Leges Platonis, Historiam Hispaniæ eleganter conscribebat.

Excellebat & Historiam Lusitanicam illustrando *Hieronymus Osorius* exquisitissimus ingeniis adnumerandus.

Inter Theologos eminebant *Dominicus Soto, Andreas de Vega, & Alphonsus de Castro. Antonius* vero *de Geuara* poliendæ linguę vernaculæ efformandisque Principis moribus erat intentus: & *Ioannes Martinus Siliceus* Philippum Principem litteras docebat.

Illustrabat sui temporis historiam *Franciscus Guicciardinus* Italice: Latine vero PAVLVS IOVIVS Nouocomensis. Nec erat vlla aliqua magni nominis vrbs in Italia quæ non ostentaret viros summe doctos.

Mediolani clarebant ANDREAS ALCIATVS Iurisconsultus, & HIERON. CARDANVS Medicus, Philosophus atq; summus Mathematicus, nec non Astrologus.

Aristotelicam ac Platonicam Philosophiam mira comitate ibidem explicabat LEONICVS TOMÆVS, qui cum peruenisset ad LXXIII ætat. annũ, moriente grue, quem per quadraginta annos aluerat, dixit se mox secuturum.

Mortuo *Petrus Bembus* Cardinalis sepulcrum faciendum curauit cum hoc Epitaphio:

LEONICO TOMÆO VENETO,
MITIORIBVS IN LITTERIS,
PANGENDISQVE CARMINIBVS
INGENIO AMABILI,
PHILOSOPHIÆ VERO IN STVDIIS,
ET ACADEMIA PERIPATETICAQVE

DISCI-

DISCIPLINA LONGE PRÆSTANTI,
NAM ET ARISTOTELICOS LIBROS
GRÆCO SERMONE PATAVII
PRIMVS OMNIVM PVBLICE DOCVIT,
SCHOLAMQVE ILLAM MVLTIS LATINIS
INTERPRETIBVS INCVLCATAM
PERPOLIVIT,
ET PLATONIS MAIESTATEM
NOSTRIS HOMINIBVS IAMPROPE
ABOLITAM RESTITVIT,
MVLTA PRÆTEREA SCRIPSIT,
MVLTA INTERPRETATVS EST,
MVLTOS CLAROS ERVDIIT VIROS,
PRÆTER VIRTVTEM BONASQVE ARTES
TOTA IN VITA NVLLIVS REI APPETENS.

Vixit annos LXXV. Menſ. vnum,
dies XVII. integer.
PETRVS BEMBVS AMICO
INCOMPARABILI P. C.

*Naturæ ſi quid rerum te forte latebat;*
*Hoc legis in magno nunc* Leonice *Deo.*

Venetiis *Andreas Nauagerius* & *Paullus Manutius* Aldi filius. Erat & apud Oratorem Franciæ *Lazarum Baiſium* Iuriſconſultum clariſſimum *Petrus Bunellus* Tholaſanus, cuius epiſtolæ ſpirant Ciceronis familiam. Patauii profitebatur ius ciuile *Viglius Zuichemius* Friſius.

Viennæ Auſtriæ florebat etiam WOLFGANGVS LAZIVS Medicus Regius & Hiſtoricus.

Ariſtotelis etiam Meteorologica ALEXANDER PICCOLOMINEVS Senenſis Archiepiſcopus deſignatus explanabat: deque inſtitutione vitæ hominis nobilis & ciuitate libera nati philoſophabatur.

Florebant quoque pii vates digna CHRISTO loquentes *Hieronymus Vida* Cremonēſis Albæ Epiſcopus, *M. Antonius Flaminius*, & *Baſilius Zanchius*. *Aonius* quoque *Palearius* Verulanus amicorum immortalitatem graui carmine declarabat : ſicuti *Scipio Capicius* poſt decantatum Vatem Maximum, aerem elementum vnicum, ex quo omnia prodirent, canebat, & quomodo tum

*Africa terribili tremit horrida terra tumultu,*
*Cum pia bella mouens, & iuſta accenſus ad arma*
CAROLVS *vndiſonum conſtrarat nauibus æquor.*
*Et geminæ Heſperiæ collecto flore, ſuiſq;*
*Germanis Libyæ venit ſitientis adoras,*
*Prædonumq; ducē immanem, qui è ſedibus Aſrum* Expu-

ANNI CHRISTI.

*Expulerat Regem patriis, sceptroque potitus*
*Per populos late victor regnabat, & vrbes*
*Et Turcas socios Tuneti compulit intra*
*Mœnia se clausis trepidos defendere portis.*

Porro præter Bembum tenera poesi, Ciceronianis epistolis, & graui Venetæ historiæ stilo clarissimum, eminebant quoque in Senatu Cardinalium eius ciuis *Gasparus Contarenus*, qui Philosophiam mire illustrauit, Rempublicam Venetam in suis Magistratibus conspiciendam exhibuit, Theologiam quoque tractauit, vti etiam *Iacobus Sadoletus*, qui doctissime in Paulinas epistolas commentatus est. *Antonius* quoque *Pucius* Florentinus, Magister Vaticanæ Bibliothecæ erat *Zenobius Acciolus*: illustrabatque vrbis Antiquitates *Bartholomaus Marlianus* eques S. Petri.

Inter pictores non minimam laudem merebatur *Ioannes Mabusius* Hannonius, qui Italia, aliisque peragratis regionibus, magnam sibi artique suæ famam comparauit, & *Albertum Durerũ*, & *Lucam Leidensem* aliosque familiares & operum suorum admiratores habuit. Obijt circa hocce tempus.

1540. Moritur hoc anno magnus ille Historicus *Franciscus Guicciardinus*, nobili Florentiæ natus familia, de cuius libris & stilo elegans iudicium vide apud Lipsium in Notis ad Politica.

*Gasparus Contarenus* Cardinalis Venetus obiit Bononiæ ibidem Legatus, vir vt doctissimus, ita doctorum Mecœnas habitus. *M. Antonius Flaminius* hoc Elogio illum celebrauit:

*Contarene tuo docuisti Magne libello*
*Exstinctis animas viuere corporibus.*
*Ergo iure tui viuunt monumenta libelli,*
*Et viuent sæclis innumerabilibus.*

Paulus Iouius. *Henricus Cornelius Agrippa* à Carolo V. Imperatore Senatu Mechliniensi amotus, quod infamis Necromantiæ suspicione haberetur, per Galliam vagabundus apud Lugdunum in ignobili diuersorio è vita excessit senex ac egenus.

Mortuus est hoc anno *Ioannes Pierius* Toletanus, Rhetor & Poeta excellens in Academia Complutensi, ann. ætat. XXXIII.

1545. *Antonius de Geuara* Hispanus Episcopus Mandonensis moritur.

Cum passim nunc luxuriante arte scribendi, complures in ea excellerent, facile palmam inter omnes promeritus est *Ioannes Baptista* Palentinus Romæ, consecutus priuilegium à Paulo tertio Pontifice & Senatu Veneto libellum edidit, in quo omniũ

pene

penenationum & antiquos & recentiores characteres multo e-legantissime expressit. ANNI CHRISTI.

Hoc anno duodecimo Kal. Mart. obiit Islebii *Martinus Lutherus*, vt mihi tum donata fuerit eius imago, cui Amanuensis D. Erasmi subscripserat: 1546.

*Si spectare voles quater execranda Lutheri*
*Ora, vide hæc referet parua tabella tibi.*

Qui partium erant Lutheri eum quasi sanctitate eminentem Ephemeridi inscribere, *Lauterum*, hoc est, purum vocare, & fidelis Prophetæ officio functum, Antichristum detexisse asserere non dubitabant: cum contra *Ioannes Ofousius* Mathematicus in Saxonico eius nomine *Martin Lauter* nûmerum bestiæ 13. cap. in Apocalypsi designatum 666. computare hoc modo solitus esset, idq; suis scriptis inseruit *Guilielmus Lindanus* Episcopus Ruremundensis:

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| *M* | 30. | *L* | 20. | a | 1. | l | 20. |
| *a* | 1. | *a* | 1. | b | 2. | m | 30. |
| *r* | 8. | *u* | 200. | c | 3. | n | 40. |
| *t* | 100. | *t* | 100. | d | 4. | o | 50. |
| *i* | 9. | *e* | 5. | e | 5. | p | 60. |
| *n* | 40. | *r* | 80. | f | 6. | q | 70. |
| | | | | g | 7. | r | 80. |
| | 260. | | 406. | h | 8. | ſ | 90. |
| | | | | i | 9. | t | 100. |
| | 666. | | | k | 10. | u | 200. |

*Iacobus de Dauentria* Mechliniæ Caliographias Brabantiæ, Hollandiæ aliarumque Belgii regionum nunc edit: cum antea Flandriæ chartam euulgasset Gerardus mercator Rupelmundanus: sicque tandem expressæ fuerunt omnes Belgii ditiones.

*Petrus Bembus* Venetus Cardinalis moritur Romæ decimoquarto Kalendas Februarii. 1547.

*Tu, tu, Virgilio certabas Bembe Latino*
*Magnanimûm heroum carmine facta canens.*
*Audiit, & musa captus dulcedine, Thuscos*
*Ad citharam versus condere iussit amor.*

Cum concilium Tridentinum ob pestilentiam videretur in longum protrahi, Germani docti aliquot obtulerunt Carolo Quinto Imperatori modum, quo in negocio Religionis per imperium ad definitionem Concilii esset viuendum, quem visum à Theologis exhibuit Idibus Maii in Comitiis Augustanis Imperator, & ne quid in eo mutaretur iussit, & Latine translatum cum priuilegio statim imprimi.

Hoc

ANNI CHRISTI. 1550. Hoc anno absoluit *Fr Leander Albertus* Bononiensis descriptionem Italiæ, atque decimo quarto Kalendas Februarii eam Henrico secundo Galliarum Regi, ac Catharinæ eius coniugi dedicauit Ad cuius imitationem mox Ludouicus Guiciardinus Francisci ex fratre nepos Belgium describere exorsus est stilo Hetrusco, cum hoc etiam faceret Hispanice Ioannes Caluetus Stella.

Hoc tempore *Ioannes Magnus* Gothus historiam Gothorum conscribebat, & *Olaus* quoq; *Magnus* frater eius, ipsi in Archiepiscopatu Vpsalensis Ecclesiæ succedens Septemtrionis res admirandas litteris commendauit

*Damianus Goes* suam Lusitaniam illustrare aggressus est: componendis Symphoniis magnus artifex, & a cunctis doctis viris amatus plurimum.

*Lazarus Bonamicus* Bassianus, qui liberales artes ac philosophiam, non vt dicendi magistram, sed faciendi in omni virtutis ac humanitatis officio habuisse fertur, septuagenarius obiit Patauii anno Domini 1552 quarto Idus Februarii, in æde D Ioannis eius imagini æneæ in lapide humi positæ hocce Epitaphium legitur.

LAZARI BONAMICI
CATHARINÆQVE VXOR CAR.
IN SECVNDVM REDEMPTORIS
ADVENTVM QVIETIS SEDES.
D.
H. M. D. M. A.

1552. *Iacobus Meyerus* Baliolanus Curio Blancobergius Annalium Flandricorum scriptor, moritur sexagenario maior Brugis Nonis Februarij, atque sepelitur in æde S. Donatiani. Moritur hoc
1552. tempore PAVLVS IOVIVS Nouocomensis, Historicus, conditusque temporario sepulcro Florentiæ cum hoc elogio:

*Pauli Iouij Nouocomensis Episcopi Nucerini Historiarum Scriptoris celeberrimi, hic deposita sunt ossa, donec eximia eius virtute dignum erigatur sepulcrum*

Vixit annos LXIX. mens. VII. dies XII.
Obiit IIII. Id. Decemb. M. D. LII.

*Hic situs est Iouius Romanæ gloria linguæ.*
*Par cui non Crispus nec Patauinus erat.*

Collegium Germanicum Romæ institutum fuit à Iulio tertio Pontifice, in quo aluntur ac instituuntur centum adolescentes Germani liberalitate atque Eleemosynis Pontificis ac Cardinalium.

Adamus

*Adamus Sasbout* Delphus annos natus triginta sex, menses ANNI tres moritur Louanii, duodecimo Kalendas Aprilis, cum octo CHRISTI. circiter annos regulam S. Francisci esset professus. Commentaria in Isaiam & Paulum edita sunt post eius mortem.

*Adamum cum Franciscus doctumque piumque*
*Discipulum ad superos carpere vidit iter.*
*Occurrens iuueni dextram porrexit, & inquit,*
*O ades, o nostræ relligionis honos.*

IGNATIVS de LOYOLA natus annos LXV. obiit Romæ. Fuit hic Cantaber, & in oppugnatione Pompeiopolis vtroque crure læsus, captusque à Gallis Cum itaque eum tæderet vitæ militaris, statuit Deo seruire, nouo excogitato vitæ genere. Atque annos natus viginti sex Hierosolymam se contulit, indeque reuersus Parisiis decennium Philosophiæ atque Theologiæ studuit. Deinde reuertens in patriam Romam concessit, vbi intercedente Gasparo Contareno Card. Paulus III. Pontifex institutum Societatis IESV, cuius ille auctor erat approbauit anno M D XL. quę breui tempore per Societatis doctissimos viros vsque eo aucta est atque excreuit, patronis præcipue Ioanne III. Portugaliæ Rege & Ferdinãdo Cæsare Romano. Excelluere inter eos, quos Ioannes fouit, *Franciscus Xauerius* qui lucrandis Indorum animis Christo nullos detrectabat labores, nullaque non adiit pericula, profectus vsq; ad Iapones, vt *Indorum Apostolus* merito sit appellatus. Ferdinandi vero inter alumnos *Petrus Canisius* Nouiomagus: cuius Catechismum tanti fecit Ferdinandus, vt eum sub sui nominis titulo edi curauerit. Ferunt Canisium plures Germanos à Lutheri dogmate sermone auertisse, quam Carolus V. Imp. gladio, cum eos iam subegisset. 1556.

*Ioannes Caluinus* Nouiodunensis Francof. ad Mœnum publice disputat cum *Iusto Velsio* Hagano de libertate arbitrii hom. Solitus erat Velsius (vt homo sibi multum tribuebat, suisque somniis) dicere se Caluinum iugulasse gladio Aristotelis, & Theologum à se Philosopho esse victum. Edidítque vastum *in Cebetis tabulam* commentarium. 1556.

Mortuus quoq; nunc fuit peste Argentinæ *Ioannes Sleidanus* Historicus Germanus, vt aiunt, nequaquam cum multum in gratiam Patronorum Principum scripserit, nec à conuitiis abstinuisse inueniatur. Vnde qui ab eo se notatos sentiebant, illud Homeri in eum torquebant: 1556.

*Mos garrire tibi multa est, neque fundere verba:*
*Te tamen, atque adeo semper decet esse loquacem.*

Fuit & fatalis hic annus ANDREÆ TIRAQVELLO, Iurisconsulto doctissimo, magnæq; lectionis, ac Regio in Curia Parisiensi Senatori, multorumque liberorum & librorum parenti. 1557.

PETRVS

ANNI CHRISTI. PETRVS etiam NANNIVS Alcmarianus, Louanii in celeberrimo collegio trilingui Buslidiano Louanij Eloquentiæ Professor eruditissimus, editis ingenii monumentis clarus, Cornelio Musio admodum familiaris viuere desiit Louanij 20. Iulii, anno ætatis 57. sepultus in D. Petri. Fuit vir comi & affabili ingenio, vti ex scriptis eius videre est. Cui in Collegio Buslidiano succenturiatus est *Cornelius Valerius* Vltraiectinus, vir itidem & candore animi & doctrina celeberrimus; qui ante Caroli V. triumphos, siue aduentum eius Vltraiectum anno M.D.L. versu decãtauerat.

Cum hac tempestate schola Delphensis careret Rectore, commendatusque esset Consulibus LAMBERTVS HORTENSIVS Montfortius ob eruditionem, cuius specimen editis libris Comm. in Virg. Æneida, & Lucanum, item Historia Germaniæ dederat, scripsit Adrianus Aleidius ciuitati à pensionibus, vt vocant, Asiatica verborum vbertate ciuitatem expetere rectorem, qualem ipse colore vario depingebat, Hortensius qui Nairdæ quiete vitam agebat ad eas Laconice hoc modo respondit: *Angelum quæritis; homo sum.* Valete.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER, Philologus, Philosophus, & Medicus celeberrimus, adeo vt sæculi sui miraculum merito audierit: multa ingenii monumẽta, quibus immortalẽ se reddidit posteris tradidit, filium reliquit *Iosephum*, qui vtinam quam à patre & maioribus hauserat religionem non mutasset, nam in fide Catholica ac Romana degener filius. Obiit Iulius Cæsar Scal. Aginni Nitiobrigum anno ætatis XLVII.

Decessit eodem fere tempore IOANNES FERNELIVS, Medicus longe celeberrimus, Lutetiæ Parisiorum cum vixisset annos quinquaginta duos.

1558. REGINALDVS quoque POLVS XIII. Kal. Decembris Londini mortuus atque sepultus est. Fuerat hic regia Anglorum stirpe ortus, cum Henrici VI. ex Richardo filio nepos & Eduuardi IV. Pronepos esset, atque à Paulo III. Pont. Max. donatus Cardinalitio galero Patauii ob eruditionem suspiceretur; fouens *Chrystophorum Longolium* intra ædes suas, cuius & vitam quæ exstat, conscripsit. Missus à Pontifice Angliam versus, cum Cameraci subsistens audisset Henricum Regem sæuire in eos, qui eum Ecclesiæ Anglicanæ profiteri recusabant, re infecta Romam reuersus est. Cumque Paulo III. Pont. mortuo plurimorum suffragiis esset electus; renuit tale onus suscipere, quod paucioribus
1558. quam Canones habent, esset suffragiis electus. Vixit annis LVIII.
In eius effigiem ita lusit M. Antonius Flaminius:

*Si velut egregia pictura maxime Poli*
*Est expressa tui corporis effigies:*
*Sic diuina tuæ potuisset mentis imago*
*Pingi, nil oculi pulcrius aspicerent.*

RVAR-

RVARDVS TAPPERVS Enchuſanus, cum duobus voluminibus conſcriptis articulos Louanienſis Academiæ in cauſſa religionis propoſitos acriter defendiſſet, atque argumenta aduerſariorum, etiam ipſorum inter ſe diſſentientibus ſententiis, euincere ſtrenue fuiſſet conatus, moritur Louanii ætate conſumptus VI. Non. Martii. Teſtamento ſuæ ſupremæ voluntatis executores conſtituit Viglium Zuichemum, & Iodocum Tiletanum Theologum, dum ANNI CHRISTI. 1559.

*Ad sVperos abIens MaVortIs LVCe seCVnda*
*VLtro paVperIbVs sVa dat bona CVnCta RVardVs.*

*IoannesGropperus* I. C. & Theologus Colonienſis mortuus eſt Romæ, pridie Id. Mart. ſepultuſque eſt in templo Germanorum ad pedes Adriani VI. Pont. Max.

Viuit nunc IOANNES PISTORIVS Nidanus. fuit hic vnus ex Lutheranis, qui colloquio Wormatiæ inter Catholicos anno ſuperiori habito interfuit, cum Melanchtone, Paulo Ebero, & aliis. Ex Catholicis ſeſe illis oppoſuere *Franc. Sonnius, Iudocus Rauensteyn*, doctores Louanienſes; *Petrus Caniſius* Societat. Ieſu, *Fridericus Staphilus* ex Lutheranis erroribus ad gremium Eccleſiæ Catholicæ reuerſus.

Hoc anno erutus ſepulcro Baſileæ Raucarorum III. Idus Maij *Dauid Georgii filius* impietatis ac mutati nominis condemnatus, cum imagine ſua depicta ac libris à ſe conſcriptis rogo impoſitus combuſtus fuit. Erat hic parentibus Batauis Delphenſibus ſcenicos ludos exercentibus Gandæ Flandrorum vrbe natus anno 1500. & Delphis Hollandiæ educatus, vbi cum pingendis vitris mirum in modum excelleret, ob blaſphema quædam temere effutita reus condemnatus, in foro lingua exerta atque effoſſa catamidiatus fuit: allectus deinde ſucceſſu Anabaptiſtarum Monaſterienſium, ad ſui nominis ſectam conſcriptis aliquot libellis vernaculo ſermone, condendam ſe contulit: atque in Veſtphalium profectus impio aſtu, quod ſe tertium Dauidem cælitus promiſſum eſſe diceret, nobiles aliquot mulieres ſuperſtitione ſui imbutas auro emunxit. Itaq; paratis ſibi opibus, cum nec palam ob Epiſcopum, nec clam propter alterius ſectæ auctorem Batenburgum, qui eum capitali odio perſequebatur, ibidem hęrere poſſet, Baſileam cum omni familia profectus 8. Kal. Sept. anno 1544. ciuitate donatus fuit, vixitq; ibidem per 12. annos *Ioannes à Brug* indigitatus. Mortuuſque annos natus 56. VIII. Kal. Sept. anno 1556. atque ſepultus in æde S. Leonardi.

Moritur & Philippus Melancthon, Wittebergæ, Brettanus, in hæreſi Luthero Achates. Qui vtinam obtemperaſſet diſticho ab amico ipſi ſcripto: 1560.

ANNI CHRISTI.

*Si quid habes nigri quaeso te chare Melanchton*
*Eluito, & magnos maximus inter eris.*

Et Robertus Cenalis Episcop. de illo Virgilianũ illud iactabat:

——*Hic niger est, hunc tu Romane caueto.*

*Abysu* Orientalium trans Euphratem Ecclesiarum Patriarcha electus Romam pro confirmatione venit literis Chaldaicis, Arabicis atque Assyriis doctus, ibiq; solenni iuramento praestito atque pallio donatus professionem fidei suae Pontifici exhibuit, quae ad Concilium Tridentinum transmissa est, atque lecta sessione vigesima-secunda decimo-quinto Kalendas Octobris.

*Nicolaus Goudanus* Societatis IESV acceptis litteris Louanii à Pio quarto Pontifice iubetur proficisci in Scotiam ad Mariam Stuartam Reginam Francisci secundi Galliae Regis vxorem, viduam, vt ei denuntiet indictum esse concilium, admonendo vti velit sui regni Episcopos ac doctores mittere Tridentum. Quò cum sub specie nautę ductus esset à nauiculario, atq; clam intromissus Edenburgi ad Reginam, illa excusare se atque suam deplorare fortunam, quod tali habitu necesse haberet videre Nuntium Apostolicum etiam cum summo vitae eius periculo: cum memoria teneret quanto honore Nuntii atque Legati Pontificũ soleant excipi in Gallia à Regibus suo socero suoque marito. Monet vt confestim abeat referatque Pontifici se obedientem quidem Ecclesiae Romanae filiam necessitate cogi, nullum mittere posse, habituramq; se rata quaecumque Patres decreuerint sanxerintve: Quae omnia reuersus Nicolaus nobis enarrauit, cum Delphis apud eum in coenobio S. Vrsulae essem.

1560. PETRVS quoque BELLONIVS, Gallus, Medicus excellens, cum peragratis plerisq; mundi partibus, raras naturae dotes peruestigasset, easq; posteritati tradidisset, obiit anno M.D.LXIV.

5533. *Conrardus Brunus* Philosophus, Iurisconsultus ac Theologus, qui ordinationem Camerae Imperialis, ac varios iuris ac Theologiae libros conscripserat, caecusque admonitionem aduersus Magdeburgensium Censorum Centurias dictauerat, cũ Oenoponte reuersus à Ferdinando Imperatore Monachium peruenerat, obiit ibidem mense Iunio, antequam Augustam, vbi Canonicus erat, rediisset, Opes in studiosos pauperes erogari testamento voluit.

5534. *Fredericus Staphylus* obiit Ingolstadii tertio Nonas Martii, annos natus quinquaginta & vnum. Hic Wittenbergae decem annis Martino Luthero adhaeserat, cumque Ferdinando Caesari factus esset à Consiliis, aduersus Lutherum scribere exorsus est valde vehementer, atque cum aculeis. Qui à parte Lutheri erant eum perfugam & desertorem dictare illorum castrorum, in quibus tam diu meruerat, sed ad bonam mentem potius rediit.

Praeter complures alios clarent nunc maxime duo insignes

Cosmographi GERARDVS MERCATOR Rupelmundanus, & ABRAHAMVS ORTELIVS Antuerpiensis, Regis Catholici Geographus, Belgæ ambo: ANNI CHRISTI. 1564.

*Qui cælum, quos terra nouis expressa figuris*
*Perpetuos tollent, perpetuosq; canent.*

Huius etiam vitam legas in THEATRO orbis terrarum.

Floret nunc in Galliis *Franciscus Balduinus* Iurisconsultus, & historiæ Africanæ scriptorum Commentator. Atrebas, *Gentianus Heruetus* Aurelianus & *Claudius Xaintes* Epis. Theologi præcipui aduersarii Theodori Bezæ, hæresiarchæ Gebennici.

Præcipuus vero Bezæ antistes erat CAROLVS GVISIVS Cardinalis Lotharingus Archiepiscopus Rhemensis in vernacula sua lingua eloquentissimus: vt cuius orationem, quam in celebri illo conuentu Ordinum Galliæ Possiaci habuit, non dubitent quidam componere cum ea quam M. T. Cicero habuerat pro Milone. Latine quoq; in Trident. Conc. perorauit.

Interfuit *Carolus* Colloquio de religione habito inter *Claudium Espencaum* Doctorem Theologum Parisiensem, virum celeberrimum & *Theodorum Bezam* Caluinistam, anno M. D LXI. vt & P. Iacob. Lainoz Soc. Iesu Præpositus postea Generalis.

*Petrus Fonditonius* Hispanus Canon. Salmanticensis insigni oratione contra *Ioannem Fabricium Montanum* Concilium Tridentinum ad Germanos scripta defendit. Pari eloquentia, eodemq; tempore & Iac. Payua Lusitanus

CAROLVS MOLINÆVS, Paris. I. C. Cum ob scribendi libertatem in carcerem coniectus fuisset, nec ad meliorem frugem reuerteretur, à religione Catholica alienus mortuus est: & impie de Vsuris contraq; Ecclesiam scripsit. 1556.

*Ioannes Sartorius* Amstelredamus Grammaticus Triglottos moritur exul, deserta Relig. Catholica.

LAMBERTVS LOMBARDVS natus Leodii, vltra artem pictoriam architectus quoq; fuit præstantissimus, ac simul peritissimorum pictorum magister & efformator. vti Francisci Floris. & Huberti Golczii Venloniani. Abstulit ille inter primos rudem illam & stupidam pingendi rationem, & aliam longe venustiorem & ad antiquitatis præcepta excogitatã excoluit. Ei⁹ vita Latine à Goltzio vel Lampsone discipulo conscripta, seu Elogiũ legitur.

*Ioannes Caluinus* Nouiodunensis Caluinianorum huius æui sectæq; antesignanus, Pthisi, colica, asthmate, hemicrania, calculo, podagra & hæmorrhoidibus diu vexatus obiit Geneuæ Allobrogũ, cum ibidẽ XXX. circiter annis esset commoratus, atque in publico cœmeterio nullo sepulcri apparatu fuit conditus. Vixerat annos quinquaginta quatuor, menses decẽ, dies septẽdecim.

Quo etiam anno extinctus est *Andreas Gerardus* Hyperius.

ANNI CHRISTI. *Andreas Vesalius* Bruxellensis Medicus Cæsaris Caroli V in itinere Hierosolymitano morbo correptus, annos habens quinquaginta in Insula Zaryntho exspirauit, vt refert Pe. Bizarrus Genuensis in Cypria hist.

1566. Ioannes etiam Ranzouius parens Henrici illius Ranzouii, vir militari laude non minus quam eruditione celebris, Eques auratus, etiam occubuit ætatis suæ LXXIII.

*Conradus Gesnerus* Tigurinus medicus animantium ac plantarum scrutator, peste interiit Tiguri, ætat. XLIX.

*Ioannes Funccius* supputationibus Chronologicis in lucem editis capite truncatur Regio-monti 28. Octobris, qui ante necem hoc distichon dicitur pronuntiasse.

*Disce meo exemplo mandato munere fungi,*
*Et fuge ceu pestem τὴν πολυπραγμοσύνην*

Occubuit insuper paullo post *Leonardus Fuchsius* medicus & Professor Tubingensis qui scriptis suis medicinæ abdita illustrauit.

1567. *Iustus Ionas* Iurisconsultus capite truncatus Hafniæ: ante mortem fertur recitasse hos versus.

*Quid iuuat innumeros scire atq; euoluere casus,*
*Si facienda fugis, si fugienda facis?*

GEORGIVS EDERVS Iurisconsultus *Oeconomiam Bibliorum* siue partitionum Theologicarum quinque libros longe vtilissimos nono Kalendas Februarii Pio V. Pontifici Maximo & Maximiliano secundo Cæsari Romano dedicatos in lucem edit.

Ceterum immortalem laudem apud eruditos adeptus pridem fuit PHILIPPVS II. Austriacus Hispaniarum Rex, dum misso ex Hispania BENEDICTO ARIA MONTANO Hispalensi Biblia Hebraice, Græce ac Chaldaice cum tribus Latinis versionib. summa diligentia ac elegantia per Christophorum Plantinum Architypographum ingenti sumptu in gratiam sacrarum litterarũ candidatorum excudi procurat. Fuere duodecim exemplaria in mẽbranis impressa: emptæ Leidis Hollandiæ mẽbranæ fuerunt sexcentis libris seu pondo Flandricæ probatę publicæ monetæ. Dum vero correctioni præest Mõtanus, *in Prophetas minores* cõmentatus est, atq; veteres nouiq; testamenti historias (quas ei varii pictores ac incisores fecerant) elegãtissimis carminibus illustrauit. Vir summi ingenii, maximę memoriæ atq; admirandæ prorsus industriæ. Vt qui præter Græcam, Hebraicam, Chaldaicam linguas edoctus etiam inter summos Poetas posset numerari: titulo insuper Doctoratus Theologiæ Salmãticæ fuerat exornatus. Præter vernaculam linguã Gallice atq; Italice ita erat eruditus: vt de illorum poetis rectæ censeret: simul quoque de

tabulis

tabulis atque statuis & omni antiquitate. Eam quoque Medicinæ partem, quæ manu exercetur, nouerat exacte. Ita vt eum diceres *Apothecam variarum disciplinarum & erudita pietatis exemplar.* Inerat illi mira Humanitas, & comis affabilitas inaffectata: sic vt qui eum adirent, raperêturin eius amorem pleriq; omnes. Quales erant tum Antuerpiæ *Ioannes Goropius Becanus* Medicus quondã Mariæ Reginæ Hungariæ, *Ioachimus Polites* Poeta vrbi à Secretis. *Gerardus Falckenburgius, Victor Giselinus, Theodoretus Pulmannus.* Eius fama exciti venere eum salutatum ex Germania complures. Ex Hollandia *Ioannes Douza* poeta, *Adrianus Iunius* Hornanus, Medicus ac Polyhistor: *Martinus Duncanus* Theologus: *& Adrianus Adrichomius Delphensis*, terræ sanctæ Topographus. *Gulielmus* quoq; *Tethrodius* summus Statuarius. Erat vero admirationi etiam *Ioanni Hentenio, Ioanni Molano*, aliisque Theologis Louaniẽsibus. Offerebãt ei suas inuentiones *Franciscus Florius. Gulielmus Kaius* Bredanus, *Martinus Vossius, Antonius Morus* Vltraiectensis, aliique pictores.

Quas incidebant æri PHILIPPVS GALLEVS Harlemensis, *Ioannes Wirinzius* & frater eius *Hieronymus*, aliique varii incisores.

Decori insuper Belgio erat *Alanus Copus* Anglia exulans vna cum aliis multis doctis viris. Quem ob erud tionem vitæque probitatem Theologi summe suspiciebant: sicuti litterati *Stephanum Vinandum Piggium* Campensem Alberti ex sorore nepotem, omnis antiquitatis exacte peritum. cum Themim Deam edidisset: & Victorem Giseleniũ cum Aurelii Prudentij & Seueri Sulpicii scripta suæ restituisset integritati. Porro Ziriczeæ honori erat *Petrus Peccius* I. C. leges Rhodias declarando: & Iasoni Pratensi successerat *Leuinus Lemnius* Medicus de naturæ arcanis miraculis coniectans. Mechliniæ rem herbariã illustrabat *Rembert. Dodon. Carol* vero *Clusius* Atrebas aromatum ac simplicium historiam Garziæ ab Horto Latine in epitomen contraxit. *Cornelius Gemma* Louauij sideralis scientiæ doctrina excellebat. In musica cum Sebastiano Holoandro Dordraceno apud Gulielmum Bauariæ ducem *Orlandus Lassus* successisset secundum locum à Iodoco Pratensi inter Symphonetas facile obtinebat: ita vt primo quam tertio esset propinquior.

Cœpit vero grauitas Musices negligi, dum suauitati ac auriũ delectationi Symphonetarum nouus grex plurimum indulgent cantionum libellos suos Olympicam, Cælestem, Angelicam denique diuinam Harmoniam inscribentes. Quales sunt Stephanus Felis, Philippus Montanus, Bernardinus Mascus, Ioannes Turnoutinus, Riualdus Melleus Flander, Andreas Peuernagius Harlebecanus, aliique complures, quorum cantilenas Petrus

ANNI CHRISTI. Phalesius & Christophorus Plantinus typis suis excuderunt Antuerpiæ. Vbi Princeps inter Architectos erat Cornelius Florius, & inter statuarios Guilielmus Paludanus, atque inter vitri pictores Iacobus Florius. Qua in arte in Hollandia tum præcipue florebant Theodoricus & Gualterus Gaudani fratres & Gulielmus Tybantius Harlemæus nulli priorum secundus.

# GALLIA.

*Franciscus* Delphinus Francisci Gallorum Regis primogenitus moritur veneno, natus annos nouemdecim.

*Franciscus* Rex filiam suam Margaritam nuptui dedit Iacobo Stuardo Regi Scotiæ, nuptiæque celebratæ fuerunt Parisiis magno apparatu.

Cum *Florentius* Comes Burensis longa obsidione pressisset Peronam, atque *Franciscus* coronatos cum Solis signo cudi curasset, cum exercitus auocaretur ab obsidione; Galli dicterio vi Solis butyrum fuisse fusum dictitabant: *Le Soleil a fondu le bure.*

Interea & Gallus vsus suo ingenio *Fredericum* Daniæ Regem in Imperatorem concitat, percutitque cum eo fœdus, simul & cum *Guilielmo* Cliuensium Duce, cui desponderat *Henrici* Regis Nauarræ filiam, quique litem sustinebat cum Carolo ob Ducatum Gelriæ, cui Guilielmus incubabat sine iusto titulo. Itaque quinque comparat exercitus, quo Caroli regiones inuadat ab omni parte nil sinistri suspicantes.

In Gelria quoque conscriptus est exercitus à Nicolao Bossuo Longeualli Domino, qui cum Martino Rossemio ad duodecim millium circiter numero Brabantiam hostiliter peragrantes, Antuerpiam frustra tentarunt; deinde Louanium: Vnde ad eos exeuntes Prætorem vrbis & V. C. DAMIANVM à GOES equitem Lusitanum ornamentum Academiæ secum traxerunt in Franciam, cum iter haberent per Luxemburgensem ditionem, quo Carolus Dux Aurelianensis venerat vastando, capta vrbe, cuncta vndique.

Rex namque Franciscus bellum proclamari iusserat, ad Id. Iul. per Galliam enarrata occasione, quod Imp. postulatus sumere
1548. pœnam de occisoribus Cæsar. Fregosii & Antonii Rincouii Legatorũ suorum ad Solymannum id nondum fecerat. Certe Alphonsus Danalus Marchio Vasti, cui Rex illud imputabat, se apud Electores & Principes Imperii, ipsumq; etiam Franciscũ satis defendisset, videbatur illud per se suoque consilio non fuisse factum sancte affirmando. Misit alterũ exercitũ in Pedemontanos: & tertiũ in Atrebates. Porro Henricus Delphinus præerat exercitui, qui tẽdebat Perpinanũ. Erat & quintus exercit⁹ ad inuadendũ regnum Nauarræ. Sperabat quoque occlusis Rheno ac

Mosa

Mosa per Gelros, & freto Danico per Fredericum penuria annonæ Belgas posse cogi ad iniquas condiciones ineundas. Verum tantas in insulis Zelandiæ frumenti fuerat prouentus, vt precium octonarii Delphici non excederet viginti octo grossos Flandricos. ANNI CHRISTI.

Suppeditabat & Arthesia abunde satis secale Batauis ac Frisiis in vsum panis secundarii. Præfecerat Maria Belgii Præfecta in Belgis exercitui Philippum Ducem Arschotanum: qui leuibus prœliis cum Cliuensibus ac Gelris subinde decertans, Hausbergum, Duram aliaq; minora opida ceperat. Quæ plæraque cum non satis firmis tenerentur præsidiis ad Guilielmum Ducem rursum desciuerunt. Donec tandem post querelas de induciis decennalibus per Gallum disruptas ad Paulum tertium Pontificem, eius patientia longo dolore deuicta grauem erupit in iram: atque dum Franciscus Landersium Hannoniæ opidulum à se captum munit, ex Italia mouens in Iuliacenses summa vi expugnat Duram decimo tertio Kalendas Septembris, atque incendit. Quod pereleganti distichoChronico expressit Nicolaus noster Cannius:

*Dura incensa iaces dura ceruice rebellis,*
*Quo ruis, Augusti mensis & ensis erat*

Inde progressus in Gelros Venloum munitissimum ad Mosam opidum obsidebat. Quo veniens *Guilielmus* Cliuiæ Dux supplex deposcebat pacem. Itaque motus pietate Imperator ei suas diciones restituit; Gelriam, quæ iure ad se spectabat, sibi reseruans: atque recipiens Amersfordiam, quam Guilielmi nomine inuaserat Martinus Rossemius. Egit clementer cum Gelris Cæsar constituens ipsis Præfectum Carolum Comitem Lingii, & Iodocum Salboutium V.C. in Cancellarium. Deinde exercitum duxit ad obsidendum Landersium, quo annonam importaturus & Franciscus Rex properabat. Fuissetq; decertatum ingenti conflictu, ni Nicolaus Bussus ad Gallum vires Cæsaris proditorie detulisset.

Quare de nocte non conclamatis vasis fugiens cum suis Cæsarem ad prœliandum paratum elusit, adiutus à Cameracensibus. Qui irato idcirco Carolo se dedentes ad vrbis custodiam arcem exstrui passi sunt, atque deinceps parere Belgii Principi. Bussius Gaudæ gladio percussus, & in quatuor partes dissectus perfidiæ pœnas persoluit.

Porro primo vere Imperator profectus est Spiram ad Comitia, in quibus constitutum, ne Germani mererent Gallo. Inde itaq; reuersus mox mouit cum exercitu viginti millium peditū, & octo millium circiter peditum per Lotharingię fines in Campaniam, vbi captis aliquot locis, dum Sandisetium obsidet,

ANNI CHRISTI. Renatus Chalonius Aurasii Princeps Idibus Iulii globo tormẽtario ictus moriens Guilielmum Nassouium patruelem rogante Carolo quinto Imperatore (cui puer Guilielmus inseruiebat) militari testamento ex asse heredem scripsit. Qui cum tenues haberet annuos prouentus, subito omnium Belgii Procerum opulentissimus factus est Princeps. Vt cui obuenisse ferunt annue duodecies centum mille Carolæos.

Ceterum Diserio deditione accepto, traiecto Marna fluuio mouit Parisios versus Imperator, Francisco Rege, cuius exercitus dispersi erant, multum tremente atque præ metu incendẽte Esparnaum, locaq; vicina, ac fuga petente Lutetiam Parisiorum, Carolus quoque, qui Meldas vsque peruenerat, cum destitueretur annona aures faciles præbuit monacho Dominicano, qui ad eum à fratre Ferdinando, & ad Franciscum sororium missus fuerat pro reconciliando exacerbatos odio maximorum affinium Principum animos.

Fuit vero hic exceptus etiam cum gaudio à Gallo, & per dispositos equos commeando in castra ac vrbem breui procurau e fieri pacem: quę Parisiis proclamata fuit duodecimo Kalend. Octobris. Verum Henricus octauus Angliæ Rex non stetit pactis condicionibus; sed prosequebatur bellum Cum tradita Landersia sibi Imperator iusserit Valencenis, quo venerat proclamari pacem sexto Kalendas Octobris.

Porro anno insequenti cum Smalcaldici fœderis Principes se viderentur armare aduersus Imperatorem Henricus Brunswicensis Dux comparato exercitu 50000. peditum, & mille quingentorum equitum castrum suum Steynburgum bello recuperauit, iussitque ciuitates propinquas renunciare fœderi Smalcaldiæ icto, & sese ipsi reconciliare.

Aduersus quem mox PHILIPPVS Landtgrauius Hassiæ adiutus Ioannis & Mauritii Ducum Saxonum copiis exercitum eduxit: atque Henricum se captiuum vna cum filio dare compulit ditione sua exutum. Quod Imperator intelligens iustam occasionem vindicandi suos aduersarios imperioq; rebelles se nactum arbitratus, post celebrata Vltraiecti Comitia, atque viginti duos proceres societati aurei Velleris inscriptos Traiectũ Mosę properat, vbi à cõpluribus Germaniæ legatis aditur, qui speculãdi caussa, quod secũ haberet equites illuc venerant. Quibus domũ dimissis Spiram Nemetum venit: vbi dum per quinque dies hæret a Frederico Rheni Palatino vna cum vxore, Philippo quoque Hassiæ Lantgrauio visitatur ficte magis quam decebat. Nam Palatinus Imperatore Ingolstadio Ratisponam proficiscẽte confestim se fœderi Smalcaldicorum addixit. Itaque præter Ecclesiasticos & Albertũ Bauariæ & Gulielmũ Cliuiæ Duces,

quorum huic Mariam, illi Annam Ferdinandi Cæsaris filias nuptui dabat, omnes ferme Imperii Proceres in Carolum conspirauerant. Plurimæ etiam Augustales liberæ ciuitates: quarum prima Vindelicorum Augusta hostilia tentauit: conata Imperatorem auxiliis excludere & annona, captis Fiessa & Clusa arcibus deditione natura loci munitissimis ad fauces Alpium sitis. Quo tempore Illyprandus Madrucius, Schandenburgus, Marignanus & Georgius à Regensperg cum suis cohortibus ad Carolum Ratisponam venerunt: Venere etiam Hispani ex Insubria & Neapoli, vna cum auxiliaribus copiis, quas Pontifex miserat, atque sex mille leuis armaturæ equitibus; quos Carolus Lanoius Sulmonensium Princeps adducebat.

Interea Ferdinandus Cæsar Pragæ cum Mauritio Saxonum Duce, cui cum Ioanne Frederico inimicitiæ erant, vt ad partes Imperatoris declinaret, egerat, quod is eo libentius fecit, quod Carolus Ioannem Fredericum & Philippum Hassiæ Landtgrauium proscripserat, eorumq; opida atq; arces diripienti cōcedebat. Venit & ad Imperatorem Maximilianus Buranus cum decem mille Belgis, atque tribus mille equitibus ab eo eò è Belgio euocatus.

Exercitus porro Confœderatorum sub Saxone ac Hesso fertur fuisse octoginta millium peditum, & decem millium equitum. Tormenta ænea bellica centum habebant. Consedit vero Imperator ante Ingolstadium in castris: eratque Dux summus exercitus Ferdinandus Toletanus Dux Albanus militaris disciplinæ peritissimus ac seuerus eiusdem disciplinæ obseruator.

Aquitani, insulæ illis subiectæ atque Rupellani tumultuantur ob aucta vectigalia salis.

*Maximilianus à Burgundia* præfectus maris misit classem nouem nauium priuatorum sumptu instructarum in Aquitaniam Archithalasso Gerardo Macquero: quæ Garumnam intrans multas naues incendit igne abductis inde septemdecim nauibus oneratis vino & glasto, multisq; campanis turribus elatis in prædam, rediens ouans in Zelandiam.

Henricus Rex Franciæ cum exercitu ingenti veniens in Lotharingiam, Ducem puerum nouem annos natum cum ducentis Equitibus in Gallia traduci iussit. Præmissoque Anna Montmorancio Magistro Equitum IV. Idus April. Metim, mox secutus ciuibus armis detractis vrbem muniuit præsidiariosque suo nomine ei imposuit. 1552.

Galli mouentes Luxenburgios duce Francisco Guisio post tormentis quassatam Theonuillam vrbem deditione ceperunt, compluraque alia opida. Itaque Adrianus Croyus auspiciis Imp. Forā ditionis Ducis Vendomiēsis obsedit. Indeq; digressus

ANNI CHRISTI. maximam Picardiæ partem vastando ferro igneque peragrauit, atque Hesdinum cepit. Cui imposito præsidio rediit in Flandriam At Vendomius illuc sub hiemem mouens opidum x Kal. Ianuarii deditione recepit, arcemque restaurauit. Obsidebat tũ Imperator vrbem Metensem, ad quam venerat XI. Kal. Nouem. & ob cæli inclementiam atque imbrium ac niuis abundantiam vsque adeo lutosa fuit regio, vt deficiente annona fame & inedia maxima exercitus pars consumeretur. Fuitque coactus Imper conclamatis vasis sub Kal. Ian. discedere Theonuillam, subsequente se postridie, præfecto castris Ferdinando Albano cum reliquiis exercitus.

Albertus Marchio Brandenburgensis, à Gallo, cui merebat, ad Imp. desciuit: caussatus stipendia non solui.

Diruta Terræuana opido in Marinis Emanuel Philibertus Imperator exercitus à Carolo creatus Hesdinum deditione cepit, vna cum castro, quod dirui Cæsar iussit. Horatius Farnesius Regis gener ictu pilæ tormentariæ occubuit, cum XL. circiter nobilibus. Multi Comites ac Barones fuerunt captiui custodiis traditi Gandæ aliisque locis.

1558. Galli Duce Francisco Guisio Kal Febr. captis Neonambrigæ ponte, & Ratisbona arcibus munitissimis, Caletum triginta tribus tormentis bellicis quassatum deditione ceperunt, tradente vrbem Milordo Ventfurtio atque DC. præsidiariis qui vrbem custodiebant VII. Idus Februarii, sicque Angli exclusi fuerunt continentis ditionibus.

*Maria Stuarda* Scotæ Regina *Francisco Delphino* Henrici II. Regis Galliæ filio nupsit VIII. Kal. Maij, celebratæque fuere nuptiæ Parisiis magnifico apparatu. *Claudiam* vero *Valesiam* eiusdem Henrici filiam duxit CAROLVS Dux Lotharingiæ Parisiis

1559. XXII. Ianuarii.

1558. Celebratæ sunt exequiæ Parisiis in templo Sanctæ Mariæ Idibus Aprilis ELEONORÆ Austriacæ Francisci Regis viduæ: quæ obierat in Hispania.

Mortuo *Henrico II.* sexto Idus Iulii, successit *Franciscus II.* eius filius. Cuius orbitate ac adolescentia abusa pars magna nobilitatis LVDOVICO BORBONIO Condæo Principe, & *Gasparo Coligneo* Architalasso præcipuis auctoribus ac ducibus nouis rebus animũ intendebant, sese idcirco appellantes Hugonotos, quod ei factioni fauerent, quæ genus vna cum Rege simul ab Hugone Capeto duceret proximiorque ex lege Salica esset coronæ, quæque religioni, quam *Ioannes Caluinus* Nouiodunensis Geneuæ Allobrogum vrbe profitebatur, esset addicta, alterã partem sibi aduersantem appellabant Guisianos, quod Frãciscus Dux Guisius à Veromanduis, cum Hannone Momorantio Connestablo

Regis

Regis nutricii præcipui Catholicam tuerentur religionem. Cõspirarant in necem Regis Amboisæ hærentis Cathelnaus, Renaudius, Villemongius, cæterique socij: sed detecta coniuratione fuit supplicium de iis sumptum.

Interea *Ludouicus Borbonius* quasi auctor seditionis contra Regem Amboisæ excitatæ traditur carceri Aureliæ. Vbi cũ Franciscus secundus Nonis Decembris decessisset, vinculis ille fuit liberatus. Itaque cum suæ factionis nobilitate icto fœdere complures præcipuas Galliæ vrbes inuasit, præsidioque imposito sibi eas reseruauit. Itaque diuissimum per Galliam exortũ est latrocinium, frustra sæpius sopiri tentatum. Occuparat, firmisq; præsidiis tenebat Borbonius præcipuas Galliæ vrbes Aureliã, Turones, Andegauiam, Pictauiã, Rothomagum, Rupellam atq; Diepenum. Porro cum ob Rothomagum Lutetia intercluderetur annona, visum fuit illud primum obsidere: fuitq; vrbs expugnata sexto Kal Nouembris per exercitum Regis Caroli noni Imp. *Francisco Guisio*, cum *Antonius Borbonius* Rex Nauarræ ictus glãde cecidisset, peracerbeque ideo animaduersum in captiuos cũ præcipui quiq; aut laqueo aut gladio plecterẽtur: elapso Montgomerio vrbis Præfecto, qui equestri certamine Henricum Regem interemerat Diepenses se dedentes in gratiam sunt recepti, remissumq; illis fuit quod contra Regem commiserant Kalẽdis Nouembris Interea Guisius agitare consilia, quomodo Borbonium exuat castris, qui in Genabis consederat: at ille contra eũ mouere Concurrerunt itaq; infestæ acies apud Carnutes in cãpis Druydũ, victoresq; Hugonottæ fuerunt victi, manẽte victoria multo cruentissima penes Guisium, capto Condæo decimoquarto Kalendas Ianuarii. Excessere prælio octingenti equites circiter Germani, equites quoque aliquot Galli, qui Hannonem Momorantium, qui equo perfosso ceciderat, captiuum abduxerunt. Cuius filius Mombrus & Iacobus Brossianus, Annibal, ac Gaurius societatis S Michaelis equites occubuerũt. Captus vero fuit ex iis, qui partis Regiæ erant N. Mareschallus S. Andreæ, qui non multo post fuit cæsus. Periitque hoc conflictu quasi flos Gallicanæ nobilitatis, *Gaspar Colignæus* fuga elapsus fax & restaurator noui belli, cum *Francisco Andelotto* & altero fratre. Quorum conatibus restiterunt FRANCISCVS GVISIVS, *Claudius* Dux Aumalus. *Franciscus* & *Claudius Lotharingij*, quatuor fratres Caroli Cardinalis Guisii Archiepiscopi Remensis.

1562.

Qui quo hostium Regni Hugonottorumque conatus eluderent, mouerunt in Genabos, vbi Gasparis Colignæi, vt ferunt, insidiis per Paltrotum in obsidione Aureliæ *Franciscus Guisius* atrociter sclopeti glande ictus concidit, nec vltra triduũ superuixit. Post eius mortẽ pax est secuta, iis condicionibus, vt Rex 5532.

aduer-

ANNI CHRISTI. aduersariæ parti parceret: receptisque suis ciuitatibus permitteret quemque in sua religione viuere, datis certis vrbibus in quibus permitteretur exercitium nuper exortæ religionis; alioquin oportere extra muros Hugonottas sua exercere sacra.

## GALLIA. BELGIVM.

Violatis à Gallo induciis, quod Duacum Flandriæ Gallicanę vrbem proditione in profesto Epiphaniæ Domini inuadere tentassent: Philipp. II. Austriacus iusta ira accensus conscripto ingenti exercitu mouit in Veromanduos, atque opidum sancti Quintini obsidione cinxit. Erat vero exercitus Philippi Legatus constitutus *Emanuel Philibertus* Allobrogũ Princeps, & *Gaspar Colignæus* pro Gallo vrbem defendebat, exspectabatque copias auxiliares, quas *Annas Memorantius* Præfectus equitum Galliæ iusto comparato exercitu adducebat. Qui cum Francisco Colignæo Angeloto in vrbem introducto reuerteretur ab Amoralo Comite Egmondensi cum turma leuis armaturæ equitum & Emanuele cum Cataphractis sequente insecutis tantam cladem passus est: vt similẽ à multis sæculis Gallia nõ fuerit experta. Comes Angineuus & Villerius cũ magna exercitus parte fuere cęsi. Capti autem sunt Memorantius vna cum filio minore natu. generis Burchgrauio Turonensi & Domino Trimouillæ, Marischalco S Andreæ, Ducibus Mompenserio. Longeuallo, atque Nemourense, aliisq; compluribus Heroibus, & sedecim tormẽtis bellicis. Contigit hic conflictus die S. Laurẽtio sacro quarto Idus nimirum Augusti, cum VIII. Kal. Sept. vrbs vi expugnata fuit, intrante eam vi primũ Carolo Brimæo Comite Megano cũ Namurcensium copiis. Capta direptaq; ciuitate Philippus Rex muliebri sexui atque imbelli ætati præcipue cõsuluit. curans eos à vi defendi, & Guisium saluos atque incolumes deduci. Memorancij filius apud Patrem in arce Gandensi custodiæ traditus fuit, & Gaspar Colignæus, elapso Andeloto, Slusam est deportatus. Sicque arces omnes & castella ditionis Regis Philippi
5529. captiuis Gallis fuere referta. Præcipue postquam incensis Duncerka & Monte S. Guynoci cum præda Flandrica Casletum properantes medio itinere apud Greuelingam cruento prœlio ab Egmondensi Comite & Marchione Rentyno fuerunt pæne deleti, classibus Anglicana & Belgica, quæ fortuito illic aderant, in eos, qui in litore se colligebant, tormenta dirigentibus.

Cum vero vterque Rex apud Dorlensum cum exercitu consideret, inceptum fuit tractari de pace, Memorancio cum cõmeatu permisso proficisci in Galliam, qui adeo dextre officio functus est, vt à parte Philippi Regis Hispaniarum Ferdinandus dux

Alba-

Albanus, Guilielmus Nassouius Aurasii Princeps, Ruy Comes de silua, Comes Medinæ, atque Antonius Perenottus Episcopus Atrebatensis. Et à parte Henrici Galliæ Regis Carolus Lotharingius Cardinalis, Annas Memorantius Magister equitum & Mariscbaltus S. Andreæ, & Episcopus Aurelianensis conuenerint, atque pacem concluserint his conditionibus. ANNI CHRISTI.

*Vt Philippo Regi Henricus filiam Elizabetham nuptui traderet cum dote quater centies mille coronatorum solatorum.*

*Vt etiam Margareta Valesia Henrici soror nuberet Emanueli Philiberto Duci Sabaudiæ cum dote tercenties mille coronatorum solatorum: vtq; vteretur frueretur Ducatu Barrensi, quoad viueret.*

*Vtq; Rex vterque ei restituerent omnes ciuitates Sabaudiæ atque Pedemontanæ regionis: præter Vercellas & Astam quas Philippus: Taurinum, Auguerium & nonnullas alias, quas Henricus quinquennium sibi reseruarent.*

*Vt Henricus Rex reciperet S. Quintini vrbem, Hamum atq; Castelletum: restitueretq; Philippo Theonuillam, Marienburgum, Moinediū atque Tuesium, cuius muros & munitiones posset diruere in vindictam Terrouanæ solo æquatæ.*

*Vt Episcopo Leodiensi Ducatum Bullionensem restituat, & Charloisy ad obedientiam Philippi Regis redeant, atq; possideat Hesdinum pacifice; restituaturq; ei insuper Valentia.*

*Quod denique Henricus post octennium restitueret Anglis Casletum.*

Quæ omnia cum vtrimque à Regibus rata habita fuerunt; missus fuit Albanus ad nuptialia confirmanda inter Philippum & Elisabetham, cui aderant comites Aurasii Princeps, Comes Egmondanus; multiq; alii Belgii proceres: quos Gallus honorifice exceptos magnis muneribus donauit. Celebratæque etiam Parisiis tum nuptiæ Emanuelis Sabaudi & Margaretæ Valesiæ fuerunt, in tātum Henrico Rege exultante præ gaudio, vt se incuriosius armatum inferens equestri certamini fractę in eum hastæ fragmento per cranium læsus occubuerit sexto Idus Iulii, an- 1559.
no ætatis quadragesimo primo, regni XIII. sicque extremū gaudii luctus occupauit, cū celebri pompa apud S. Dionysium sepeliretur. Parentatum quoque ei Gandæ fuit in D. Michaelis à Philippo genero: qui cum deinde Gandæ in D. Ioannis in ordinem aurei velleris FRANCISCVM secundū XVI. annorū adolescētem Galliæ iam Regem, qui eodem anno obiit cum aliis decem asciuisset, Hispaniam cogitans Margaretam Austriacam sororem notham Parma euocatam Belgio præfecit. Iubet vt regionē gubernet in pace, atque prouideat, ne qua religionis mutatio suboriatur. Idem mandat ceteris heroibus, quos diuer- 1560.
sis præ-

Franciscus II. Rex Galliæ coronatur.

AN. CHR. sis præfecerat prouinciis: ad preces quorundã eorum etiã legiones Hispanorum militum in Hispaniam se deducturum consensit, cum ipsi omnes de se magnifica promitterent.

1561. Interea in Gallia mortuo mense Decembri ex apostemate cerebri Francisco II. Rege, annos habente XVII. suffectus est in locum *Carolus IX.* Iuuenis annorum XI. & Galliæ Rex coronatur Remis XVIII. Maij.

Excellebat autem præcipue inter ceteros Belgarum Principes quos Gubernatrici Rex adhibuerat *Guilielmus Nassouius* Aurasi Princeps flores magnis opibus quas ei Renatus Chalonius heredi scripto reliquerat, & *Antonius Perrenotus* Sequanus, Nicolai Granuellani filius, quẽ Rex ex Episcopo Atrebatensi in Archiepiscopũ Mechliniensem, atq; adeo Belgii Primatem constituerat, cum à Pio quarto Romano Pontifice galero esset donatus Cardinalicio & purpuratus incederet, faciendoq; sumptus vsque adeo esset magnificus, vt mensa cunctos aduenientes ad prandium liberaliter exciperet: atque ingeniorum quasi summus patronus doctos atque artifices omnis generis foueret.

1535. Quẽadmodum AVRASIVS in viros militares atq; clientes & nobiles fortis tenuioris munific⁹ erat, illo q; obsequiis sibi deuinctos reddebat. Annumerabat hic maioribus suis Adolphum Nassouium Romanum quondã Cæsarem: Ille patrem habuerat, quem Carolus quintus Imperator sibi vt alterum Achatem adsciuerat Inter hos ergo tales viros leui ex occasione simultas quædam oborta in tantum excreuit, vt palã etiam ab Aurasii fautoribus comitia torquerentur in Cardinalem. Qui ne excitarentur ea occasione seditiones prouidens in patriam secessit; relinquens Gubernatricem suo consilio destitutam, & religionem veterem nutantem. Cuius rei certiorem Regem fecit in Hispaniã profectus Godefridus Leodius Minorita. Cui malo vt subueniretur decretũ fuit, vt Belgis mandaretur obseruare ea. quæ Concilium Tridentinũ sanxisset. Promittebatq; Regi Ameralis Egmondensis Comes illuc ab Ordinibus missus se in hoc voluntatis Regis fore executorẽ, quum primum foret domũ reuersus.

Initium tumultuum Belgicorum. Interim promulgato per Belgii Diœceses Triden. Concilio Margaretæ Gubernatrici rescriptum, vt cum præfectis Prouinciarum consulat, curetque ne religionis negocium quid damni patiatur, nihilque innouetur, aut vllo modo Reipublicæ status interturbetur Quæ literæ cum in Senatu exhibitæ legerentur, deposcebat illico Aurasius sibi exercitum quindecim millium militum, dicens se aliter Hollandos, Zelandosque ac Vltraiectẽses, quibus præerat, non posse dicto reddere obsequentes. Intelligebatur quidem illū ad res spectare nouas, sed pro tempore hoc dissimulatum fuit. Porro reuerso ad Belgas Egmondano,

atque

atque Regis voluntate, cuius se executorem esse dicebat pace facta, cœpere clandestini conuentus subinde fieri, quibus soli intererant Aurasius, Egmondanus, Hornanus, Montegnius, Hoochstratanus atque Bergensis. Mox & asciti Culenburgius atque Brederodius. ANNI CHRISTI.

Sollicitati & alii, quos religioni antiquæ non vsque adeo addictos nouerant, tandemque eo res erupit, vt Brederodius adiunctis sibi minoris nobilitatis viris atque Fœderatorum clientibus libellum offerrent supplicem Gubernatrici Nonis Aprilis Bruxellæ, cui ob multitudinem (erant vltra ducēti numero) perterritæ Ægidius Barlemōtius Heros dicebat: *Ne metuas mea Domina, non enim sunt nisi Geusii*. Quæ vox quod nebulones scurrasve significaret, excepta, occasioni illis fuit vt scyphū ligneū, peramq; mendicorum sibi desumerent pro tessera, vtentes symbolo: *Fideles Regi adusque peram*. Excepti hi prandio fuere in domo Culenburgensi: quo sub finem mensæ venere Aurasius & Egmondanus *Regi sanitatem & Geusiis fausta*, precantes. Porro libellus lectus male affecit Gubernatricem, eosque quorum consiliis nitebatur: perspiciebant enim armatis quasi precibus postulari edicta Caroli V Imperatoris & Philippi Regis, quæ solēni more bis quotannis promulgari solent, antiquari, & derogari Maiestati Regiæ, sic vt noua eius edicta nullius auctoritatis forent, nisi ea Ordines populusq; Belgii rata esse censerent. Quę res cum in nullius esset potestate, vt Principem in numerum redigerent, & non satis prouidum ferendis Legibus esse declararent, idque ad petitionem aliquot priuatorum hominum, quorum primus ære pæne submergeretur alieno. Itaque verenti ne Reipublicæ status omnino interuerteretur, visum fuit illos vana lactare spe, atque clam curare conscribi militem, quo motus hic omnis possit deprimi. 1556.

Libellus supplex origo belli Belgici.

Origo nominis Geusiorum.

1565.

Interea Brederodius peragratis Hollandiæ opidis sagittariorum sodalitia ad quid noui moliendum sollicitabat, alii quoque aliis in prouinciis: ita vt Magistratuum auctoritas pæne contemptui haberetur. Quoque Regem status Belgii satis perturbat certiorem redderent, Montegnium & Bergensem Marchionem in Hispaniam mittunt Confœderati, cum interea variarum religionum Ministri euocati per Belgium impune vagarentur. Horum, qui Menonis Frisii paradoxa nuntiabant, grati erant infimæ plebi; qui Lutheri dogmata nobilibus & peregrinis atque aduenis Germanis: sicuti Caluini doctrinam prædicantes mercatoribus plerisque, & iis fere Iurisperitis, qui paucis antea annis fuerant in Gallia promoti. Horum præcipuus Minister erat Hermannus Strichius Swollensis, qui breuia Cauchorum: illorum, Matthias Flaccus Illyricus, qua Magdēburgo

Rex certior redditur turbarum.

Religionis inconstantia in Belgio.

Saxoniæ

ANNI CHRISTI. Saxoniæ Antuerpiam appulerant, ambo strenue partes suas defendentes fuere & nummi Vianenses à Brederodio percusi cum apri capite inter flammas, nimirum familię suæ tessera, quibus *ferro flammaque* cuncta deuastanda esse denuntiabantur. firmabat ille præsidio opidulum suum Vianam interea, cum fœdere iuncti nobiles ad S. Trudonis vrbem conuentus habent, ferreis catenulis ac ligneis scyphis palliisq; furuis inauspicato ornati. Vbi tam dira proposita fuisse dicuntur, vt ad ea etiam Brederodius exhorruerit.

1566. Primum omnium Iconoclastæ Ypris Flandriæ celeberrima vrbe statuas tabulasque depictas in Ecclesiis positas loco deijciunt franguntque. Idem mox Antuerpiæ factum est, tali rabie,
5536. vt Christi ad dextri latronis imaginibus cruce detractis, sinistri latronis statuæ cuius humero dæmonium insidebat, pepercerunt. Continuo per Hollandiæ, Zelandiæ, Frisiæ Vltraiectinæq; ditionis plerasque vrbes idem factitatum, hominibus vbiq; panico terrore quodam per totum Belgium consternatis. Agebatur interea libellis supplicibus res, cum Margareta Gubernatrix Norcarmium Valencenas cum præsidio quinque cohortium peditum, & trium turmarum equitum mittit. Qui exclusus vrbe illam mox proscriptam obsidione cingere, & allatis tormentis quatere muros adorsus est, oppressis fugatisque Flandris ac Neruiis auxilia obsessis molientibus. Post trimestrem obsidionem nono Kalendas Aprilis deditione eam cepit, atque acerbe in aduersarios gladio laqueoque animaduertit, quo ceteris quoque metum incuteret. Quod & auctor huius Chronici disticho exprimerere videtur voluisse:

*AdVersVs RegeM qVod frVstra eXtoLLerIs aVdaX,*
*VaLLenCena doCet dVra rVIna, CaVe.*

Interea & Marnix Tholousius, qui Vualachriam putauerat occupare, tribus millibus passuũ vltra Antuerpiam ad Scaldim inopinato à Ioanne Comite rerũ capitaliũ Præfecto fuit oppressus, cõplures trucidati, pars in flumine submersa, alii incẽso pago
5537. Austrewelio conflagrarunt. Persequebatur quoque Carolus Brimæus Meganus Brederodianos milites, qui metu Vianam reliquerant, atq; recta contendebant Amstelredamum: Vnde acceptis à Consulibus quater mille florenis territus Brederodius sub noctem nauigio discessit, tendens Cliuiam versus, vbi postmodum vita defunctus est postremus virilis sexus nobilissimæ Hollandiæ stirpis. Infeliciore cursu Hollandia enauigarunt Batenburgii Proceres Gisbertus & Theodoricus fratres, Hermannus Galama, aliique Frisii: qui vado naue inhærente oppressi a Muylardo, ab Arenbergii Comite Ioanne Lignio carceri necandi traditi fuerunt.

Primi Geusii trucidantur.

Mors Brederodii.

ANNI CHRISTI.

Antuerpiæ die xv. Martij Lutherani se Catholicis iungentes aduersus Caluinistas, conati sunt Protestantium Germanorum, religionem introducere in Belgium, at mox dispersi omnes, abierunt.

Percrebuit & tum rumor Ferdinandum Albæ Ducem iussu Regis ad hos tumultus sedandos in Italiam appulsum delectus agere, & veteranos præsidiarios Sardiniæ, Siciliæ, Neapolis atque Mediolani permutare cum tironibus, quos Hispania exportauerat conscribique gentium Alpinarum nouas legiones. Quare Aurasius, qui ad sedandos motus ditiones sibi commissas peragrauerat sibi metuens Belgio excessit, atq; in patriam reuersus in tuto apud Arausinos suos Duilburgi consedit. Excessit quoque patria Hoochstratanus, & Bergensis marchio in Hispania desijt esse in viuis: vnde redire Montegius quoq; prohibebatur. Sic ergo obfirmans animum Gubernatrix edicta proponere, legesque promulgare, quibus conuentus religionis nouiter exortæ interdicebantur: iubebanturque Concionatores ac ministri eiusdem religionis Belgio excedere, ni velint laqueo finire vitam. Nam Comes Egmondensis in Flandria plerosque suspendi curauerat, existimans se hoc modo posse reconciliari Regi. Restaurari quoque cœpta sunt templa atq; Monasteria, quæ a tumultuante plebe fuerant deuastata: vt tamen plerisque aduentus Albani videretur vtiq; necessarius. Qui sex mille Hispanis, mille equitibus Epyrotis, trecentis Germanis equitibus, termille peditibus, quos Albertus Comes Lodrouius ducebat, compluribusque auxiliaribus Allobrogum copiis per fines Sequanorum atque Mediomatricum profectus quinto Kalendas Septembris intrauit Bruxellas ostendens literas suæ Legationis, quibus continebatur, vt si quid ipsi humanitus contingeret, legatione fungeretur. Dn. Hernandus Magnus Prior Hispaniæ, eius filius nothus. Adduxerat secum Alphonsum Contreras insignem Theologum, & præter tres filios *Capitium Vitellium Florentinum* artis militaris peritissimum, atque N. Vargas Iurisconsultum, rigidos criminum vindices. Quorũ arbitrio pleraq; committebat: ita vt ab eo Vargas noui Consilij tumultuum Præses constitutus: ad dicendam caussam Aurasiũ, & omnes quicumque delati apud eum fuerant Bruxellas euocaret: vtque ad diem statutum non comparentes proscriptorum loco haberentur, bonaque illorum addicerentur fisco. Itaque ex iis, qui comparebant, plurimi fuere necati, quidam squallore carceris emarcuerunt, nonnulli iudicio sunt absoluti. Mox deinde VIII. Kalendas Ianuarij per N. Pacciottum Allobrogem architectum arcem fundari curauit Antuerpiæ ad Scaldim, qua Belgium in fide se posse continere persuasum habebat.

1566. Orangius Belgio excedit cum aliis Proceribus.

Repelluntur Geusii.

Albanus venit in Belgium.

ANNI CHRISTI. Tãtum quippe suis viribus confidere visus est, vt cum mille ducentis equitibus & bis mille peditibus Hispanis ac Burgundis Carolo nono Galliarum Regi transmiserit in auxilium *Ioannem Lignum* Arenbergii Comitem: qui Gallo magno fuere adiumẽto. Interea extracto per Albanum Philippo Burano Comite Aurasii filio Louanio, atque trãsmisso in Hisp. Aurasius auxilio cognatorum affinium & amicorum ingentem conscribere cogi-

5598. tãs exercitum Ludouicum Nassouium fratrem cum aliquot militibus in Groningensem agrum mittit: aduersus quem cum

Cæditur Arenbergius. Obitus Adolphi Nassouii. veniret ARENBERGIVS Frisiæ Præfectus cum legione Sardinia aliisque auxiliaribus copiis prœlio superatus occubuit sexto Kalendas Iunii. Periit quoque Adolphus Nassouius, mansitq; tamen victoria penes Ludouicum, qui ob cædem fratris sæuiit acerbe in victos. Consolatus est Arenbergiam mœrore ægrã Albanus aliique Proceres Belgii. Scripsere & ad eã litteras consolatorias Imp. Maximilianus, atq; etiam Romanus Pontifex Pius V. Qui illum vt athletam Christi & Martyrem fortiter dimicando occubuisse asserebat. Harum litterarum exemplar cum prælegissem Cornelio Musio: *Hoc vere*, aiebat, *pium Pij Pontificis officium tam pie piam consolari viduam*.

5539. *Albanus* interea accepto cladis quam Arenbergicus in Frisia acceperat nuntio, ingentes copias sub imperio Scipionis Vitelli eo misit & Ludouici Nassouii conatus retardauit.

Sublatisque è medio perduellionis Principibus, ipse in Frisiã concessit, & prœlio commisso XXI. Iulii in pago Gemmingensi, rebellium castra obruit, ita vt plura millia ceciderint, insigeniq; victoria potitus fuit, mox *Auriacus* ingentem exercitum conscripsit, quo cum è Gallia in Belgium venit: sed is inedia & mor-

1569. bis fatigatus interiit, ita vt milites passim diffluerent. Igitur hoste profligato, *Albanus* Bruxellas reuersus, diligenter in hæreticos inquisiuit, & Typographiæ librisq; aduigilauit, ne qui noxii distraherentur. animũ quoque appulit ad cogendã omni ratione pecuniã, qua Regias Prouincias aduersus factiosos defenderet, nouosq; cẽsus vectigaliaq; excogitabat in belli si ingrueret rursus, subsidiũ. Quando *Pius V*. Pont. eidem Galerum & ensem solenni ritu consecratum per Nuntium suum, tamquã acerrimo vindici Christianæ Religionis transmisit. Ipse autem Reip. intẽdens multa salubriter ad eius restaurationem edixit, & veniam omnis ante actæ culpæ Regio nomine publicauit, modo qui à fide & Rege desciuerant, ad eos redirent, & clementiam regiam experirentur. Cum autem pacata omnia *Albanus* crederet, nec bellum intermissum, hostemque profligatũ facile vires sumpturum, pro regia dignitate defungi postulat, sibique tamquam pacificatori tropæum in arce Antuerpiensi erigi, quo perpetua

sui

suimemoria apud Belgas remaneret, iussit addito benefactorū ANNI
encomio. Quæ res plerisque optimatibus vehementer displi- CHRISTI.
cuit, quod viderent necdum rebellionis semina euulsa, vt quæ 1570.
ocius insequenti anno vires sumpserint, & surrexerint, semel quidem sopita, nondum tamen mortua, cum nouæ passim coniurationes fierent, quibus se superstites reliquiæ adiungebant, solum de Principe aliquo quem sequerētur sollicitæ. quem mox non vnum dumtaxat fuisse, subsecutus euentus docuit, cum ea tempestas fuerit exorta, quæ etiam post XL. annorum curriculum sedari numquam potuit. Ita ægre euaginatus mucro reconditur, neque semper in eiusdem potestate belli initium & finis est: vt præclare sensit in Iugurthino bello Sallustius.

## ITALIA.

*Ancona in potestatem Pontificis astu* Bernardini Barbæ *Casalensis Episcopi &* Ludouici Gonzagæ *exercitus Clementis septimi venit. Qui castellum illic aduersus Turcarum & piratarum incursiones ædificantes vrbem etiam occuparunt. In hac vrbe solet etiam olim purpura tingi, & nunc Camelotti vndarum formam accipiunt arte non alibi nota.*

Gasparo Contareno *Venetorum Legato, Reipublica sua nomine, intercedente pro Francisco Sfortia, idemq; obtestante Pontifice Clemente septimo, Carolus Cæsar euocato Bononiam atq; fidenti Clementiæ suæ Ducatum Mediolanensem, pro quo tantum decertauerat, restituit.*

Philipertus à Chalon *Aurasij Princeps obsessus apud Neapolem à Gallis post trium mensium obsidionem licet æger corpore legiones eduxit, & Gallos castris exutos fudit atque fugauit, persecutosque in deditionem recepit. Qui cum subacta magna Hetruriæ parte pro Carolo Imperatore à Clemente septimo Pontifice implorato aduersus Florentinos apud Florentiam castra metaretur, Nonis Augusti duobus vulneribus saucius apud Cauianum mortuus est, annos natus triginta, summo & Pontificis & Imperatoris mœrore. Funebrem orationem in eius mortem habuit Ludouicus Pellatanus V.I.D. Astensis. Et temperario eius monumento hæc fuere inscripta:*

Qui hac pertransis, siste paulisper gradum: postea lege, simul ac disces in quo resideat humana felicitas ac gloria. Quum me Carolus Quintus Romanorum Imperator maximus extrema beneuolentia amplexaretur, & dum gloria rerum amplissimarum in ipso flore iuuentutis gestarum, clarissimi Duces, qui ante fuere, longissimo interuallo me sequerentur, cumque pacata Italia Orientis

ANNI CHRISTI.

regna inuadere pertinaci animo statuissem, heu in ipso apparatu interii. Mortem tamen gloriosam oppetii: vtpote qui pugnando & decedendo meis victoriam, Cæsari ipsi & vniuerso orbi magnum mei desiderium & luctum reliquerim. Hoc te volebam scire & condolere. Vale.

*Nullum suorum Ducum Carolus V. Imperator maiore laude affecit, meminique ob officium cum fide præstitum præmiis remuneranis maioribus. Vt qui Ioannæ matris, suoq; nomine ipsi Philiberto, eius heredibus ac successorib. vtriusq; sexus natis, nascituris, & ex eius corpore legitime descendentibus elargitus sit cum titulo Ducatus Grauinæ in regno Neapolitano, vbi Prorex erat, ciuitates Mathera, Campaniæ, Terlicij, S. Agathæ, Montis viridis Canosa, Boyly, & castri Garignoui. In Principatus titulum Melphiæ, ciuitates, terras, loca, castra Melphiæ, Abioli, Fiorenzæ, Laglii, Pesidis, Candelæ, Atellæ, Rapellæ, Rupecandidæ, Labriolæ, & S. Feli. In titulum Comitatus ciuitatem Venafræ: Domos quoq; Melphitanam & Grauinam intra Neapolim sitas.*

*Instituit & Aurasius ex asse heredem Renatum Nassonium Nepotem ex sorore, ea condicione, vt titulo Chaloniæ familiæ vteretur: qui duxit in vxorem N. Lotharingiam, & Hollandiæ, Zelandiæ & Vltraiectinæ ditioni fuit præfectus.*

Franciscus Sfortia *Dux Mediolanensis postquam duxerat Christiernam Christierni filiam Regis Daniæ, nono Kal. Nouemb. moriens sine prole Carolo V. Imperatori Ducatum Mediolanensem reliquit.*

LVDOVICVS *Rex Hungariæ & Bohemiæ ad Mohatzum opidum, cum toto exercitu à Solymanno Turcarum Imperatore prælio superatus & in fugam versus, ita salutem quæsiturus, ab equo collapsus in loco palustri oppressus est. Et Buda Regum Hungariæ sedes, à Turcis est occupata. Successit vero in regno* Ludouico Ferdinandus *Rex Hungariæ.*

*Ab aliis tamen* IOANNES SIGISMVNDVS *de Zapalia, Comes terræ Scepusiensis, Rex Hungariæ salutatus est.* Carolus V. *in matrimoniū ducit* ISABELLAM, *Emanuelis Portugaliæ Regis filiam, celebrataque sunt nuptiæ pompa solenni Siuiliæ x. Ianuarij.*

*Anno insequenti* Carolus V. *Cæsar ex Hispania in Germaniam reuersus, dum Placentiæ Pannoniaq; hæret, à fratre Ferdinando fit certior Solymannum non dubio cõcepto pudore per Pannoniam tripartito in Thraciam contendere. Itaque lætus tendens Bononiam ex itinere apud Regium Lepidi & Mutinam summo apparatu excipitur à Ferrariense Principe Alfonso Atestino. Appropinquanti Bononiam, vbi Clemens VII. Pont. ad Kalend. Nouemb. peruenerat, comitato multis Principibus, atque Hispano, Belga, ac Germano milite,*

*Rector*

ANNI CHRISTI.

*Rector Vniuersitatis cum Professoribus, & Magistratu, ac iuuentute obuiam procedunt, deducentes illum sub vmbella in forum, vbi eum* ANTONIVS LEVA, *vir bellicosissimus ob ægritudinem pedum in sublimi sella gestatus, cum legionibus veteranis, altera Germanorum, altera Hispanorum exspectabat. Sicuti in vestibulo templi Episcopi & Cardinales sedentes: inter quos Pontifex mitratus prealta sede eminebat. Ad quem descendens equo, Cæsar à duobus Cardinalibus fuit deductus. Cumque ad eius pedes genu flexo prouolutus post solenne osculũ Hispana lingua dixisset:* Veni ad pedes tuos, sanctissime Pater, ex voto, vt fessis Reip. Christianæ rebus communi consilio subueniamus. Quod vt felix, faustumque sit, DEVM OPT. MAX. precor: *Pontifex gratias eidem agens, illum ad limen templi Petroniani deduxit, reuertens cum sacerdotibus in pretorium. Quem post fusas ad aram maximam preces Cæsar confestim est secutus. Venerant eo omni fere Europæ ex parte Legati & Proceres. Quorum gratulationibus Pont. ac Cæsar ore* Romuli Amasæi, *viri eloquentissimi, Christiani nominis conseruatores atque Optimi* Maximi *Italiæ parentes appellabantur. Senatus vero Venetus, omnium quas vmquam emiserat, ornatissimam Legationem quoque misit: in qua erant lectissimi Oratores lato clauo fibulo aureo fibulato, torquati fere omnes. Quibus cũ prius Pontifex, & post triduum Cæsar Senatum dedissent, Laurẽtius Pracalenus florentis eloquentiæ Philosophus orationem habuit exquisito laudum genere plenissimam, agens etiam Reipu. nomine gratias, quod pacem cunctis exoptatam orbi Christiano restituissent, offerens ipsis opes Venetas: si quid dignum Christianis Principibus concordibus animis agitarent. Latine oranti pro Pontifice respondit Euangelista Tarasconus: & pro Cæsare Mercurinus Cardinalis breui oratione, paullo post Cæsar de more à modo eius Insubrensibus Legatis ferrea corona vetustissimi operis iam vnctus coronatur Rex Lõgobardiæ VI. Kal. Mar. & post biduum sacrificante Pontifice ipsoque in Dalmatica veste ministrãte, fuit solennibus ritibus aurea corona bicipiti fastigio, & multis gemmis exornata inter sacra ei à Pontifice imposita: atque sessum perductus in triumphali trabea* IMPERATOR ROMANVS *appellatus, quod vbi nuntiatum fuit in foro militibus,* ANTON. LEVA *ad declarandam lætitiam omnia tormenta bellica displodi iussit: ita vt cælum terraque sonitu crepitare viderentur. Descripsere coronationem hanc Caroli V. Imperatoris Cæsaris Rom. luculenter Henricus Cornelius Agrippa, & Paullus Iouius Nouocomensis. Incidit eamdem depictam æri atque impressit Nicolaus Hogenbergius. In quam picturam sic tum lusit Ioannes Secundus:*

Cæsareas, sanctique Patris longo ordine turmas
Aspice; & artificem ter venerare manum.
Tradere quæ potuit rigido mansura metallo,
Nomina Magnorum tot generosa virum,

ANNI CHRISTI. Pictor Hogembergus quod per tua sæcula cernas
Hoc tibi posteritas viuida fecit opus.

Franciscus *Rex Galliæ persuasus ad se pertinere regionem Pedemontanam auunculum suum Carolum bello lacessit, capitque ab illo Augustam Taurinorum, magnamque partem Pedemontanæ regionis, atque etiam Sabaudiæ: incusans auunculum, quod partes Caroli Imperatoris foueret, cuius vxoris Isabellæ sororem Beatricem in vxorem duxerat, ex qua tulit Emanuelem Philibertum, post modum Belgij Gubernatorem.*

*Cum Veneti à Solymanno incitarentur, miserunt Legatos Carolus Imperator, & Franciscus Galliæ Rex, qui auxilium atque fœdus pollicerentur. At Veneti metuentes potentiam Turcæ.*

Ioannes Augustinus *Fliscus Comes, iuuenis lingua manuque promptus nonis Ianuarii occupata porta vrbis Genuensis, & direpta classe Andreæ Doriæ cadente Ioanne Doria Ducatum sibi comparare nitebatur Sed dum ex vna in alteram triremem transilire nititur cadens pelago haustus ac exstinctus est: sicque vrbs in fide* Caroli *Quinti Imperatoris tranquille permansit.*

Paulus III. Pontifex *per suos duces conscribit exercitum, quem ex pacto Imperatori mittere fuerat pollicitus. Cuius Legatus erat eius nepos Octauius Farnesius.*

COSMVS MEDICES *Dux Florentinus cum Eleonora vxore, Ioanne Cardinale & Garzia filiis salutatum Pium quartum Pontificem veniens, atque magnifico apparatu in ædibus Palatinis exceptus per integrum diem ab Onuphrio Panaino viro doctissimo ad visendas veteres vrbis ruinas circumducitur: Hæsitque duos menses Romæ salutando Patres atque publicationibus publicis se intermiscens.*

1561. *Instituit ad Melitensis militiæ exemplum ordinem Stephani: arum rubram Crucem auro circumscriptam gerentium ac mutuantium nomen à Stephano Florentinæ vrbis patrono in Diuorum numerum relato. Licet illis semel esse maritos. Dedit illis Iluam Thusci maris insulam in sedem, vbi Cosmopolim vrbem nouam condebat. Vtebatur præcipue artificibus Belgiis, vti Architecto Ioanne Bolonio Duacensi, Pictore Ioanne Stradano Brugensi, & aurifice Iacobo Iansonio Delpho.*

*Mortuo eo* Franciscus *in Ducatu succedens filius paternæ virtutis ac studiorum fuit hæres.*

*Ferrariæ terra motus ingens exortus mense Nouembri. Fitque in ea impulsore summo Pontifice, omnibusque ditionum Regulis, magnus apparatus aduersus classem Turcarum Reique summa commissa est Ioanni Austriaco, Philippi Regis fratri notho.*

## ANGLIA.

1535. *Henricus VIII.* Anglorũ Rex primum in pios & doctos sæuire exorsus

exorsus est; hac de caussa. Repudiarat ille Catharinam Ferdinādi & Elisabethæ Hispaniarum Regum filiam, ex qua tulerat Mariam, vt Annam Boleniam superduceret. Assentiebatur adulando Regi amore inflammato Thomas Vulcerus Cardinalis Eboracensis, qui tamen inter alios è medio fuit sublatus. Tum quod Regi assentire nequierint, securi percussi sunt *Ioannes Fischerus* Episcopus Roffensis, & *Thomas Morus*, qui Regni fuerat Cancellarius, viri pietatis & raræ doctrinæ nomine orbi etiam venerandi. Quorum mors cum Erasmo Friburgi fuisset denuntiata consternatus animo, hocce distichon effudit, dum ludo schacorum ad ingenii vires refocillandas esset intentus:



*Henrici laudes vis versu claudier vno,*
*Æque Mida facias, æque Nerone virum.*

*Ioannes* quoque *Secundus* Hagiensis Poeta, qui Georgio Egmondano Vltraiectensi Episcopo à Secretis erat, hocce dialogo in *Morum* lusit:

Hospes.

*Quis iacet hic truncus? cuius caput ense recisum est,*
*Et natat in tetro sanguine canities?*

Ciuis.

*Hic est ille* THOMAS MORVS, *sic fama rependunt*
*Tristia multa bonis, & bona multa malis.*

Hospes.

*Quæ circumsistunt diuæ lugubre cadauer?*
*Diua tenax veri sancta Fides, Nemesis.*

Ciuis.

*Harum prima odij caussa, & fuit altera mortis*
*Vltrix iniusta, tertia cædis erit.*

Cumque *Adrianus Iunius* Hornanus medicus hexastichon istud effigiei Roffensis Episcopi subscripsisset: illi subiratus Cornelius Musius Delphus alio Hexasticho pro FISCHERO respondit:

Adrianus Iunius.

*Te niuei mores celebrem, & conscia virtus*
*Euexit cælo, & relligionis amor.*
*Sed dum Romuleo nimium tibicine fultus*
*Perstas, nec caussam Regis amare potes:*
*Mors properata tibi est, ceruice cruenta recissa,*
*Munus vbi infelix purpura missa venit.*

Cornelius Musius.

*Non ego purpureos ambiui indignus honores,*
*Nec potui humanis fidere præsidiis.*

ANNI CHRISTI.

*Vnica cura fidem intrepide veramq; tueri,*
*Commissoq; ouium pro grege cuncta pati.*
*Si quaras, ceruix igitur cur ense rescissa est?*
*Improba displicuit Regia caussa mihi.*

Ceterum eo insaniæ processit Henric⁹ VIII. vt se scriberet caput Ecclesiæ Anglicanæ; voluitq; vt clerus populusq; eũ Primatem Ecclesiarum Anglicanarum agnoscerent atque profiterentur. Renuentibus mors certa aut exsulium manebat: multi Carthusiani carceris pædore ac inedia exstincti, quidam variis cruciatibus sublati.

*Margareta* Sarisberiensis Eduardi quarti Regis Angliæ ex Georgio fratre neptis vltra septuaginta annos nata iussu Regis Henrici octaui capitali supplicio afficitur, mulier spectatæ virtutis. Sed voluit eam familiam extinctam, quæ rosam albam haberet pro symbolo, cum eius familia rosam rubeam pro tessera ostenderet.

IACOBVS STVARDVS V. Rex Schotiæ moriens filiam Mariam ex Elisabeth Guisia reliquit regni heredem.

*Henricus VIII.* Rex Angliæ icto cum Carolo Quinto Imperatore fœdere, & conscripto ingenti exercitu ex Anglis atque Irlandis in in Belgicam Galliam traiecit, atque Bononiam vrbem maritimam obsidione cinctam atque tormentis valde quassatam deditione tandem accepit, atque rursum muniuit. Sicq; fuere illusi Galli, qui ob diuturnam obsidionem Henricum ægrotare necquicquam recipere dictitabant. Verum ærario exhausto coactus fuit Anglus monetam ad dimidium precio augere ad soluendum militem, & certis condicionibus Gallis restituere Bononiam.

*Eduardus* Rex Angliæ annos natus 16 moritur Londoni II. Non. Iulii, substituens Ioannam Suffolciam Henrici VIII. patris sui ex sorore proneptem, cuius partes tuebatur Dux Northumbriæ. Sed Maria Henrici ex Catharina filia fauore Principum ac populi ei in regno successit, nata annos 38. Animaduertit illa Londinum veniens in sui aduersarios, atque Northumbrium capite plecti eiusq; genus cum Ioanna Suffolcia nec non sorore Elisabetha tradi carceri iussit. Dimissis custodia Stephano Vuintoniense & Tonstallo Dunelmense Episcopis ac duce Nortfolciæ cum pleris q; aliis Excessere regno Petrus Martyr, & Ioannes à Lasco Polonus, qui prohibitus Dania, Quidam Cauchorum concessit ad Amasim.

1554. MARIA regina nupta fuit Philippo Siciliarum atque Neapolis regi, Caroli V Imp. filio, principi Hispaniarum, solenni pompa Londini. Conscripsit ibi carmen nuptiale Adrianus Iunius Hornanus medicus exceptum summo plausu.

vii. Idus Iunij Londini in castro Westmunstero bellum contra Gallos fuit publicatum. ANNI CHRISTI.

MARIA Regina obiit XV. Kal. Decembris Londini. Celebratæ vero fuerunt exequiæ Bruxellæ xviii. Kal Ianuarij, offerente pro eius piis manibus incruentam hostiam Antonio Perenotto Granuellano Episc. Atrebatensi Fuereccc. pauperes honeste induti atris vestibus, qui faces præferebant. Successit ei in regno *Elisabetha* soror nata Henrico VIII. ex Anna Bolenia summi ingenii & excelsi animi virgo, nata annos 25. quę XIII. Kal. Martii Londini fuit coronata. Cumque esset varias edocta linguas à variis viris doctissimis fausta ei regni auspicia feliciaque fuere precata præsertim Hieronymus Osorius missa è Lusitania eleganti epistola illam regni rite administrandi admonuit perhumaniter. Verum illa adsumens sibi titulum Capitis Ecclesiæ Anglicanæ (ægre id ferentibus Orthodoxis, qui mulieré in Ecclesia velari & virum caput mulieris, viri vero Christum esse asserebant) honoribus Catholicos priuauit, oppressit, atque regno fugauit. Sicque Politici & Puritani soli ibidem remanserunt. Cum ergo multi Angli per Europam vagarentur, erecta fuerunt duo collegia pro adolescentulis Anglis: alterum Romæ & alterum Rhemis Campaniæ, totidem post in Hispania, vbi litteris operam dantes educarentur exultantes.

Tumultuatum est in Scotia caussa mutationis religionis: *Anna Guisia* Iacobi Regis vidua animi mœrore succubuit, atque mortua est in arce Edemburgensi.

Angli ab Hugonotis in Galliam euocati omni continentis ora fuerunt expulsi.

IACOBVS VI. Scotiæ rex nascitur ex Henrico Rege Edimburgi. Nascitur Iacobus Scotiæ Rex.

*Henrico Arleyo*, qui Mariam Scotorum Reginam in vxorem duxerat anno M.D.LXIV. filius Iacobus ex ea nascitur die XIX. Iunij in arce Edimburgensi. Henrico post anno scilicet M.D.LXVII. defuncto vita *Maria* captiua in Angliam pertrahitur, innoxia criminis quod in maritum perpetrasse malitiosi finxerant.

*Iacobus* nothus frater Mariæ Tyrannide Scotiæ præerat, & à priuato quodam interemptus est.

## TVRCIA.

*Hariadenus* enim *Barbarussa* impuritate ac sæuitie odium sui promeritum Muleassem expulerat regno Tunetano, lateque dominabatur per Africam, atque erat formidolosus tum Siciliæ ac Sardiniæ, tum etiam Italiæ & Hispaniæ litoribus. Cum ergo eius vires dissiparentur, Imperator Carolus expeditionem

ANNI CHRISTI. Tunetanam suscipere decreuit, concedente ei Paulo tertio Pontifice ad hoc bellum decimas sacerdotiorum totius Hispaniæ: qui & duodecim triremes sua pecunia Genuæ exornari ad hoc pium bellum iussit. Excitati ad hoc bellum Hispaniæ atque Italiæ Principes viri fuerunt: præter Venetos, qui ob fœdus olim cum Baiazete percussum neutri parti auxiliari censuerunt.

Interea ANDREAS DORIA cum summa diligentia celeriter viginti nouem rostratis nauibus cum quadriremi prætoria multisq; ingentibus nauibus instruit classem. Alfonsus quoque Vastius pedestri exercitui præficitur: confluxeruntq; ex regno Neapolitano tot cateruæ militũ, vt vrbs iuuentute spectaretur euacuata. Cum ergo Imperator Barchinona soluisset octauo Kalendas Augusti, subsequuntur Ludouicus infans Portugalliæ cum viginti quinq; carauelis, & supra sexaginta onerariis nauibus, quæ ex Belgio soluerant. Itaq; Imperator expugnata Guleta munitione ad stagni fauces imposita, fusoq; demum Barbarussa acie, Tuneto potitur hostemq; fugientem magna parte classis exuit: Muleassem auito regno restituit; reseruata sibi Guleta, liberatos bis mille insuper captiuos commeatu in patriam proficiscentes benigne adiuuat. Deplorabat Muleasses, quod eius libri tam piophani quam superstitionis Mahumeticę periissent, simul aromata vnguenta, atque etiam colores varii maximique precii. Porro Imperator victor Neapolim, & inde Romam veniens, summo honore exceptus fuit à Paulo tertio Pontifice Maximo, atque Cardinalium Senatu. Pinxit eleganter hanc expeditionem Ioannes Masius, Caroli Imperatoris comes, dictus Barbaricus.

*Solymannus* in Persas mouens Habraymi Bassæ persuasione ductu Vlanianis Persæ in Assyriam vsque peruenit, atque Babylone potitus, quæ Caliphæ sacrorum summi Principis sedes est, veteris superstitionis instituta secutus insignia atq; ornamenta Principatus ab hoc Calipha suscepit, atq; propitiatis sibi Primoribus, ac populo multa largitione, ibi hyemem magnæ celebritatis editis spectaculis transegit: inde progressus Taurisium Tamasis Regiam vrbem diripuit atq; vastauit, retroq; domum reuertitur. Cum Thamas Persa se in montib. Coraxeius contineret. Quo discedentem Turcam mox persecutus misso Delimethe cum aliquot expeditis equitibus maximum Turcici exercitus agmen improuiso oppressit. Omnesque exercitus sarcinæ ad quartũ Idus Octobris in potestatem Persarum venerunt. Ferunt nusquam maius incommodum aut numquam vel cruentissima acie Turcis esse illatum. Amisere enim supra dimidiam partem equorum, tormenta bellica, tentoria atque impedimenta castrensia. Solymanno quoq; Iconiũ venienti obuiãt Hariadenus

Barba-

Barbarussa, & Sinas Iudæus, qui amisso Tuneto cum parte classis, quæ supererat Algerio venerant Byzantium, quo Solymanno de Mesopotamia ac Assyria deuictis coram gratularentur, suumque infortunium ipsi declararent. Excrescebat paullatim odium Solymanni in Habraymum instigantibus matre atque vxore Roxolana aliisque, qui dicerent eum fauere Carolo atque Ferdinando, propensoque animo esse in Christianos. Itaque insidiis circumuentus reus factus est perfidiæ, atque ad Idus Martii iussus venire pro more ad Palatium, nusquã postea comparuit.

*Carolus* Imperator magnis itineribus profectus mox in Italiam, quo Solymanni vires distraheret, statuit oppugnare Algeram. Dissuasit expeditionem Paulus tertius Pontifex & Andreas Doria: quod Autumni tempore tempestates solent esse periculosæ At manet ille atque perstat in suo proposito, ingentique classe appulsus in Numidiam exposuit exercitum, qui septem mille Hispanis, sex mille Italis, sex mille Germanis, atque ter mille Polonibus & mille & centum equitibus constabat. Itaque leuibus prælis cum Mauris atque Turcis aliquoties fuit certatum: misit Caduceatorem ad Asanagam, qui natione Sardus eiurato Christianismo Mahumeticam superstitionem amplexus castratus fuerat, quemq; Barbarussa cum præsidio præfecerat vrbi. vt memor illatæ sibi iniuriæ dederet ciuitatem. At ille magno contemptu dira respondit.

Interea oboritur fœda tempestas, & complures naues furentis Cori violentia literi illiduntur. Nec poterant è nauibus militibus afferri commeatus: ita vt occisis equis cogerentur vesci eorum carne. Pergratum tum fuit Carolo, quod nautæ Hollandi ipsi pro munere offerrent aliquot pernas fumo induratas. Accepta itaque extrema quasi calamitate, cum exercitus reliquiis redit in Hispaniam, dimissis Ferdinando Gonzaga in Siciliam & equitibus Melitensibus Melitam Ferebatur tunc rumor apud Germanos Imperatorem fuisse submersum: ridentesque hanc cladem præcipue Gelri, dicebant Carolum fuisse deuoratum ab Asello pisce.

Cum classis Solymanni, quæ ad Aulorum nauale mittebatur, ad Castrum Salentinorum Vrbem appulsa esset, oppidaniq; territi deditionem fecissent, vt vitæ bonisq; ipsorum parceretur, & violata fide Præfectus classis, direpta vrbe, trucidatisque inualidis reliquam multitudinem captiuam abduxisset: Solymannus iratus non modo in Præfectum capitali supplicio animaduertit, sed etiam abductos omnes cum rebus suis domum remisit.

Classis *Solymanni* constans triremibus, biremibus aliisque nauigiis ferme ducẽtis & quinquaginta sub Præfecto Pyali Bassa 1565.

ANNI CHRISTI. vndecimo Kalendas Apriles Bysontio soluens, decimo quinto Kalendas Iunii Melitam appulsa est cum exercitu plus minus quadraginta millium pugnatorum sub Imperatore Mustapha Bassa, expugnataque est arx S. Elmi in faucibus portus sita, oppugnatione per triginta dies dilatata, octauo Kalendas Iulii magna cum clade & cæde hostium, trucidatis cunctis propugnatoribus. ad opidum S. Michaelis arcem, & præcipue propugnaculum Castellæ & Lusitaniæ, pluribus locis magno tormentorum bellicorum numero & impetu quatiendo & deiiciendo mœnia, oppugnandum se verterunt. Globos ferreos saxeosq; quos tormentis eiaculabant, quinq; septemq; palmorũ circumferentiæ ac rotunditatis fuisse scribit F. Ioannes Valeta

1598. Magister Hospitalis Hierosolymitanæ, qui cum militibus ordinis illius locum strenue defendebat. Vir virtute ac animi magnitudine omnibusque Imperatoriis muniis peragendis nulli Principum cedens dum sæpius tentãtes Turcas per diruta mœnia ingredi abigit atq; spatio trimestri repellit Donec Garzias Toletanus Siciliæ protex cum classe Regis Hispaniarum ac auxilio decem millium selectorum militum inter quos ducenti & quatuordecim equites eius ordinis aliique nobiles ac generosi voluntarii viri erant, aduentaret: cogeretque Barbaras post multas strages tandem fugam maturare. Præmiserat Solymannus etiam ingentes copias tunc in Pannoniam quas ipse primo vere secutus tremente vniuersa Germania Itaque Maximilianus Imperator aduersus eum cum valido exercitu profectus est: expugnauitque vespertinum.

Solymanni mors.

At *Solymannus* in alia parte Segestum ac Iuliam magni momenti loca vi obtinuit, atque in ipso victoriæ cursu Nonis Septembris in vrbe Quinque Ecclesiarum moritur ætatis LXXVI. Imperii LXVI. Successit ei in Imperio XXIII. Septembris *Selymus II.* ætatis XLII. cum pater Mustapham & Baiazetem ob suspicionem inuadendæ Tyrannidis necari curasset, & Zeangir gibbo deformis sibi ipsi manus intulisset. Hic more maiorum volẽs extendere Imperii pomæria Cyprum debellare statuit, ratus Venetos illis non esse auxiliaturos, quod incendio armamentarii puluere tormentario excitato vrbs calamitatem ingentem fuisset passa. Itaque mittitur à Selymo Legatus Venetias, flagitans sibi concedi insulam Cypri. Negante illud Senatu, Selymus parata classe, rupto fœdere, q̃ solẽni more iurauerat mortuo patre Solymãno, Cyprum versus Mustapham Legatum misit, qui Nicesiam vrbem septimo Kalendis Iulii cepit. Deinde ne Veneti Cypriis venirent auxilio prædandis Adriatici maris litoribus classem trecentarum nauiũ instruxit. Veneti ergo cum iis locis defendendis essent intenti, Marcum Antonium Bragadinum,

Selymus II. Rex Turcarum.

Astorem

Astorē Balionium & Ludouicū Martinengium præfecerant Cypro. Itaq; decimo tertio Kalendas Octobris obsedit Mustapha Famagustam Metropolim Cypri. Quā cum defendissent Veneti milites & Cyprii ad quartum Nonas Iulii anni subsequentis à spe auxilii deiecti ea cōditione eā dediderunt, vt ipsis liceret cū milite ac ciuibus cum bonis & armis saluos & liberos discedere. ANNI CHRISTI. Cyprus venit in potestatem Turcarum.

Cum ergo hi cum quinquaginta veteranis Mustaphæ in castris claues vrbis tradidissent; iussit is Bragadino aures & nares præcidi, vrbemque ingressus præcepit eum excoriari, atque pellem hastæ alligatam vice signi militaris ostentari Laurētium Tepolum, quem Alexandriæ Consulem nouerat, è furca suspendit. in alios quoque sæuiit, atque præcipue nobilitatis viros regni sub corona vendidit. 1535.

# HISPANIA.

*Ioannes* Portugalliæ Rex insigni victoria potitus est Cambaia amplissima Indiæ vrbe.

*Ioannes* Comes Bossuuius ex Hispania veniens classem quadraginta nauium in Walachria nomine Caroli V. Imperatoris instruxit, quæ missa fuit in Hispaniam, adornariq; & altera cœpta est Amstelredami, quæ nauigaturæ dicebantur ad oppugnandam Constantinopolim, sed accepto responso ab Imperatore cursus ille fuit irritus. 1539.

*Isabella* Imperatrix moritur VI. Non. Maii Toleti ex partu: sepultaque fuit in regno Granatæ in sacrario, quod Ferdinandus Rex exstruxerat. Itaque Carolus V. Imperator iam viduus ob motus Gandaui concitatos per Galliam in Belgiū profectus est.

*Philippus* Princeps Hispaniæ in vxorem duxit Mariam Ioannis III. Portugalliæ Regis filiam: ex qua tulit filium Carolum, octauo Idus Iulii moriente matre post partum. Fuitque summa annonæ penuria per vniuersam Hispaniam.

Cum *Gonzalus Pizarro* perduellis Maiestatis Imperatoriæ regionem Peruuiam armis sibi subiicere attentasset, quinto Id. April. prœlio superatus à *Petro de Gasca* Præside ab Imperatore misso capite obtruncatur. Quod in Ciuitate *de los Reyes* foramini ferreis clatris inclusum fuit cum hac inscriptione: 1548.

HOC CAPVT GONZALI PIZARRONIS EST,
QVI REGIÆ MAIESTATI REBELLIS
PERDVELLISQVE CONTRA REGIVM
VEXILLVM FERENTES
IN VALLE XAQVIXAGVANA PERVVIÆ
INFANDO PROELIO DECERTAVIT.

*Franciscus Caruaialus* eius Legatus in quatuor partes fuit dissectus, & aliquot Centuriones laqueo fuere perempti, complures quoque militum rebellium. Nauis

ANNI CHRISTI.

1553. Nauis illa insignis, quam Ioannes Portugalliæ Rex Ziriczeæ fieri curarat, quæque DC onerum æstimabatur salua venit Vlissiponam XI. Kal. Apr. cum IV. Idus Martias è Zelandia soluisset cum classe plus minus C. nauium. Quæ reuersa Imperatori attulit VII. Kal. Octobris 1200000. ducatos aureos ad subsidium belli Gallici.

1555. *Ioanna* filia Ferdinandi & Elisabeth Regum Hispaniarum, mater Caroli Imp. moritur, cum multos annos laborasset vitio mentis, mariti Philippi Austrii amore nimio.

1557. Hoc anno Nonis Ianuarii *Mango Capapachuts Yupangue* nepos Atapalipæ ex fratre Mango, Iuga, seu Rex aut supremus Princeps regni Peruuiani se subdidit Regi Philippo II Hispaniarum ac solenni ritu eius Vasallus factus est

*Carolus* Imp. XI. Kal. Octob apud S. Iustum, in Hispania, atq; sepultus fuit Granatæ

Ioanna eius filia curauit Pinciæ magnifice eius exequias, ac tumuli frontispicio hoc inscribi Epitaphium:

D. O. M. S.
D. CAROLO V. IMP. CÆS AVG.
MAX. INDICO, TVRC. AFRIC.
GERMAN. HISPANIÆ,
SICILIÆ ET INDIARVM REGI,
P.P. PRINCIPI,
POTENTISS. ET INVICTISS.
SACRI IMPERII LIBERATORI,
FVNDATORI QVIETISS. CHRIST. REL.
ACERRIMO PROPVGNATORI.
IVSTITIA,
ANIMI MAGNITVDINE,
PRVDENTIA, RELIGIONE,
CLEMENTIA, PATIENTIA,
ALIISQVE INSIGNIBVS VIRTVTIBVS
LONGE ORNATISS.
QVI POST INGENTES
VBIQVE TERRAR. PARTAS VICTORIAS,
ET CLARISSIMOS DE GALLO,
TVRCA, AFRIS, ITALIS,
GERMANIS ACTOS TRIVMPHOS,
TOT MVLTIS INDIÆ PROVINCIIS.
ET INSVLIS ETIAM PRISCIS INCOGNITIS,
PER LEGATOS MAGNO REIP.
CHRISTIANÆ ORNAMENTO INVENTIS,
ATQVE LVSTRATIS.

DENIQVE

DENIQVE POST FELICITER
ADMINISTRATAM,
ET PRVDENTER CONSTITVTAM REMP.
PHILIPPO FILIO
TOT AMPLISS. HISP. REGNIS
FLANDRIÆ ET ALIIS PROVINCIIS
INAVGVRATO RELIGIONE
DVCTVS EX FLANDRIA
IN HISPANIAM TRAIECIT.
SEQVE IN IVSTVM
HIERONYMIANI ORDINIS COENOBIVM
ADIBVS ILLIC IVSSV EIVS
CONSTRVCTIS,
RECEPIT,
VBI RELIQVVM VITÆ,
QVOD VIX BIENNIVM FVIT,
TRANQVILLISSIME EGIT,
ET SANCTISSIME OBIIT
XI KAL. OCTOB. M. D. LVIII.
IOANNA LVSITANIÆ PRINCEPS
HISPANIARVM GVBERNATRIX
PATRI OPT. ET MAX. P.
Vixit annos LVIII. menſ. VI. dies XXVII.
Imperauit annos XL.
Regnauit annos XLIII.

ANNI CHRISTI.

Funus quoque celebratum fuit à Philippo II. Hiſpaniarum Rege eius filio Maximo apparatu Bruxellæ III. Kal. Ianuarii, habuitque poſtridie Orationem funebrem Franc. Richardotus ſuffraganeus Atrebatenſis. Fuit miro artificio nauis VICTORIA cum variis victoriarum titulis per vias tracta: atque etiam duæ columnæ, quarum vni hæc erant inſcripta,

IVRE TIBI HERCVLEAS SVMSISTI SIGNA COLVMNAS.
Et alteri:
MONSTRORVM DOMITOR TEMPORIS IPSE TVI.

Per omnes etiam Belgii ciuitates eius piis manibus parentatum fuit. Ex variis, quos ei tum adſcribebant titulis, hic mihi potiſſimum arriſit:

D. CAROLO V.
IMP. CÆS. AVG. P. F.
RELIGIONIS PATRONO P. P.
TRIVM ORBIS PARTIVM
TRIVMPHIS CLARISSIMO.

Scul-

ANNI CHRISTI. Sculpsit eius effigiem, quam proxime ad veri similitudinem Æneas vico Parmensis anno M.D.L. summus ea tempestate artifex atque incisor.

*Maria* Hungariæ regina Ludouici vidua post fratrem mox quoque decessit XIV. Kal. Decembris, insignis quondam 26 annis Belgii tutrix: ideoque illi parentatum XV. Kal. Februar. Bruxellæ.

Marani in regno Granatæ tumultuantes, cum nullis condicionibus possent ad pacem reuocari, oppressi armis misere trucidati fuerunt.

HENRICVS VALESIVS Caroli noni Regis frater atque eius exercitus Imperator obsidet Rupellam Regi rebellem. Die III Octobris commissa est memorabilis pugna Gasparis Colignii Galliæ Amiralij, contra *Henricum Valesium*, ad Moncontorum, in qua plures Principes tam prætensæ reformatæ, quam Catholicæ religionis desiderati sunt. Mox pax conciliata intercedente connubio Nauarræi Regis cum Margareta Caroli Regis sorore anno M.D. LXXII.

## GOTHIA.

Cum *Carolus V.* Imperator audisset Christianum Regem Daniæ recusasse condiciones pacis Emdæ Legato suo Ioanni Rantzouio oblatas: vetuit ne vllæ merces, quæ vectæ erant per freta ipsi Dano subiecta, Belgio inferrentur. Itaque cum Rex frustraretur suis vectigalibus, & ad componendam pacem ab Orientalibus valde vrgeretur, pacem fecit.

1553. *Sigismundus II.* Augustus Regis Poloniæ filius, CATHARINAM Ferdinandi Cæsaris Filiam Principis Mantuæ viduam in vxorem duxit tertio Nonas Iulii.

*Sigismundus Magnus* Rex Poloniæ, pater Sigismundi Augusti natus annos octoginta & vnum, regni anno quadragesimo primo, moritur Kalend. Aprilis, eligiturq; in eius locum Sigismundus Augustus filius.

*Torpatum* ciuitas Episcopalis in Liuonia à Roxolanis grauissime obsessa pertinacissime oppugnata tandem xv. Kalendas Augusti lamentabiliter expugnata fuit.

*Christiernus II.* Daniæ Rex moritur XXV. Ianuarii, ætatis septuagesimo octauo, qui propter tyrannidem regno pulso decennio exul vagatus fuit, & postea annis viginti septem in custodia

1559. habitus. Moxq; Christiernus, qui pro illo regnabat, subsecutus est, regnumque filio reliquit.

1560. Hoc anno mortuo *Gustauo* Rege Sueciæ succedit filius eius ERICVS, qui varia deinde cum Danis bella gessit. Cũ Theotmar-

5532. si Cimbrica gens per multa sæcula libertatem suam armis essent tutati,

tutati. *Adolphus* Frederici primi Daniæ Regis Filius, Dux Slesnici & Holsatiæ, adiutus à *Frederico* secundo Daniæ Rege, & Ioanne fratre primum Meldorpium cum Australi plaga capit. deinde confligens cum iis apud Heydam opidum Idibus Iunii cæsis ad ter mille Thietmarsiis reliqui supplices se dederunt, factiq; tributarii sunt Adolpho Duci. ANNI CHRISTI.

*Ioannes Basilij* magnus Muschouiæ Dux decimo quinto Kal. Martias vrbem Polatsko flumini Duuæ impositam, & Ducatum Lithuaniæ occupauit 1562.

Septimo Kalendas Februarii commisso prœlio inter Muscouitas & Lithuanos ad arcem Viteski ex viginti mille Moschis circiter octo mille ferebantur esse cæsi.

*Sigismundus* Rex Poloniæ Suecis multa damna intulit Itaque *Ericus* Rex Sueciæ cum illo cruento prœlio conflixit tertio nonas Augusti cadentibus hinc inde circiter viginti quinque millibus hominum. Idibus Augusti prœlio renouato Polonus fugatus fuit, mansitque victoria Sueco.

Graue bellum exarsit inter Moscos & Polonos. Tartari quoque Moscoam Moscouiæ regiam cum arce exusserunt mense Maio. Quare Sigism Rex comitia in seq. an. indixit Grodnæ: vbi deliberatum quid facto opus foret.

Hoc anno sub Tropico circiter Capricorni ab Occidentali parte Peruuiæ detectæ sunt duæ insulæ, quarum vni S. Nabor, alteri S. Felicis nomen ab Hispanis inditum fuit. 1571.

## EVROPA.

Classis Solymanni constans triremibus, biremibus, aliisque nauigiis ferme ducentis quinquaginta sub præfecto Pyabi Bassa xi. Kal. April. Byzantio soluens xv. Kal. Iunii *Melitam* appulsa est, cum exercitu plus minus quadraginta millium pugnatorum sub Imperatore Mustapha Bassa; expugnataque est arx S Elmi in faucibus portus sita, oppugnatione per triginta dies dilatata, octauo Kal. Iulii magna cum clade & cæde hostium, trucidatis cunctis propugnatoribus, ad oppidum S. Michaelis arcem & præcipue propugnaculum Castellæ & Lusitaniæ, pluribus locis magno tormentorum bellicorum numero & impetu, quatiendo & deiiciendo mœnia, ad oppugnandum se verterunt globos ferreos saxeosque quos tormentis eiaculabantur quinque septemque palmarum rotunditatis, scribit Ioannes Valetta magister Hospitalis Hierosolymitanæ, qui cum militibus sui ordinis locum strenue defendit, virtute atque animi magnitudine, omnibus Imperatoris muniis peragendis nulli Principum cedens, cum sæpius Turcas per dirutamœnia ingredi tentantes abegit, ac per trimestre repulit, donec Garsias Toletanus Siciliæ 1571.

ANNI CHRISTI. prorex cum classe Regis Hispaniarum, & decem millium selectorum militum auxilio (inter quos ducenti quatuordecim equites eius ordinis, aliqui nobiles ac generosi voluntarii viri erant) aduentarent, cogerentque Barbaros Turcas post multas strages fugam tandem capessere. Præmiserat Solymannus ingentes etiam copias in Pannoniam, quas primo vere sequutus, tremente Germania vniuersa. Maximilianus itaque Dux cum valido exercitu aduersus eum expeditionem suscipit.

## ROM. PONTIFICES.

1572. GREGORIVS XIII. Bononiensis antea *Boncampagnius* dictus I.C. Pontifex denuntiatus indulgentias statim per Europam misit, vt populus Christianus pro pace ecclesiæ, electione noui Regis, bellisque sopiendis preces ad Deum puras funderent Ioannem Austriacum nobili de Turcis nauali pugna victoria potitum, ac Romam venientem, honorifice excepit, fœdusque à decessore suo cum Philippo Rege Catholico & Venetis ictum continuauit. Ioanni Sueriæ Regi ac Gothorum petenti, Sacerdotes aliquot Societatis Iesu misit, vt gentem Lutheri dogma profitentem ad Apostolicam ac Romanam religionem reducant.

1576. Anni corrigendi rationem ab Antonio Lilio medico accepto
1577. libro, quem Frater eius germanus Aloisius quondam conscripserat, de Kalendario per nouum Epactarum cyclum ad verum
1578. & sæculis omnibus duraturum, interpositis decem diebus, instituit cum prius Principes Christianos, & præcipuas acade-
1579. mias de eo negotio consuluisset. Certe res est memoria dignissima, licet quidam ad tantum lumen cæcutientes, in tenebris malint versari.

1582. GEBHARDVM Truchsesium Archiepiscopum Coloniensem, S. Rom. Imp. Electorem monuit, vt ab incœptis desisteret atque
1583. sedi Rom. se reconciliaret: nolentem eius monitis acquiescere
1584. priuat dignitate, sacrisq; interdicit. Misso ergo Ioan. Francisco, Episcopo Vercellensi Coloniam, eius iussu electũ Ernestum Bauarum in Archiepiscopum confirmauit. 10. Kal. Aprilis mane in
1585. amplifs. consessu Cardinalium sedente Pontifice, introducti fuerunt Mantius Francisci Bungi regis, Michael Protasii Arimanorum regis, & Bartholomæi Omuranorum filii legati, & Martius Dux, aliique Iaponicæ nobilitatis proceres. Qui exhi-
1586. bitis literis suorum Principum anno 1582. 11. 8. & 27. diebus Ianuarii scriptis Gregorio 13. Pont. Max. vt Vicario *Christi* obedientiam atque obseruantiam detulerunt: habente eorum nomine insignem orationem Casparo Gonsaluo Lusitano Presbytero

teto Societatis Iesu: atque ad eam respondente nomine Pontifi- ANNI
cis Antonio Buccapadulio oratore. Deducti vero legati à nepo- CHRISTI.
te ex fratre Pontificis Cardinale S. Sixti, ad Palatium splendide
à Pontif. excepti fuerunt. Pontifex cum sedisset annos 13. mortuus est.

SIXTVS V. *Felix* de monte alto ante dictus, inito Pontificatu exercitium artis Astrologicæ iudiciariæ prohibuit anno 1585 Non. Iunii. Mox quoque per Carolum Baronium Martyrologium Rom. corrigi atque doctissimis commentariis illustrari
procurauit: committendo Guilielmo Lindano Ruremondensi 1587.
Episcopo, qui ob negocia Belgii in vrbe erat, vt opus visitaret
suoque approbaret calculo, antequam prælo committeretur. 1588.
Basilicam Vaticanam sua cura exstructa festo SS. Petri & Pauli die didicauit. Didacum Hispanum minoritam albo sanctorum inscripsit Ad Henricum Valesium III. Francorum Regem monitorium misit, pœnitentiam vt ageret denuncians ob cædem Ludouici Presbyteri Cardinalis Guisii perpetratam, & detentione Caroli Borbonii Cardinalis, atque Petri Archiepiscopi
Lugdunensis; quos in vincula coniecerat: vinctosque vt liber- 1589.
tati pristinæ restituat: veniatque aut mittat intra 30. dies, dimissis captiuis intra dies 10. qui id factum esse doceant, certioremque ipsum reddant: &, si monitioni non paruerit ac mandato, pronunciat atque declarat Pont. Regem omnesque illius facinoris reos excommunicatos, & ab vnitate corporis *Christi* separatos esse, idcirco fideles omnino eos debere vitare Aquas Felicis Senatui P. Q. R. adduxit cœpitque Pont. an. 1. absoluit M.D.LXXX. quando columnam Traiani altam ped. 128. B. Petro Apostolo dedicauit & columnam Antoninam D. Paulo ped. 41. Sperabat & Basilicam Vaticanam suis auspiciis absoluendam.

Ad ornatum vrbis Obeliscum olim Ægypto aduectum, atque Augusto dicatum in Mausoleo eius, & deinde euersum & in plures confractum partes in via ad S. Rochum iacentem, in pristinam faciem restitutum salutiferæ cruci erigi iussit ante templum S. Mariæ maioris in Esquiliis, alterum quoque in Vaticano admirandis machinis transponi fecerat: & tertium ex circo mox transtulit ad Lateranum. Exstruxit quoque domum ad Lateranum, & aliam in monte Quirinali, vbi mortuus est cum sedisset annos vi. Ferebatur sub mortem inductus à Gallis vt faueret Henrico Regi Nauarræ, itaque hoc disticho fuit notatus.

*Fac in amicitiam coeant, & fœdera iungant*
*Galli omnes, dixit SIXTVS, & occubuit.*

VRBANVS VII. Romanus, Cardinalis H. S. Hieronymi, vir 1590.

ANNI CHRISTI. summæ modestiæ, sedit tantum dies 10. relinquens post se famam sanctitatis, vacante sede cum discordantibus Cardinalibus schisma metueretur, pridie Non. Decembris creatur GREGORIVS XIV. Mediolanensis *Nicolaus Sfondratus* antea dictus, ob eruditionem & virtutem Episcopus creatus Cremonensis, anno 1561 pridie Kalend. Aprilis sub Pio 4. Pont. Interfuerat Concilio Tridentino: & amicitiam cum Carolo Borromæo Card. S. Praxedis (eique humilitate, liberalitate & eleemosynis similis) contraxerat; ideoque à Gregorio XIII. Card. S. Ceciliæ fuit creatus, qui ei quoque curam seminariorum in vrbe commisit, cum omnia officia Ecclesiastica per se obiisset. Creauit 4. Cardinales, inter quos erat Odoardus Farnesius Alexandri Farnesii Ducis Parmensis filius. Misit Marcellinum Landria-

1591. num Referēdarium nuncium Apostolicum cum monitoria bulla, ad Clerum, nobiles, ac populum Gallicanum, vt se abstraherent ab Henrico IV. Rege data Romæ Kalen. Martiis signata: Vest. ius Barbianus & A. de Aleriis, & in dorso registrata apud Marcellum Secretarium. Forderi, quod Rex Hispaniæ Duces Sabau iæ, atque Lotharingiæ cum confœderatis Galliæ icerant, se adiunxit: confœderatos pecunia ac milite iuuans. At cum exercitus 20000. ex Italia missus iam ad Lotharingiū Ducem Muinensem venerat, & 12000. Hispanorum ad obsidendam Baionam apud Triballos hærerent, Gregorius moritur ex stranguria Idibus Octobris, cum sedisset menses 10. dies 10.

1592. INNOCENTIVS IX. dictus antea *Nicolaus Fachinetus* sedit menses duos duntaxat. Obiit ætatis septuagesimo quarto anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo primo XV. Octobris.

1593. CLEMENS VIII. antea *Hippolytus Aldobrandinus* Card. appellatus patria Romanus, origine Florentinus: patre doctissimo *Thoma Aldobrandino* natus, qui *Diogenem Laertium* Romæ fidelius à se conuersum latine euulgauit: Mores ei inculpati, ætas integra, vires tamen corporis haud validæ. Henricum IIII. Galliarum Regem cum eum in fide Catholica Romana perstare cognouit, Ecclesiæ & Sacramentis restituit, eius nomine impensa Censuræ abolitione Iacobo Perronio, viro illustri, Christianissimi Regis Legato, qui postea Cardinalium Senatui est adscriptus, scripsitq; pro fide maiorum ad Iacobum Regem Britanniæ nostram religionem oppugnantem.

E quatuor Cardinalibus creatus est *Francisc. Toletus*, insignis Societatis Iesu Theologus, patria Cordubensis, magno vir ingenio & eruditione, concionator assiduus ad Cardinales. Prudens rebus gerendis, obitis pro Apostolica sede legationibus.

Hic

Hic triennio post Romæ obiit, sepultus ad B. Mariæ maioris die 14. Septemb. 1596. ANNI CHRISTI. 1594.

Hyacinthum è Dominicana familia Polonum (vbi Cardinalis Aldobrandinus Legatum antea egerat) Sanctorum fastis adscripsit, qui honor vitæ meritis debitus: Factum id 15. Kal. Maij. Obiit autem hic Pont. an M. DC. V. quinto Nonas Martij, cum præfuisset Ecclesiæ annis XIII. Men. I. D. III.

## ANGLIA.

ELISABETHA Angliæ Regina Regni sui tertio & vicesimo anno Kalen. Aprilis Edicto cauit ne quis hospitio exciperet Iesuitam, Sacerdotem, aut quemquam qui in seminariis Romæ vel Remis operam litteris dedisset; cunctis iniungens si tales latere vspiam sciret continuo prodere, quasi læsæ Maiestatis reos, & regni proditores. Scripsit aduersus hæc sæua edicta *Gulielmus Alanus* Cardinalis Anglus Remis Apologiam pro societate, & seminariorum alumnis.

FRANC. DRAGVS Archithalassus Angliæ, imperterriti vir animi, ex Anglia soluens annis duobus mens. x. per fretum Magellanicum circumnauigauit terrarum orbem: & nauigans variis locis prædas abegit, quibus onustus in patriam rediit, Elisabethæ Reginæ gratus acceptusque. Heu, quam fœliciter nauigant sacrilegi, vt iactabat Dionysius Tyrannus. Maiore sane dignus laude videri posset, si seipse ad vnguẽ excussisset, & propagandæ Religionis Christianæ zelo ac prolatandi Christianismi fine Barbarorum imbellium iniuriatam arduam nauigationem suscepisset, atque innoxiis res sibi suas reliquisset.

Kal. Octob. ANTONIVS BABINTHONIVS atq; alii sex crudeli supplicii genere necati sunt Londini, cũ aliquot suæ gentis diebus 7. fuerunt extremo supplicio affecti, quod in Reginæ necem conspirasse ferebantur, & Catholicismi essent conuicti.

DRAGVS ARCHITHALASSVS Anglus pirata soluens è Britannia sub Kal. Septembr. vt prædas ageret ex America incusso insularibus magno terrore multa ex S. Dominici Carthagine aliisque locis diripuit, atq; cum præda opima in Angliam reuersus est.

ELISABETHA Angliæ Regina, quo Antonium Portugalia exulantem in regnum reduceret, classi tumultuario paratæ exercitum circiter XX. M. imponit, quæ in Lusitaniam appulsa Antonium, militemque omnem in terram exponit, qui cum esset progressus ad suburbia vsque vrbis Vlissiponæ, penuria annonæ ac clade ex fame coactus fuit redire, re male gesta, in Britanniam; vbi culpæ adscriptum Draco classis præfecto, quod eam non satis commeatu instruxisset. Et vero honori summo est Al-

ANNI CHRISTI. burquerquio, quod ex fide monuisset legatum Albertum Austriacum Cardinalem, vt classem Lusitanam exarmaret, nec fideret naualibus suis sociis Lusitanis ac Belgis quod res nouas eos spectare subodorauerat. Classis quæ ex Anglia soluerat ad infestandum naues ex America redeuntes, ab Hispanis apud Hesperides fusæ fugatæque sunt, capta naue prætoria quę fœda tempestate fuit submersa cum multis aliis.

MARIA Stuarta Scotiæ Regina 12. Kal. Mart. postquam xv. fuisset annis carcere detenta ab Elizabetha Angliæ Regina cognata sua capite obtruncata fuit. Quod factum Apologia defensum est. Crimini Mariæ adscriptum, quod ius suum in regnum Angliæ Philippo Hispaniarum regi voluerit cedere. Quod Elisabethæ necem fuerit machinata per Guilielmum Proryum. Quodque literas receperit ab Anthonio Baluithono. Reliquit filium Iac. Stuartum Scotiæ Regem quē secundis nuptiis Henrico Arleyo genuerat.

# GRÆCIA.

*Ioannes Austriacus* Caroli V. Imperatoris F. præfectus classi belli sacri, consiliis instructus Legatorum suorum Lodouici Requezens commendatarii, & Augustini Barbarii Patricii Veneti Nonis Octobris in Epiro ad Echinadas ins. innumerabilem Turcarum exercitum in mari deleuit, & vniuersam pene classem cepit, ac tandem de immanissimo ac fœdifrago hoste triumphauit. Inde nauigans in Africam Tunetum ( quæ in vestigiis Carthaginis æmulæ Romani Imperii sita putatur ) vrbem Regi Philippo rebellem expugnauit, ac Turcis profligatis regno vi potitur.

Construxit arcem quinquangularem, vsus architecto Gabriele Sorbillonio Mediolanensi Priore ordinis S. Ioãnis in Hũgaria, quem eidem præfecit, & Petrum Portocareram Hispanum Goletæ iussit præesse: dimisitque classem, triginta tantum triremibus sibi reseruatis. Porro non tulit hunc successum æquo animo Turcarum Imp. Selimus, sed paratæ noui classi ducem constituit Ochialem, & exercitus Imperatorem Sinanum Bassam, qui traiicientes in Africam & auxiliares copias terra marique secludentes, sexaginta machinis bellicis duplici ordine collocatis muros arcis vtriusque percutientes propugnacula & mœnia mensibus Iulii & Augusti deiicit. Occupatis iam arcibus Christianos omnes trucidant, exceptis quatuordecim, qui vincti Constantinopolim sunt transmissi. Portocarera vero missus à Turca in Galliam est, traditusque inde Ludouico Requesennio, Belgii tum Præfecto, & Antuerpiæ in area arcis gladio percussus

cussus est, quod tradendo molem Aphricanam ingentem nummorum summam sibi pepigisset. Turcæ æquatis solo arcibus, & Tuneti muris molem fortissimam & portum multarum nauium capacem exstruxit, vt ibi belli naualis sedem ad Hispaniæ, Italiæ oram maritimam insulasque infestandas constituat. In Portocareram poeticæ vt apparet studiosum, sic lusit Iulianus Barradas I. C. Neapolitanus: ANNI CHRISTI.

*Arma virumque cano dum noster in arce legebat,*
*Arma virumque simul Turca timebat Halis,*
*Arce dein capta, cum quæreret Arma virumque:*
*Arma quidem, sed non repperit ille virum.*

## GERMANIA.

IOAN. GOSTAI. F. rex Suecıæ & Gothorum suasu ac persuasione Petri Brausi Comitis de Vissinburgh Consiliarii sui, & Io. Herbesti concionatoris, Catharinæ Ingoloniæ reginæ suæ contempto Lutheranismo Legatum Romam ad Gregorium XIII. Pont Max. mittit, qui ei obedientiam offerat, atque ab eo postulat dignaretur viros piè doctos in Scandiam mittere, qui genti tam diu deceptæ à Lutheranis viam veritatis & Euangelicam doctrinam rite doceant.

Cum SALENTINVS se administratione Episcopatus Coloniensis abdicasset, *Gebardus Truchsius* electus atque à Pont. Gregorio XIII. confirmatus; amore Agnetis Mansfeldensis captus, de mutanda religione cogitare cœpit, conscribereque militem cum Ioan Casimiri. Gulielmi Nassouii Auraici Principis, ac Henrici Episcopi Bremensis: occupata Bonna, legatis consilia agere monitu Pontificis Gregorii XIII. contemnere, Bonnamque belli sedem statuere, cumque videret Canonicos vna cum magistratu Coloniensi suis obsistere conatibus, contracto cum Agnete matrimonio. Coloniam Tracenam etiam occupabat, quæ à Frederico Saxone recipitur: qui duxerat exercitus ciuitatis: deinde inuocato auxilio Regis Hispaniæ Philippi II. se armant contra confœderatos Gebhardi: quorum præcipuus Ioan. Casimirus. qui cum mortuo Ludouico fratre Palatino Rheni, vt nepotulo adesset, in patriam ingreditur, & FRANCISCVS Alenzonius Belgio esset expulsus atque electo Ernesto Bauaro in Episcopum Coloniensem à Rudolpho Cæsare esset proscriptus, in Hollandiam fugiens Delphis aliquot mensibus in postica parte ædium coctoris ceruisiarij habitauit. ab Auraico humaniter exceptus, quo mortuo Leidam migrabat, cum interea Rheni tractus Westphalia vastantur, Bonnaque deditione venerit in potestatem Ernesti Bauari, noui Archiep. 9. Kal. Febr.

ANNI CHRISTI.

BELGIVM.

Inter nouos Episcopos quos in Belgio Rex Philippus renuntiari curarat, celebres tunc erant, & editis clari libris Cornelius Iansenius Hulstanus Gandensium Præsul Cunerus Petri Brawerszauius, Antist s Leouardiæ in Frisia, & R remundæ. Guilielmus Damasus Lin anus patria Do d achius: & ob morum grauitatem animique constantiam Martinus Rithouius Hiprensis Episcopus, & Nicolaus Castrensis Mittelburgensis antistes: de quibus plura infra.

FERDINANDVS Albæ Dux intentus erat Regis iussu, vt militibus stipendia non deessent, mercimoniis decimandis renitente tum maxime Ambstelramensi vrbe, quæ nauigationibus ac mercibus floret, atque etiam plebi Bruxellensi, quando (ecce initia belli belgici ac tumultuum) inopinato accurrit fax seditionis Wihelmus *Lummæus* sex & viginti nauiculis ex Britannia Brielam Hollandiæ oppidum ad ostium Mosæ, præsidio vacuum appulsus deditione capit. Erat is apud Eburones seu Leodicenses illustri quidem natus stirpe sed animo degener ac magna prosapiæ labes. Referebat enim genus paternum ad Arembergios, Maternum vero ad Heroas Wassenarios in Batauis. Quorum hi a Claudio ciuili acerrimo olim populi Romani hoste non vanis argumentis genus deriuant. Arenbergii vero referunt ad Adolphum Vrsinum Romani sanguinis virum, quem Henricus Quintus Romanus Imperator ob fidem strenuamque in bello nauatã sibi operam, in Brucberorum finibus comitatu Marcę donauerat. Quæ regio à Cliuensiũ duce hæreditario iure hodie possidetur. Hic Luuimæus prædandi licentia tẽpla cœpit diripere, vasaq; sacra conflare, pallia, vestesque ecclesiasticas in suum vsum vertere, monasteria solo æquare, templa equis destinare, cœnobia vero militibus, leges deniq; promulgare, quibus cunctarum diuini tum profani Iuris ad suum reuocaret arbitrium. Interea Vltraiecto ex hibernis Insubrum legione Hispania euocata, Maximilianus Bossuuius Hollandiæ præfectus in Nornensem ditionem transfretarat, cumque negligentius nostra custodita nauigia essent, à Luuimæanis incẽsa magna trepidatione insula excessit per vada æstu recedente aquis nudata. Dordracũ iam fide vacillabat primaria Hollandiæ ciuitas, ac ne comitem quidem Bossuuium recipiebat. Delphos itaque cogitans cum milite, occlusus portis Roterodami transitu prohibetur. Cumque multis precibus nactus esset transire oppidum, non vltra 25. numero simul intromissus fabrum ferrarium dicentem ad astantes: *Hic numerus sufficit ad occidendum*, pugione confodit, clamans reliquos esse mactandos: in quos Hispani sæuierunt contrucidatis nonnullis. Itaque intromissis sociis ibidem

dem hæsit, receptisque portu Delphensi atque oppido Scieda-mo Vltraiectum ad conscribendum militem profectus est. Interea Vlissingenses mota seditione Wallones præsidiarios vrbe expellunt, atque in Patiecum architectum arcis fundari cœptæ, eiusque socios seuerius statuentes extremo afficiunt supplicio. Lodouicus quoque Nassouius, qui Gallos Hugonottos Parisiis in Albanum concitarat, ductus ab Oliuario Pictore insigni astu pridie Pentecostes montibus, metropoli Hannoniæ potitus est: simul etiam Valencenis Kal. Iunii: quo die Dordracum fidem mutauit, coniectis in vincula Quarillio vrbi præfecto, Ioanne Crabbo Augustinianorum, & Franc. Mierbecano Minoritarum præpositis. Et biduo ante Lugdunum Batauorum (quæ vulgo Leida est) & Gouda oppida hostes se esse Albani declararunt. Enchusiæ tumultuantibus seditiosis consules quoque carceri sunt mancipati, & Voxus lignipes Frisius, à Fleno cum 28. nauiculis accersitus vrbem intrauit, Kalend. Iunii. Sicque Ambstelrodamum fugientibus Orthodoxis omnis Frisia præcipiti lapsu, à Catholicæ Romanæ Ecclesiæ auita religione desciuit. Harlemum 8. Kalend. Iulij exules ciues recipere cœpit, ciuitatem ingredientibus Petro Molari, & Michaele Gallo. Quo die sub solis exortũ Enchusiæ via lata suspensi sunt *Daniel Arenduncius, Cornelius Distensis, Ioannes Nardeius, Lodouicus Arquemias & Adrianus Goudanus Minoritæ.* Delphis quoque tumultus excitatus inuitis plurimis ciuibus, vt præsidiarii milites (quos senatus auctoritate consules ad vrbis tutelã ab aggere extremi emissarii ad Mosam aduocarant) intra portas reciperentur. Interea magnam Frisiæ Occidentalis partẽ inuasit Iustus Schouenburgius: & Zutphaniam, Fuantes, Harderuicum, Campos, Suollam compluraq; oppida minora deditione capit. At commouit Albanum maxime *Mechliniam* in Brãbantia deficere, & ex Germania Guilielmum Nassouium Auraicum Principem cum ingenti equitatu mouere. Ex Gallia quoq; septem millia peditum aduentare. Itaque pro re nata consilio inito cum Medina Cæli, & Philippo Croio Arschoti ducibus, atque Ægidio Barlemontij domino Insubrensem legionem, cui vel maxime fidebat; Hollandia vt euocaret fuit decretum. Quæ legio antequam Prouincia excederet, summum audaciæ, ac fortitudinis exemplum dedit. Etenim cum Roterodami penuria annonæ laborare cœpissent, trecenti ex iis selecti ducibus, Theodoro Zapata primipilo, eiusq; signifero Iacobo Fælicio, cum sexaginta curribus per depressiorẽ Hollandiæ agrum (qui bituminosus tremit ad ingressus) Amstelrodamum contendunt. Ibique oneratis frumento curribus tractu littorali, ad Mosam reuertuntur, hostibus sæpius ex itinere profligatis, Spa-

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI. tendamo. (quod præsidio seruabat Cornelius Rufus Delphus) Santuordio, vsque maritimo Cattorum insuper incensis, & Rufo manibus post terga ligatis, quinque suorum militaria signa tridente in triumphum quodammodo adducto. Interea Luuimæus mittit suos in agrum Arcularium, qui Gorcomij intromissi arcem occuparunt; vnde extractos Minoritas aliquot, & canonicos Briolam auexerunt. In quos mire sæuitum est (vt narro in Historia martyrum Batauicorum copiosius) & fuere quarta vigilia *Nicolaus Piekius* Guardianus, *Hieronymus Warderus*, *Nicasius Hesius* (Theodorici Hesii à secretis quondam Adriani sexti Pontificis fratris filius, ex cuius oculis generosi pectoris ardor, fideique scintillę relucere videbantur) aliique octo Minoritæ: *Ioannes Oesteruicanus* canonicus regularis S. Augustini *Ioannes* Dominicanus, *Petrus Becanus*, *Iacobus Lampius* Præmonstratenses, *Godofridus Duynerus* Sacerdos, *Nicolaus Popelius*, & *Leonardus Vechelius* curio, vrbe educti, atque in horreo conuentus Ruggensis miliari ab vrbe suspensi sunt, 7. Idus Iulii. Qui dies status erat, quo *Leonardus Vechelius* Louanii licentia sacræ Theologiæ decorandus erat, nunc martyrii corona ornatus. Fœda in mortuorum corpora commissa, dum genitalia abscinduntur, & omentum extrahitur.

1572.

Interea *Philippus Maruix* Aldegondius Dordracum appulsus vocatus ad conuentum Auraicæ partis ciuitatibus voluntatem Principis declarat, Ingentem nimirum exercitum conscribere, quo speraret se ducem Albanum Belgio expulsurum, & esse in itinere septem millia Hugonottarum Franciæ, qui Hannoniã versus tenderent, qui sane Francisco Auraico fuissent subsidio, nisi Fredericus Albani Ducis filius improuidos oppressisset, afficiens graui supplicio inermes captiuos ad Athim oppidum, qua cæde Hugonottarum vires in Francia debilitatæ. Excessere Roterodamo aliisque locis Hispani decimo Kalendas Augusti cum senatu Hagiensi, & plurimis optimatibus, atque Harlemo frustra tentato, & Cauchorum, quos Plantos vocant cohorte ex itinere apud Portam Arenariam cæsa incolumes 8 diebus Vltraiectum venerunt.

Interea Auraicus traiecto Rheno Ruremondam pridie Nonas Augusti cepit, vbi in Carthusianos aliosque monachos est sæuitum, fuitque *Paulus Waluicanus* insignis concionator laqueo necatus. Confestim & Louanium se certis conditionibus fidei Auraici commisit, qui magnis itineribus inde ad fratrem Ludouicum arcta montibus Hannoniæ obsidione liberandum contendebat. Aduenientem castraque metatum non longe à montibus, immissis mille ducentis Hispanis indutis albis camisiis nocte concubia castris exuit, Germanico exercitu ita territo,

ANNI CHRISTI.

rito,vt fine mora fugerint Niuella & Mechlinia. Porro Ludouicus Nassouius auxilio destitutus montes sibisuisque pactus libertatem Albano cessit. Qui ex itinere recepta Oudenarda, Mechliniam ab Auraico præsidio vacuatam diripere per triduũ concessit: sicut & Auraici miles Rutemundani prædæ habuit: cum ille Zutphania, campisque tenderet in Hollandiam, cuius aduentus Enchusiam Batauis nuntiatus, multo fuit ipsis gratissimus, quod persuasum haberent, cum illa edicta c.iltis emisisset, quibus iubebat: *Ne cui sua religio damno foret*, impunitatem homicidiorum esse cessuturam. Lummeus deditione capta Schonhouia non modo impune permiserat *Theodoricum Goudanum* in lecto dormientem contrucidari, sed & *Iacobum Cruckium*, & *Cornelium Reinerum* canonicos in media vrbe ex nuce arbore iusserat suspendi, XI. Kal. Nouembris. *Gasparum* quoque *Dinslacensem*, Menapium eiusdem contubernii iuuenem permodestum, caudæ equi viatorij alligatum, & Goudam pertractum ex antenna lembi piscatorii vidit ex arce suffocari: *Iustum illud esse* militariter Acclamando, cum triduo ante octauo Kalendas Nouembris *Ioannes Rixtelius* & *Adrianus Lumbertius* collationarij Fratres, vestibus exuti instar ferarum per sepem spinis consitam acti fuissent, atque ipso se hoc spectaculo oblectante pugionibus confossi: & cænobium S. Margaretę ab ebrio milite intersum, conflagrasset. Quin & eius œconomus *Ioannes Domalius*, oppido Brielensi præfectus, adeo in innoxios sæuiit, vt iussu ordinum Bataniæ Delphos pertractus in foro publice patibulatus laqueo vitam finierit. Inter plurimos quos ille necauerat etiam fuit *Iodocus Goudanus* vir formosissimus, Carthusianorum apud Delphos ædituus, sæculi nostri Nepotianus alter: quem metu exanimatum in furcam attolli curauit, quod carne vesci & bibere è calice ecclesiastico ad mensam recusasset, sperabant itaque Hollandi aduentu principis Auraici mitiora: vtque eius authoritate nepharii huiusmodi conatus coercerentur, quod ab humanitate passim ille commendaretur. Nulla tum denique certa erat rerum suarum possessio, Tyranno pro libitu omnia agente, adeo vt & in Leidensi ciuitate ab ipsius milite sacerdotes ædibus extraherentur ad pœnam; inter quos columbinæ vir simplicitatis *Arnoldus Bergensis*, qui ob solitariam, quam agebat parcissime vitam, *Anachoreta* tunc vocabatur, vrbe euectus Hembstedij vico Harlemo proximo sclopeti grandibus frequentibus de nocte fuit traiectus, quæ Kalẽdis Nouembris insequuta est. His tot tantisq; malis vnus Auraicus mederi posse credebatur; qui dum Hollandiæ oppida peragrando Delphos properat, Fredericus Albanus *Alcantara* commendator, Legatus à Patre missus in Geldros, Zutphaniam capiens acerbe in vi-

AN. CHR. in victos animaduertit, militi concedens vrbem in prædam, inclusis etiam pluribus ædificiis. Cuius rei nuntio hostes perterriti, opida quæ præsidio tenebant, Gelria orientali Frisia, ac ditione transinsulana magno pauore excedunt. Fredericus itaque secundis elatus rebus (spreto Patris saniore consilio, quo ille Gorchum Batauorum oppidum (: quod commodius, paucioribusque præsidiis, nullo à tergo hoste relicto, commeatus illuc adueherentur,) adoriri voluerat, in Caninefates mouere statuit, expeditionem hyeme iam ineunte adorsus, ad arduam & maximis periculis obnoxiam. Amersfordia itaque in fidem recepta continuo Nardammouens exercitum Hispanum: vbi cũ ei & muris à præsidiario milite vno alteroue turpiter obganniretur feroci accensus ira extrema ciuitati comminatus est iubẽs interim vt Bossuuius protegeret, tueretur que *Lambertum Hortensium* Amersfordium virum eruditissimum & si quos alios doctrina virtuteque præstantes nosset. Postridie eius diei portis patefactis oppidum Hispani ingressi (noctu enim præsidiarii fugerant) in ciues Nardenses ædibus suis euocatos multa crudelitate sæuierunt pecorum more trucidantes. *Lambertus Hortensius* in templo inuentus nec precibus nec terrore oppido excedere voluit, priusquam commentaria quæ in *Lucanum Poetam* recẽs conscripserat, secum deferret. Quæ vbi conflagrante vrbe domo extulerat, Vltraiectum est deductus, atq; à Iohanne Hogolandio V.C. eius quondam discipulo benigne est exceptus.

Cæterum cum Fredericus Ambstelrodamum venisset, Harlemenses Senatus consulto legatos ad eum mittunt, Theodoricum Frisium, Christophorum Scaganum, & qui ciuitati à consiliis pensionibusque erat, Adrianum Assendelphium. Quorum duo posteriores (Theodorico Frisio ad Clinenses profugiente) cum responsis ad senatum redeuntes à Wigboldo Ripporda vrbis præfecto in vincula sunt cõiecti, & necãdi Auraico Delphos transmissi. Ripporta enim ferocior factus mœnibus, se bellũ sustinere posse confidebat, quod quatuor Cauchorũ signis militaribus, auctus iam esset: quæ signa Harlemum duxerat Iacobus Steubarrus Neodamo Waterlandiæ pago à Lazaro Mullero Tribuno auxilio Caninefatibus missus. Interea Sparendamum loci natura munitissimus, Caninefatum portus expugnatur, præsidiis vna cum Martino Pruiso centurione trucidatis. Fredericus itaque confestim Harlemum cum exercitu tendit, cladis vero Nardensis nuntio exacerbatus Lummæus CORNELIUM MUSIUM Delphum Poetam & Theologum clarissimum, & Auraici Parochum quem Haga ab Auraico principe hospite euocatum, ac sibi obuiam factum Leidam deduxerat, post varios cruciatus, ac membrorum mutilationes prima vigilia 4. Idus Decembris

cembris ad lapidem cœruleum patibulo erecto suspendi curauit. In cuius quoq; cadauer postridie sæuitum est abscisso genitali eius membro, & abdomine ventri extracto, antequam in prato templi herboso humo mandaretur Scripsit in eius effigiem distichon *Arnoldus Sasboutus* Regis quondam Hispaniarum consilii secreti præses sua manu exaratum:

*Martyris egregij meruit qui sanguine nomen*
*Vnus tu, Musi, dicier ille potes.*

Ioannes vero Bollius Louaniensis presbyter, carmine chronico lepide vtrumque eius symbolum sic est complexus.

MVsIVs est fato heV fVnCtVs: sed non sIne fato
qVI In ChrIsto hIC VIXIt, nVnC VIVIt non sIne ChrIsto.

Luxere funus remque plane tragicam Adrianus Iunius aliiq; plurimi, quibus palmam præripuit Petreius Tiara Frisius: qui ingenti boatu quasi præfica facinoris immanitatem necis auctoris crudelitatem, caussæ occasionem mortisque genus præcinuisset, tandem ait:

*At tu anima, Musi, exuta carnis ergastulo*
*Perfrueris illo quem sitiuisti tuo*
*Christo, minas carnificis ac laqueos supra*
*Nos multa patimur heic: metuimus omnia*
*Hoc ipsa quæ iustus mihi dictat dolor*
*Deplangere inter arma, non vacuum metu est.*

Cæterum venerat Harlemum paulo ante ab Auraico missus *Philippus Marnix Aldegundus*, qui conuocatis sagittariorum sodalitiis expponit se in mandatis habere, vt nonnullos Magistratu amoueat, dignitateque priuet Senatoria, non vt infidos parumque dignos, cum viri alioquin sint honestissimi; sed hoc tempore lectione noui magistatus, opus esse Auraicum intelligere, quo securitati publicæ atque commodo ciuitatis consulatur. Itaque Petrum Molarem Cos. loco Theodorici Frisij constituit, nouumque Senatum creauit. Moxque qui sententiam de legatis Amstelredamum mittendis dixerant, domi custodiis seruandi traduntur. Inter quos præcipui fuerant Lambertus Roosenfeldius, Quirinus Talesius, Ioannes Surenius Consulares, Ioannes Tinctorius, aliique complures ex Senatu. Porro castris ad vrbem admotis post explosa frequentius 14. (quæ secum attulerant) tormenta bellica in crucis diuiq; Ioannis Portas, tentata res est, si primo impetu rapi vrbs possit: vbi id parum processit, (cæsi enim audacissimi quique fuere à propugnatoribus) obsidione munitionibus cœpti premi hostes à parte Meridionali

*Harlemi obsidio.*

dionali

ANNI CHRISTI.

dionali 2. legiones Germanorum sub Tribunis Georgio Frensbergo, & Othone Eberstemo in nemore, vna cum ala 350. equitum, quos Christophorus Schoneius ducebat, castra metatæ sunt. Ad arenosos colles occidentem versus, Capteanus & Lyckeus Tribuni cum 2. legionibus Belgarum, Gallorum, & Cheuereancius Baro Sequanus cum tertia legione lectissimorum Burgundionum considebant. Ad septentrionem in ruinis domus Cleriensis Frederici Prætorium erat, cui aderant 4. legiones Hispanorum, Nortcarmius & Bossuuius cum suis sequacibus, & vna cum duabus turmis equitum Epirotarum. In propinquo prætorij armamentarium erat, cui erat præfectus. Lamoteus Orientis tractus, quod prata inundarentur, munitionibus aggereque cingi non poterat, donec mutaret ver æstasque adueniret. Erat vero hyems solito rigidior, & videbatur exercitus quasi in solitudine, omni cultus humani genere destitutus. frigus, inopiam, lassitudinem ac desperationem fermo perferens. Multos exanimauit frigoris vis, cum deficientia in excubijs corpora ita astringeret gelu vt ad surgendum conniti non possent. Fiebant subinde leuia quidem sed longe acerrima prœlia, multis hinc inde cadentibus, dum aut obsessi crebris eruptionibus obsidentibus molesti sunt, aut rursum si aduentantes cohortes auxiliares eosque qui annonam rhedis trahisque per stagnum congelatum aducherent, accessu oppidi connituntur. Cum vero & in castris ob lutosa latrociniisque infesta itinera pulueris tormentarij pilarumque ferrearum atque commeatus penuria summe laboraretur ad obsessos nullus aditus patebat: donec Bossuuius Comes naualibus præfectus copijs perrupto ad ædes cerui aggere naues Batauorum stagno expelleret, simulque ab Orientis parte vrbis munitiones erigerentur.

*Middelburgum mari obsessum.*

Dum hęc Harlemi aguntur, Auraici, postquam Goeza Zelandiæ oppidum obsidione per regios duce forti Mondragonio fuisset liberatum, Metelliburgum, ( hodie *Middelburgum* ) arcemque Rammensem commeatu prohibere sunt aggressi, nauibus aliquot portum obsidentes. Vt enim milites Regii exercitu terrestrique bello, ita Bataui maritimo naualibusque præualent copiis. In hac longæ arctissima vrbis obsidione Nicolaus à castro Episcopus dysenteria moritur Middelburgi XVII. Kal. Iunii annos natus LXX. Pater illi Louanii Nicolaus, apparitor seu bedellus artium fuit, & ad doctrinam honoresque per gradus euectus erat. Vt autem obsidentes Geusii assumptum ab Auraico Symbolum: PRO LEGE, REGE, & GREGE. ostentabant; ita vicissim obsessi Catholici argenteos, quos fetiebant nummos, hac inscriptione decorabant: DEO. REGI. AC

PATRIA

PATRIÆ FIDELES MIDDELBVRGENSES. Erat apud hos rerum pœne omnium penuria præterquam vini ac salis, quo etiam Harlemenses tum abundabant. Vtrisq; obdurandi patiendiq; æquale propositum, sed ob impares principes ac disparem religionem: interque diuersorum morum propugnatores. Cum illos Mondragonius Hispanus Tribunus cum cohortibus Wallonum Belgarumque defendit copiis. Quos cum premeret rerum omnium fere inopia externæque opis expectatione desiituri viderentur; per litteras alligatas columbarum nocte exportatarum pedibus, intellexere apud Mermundum excitata a Batauis munitione, exercitum, Amstelredamenses commeatu exclusos esse: sed mox ea spe decidere, postquā caput Oliuarii pictoris per muros esset ab Hispanis proiectum, cum affixa illi tabella, quæ indicaret eius militem ad Amstelam munitione expulsum atque omnino deletum esse. Quo nuncio exacerbati obsessi. S. C. decernunt Lambertum Rosenfeldum & Quirinum Talesium Consulares Adrianumque Grouerrenium custodiis tradēdos VII. Idus Maii. Qui paulo post VI. nimirum Kal. Iunii sub noctem Vigilia prima vna cum Francisco Iacobi F. & Hugone tinctore ciue honesto aliisque ex furca suspensi. In Gallia egresso exercitu, qui Ludouico Nassouio montes Hannoniæ occupante auxilio foret, dubia atq; inuida fruebantur pace; quam matrimonio inter Henricum Borbonium Nauarræ Regem & Margaretam Valesiam Caroli. 9. regis sororem contracto stabilire satagebant. Nuptiæ celebratæ fuere Parisiis, quibus etiam interfuit Gaspar Coligneus. ANNI CHRISTI.

Quem è fenestra quidam, dum obambulat, scopleti glande petens in brachio & vtraq; manu læsit, 11. Kal. Septembr. Accessit ad decumbentem Rex cum matre ac sorore postridie, atque vt bono sit animo, hortatur: dicens se inquisiturum de sicario, atque pœnas tanto scelere dignas de eo sumpturum. Ille frendere atque minari murmure, & Carolum Guisium perpetrati facinoris esse auctorem. Ferunt & Coligneum Nauarræ regem adhortatum esse vt se vindicem constitueret, cum ipsi auxilio semper fuisset ad perueniendum ad regnum: Nauarrumq; apud nouam sponsam quædam effutisse, quæ postquam illa significauerat matri, euocatum à Rege fuisse Guisium, cui mandatum, vt quanto ocius possit, è medio auferret Coligneum, omnesque eius clientes: vnaque simul, qui ei in religione consentirent. Aduenisse enim eius causa 400. equites in suburbiis, & plures exspectari, ideo opus esse acceleratione. Paret dicto Guisius, atque impigre ingressus ad Coligneum, eumque compluribus vulneribus confossum è fenestra præcipitem dedit in plateam. Discursum sursum deorsum; pessimoque exemplo, qui cui visi fuere,

sunt

ANNI CHRISTI. sunt trucidati: nec se continuit sæua rabies intra vrbem: per vicinas quoque ciuitates grassata est: ita vt Rex cogeretur seueriore edicto illud prohibere reddens causam homicidiorum à se suisque perpetratorum. Inter eos, qui ob doctrinam erant celebres, trucidatus etiam fuit *Petrus Ramus* Aristotelomastiges ac summus Sophista. Lusit quidam Catholicus suo hoc disticho sub nomine Lutetiæ quondam clarissimæ vrbis:

*Orbis in vrbe fui, sed fecit Carolus vt iam,*
*Vix mihi sit nomen vrbis in orbe super.*

Bellum ergo quod sopitum per Galliam videbatur, à Rege fuit redintegratum. Nec satis fuit duos deuastare exercitus infelix regnum; conscripsit & tertium Franciscus Alenzonius, iuuenis versipellis, & regnandi vel quouis modo percupidus. Qui cum se non contentum esse diceret iis conditionibus quas Rex cum Hugonotis pepigerat: qui eius sequebantur castra se *Malecontentos* nominabant, volentes inter Regem & aduersarios eius se constituere arbitros atq; sequestres.

Quin etiam per Selimum Turcam procurauerant, vt Henricus eius filius electus esset Rex Poloniæ mortuo Sigismundo 2. atque præferretur Stephano Sigismundi ex sorore nepoti. Qui cum apud Polonos regnaret, accepto nuncio fratrem Carolum IX Galliæ Regem absque liberis 2. Kalen. Iunij decessisse, clam fugit e Polonia 14. Kal. Iulij Viennam, inde Venetias: deinde in Galliam, vbi fratri successit in regno, Idib. Februarij coronatus Rhemis. Et licet regnum cesserit Stephano Vaiuodæ ab ordinibus Poloniæ in regem electo, titulotenus tamen Poloniæ Rex appellari voluit, coronam regni apud se conseruans.

Kal. Martij in vxorem duxit Ludouicam Vaudemontiam, ex antiquiss. Lotharingica familia ortam. Cumque nuptiæ magno sumptu Parisijs celebrarentur, nuntiatum fuit sororem regis Claudiam, quæ Carolo Duci Lotharingiæ nupserat, defunctam vita: cuius exequiæ simul & Margaritæ eius amitæ, quæ paulo ante apud Allobroges obierat, celebratæ fuere Parisijs paulo post mense Martio. Porro incedebat vero Henricus non satis grauiter pro dignitate tantæ maiestatis, & in pietate ac Dei cultu, superstitioni, quam religioni synceræ erat propior, aulaque eius diffluebat luxuria; & de æquo ac iusto parum pensi habebat. Insurrexere in eum mox Henricus Borbonius Nauarræ rex eius sororius, & Henricus Princeps Condæus, ad eiuratam religionem reuertentes & contemptis minis Pontificis Gregorij XIII. exercitum Hugonottarum conscribentes Rupellam pro sede belli occuparunt, aliaq; complura oppida.

1583. FRANCISCVS ALENZONIVS Dux Henrici regis frater, se quoque

quoque Belgii, tumultibus immiscet sollicitatus ab iis, qui Auraicis fauebant partibus. Ab aliis, qui ordinum principes haberi volebant, accersitus fuit Vienna Austriæ Archidux *Matthias* Rodolphi Cæsaris frater; & Philippi II. Regis ex sorore nepos. Verum horum auctoritas plane imminuta fuit, cum Philippus Croius, dux Arscotanus; triduo postquam in Gubernatorem Flandriæ esset receptus, cum ignominia in vincula coniiceretur, 5 Kalend. Nouembr. & Gulielmus Nassouius Auraici Princeps, Brabantiæ atque deinde Flandriæ quoque Gubernator exposceretur creari. Quem etiã Legatum voluerunt esse Archiducis Matthiæ, tam contemptim habiti; vt inglorius mox cogeretur reuerti in Austriam, quasi re male gesta. Missi qui accerserent Alenzonium prædæ opimi Belgii inhiantem; complurbus, quibus sanior mens erat, illud improbantibus, atque in illum torquentibus illud Luechtenbergij dictum: LEO CAREBIT AVXILIO, ET DECIPIETVR A LILIO. Quare suadebant vt cum Rege redirent in gratiam; nec paterentur se Gallorum premi tyrannide, quam tot cædibus perpetratis perspectam habebant. Sed potentiore parte vincente saniora suadentem, missi fuerunt Burdigalam, qui Nenzonium ad inuadendum Belgium inuitarent. Qui cum venisset in Angliam, ostendebat ei regina Elisabetha, ludendo illum, se non sine temeritate suo arbitrio commisisse: cum interea eum benigne excipiens aliquot nauibus comitari voluit Vlissingam: vnde nauigans Antuerpiam solenni more inauguratus est in Marchionem sacri Imperij, & mox in ducem Brabantiæ. Deinde Gandaui in Comitem Flandriæ, Comitatum secum adduxerat iuuẽtutem Gallicam moribus corruptam, & qui ei à consilijs essent *Ioan. Bodinus*, aliique erant astuti magis quam prudentes: ipsusque religionem Christianam magis simulabat, quam syncere profitebatur: in hoc intentus vt principatum firmiter stabiliret; fas ac nefas nihil pensi habens. Legebat viritim omnes in suum nomen, quod à legitimis principibus fieri numquam visum fuit. Quia non credebat se posse stabilire tyrannnidem, nisi oppressa Antuerpia, ac restaurata arce pro libito dominaretur, præcipue cum in propinquo Lyra esset recepta à Regijs atque præsidio firmata, insuper Auraico glande sclopeti per genas transuerberato, se nec satis in tuto fuisse in tanta plebis rabie perspexisset. Igitur 16. Kal. Febr. hora prima egressus vrbe, per suos asseclas nobiles equites complures, qui in porta Kipdorpia excubabant, trucidari procurat, excubitores ciues. Sed mox contrucidatis turpiterque fugatis suis qui ad forum tendebant exclamando vt catholicos sibi adiungerent: *capta est vrbs, viuat missa:* triumphum nimirum ante victoriam canendo in ipsa vrbis porta suffocati

ANNI CHRISTI.

Hhh metu-

ANNI CHRISTI. metuque exanimati ac mineribus strati exeundi viam præclusere cadaueribus exaggeratis, & equitibus Francis in fossas desilientibus dum Alenzonius reliquum exercitum in vrbem tendere suis subsidio frustra nititur. Sic initio Gallorum more furibundi quasi & plusquam viri pugnant: post aduersa cadente alea Martis minus quam feminæ apparent, ludibrio fere hosti. Cecinit itaque Maximilianus Vrintius Gandensi vrbi à secretis:

*Fatales Flandrum quisquis Celta ibit in agros*
*In sua seposthac ire sepulcra sciat.*

Portæ autem illi funestæ annus cladis huius Gallicæ hodieque sic inscriptus legitur:

AVXILIVM SVIS DEVS, M.D.LXXXIII.

Etenim Ioannes Laurechuius, Cantaber, famulus Caspari Dinastri mercatoris (vt aiunt) obærati 16. Kalend. Febr se Tyrannicidam fore professus, ipsi maxillas sclopeti glande transuerberauerat, in facinore oppressus. Fuere etiam eius propositi conscij supplicio affecti. At Princeps reconualescens iam orbatus vxore Carlotta Burbonia, cum rediisset cum noua nupta Delphis in Hollandiam, accessit ad eum *Baltasar Gerardus* Villefanus, Sequanus, natus annos 27. dicens se esse Franciscum filium Petri Guionis religionis ergo Besantione nuper interempti, vtque se ab iniuria patri illata vindicaret, didicisse efformare subsignationem Petri Ernesti Comitis Mansfeldensis, cui Rex ditionem Luxenburgensem gubernandam tradiderat, suffuratumque esse complura alba Mansfeldii subscriptione sigilloque signata, quæ ad aliquid tentandum apud Luxenburgos ipsi Auriaco possent esse vsui. Adhibet Princeps fidem dictis magis quod litteras à Bironio attulisset, quibus mors Alensonij nunciabatur, exceptumque aliquot dies, cum viatico Luxenburgum redire iubet, vt eius opera vti ibi posset. Verum ille empto minore sclopeto, quod tribus glandibus onerauerat, 6. Idus Iulij surgentem à prandio ex insidijs post pilam stans transuerberando trucidat E fuga retractus confestim calamum chartamque deposcens, rem omnem, vt concepta, agitataque apud Alexandrum Farnesium Parmæ Ducem & Christophorum Assonuillium concilij primati præsidem, atque perfecta fuerit, declarat; nec poterat exquisitissimis pœnis ac cruciatibus præparato ad constanter obdurandum animo compelli, vt culpam vellet agnoscere vllam, dicens se exemplum Iudith filiæ Merari fuisse secutum, & non pœnam, sed gloriam fuisse promeritum. Quin cum pridie Idus Iulij manus eius dextera exureretur, aliæque partes corporis candentibus forcipibus incuruatis vsq;

vstula-

vſtularentur; vt nidor, aerem inficiens etiam offenderet procul diſtantium nares; nullam emittebat vocem, quæ miſeri animi poſſet facere indicium recitans Pſalmum quinquageſimum Dauidis. Nullus Philoſophorum tam forti animo dolorem nedum mortem pertuliſſe traditur: adeo vt ſi hæc vidiſſent, vt nos, Romani de ſuo M. Mucio Scæuola erubeſcerent mutire. Certe cum diſſectæ 4. partes corporis ad quatuor portas oppidi dependerent, & caput pilo impoſitum oſtentaretur è muris varios affectus hominum excitabant: dum ſi illum, vt impuriſs. latronem execrarentur illi cranium pilo delapſum religioſe conſeruarent aliaque, quæ poterant nanciſci oſſa. Itaque

ANNI CHRISTI.

*Siue furor, ſeu ſit ratio contemnere vitam*
*Alterius vitam perdere dum properas:*
*Inde mones iuuenem confidentiſſime, quam ſit*
*Et fragile, & fallax, & breue Vita bonum.*

Sepultus fuit Auraicus in Diuæ Vrſulæ loco, vbi poſita fuerat ara maxima: mirum non maiores fuiſſe ſubſecutos tumultus: cum Eraſmus de ſuis Hollandis loquens, ſolitus eſſet dicere; *Paluſtre hominum genus & inuidum & ſeditioſum eſſe.* Porro fuerat Auraicus plane popularis, ſolitus dictitare:

VOCEM POPVLI, VOCEM ESSE DEI.

Interim vero Hyprenſes vi compulſi ad arbitrium Alexandri Farneſij Belgij Prorege profecti ſe dedidere: Brugenſes quoque ad deditionem adacti, & complures minores ciuitates. Nam variis locis erectis munitionibus, ne ciuitates inter ſe commeare poſſent, prohibebat: Scaldi flumine trabibus in fundum feſturis adactis etiam haud procul à Tenoramunda occluſo. Non fuit vnquam memorabilis magis viſa expeditio, quam cum vno exercitu quatuor præcipue Belgij vrbes triangulari quaſi ſitu XXX. circiter Paſs. M. à ſe inuicem ſeparatis ſimul obſiderentur. Eæ fuerunt *Antuerpia* opum, murorumque ſuorum laſciua oſtentatrix, *Gandauum* rebellione aduerſus Principes ſuos infame, *Bruxella* diuitiis ſuperbiens, & *Mechlinia* rerum nouarum antiquitus perſtudioſa. Regebantur hæ ciuitates à magiſtratibus plebeis: qui vt humiliter parere ſolent ita ſuperbiſſime imperabant. Adeo vt & Archontem ſuum Ioannem Imbiſum ab exilio è Palatinatu Rheni reuocatum Gandenſes, quod paci credebatur operam dare, gladio truncato capite percuſſerint. Qui tamen inopia annonæ coacti primi deditionem fecere, remiſſionem criminum perpetratorum pacti. Antuerpienſes apud quos Philippus Marnix Aldegondius Conſulem agebat, nauibus 270. ex Hollandia profectis adiuuabantur interea omnis generis commeatu: vtque naues vrbe ſecluderet, inſtituebat

ANNI CHRISTI.

Calloum vicum ponte iungere Opdamo alueum Scaldis occludente, risu hostibus excipientibus primo tam monstrosos conatus. Quoniam flumen reciproco æstu continuo agitatur, & vbi quam angustissimam CCCC. pateat plus minus passus. Aduectis ergo per aggeres disruptos 36. nauigijs fluuiatilibus (*Pleitas* vocant) sic Scaldim strauit: vt interstitia nauium, quæ singulæ 4. anchoris erant firmatæ per 22. pedes, per trabes præpilatas ac decussatim etiam firmatas, ita occluderentur: vt & Bataui Mattiacique seu Zelandi, & Antuerpienses, variis licet excogitatis instrumentis, molibus, ac molaribus lapidibus & templorum sarcophagis rumpendi pontis spem animo deponere fuerint compulsi. Itaque post cladem vnam atque alteram acceptam coacti sunt Antuerpienses propositis non iniquis conditionibus acquiescere, seque dedere, 16. Kalend. Septembr. Ex hac igitur tam memorabili expeditione tantum nomen tantamque gloram scientiæ militaris clementiæque comparauit sibi Alexander Farnesius Princeps Parmensis, vt & præcipui atque acerrimi eius hostes erubescerent, quicquam sinistræ famæ do illo spargere. Non defuere, qui eum titulo VERE PONTIFICIS MAXIMI *à ponte faciendo*, decorandum esse censerent; cum curando extrui celebrem illum pontem in Scaldi non inferior TRAIANO haberi posset, superans etiam C. Iul. CÆSAREM, qui pontem Rheno superstruxerat.

Interea Batauorum legati appulsi in Angliam cum Elisabetha regina fœdus ineunt, vt illa ipsos pecunia & milite iuuaret atque defenderet, suaque præsidia Vlissingæ & Brielæ maritimis oppidis imponeret mitteretque Comitem Lecestriensem in Belgij gubernatorem; qui Non. Februar. edicto Gubernator Belgij proclamatus passim magno fauore populi fuit exceptus: sicuti non minore populi lætitia à Regina est reuocatus, quod vulgo persuasum haberent eum spectare ad Tyrannidem, quod Lugdunum Medeblicum, aliasque nitebatur occupare ciuitates. Eo ergo abeunte confœderatorum regionum gubernatio *Mauritio Nassouio* Guilielmi Auriaci F. committebatur, cum interea Lecestrius 6. Kalend Octobr. in Britannia supremum obiret diem: & Farnesius Grauia, Nouesio, & præcipue Slusa, quondam Gessoriaco, potiretur, atque aliis Gelriæ quoque locis.

## GALLIA.

Dum hæc geruntur HENRICVS III. Rex simultate animo concepta in familiam Lotharingiam, regni proceres ad conuentus solennes Blosium euocauit. Quo cunctis aduentantibus postridie Kal. Octobris supplicationes iussu eius fuere celebratæ, & post

post quatriduum orationem ad ordines habuit, in qua se hæc comitia ad honorem Dei, conseruationem Catholicæ, Apostolicæ, Rom. fidei & tranquillitati regni indixisse referebat, quæ omnia præses luculenta oratione prosecutus est. Exhibuit etiam 15. Kal. Nouembr. Edictum vnionis Catholicorum ad quam obseruandam N. Archiepiscopus Bituricensis, iussu regis ordines exhortatus est. Rex denique, ordinesq; se cuncta obseruaturа sancte iurauerunt. Omnibus acclamantibus, VIVAT REX. Recedentibus aliis seruauit apud se rex XII. præcipuos proceres regni, qui conuenientes singulis de rebus, de regni negociis consultabant. Erat & Blosii N. Legatus Sixti V. Pont. Roman. Decumbebatque ibidem Catharina Medices, mater regis, aduersa affecta valetudine. Post X. Kal. Ianuarii erant, Henricus II. Rex quasi consulturus de rebus seriis Henricum Ducem Guisium, per Bernardum secretarium suum, è concilio ad se vocauit; atq; introeuntem ipsius conclaue immissis percussoribus dire trucidari procurauit. Nec etiã abstinuit à viris sacratis, cum postridie, pridie Natalis Dom. an. 1588. rabie percitus Ludouicum Cardinalem Guisium contrucidari iuberet; & Carolum Cardinalem Borbonium teneret, Petrumque Archiepiscopum Lugdunensem & Guisii filium Genuillisensem Principem, & Pelicartum, qui Guisio fuerat à secretis, ducem Nemours, & Marchionem Albonensem, aliosq; Guisii fautores. Cum fama tanti facti per Galliam volaret, confestim Parisii, Ambiani, Rheni, Albeuillum, Rothomagum, Aurelianenses, Tholosates, aliique complures à fide Regi promissa desciuerunt; Illum tanquam dirissimum Tyrannum execrantes, non dignantes eius, quas scriberet litteras, quibus & factũ excusabat vel legere vllo modo. Quin Theologi Sorbonici atq; periti Iuris ad 70. numero VII. Idus Ianuarii postulantibus Clariss. DD. Præfecto, Ædilibus, Coss. & Catholicis ciuibus almæ vrbis Parisiensibus declarauerunt, quod populus regni Galliæ solutus sit & liberatus à sacramento fidelitatis atq; obedientiæ Henrico III. Regi præstito. Deinde, quod idem populus licite & tuta conscientia armari, vniri, pecunias colligere & contribuere potest. ad defensionem & conseruationem religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ aduersus nefaria consilia & conatus prædicti Regis & quorumlibet illi adhærentium.

Ex quo fidem publicam violauit in præiudicium Religionis Catholicæ & edicti sanctæ vnionis, & naturalis libertatis conuocationis trium ordinum regni. Hanc conclusionem decreuerunt etiam mittendam ad Rom. Pontificem, vt authoritate sua probare, & Ecclesiæ Gallicanæ grauissime laboranti opem & au-

ANNI CHRISTI. xilium præstare dignetur. Implorant & auxilium Philippi II. Regis Hispaniarum, vt sibi velit patrocinari.

Henricus Rex interim ciuitates rebellionis accusare edictis, eorumque bona dare in prædam. Duces quoque Maieniensem & Aumalium, illisque confœderatos, adscribens illis crimini, quod fauerint hæreticis & amicitiam cum Henrico Nauarræ Rege fouerint in ipsius fideique Catholicæ damnum. At cum perspicit arma præualere suis edictis primum inducias, mox quoque amicitiam cum Nauarro sororio sibi parat. Qui ipso diffidente cum regni sui proceribus; cõplures ciuitates ad se deditione traxerat, eo magis, quod ab antiqua illa sæuitia se ostendere et alienum, nolens vt sui causa religio foret damno. Quin etiam Regem Turonis, quo curiam atque Parlamentum traduxerat, à Meienense obsessum liberauit obsidione. Rex ergo cernẽs se nihil minis ac edictis proficere cõparato exercitu in Parisios mouere statuit, atque ex itinere Æstampio aliisque aliquot oppidulis deditione receptis sexto miliari à Lutetia apud S. Claudium consedit. Erat Parisiis *Iacobus Clemens* Dominicanæ familiæ Monachus annos natus circiter 23. qui animo versans Aod olim Eglon regem Moabitarum sica in ventrem impacta confecisse, eius secuturus exemplum impetrato à Priore suo commeatu eundi Aureliam, in castra Regis venit, dictitans se secretum habere soli Regi reuelandum, missumque esse ab Harleo Præside in vrbe captiuo, à quo etiam litteras habeat Maiest. Regiæ præsentandas. Admissus tandem solus apud Regem, dum is porrectas literas attentius legit, sicam clam exstractam capulotenus ad intestina vsque adegit pridie Kal. Augusti: Oborto mox rumore percussor oppressus fuit: atque cadauer in partes 4. distractum in cineres est combustum. Paulo post ex vulnere moritur Henricus III. Rex virilis sexus vltimus, Familiæ Valesiæ:

*Scilicet, heu fati leges, rapit omnia tempus:*
*Et quæ sustulerat, deprimit ipsa dies.*

Iam & regnum quoque illud Franciæ longe florentissimum quondam: quod *Sequana, Ligeri, Garumna, atque Rhodano* tanquam Paradisus terrestris irrigabatur, non modo à suis intra viscerибus depascitur: sed astutissimis Italis, acerrimis Hispanis, Britannis rapacissimis, & ferocissimæ Germaniæ mercenariis expositum est in prædam. Porro cum stirps Borbonia esset coronæ propinquior, non modo Hugenottæ sed & ii qui regiarum fuerant partium suis suffragiis Regem Nauarræ Henricum IV. eius nominis Franciæ Regem declararunt: exercitu quoque regio eum Regem agnoscente, atque parente ipsius iussui. Aucto vero eorum, qui Henrico 3. Valesio adhæserant multum

suis

fuit depressa. Dum enim Nauarro, vt Catholicismum profiteatur persuadere nituntur, ab Hugonottis, Atheismi insimulanter dicentibus, nequaquam ob regnum obtinendum mutandam esse fidem. Ceterum Henricus IV. exercitu in tres phalangas diuiso, postquam 6 Kal. Septembr. per literas ordinibus conuentus ad Kalend. Octoris celebrandos Turonis significauerat vnam versus Picardiam, aliam in Campaniam destinauit, & tertio tentato Rhotomago Diepum opidum portucelebre insedit, vbi antequam hostes ad hyberna contenderent, ferme fuisset oppressus. Sed aduentantibus aliis Phalangibus obsidione liberatus ad tentandos Parisios profectus est: indeque confestim discedens in Neustrios, 2. Idus Martii hostes ancipiti prælio superauit, fuitque iusto longius intentus in fidem recipiendis occupandisque Normandiæ oppidis. Nam Parisii, qui tanta clade animis defecerãt, paulatim redintegrati viribus, reficiẽdis mœnibus, fundendis tormentis, agendis delectibus, & comparandæ annonæ, qua laborabant, operam suam impendere; ita vt interea in vrbe inuentæ fuerint 3000. modii frugum, vini quoque magna copia. Sed acto censu numeratisque 200000 capitibus: non videbatur vltra mensem annona illius sufficere. Verum Senatus populusq; vsq; adeo animo erãt obdurati vt mori maluerint, quam se dedere in potestatem Nauarræ, adeo vt vltra 20 qui de ineunda pace cum illo verba fecerant, mergendos in Sequanam præcipitauerint: atque vltro præsidiarios exposcerent imponi vrbi: Erat oppido Præfectus Dux Nemoursensis vir imperterriti animi & proposito multo pertinacissimi, præeratque præsidiis Aurallus: quibus aderãt inprimis Legatus Pont. Rom. Henr. Card. Caietanus Bernardinus Mendosa Orator Hispaniæ & Scotiæ legatus Card, Gondyus Archiepiscopi Glasconensis & Lugdunẽsis, Episcopi Rhenensis Seuliensis Astrensis Planensis & Astreensis cum innumera nobilium multitudine. Nam Maiensis Dux illic quoque vxorem liberosq; similiter sororem Ludouici Mompenserii viduam, atque fratriam Henrici Guisii quondam vxorem quasi in tuto reliquerat. Obstructo ergo Sequanæ ostio captis Corbeia & Melduno vi. Idus Maii Rex Lutetiam simul & S. Dionysii oppidum obsidione cinxit exercitu 12000 peditum & 3000. equitum. Fiebant subinde leuia prœlia cum crebris eruptionibus obsessi hostes infestarent, multis ab vtraqueparte cadentibus præcipue cum fruges maturarent in messem. Nam inter præliandum dissectæ in pomeriis fruges tutius importabãtur vrbi: quæ frumenti iam penuria laborare cœperat vt septenarium vænierit 120. coronatis & libra panis simile coronato, duobus vel tribus pondo butyri oua singula 10. & 12. solidis Parisinis plurimi vescebantur equina, asinina, & Ca-



ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI. nina multi quoque moriuntur fame Emicu t am munificentia ac magnanimitas Oratoris Hispaniæ Bernardini Mendozæ, qui cum singulis diebus tribuendo pauperibus cibos 120. coronatis emptos & conferendo stipendia præsidiariis, omnem pecuniam suam exposuisset, quidquid auri argentique infecti factique habebat, eosdem consumebat in vsus contrahens etiam grande æs alienum: Erat enim non minus liberatis distribuendo etiam equos suos atque vtensilia: quam Pontificius Legatus Henr. Gaiatanus concedendo indulgentias cum populus continuo tereret templorum limina, procederet, atq; vacaret precationibus ad Deum. Verum tandem necessitas coegit obsessos emittere fœciales Lugdunensem & Parisiensem Episcopos rogatum Nauarrum vt detestata erronea sua religione vellit eam amplecti, quam prędecessores omnes Reges fuciant professi: se tum paratos esse eum vt Christianiss. in Regem recipere, ipsique inseruire: aliter non posse nec etiam velle confœderatos, vt per se cogantur subesse regi hæreseos labe contaminato immo præoptare potius defungi vita. At ille paucis se non regno, nedum Lutetia religionem edoctam semel esse permutaturum, respondit: existimans Parisios ad extrema esse redactos rebusque suis magis fidebat quod deditione iam oppidi S. Dionysii potiretur. Interea populum per se satis illum detestantem incendunt quoque in suis concionibus varii generis monachi: inter quos ob summá eloquentiá maximę auctoritatis erat *Petrus Christinus*. Hi nāq; eos ad patienter obdurandum exhortantes Maiensem Ducem cum exercitu in propinquo esse, & Alexandrum Farnesium Parmæ ducem cum lectissimis Hispanorum ac Belgarum copiis aduentare clamabant. Nec vana spe lactata plebs est. Etenim aduentare vtroque exercitu, Henricus Rex conclamatis vasis obsidionem soluit: cœpitque mox ciuitas in tantum abundare rerum & annonæ copia, vt septenarium frumenti prius 120. coronatis venditum postquam Duces Maienses & Parmenses quasi ouantes intrassent vrbem, emeretur plus minus quatuor. Fuere præ fame 3000. equi, 1500. asini, ac muli, innumeri canes & feles fœdioraque animalia, vt narrent ibidem consumpta. Tanti valuit, apud Parisios ad memoriam posteriorum sempiternam veræ religionis ardor.

Confœderati Hollandis populi exercitus Duce Mauritio Nassouio mouens in Teuchros deditione illico accepit Zutphaniam IV. Kal. Iunij. Inde progressus in Ansuarios Dauentria quam Hermannus Bergensis pręsidio tenebat quassata tormentis bellicis per diem vnum 4. Idus Iunii deditione Nassouio etiam fuit tradita. Progressum inde ad vlteriorem Frisiæ orá est frustraq; tentata Gronica moles erecta ad emissarium Amasis fuit

fis fuit recepta in præfidiarios, quorum infida ignauia ea fuerat tradita feuere animaduertit. Præfectus Groningæ Franc. Verdugo, pilis capita impofita è muris ac portis oftentans. Cum vero Alexander Farnefius expeditionem moliretur in agrum Batauum veniffetq; Nouiomagum: Mauritius è Frifia recedens confedit apud Arenacum ad vlteriorem ripam Rheni: Itaq, nullo fibi inuicem illato celebri damno difceffere, hic in Hollandiam ille Bruxellas. Paulo poft nauigiis compluribus appulfus in Wafiam Frifiabonum olim fedem, Hulftum Mauritius confeftim citra fanguinem deditum intrauit 8. Kal. Octob. reuerfusque eft ad Hollandos, mox mouens in Gelros Cifrhenanos Nouiomagum Batauorum primam aggreditur.

Initio huius anni Erneftus Auftriacus in Belgis obiit, pro Rege auunculo ei prouinciæ præfectus. Albertus eius frater quamuis in poffeffionem miffus Toletani Archiepifcopatus ad tertium nonas Aprilis nunquam ad eam Ecclefiam venit, neq; facratus eft. Rex auunculus Belgis eum præfecit, quò Madrito abiit fub Augufti finem: Vicarium pro fe tamen Guifiam Loaysam reliquit, qui poft tres annos eius abdicatione fucceffit in eo Archiepifcopatu. Ernefti obitu rem Belgicam aliquandiu geffit Petrus Henricus Toletus Fontius Comes, vir ftrenuus, præcipua pietate.

Cafpari Quirogæ Cardinali & Archiep. Toletano fucceſſerat in Archeipifcopatu *Albertus Auftriacus*, qui deinde Pontificis permiffu, & ex voluntate Regis auunculi veftem mutauit, vxore ducta Ifabella Clara Eugenia, Regis filia, quæ nunc fupereft. Octobris die tertio Fontius Comes poft diuturnam obfidionem Cameracum Gallis abftulit. Venere quidem ex Gallia copiæ obfeffis opitulatum, femel, fecundo & tertio fed à Fontio victi femper & repulfi funt. Geufijs autem hæreticis in infidias proditionefq; femper intentis, quando aperto marte non poffunt fuperare, dum *Petrus Henriques* Fontium comes Cameracum obfideret Liram noctu fcalis inuadunt tertio ab Antuerpia lapide munitum oppidum vt præfidiarijs alibi occupatis nudatum XIV. Octob. Octo iam horis oppidum vi tenebant & domos templumque, vt facrilegi folent fpoliari aggreffis Alphonfus de Luna Hifpanorum Præfectus vrbis portam occupat, munitque doliis ac curribus, Antuerpienfibus confeftim ac Mechlinienfibus quo in loco res fit, aduolant læti paratique ciues Centurijs quindecim & Mechlinienfes aliquot, cum CL. peditibus Hifpanis vrbem ingreffi omnes trucidant in fugamque natando compellunt: nimirum ad Liram afini, qui prædas prius agere, quā rem fortiter gerere cœpiffent.

*Erneftus* Manffeldius Comes vir ftrenuus ac fortis in armis fi-

ANNI CHRISTI. dusque Regi Catholicęque fidei obiit, & Carolus eius filius manu quoque promptus a Rudolpho Cæsare aduersus Christiani nominis hostem Turcam militiæ Præfectus euocatur qui dum Strigonium obsidet, cæditque Turcas fortiter pugna fessus dysenteria occubuit. Eius hortatu Duces vrbem occupant. Comorę moritur 14. Augusti 1595. ætatis quinquagesimo secundo

Grollam Zutphaniæ oppidum oppugnante Mauritio Christoph. Mondragonius militia validus arcis Antuerp. Præfectus, vrbem liberat, cæditque Mauritii exercitum eiusque fratres Philippum & Ernestum Nassouios.

Albertus Austriacus Cardinalis & Toletanus Archiepiscopus fit Belgii Prorex, Hulstum aquis munitum oppidum armis inuadit pellitque Geusios. Caletum mox occupat. Dein Isabellam Regis Catholici filiam cum Belgica ditione dotis nomine vxorem ducit

## HISPANIA.

Mense Augusto Madriti terribili cruciatu extinctus fuit Martinus de a Cogn: quod 36000. ducatos aureos à Rege Philippo 2. per ipsum missos Constantinopolim in suos vsus verterat; & tres Bassas, quibus dare illos iussus fuerat, per literas detulisset, Turcam esse traditurus atque Hispaniarum regi deuotos. Ex his 2. Constantinopoli fuerunt acerbe necati. Tertius fuga elapsus in Cabriam appulit; indeque missus in Hispaniam à Rege benigne fuit exceptus. Cui ad sustentationem vitæ honestioris 12000. ducati annuatim sunt constituti liberalitate regis.

Classis omnium, quæ 1000. annis visa est instructissima ex variis regnis, Vlyssipone congregata auspiciis Philippi 2. Austriaci venit Coronnam Gallæcæ portum, vnde soluens 7. Kal Augusti infausto cursu orientem versus nauigauit. Nam circumnauigata Britannia naues quædam vadis inhęrentes captę sunt: cōplures fœda tempestate actæ apud Hibernia naufragium passæ, reliquæ ingloriæ Vlyssiponem reuersæ fuerunt. Ineque tantus belli naualis ardor atque incendium euanuere in fumum sic disponente Deo.

PHILIPPVS. 2. Rex Britones, quam ditionum Anna Britonia Ludouici 12. Galliarum Regis vxor, Claudiæ nuptæ Francisco Valesio, hereditate reliquerat, cum per Henricum. 2. eiusque filios ordine successionis ad Margaretam Valesiam peruenisset, nomine filiæ suæ Catharinæ Austriacæ tutari cœpit. Eo quod Britones recusantes impudicæ mulieri, ab Henrico Nauarro repudiatæ, subesse, atque verentes ne Nauarro forent prædę, principatum ad Catharinam sanguine atque ætate proximam

detale-

detulerant, vt ipsos Rex Hispaniæ pater eius contra Henricum Anglosque protegeret, atque permitteret viuere antiquo suo more. Itaque Aremoricæ ciuitates abundantes viris, maritimæ scientiæ peritis atque nauałibus sociis præstiterunt Catharinæ quasi legitimæ Ducissæ, omne obsequium & solemne iuramentum. ANNI CHRISTI.

Philippus II. Rex Hispaniarum in ciuitate Lusco amplissima regni Peru Societati Iesu Colleg. erigi curauit sub rectore N. de Braccamonte.

Eodem quoque anno simile collegium eius iussu erectum fuit in ciuitate Mexica metropoli nouæ Hispaniæ in America:

Cum ANTONIVS PEREZIVS Aragonius Madriti carcere elapsus, se Cæsaraugustæ ad dicendam causam in vinculis constitueret in patria, atque Prorex eum conaretur reducere ad carcerem Madriti, exorto Panico tumultu ipse Prorex Aragoniæ, Inicus Mendoza Marchio Almenaræ cum multis ex suo famulitio à furente plebe trucidati fuere: spectabantque Arragonij ad arma, collecto iusto exercitu. Sic turbulenti ciues breui pœnas concitati tumultus dederunt. Missus Cæsaraugustam exercitus duce Alfonso Varga, strenuo & veterano, qui magnā virtutis opinionē in bello Belgico erat consecutus. Eius diligentia ciuiū ferocia repressa. Multis exitialis audacia fuit. Ante omnes ipse Aragonū Iustitiæ (vt summus magistratus ibi, veluti Tribunus plebis olim Romæ, nuncupatur) Ioannes Nuza capite pœnas luit Lege Maiestatis, quod armatus contra Regias copias processisset. Diegus Heredia, & Ioannes Luna, præcipui seditionis auctores, simili supplicio subiecti. Aliis sontibus irrogata supplicia haud exiguo numero. Dux Villæ formosæ, & Arandæ Comes capti, atque in Castellum missi breui in carcere obierunt. Post mortem pro innocentia tamen est pronuntiatum, & posteris relicti Principatus Rebus vt pax esset, medela malis, gentis Aragoniæ cōuentus Turiasonæ habiti sunt Præside Andrea Bobadilla, Cæsaraugustano Præsule] Ex Ioan. Marianæ Annalium Hispaniæ summario ad annum Christi 1591. 1591.

ALEXANDER FARNESIVS Regis Philippi 2. Hispaniarum Legatus, Belgii Præfectus sub brumam ad auxiliandum fœderatis Galliæ proceribus ac ciuitatibus Veruinum & Chapellum oppida ex itinere abstulit. Henricus Nauarrus obsidione Rothomagum Normandiæ metropolim premebat. Quod & obsidione ille liberauit.

## ITALIA.

Legati Regum Iaponum profecti ex Iapone & ad portus

ANNI CHRISTI.

dionali 2. legiones Germanorum sub Tribunis Georgio Frensbergo, & Othone Eberstemo in nemore, vna cum ala 350. equitum, quos Christophorus Schoneius ducebat, castra metatæ sunt. Ad arenosos colles occidentem versus, Capreanus & Lyckeus Tribuni cum 2. legionibus Belgarum, Gallorum, & Cheuereaucius Baro Sequanus cum tertia legione lectissimorum Burgundionum considebant. Ad septentrionem in ruinis domus Cleriensis Frederici Prætorium erat, cui aderant 4. legiones Hispanorum, Nortcarmius & Bossuuius cum suis sequacibus, & vna cum duabus turmis equitum Epirotarum. In propinquo prætorij armamentarium erat, cui erat præfectus. Lamoteus Orientis tractus, quod prata inundarentur, munitionibus aggereque cingi non poterat, donec mutaret ver æstasque aduenirer. Erat vero hyems solito rigidior, & videbatur exercitus quasi in solitudine, omni cultus humani genere destitutus, frigus, inopiam, lassitudinem ac desperationem ferme perferens. Multos exanimauit frigoris vis, cum deficientia in excubijs corpora ita astringeret gelu vt ad surgendum conniti non possent. Fiebant subinde leuia quidem sed longe acerrima prœlia, multis hinc inde cadentibus, dum aut obsessi crebris eruptionibus obsidentibus molesti sunt, aut rursum si aduentantes cohortes auxiliares eosque qui annonam rhedis trahisque per stagnum congelatum aduehérent, accessu oppidi connituntur. Cum vero & in castris ob lutosa latrociniisque infesta itinera pulueris tormentarij pilarumque ferrearum atque commeatus penuria summe laboraretur ad obsessos nullus aditus patebat: donec Bossuuius Comes naualibus præfectus copijs perrupto ad ædes cerui aggere naues Batauorum stagno expelleret, simulque ab Orientis parte vrbis munitiones erigerentur.

*Middelburgum mari obsessum.*

Dum hęc Harlemi aguntur, Auraici, postquam Goeza Zelandiæ oppidum obsidione per regios duce forti Mondragonio fuisset liberatum, Metelliburgum, (hodie *Middelburgum*) arcemque Rammensem commeatu prohibere sunt aggressi, nauibus aliquot portum obsidentes. Vt enim milites Regii exercitu terrestrique bello, ita Batavi maritimo naualibusque præualent copiis. In hac longæ arctissima vrbis obsidione Nicolaus à castro Episcopus dysenteria moritur Middelburgi XVII. Kal. Iunii annos natus LXX. Pater illi Louanii Nicolaus, apparitor seu bedellus artium fuit, & ad doctrinam honoresque per gradus euectus erat. Vt autem obsidentes Geusii assumptum ab Auraico Symbolum: PRO LEGE, REGE, & GREGE. ostentabant; ita vicissim obsessi Catholici argenteos, quos feriebant nummos, hac inscriptione decorabant: DEO. REGI. AC

PATRIÆ

PATRIÆ FIDELES MIDDELBVRGENSES. Erat apud hos rerum pæne omnium penuria præterquam vini ac salis, quo etiam Harlemenses tum abundabant. Vtrisq; obdurandi patiendiq; æquale propositum, sed ob impares principes ac disparem religionem: interque diuersorum morum propugnatores. Cum illos Mondragonius Hispanus Tribunus cum cohortibus Wallonum Belgarumque defendit copiis. Quos cum premeret rerum omnium fere inopia externæque opis expectatione destituti viderentur; per litteras alligatas columbarum nocte exportatarum pedibus, intellexere apud Mermundum excitata a Batauis munitione, exercitum, Amstelredamenses commeatu exclusos esse: sed mox ea spe decidere, postquā caput Oliuarii pictoris per muros esset ab Hispanis proiectum, cum affixa illi tabella, quæ indicaret eius militem ad Amstelam munitione expulsum atque omnino deletum esse. Quo nuncio exacerbati obsessi. S. C. decernunt Lambertum Rosenfeldum & Quirinum Talesium Consulares Adrianumque Grouerrenium custodiis tradēdos VII. Idus Maii. Qui paulo post VI. nimirum Kal. Iunii sub noctem Vigilia prima vna cum Francisco Iacobi F. & Hugone tinctore ciue honesto aliisque ex furca suspensi. In Gallia egresso exercitu, qui Ludouico Nassouio montes Hannoniæ occupante auxilio foret, dubia atq; inuida fruebantur pace; quam matrimonio inter Henricum Borbonium Nauarræ Regem & Margaretam Valesiam Caroli. 9. regis sororem contracto stabilire satagebant. Nuptiæ celebratæ fuere Parisiis, quibus etiam interfuit Gaspar Coligneus.

ANNI CHRISTI.

Quem è fenestra quidam, dum obambulat, scopleti glande petens in brachio & vtraq; manu læsit, II. Kal. Septembr. Accessit ad decumbentem Rex cum matre ac sorore postridie, atque vt bono sit animo, hortatur: dicens se inquisiturum de sicario, atque pœnas tanto scelere dignas de eo sumpturum. Ille frendere atque minari murmure, & Carolum Guisium perpetrati facinoris esse auctorem. Ferunt & Coligneum Nauarræ regem adhortatum esse vt se vindicem constitueret, cum ipsi auxilio semper fuisset ad perueniendum ad regnum: Nauarrumq; apud nouam sponsam quædam effutisse, quæ postquam illa significauerat matri, euocatum a Rege fuisse Guisium, cui mandatum, vt quanto ocius posset, è medio auferret Coligneum, omnesque eius clientes: vnaque simul, qui ei in religione consentirent. Aduenisse enim eius causa 400. equites in suburbiis, & plures exspectari, ideo opus esse acceleratione. Paret dicto Guisius, atque impigre ingressus ad Coligneum, eumque compluribus vulneribus confossum è fenestra præcipitem dedit in plateam. Discursum sursum deorsum; pessimoque exemplo, qui cui visi fuere,

sunt

ANNI CHRISTI.

sunt trucidati: nec se continuit sæua rabies intra vrbem: per vicinas quoque ciuitates grassata est: ita vt Rex cogeretur seueriore edicto illud prohibere reddens causam homicidiorum à se suisque perpetratorum. Inter eos, qui ob doctrinam erant celebres, trucidatus etiam fuit *Petrus Ramus* Aristotelomastiges ac summus Sophista. Lusit quidam Catholicus suo hoc disticho sub nomine Lutetiæ quondam clarissimæ vrbis:

*Orbis in vrbe fui, sed fecit Carolus vt iam,*
*Vix mihi sit nomen vrbis in orbe super.*

Bellum ergo quod sopitum per Galliam videbatur, à Rege fuit redintegratum. Nec satis fuit duos deuastare exercitus infelix regnum; conscripsit & tertium Franciscus Alenzonius, iuuenis versipellis, & regnandi vel quouis modo percupidus. Qui cum se non contentum esse diceret iis conditionibus quas Rex cum Hugonotis pepigerat: qui eius sequebantur castra se *Malecontentos* nominabant, volentes inter Regem & aduersarios eius se constituere arbitros atq; sequestres.

Quin etiam per Selimum Turcam procurauerant, vt Henricus eius filius electus esset Rex Poloniæ mortuo Sigismundo 2. atque præferretur Stephano Sigismundi ex sorore nepoti. Qui cum apud Polonos regnaret, accepto nuncio fratrem Carolum IX. Galliæ Regem absque liberis 2. Kalen. Iunij decessisse, clam fugit e Polonia 14. Kal. Iulij Viennam, inde Venetias: deinde in Galliam, vbi fratri successit in regno, Idib. Februar. j coronatus Rhemis. Et licet regnum cesserit Stephano Vaiuodæ ab ordinibus Poloniæ in regem electo, titulotenus tamen Poloniæ Rex appellari voluit, coronam regni apud se conseruans.

Kal. Martij in vxorem duxit Ludouicam Vaudemontiam, ex antiquiss. Lotharingica familia ortam. Cumque nuptiæ magno sumptu Parisijs celebrarentur, nuntiatum fuit sororem regis Claudiam, quæ Carolo Duci Lotharingiæ nupserat, defunctam vita: cuius exequiæ simul & Margaritæ eius amitæ, quæ paulo ante apud Allobroges obierat, celebratæ fuere Parisijs paulo post mense Martio. Porro incedebat vero Henricus non satis grauiter pro dignitate tantæ maiestatis, & in pietate ac Dei cultu, superstitioni, quam religioni syncerææ erat propior, aulaque eius diffluebat luxuria; & de æquo ac iusto parum pensi habebat. Insurrexere in eum mox Henricus Borbonius Nauarræ rex eius sororius, & Henricus Princeps Condæus, ad eiuratam religionem reuertentes & contemptis minis Pontificis Gregorij XIII. exercitum Hugonottarum conscribentes Rupellam pro sede belli occuparunt, aliaq; complura oppida.

1583. FRANCISCVS ALENZONIVS Dux Henrici regis frater, se quoque

quoque Belgii, tumultibus immiscet sollicitatus ab iis, qui Auraicis fauebant partibus. Ab aliis, qui ordinum principes haberi volebant, accersitus fuit Vienna Austriæ Archidux *Matthias* Rodolphi Cæsaris frater; & Philippi II. Regis ex sorore nepos. Verum horum auctoritas plane imminuta fuit, cum Philippus Croius, dux Arscotanus; triduo postquam in Gubernatorem Flandriæ esset receptus, cum ignominia in vincula coniiceretur, 5 Kalend. Nouembr. & Gulielmus Nassouius Auraici Princeps, Brabantiæ atque deinde Flandriæ quoque Gubernator exposceretur creari. Quem etiã Legatum voluerunt esse Archiducis Matthiæ, tam contemptim habiti; vt inglorius mox cogeretur reuerti in Austriam, quasi re male gesta. Missi qui accersirent Alenzonium prædæ opimi Belgii inhiantem; compluribus, quibus sanior mens erat, illud improbantibus, atque in illum torquentibus illud Luechtenbergij dictum: LEO CAREBIT AVXILIO, ET DECIPIETVR A LILIO. Quare suadebant vt cum Rege redirent in gratiam; nec paterentur se Gallorum premi tyrannide, quam tot cædibus perpetratis perspectam habebant. Sed potentiore parte vincente saniora suadentem, missi fuerunt Burdigalam, qui Nenzonium ad inuadendum Belgium inuitarent. Qui cum venisset in Angliam, ostendebat ei regina Elisabetha, ludendo illum, se non sine temeritate suo arbitrio commisisse: cum interea eum benigne excipiens aliquot nauibus comitari voluit Vlissingam: vnde nauigans Antuerpiam solenni more inauguratus est in Marchionem sacri Imperij, & mox in ducem Brabantiæ. Deinde Gandaui in Comitem Flandriæ, Comitatum secum adduxerat iuuẽtutem Gallicam moribus corruptam, & qui ei à consilijs essent *Ioan. Bodinus*, aliique erant astuti magis quam prudentes: ipsusque religionem Christianam magis simulabat, quam syncere profitebatur: in hoc intentus vt principatum firmiter stabiliret; fas ac nefas nihil pensi habens. Legebat viritim omnes in suum nomen, quod à legitimis principibus fieri numquam visum fuit. Quia non credebat se posse stabilire tyrannnidem, nisi oppressa Antuerpia, ac restaurata arce pro libito dominaretur, præcipue cum in propinquo Lyra esset recepta à Regijs atque præsidio firmata, insuper Auraico glande sclopeti per genas transuerberato, se nec satis in tuto fuisse in tanta plebis rabie perspexisset. Igitur 16. Kal. Febr. hora prima egressus vrbe, per suos asseclas nobiles equites complures, qui in porta Kipdorpia excubabant, trucidari procurat, excubitores ciues. Sed mox contrucidatis turpiterque fugatis suis qui ad forum tendebant exclamando vt catholicos sibi adiungerent: *capta est vrbs, viuat missa:* triumphum nimirum ante victoriam capendo in ipsa vrbis porta suffocati

ANNI CHRISTI.

ANNI CHRISTI. metuque exanimati ac mineribus strati excundi viam præclusere cadaueribus exaggeratis, & equitibus Francis in fossas desilientibus dum Alenzonius reliquum exercitum in vrbem tendere suis subsidio frustra nititur. Sic initio Gallorum more furibundi quasi & plusquam viri pugnant: post aduersa cadente alea Martis minus quam feminæ apparent, ludibrio fere hosti. Cecinit itaque Maximilianus Vrintius Gandensi vrbi à secretis:

*Fatales Flandrum quisquis Celta ibit in agros*
*In sua se posthac ire sepulcra sciat.*

Portæ autem illi funestæ annus cladis huius Gallicæ hodieque sic inscriptus legitur:

AVXILIVM SVIS DEVS, M.D.LXXXIII.

Etenim Ioannes Laurechuius, Cantaber, famulus Caspari Dinastri mercatoris (vt aiunt) obærati 16. Kalend. Febr se Tyrannicidam fore professus, ipsi maxillas sclopeti glande transuerberauerat, in facinore oppressus. Fuere etiam eius propositi conscij supplicio affecti. At Princeps reconualescens iam orbatus vxore Carlotta Burbonia, cum rediisset cum noua nupta Delphis in Hollandiam, accessit ad eum *Baltasar Gerardus* Villefanus, Sequanus, natus annos 27. dicens se esse Franciscum filium Petri Guionis religionis ergo Besantione nuper interempti, vtque se ab iniuria patri illata vindicaret, didicisse efformare subsignationem Petri Ernesti Comitis Mansfeldensis, cui Rex ditionem Luxenburgensem gubernandam tradiderat, suffuratumque esse complura alba Mansfeldii subscriptione sigilloque signata, quæ ad aliquid tentandum apud Luxenburgos ipsi Auriaco possent esse vsui. Adhibet Princeps fidem dictis magis quod litteras à Bironio attulisset, quibus mors Alensonij nunciabatur, exceptumque aliquot dies, cum viatico Luxenburgum redire iubet, vt eius opera vti ibi posset. Verum ille empto minore sclopeto, quod tribus glandibus onerauerat, 6. Idus Iulij surgentem à prandio ex insidijs post pilam stans transuerberando trucidat E fuga retractus confestim calamum chartamque deposcens, rem omnem, vt concepta, agitataque apud Alexandrum Farnesium Parmæ Ducem & Christophorum Assonuillium concilij primati præsidem, atque perfecta fuerit, declarat; nec poterat exquisitissimis pœnis ac cruciatibus præparato ad constanter obdurandum animo compelli, vt culpam vellet agnoscere vllam, dicens se exemplum Iudith filiæ Merari fuisse secutum, & non pœnam, sed gloriam fuisse prometitum. Quin cum pridie Idus Iulij manus eius dextera exureretur, aliæque partes corporis candentibus forcipibus incuruatis vsq;

vstula-

vstularentur; vt nidor, aerem inficiens etiam offenderet procul distantium nares; nullam emittebat vocem, quæ miseri animi posset facere indicium recitans Psalmum quinquagesimum Dauidis. Nullus Philosophorum tam forti animo dolorem nedum mortem pertulisse traditur: adeo vt si hæc vidissent, vt nos, Romani de suo M. Mucio Scæuola erubescerent mutire. Certe cum dissectæ 4. partes corporis ad quatuor portas oppidi dependerent, & caput pilo impositum ostentaretur è muris varios affectus hominum excitabant: dum si illum, vt impuriss. latronem execrarentur illi cranium pilo delapsum religiose conseruarent aliaque, quæ poterant nancisci ossa. Itaque ANNI CHRISTI.

*Siue furor, seu sit ratio contemnere vitam*
*Alterius vitam perdere dum properas:*
*Inde mones iuuenem confidentissime, quam sit*
*Et fragile, & fallax, & breue Vita bonum.*

Sepultus fuit Auraicus in Diuæ Vrsulæ loco, vbi posita fuerat ara maxima: mirum non maiores fuisse subsecutos tumultus: cum Erasmus de suis Hollandis loquens, solitus esset dicere; *Palustre hominum genus & inuidum & seditiosum esse.* Porro fuerat Auraicus plane popularis, solitus dictitare:

VOCEM POPVLI, VOCEM ESSE DEI.

Interim vero Hyprenses vi compulsi ad arbitrium Alexandri Farnesij Belgij Prorege profecti se dedidere: Brugenses quoque ad deditionem adacti, & complures minores ciuitates. Nam variis locis erectis munitionibus, ne ciuitates inter se commeare possent, prohibebat: Scaldi flumine trabibus in fundum festuris adactis etiam haud procul à Tenoramunda occluso. Non fuit vnquam memorabilis magis visa expeditio, quam cum vno exercitu quatuor præcipue Belgij vrbes triangulari quasi situ XXX. circiter Pass. M. à se inuicem separatis simul obsiderentur. Eæ fuerunt *Antuerpia* opum, murorumque suorum lasciua ostentatrix, *Gandauum* rebellione aduersus Principes suos infame, *Bruxella* diuitiis superbiens, & *Mechlinia* rerum nouarum antiquitus perstudiosa. Regebantur hæ ciuitates à magistratibus plebeis: qui vt humiliter parere solent ita superbissime imperabant. Adeo vt & Archontem suum Ioannem Imbisum ab exilio è Palatinatu Rheni reuocatum Gandenses, quod paci credebatur operam dare, gladio truncato capite percusserint. Qui tamen inopia annonæ coacti primi deditionem fecere, remissionem criminum perpetratorum pacti. Antuerpienses apud quos Philippus Marnix Aldegondius Consulem agebat, nauibus 270. ex Hollandia profectis adiuuabantur interea omnis generis commeatu: vtque naues vrbe secluderet, instituebat

ANNI CHRISTI.

Calloum vicum ponte iungere Opdamo alueum Scaldis occludente, risu hostibus excipientibus primo tam monstrosos conatus. Quoniam flumen reciproco æstu continuo agitatur, & vbi quam angustissimam CCCC. pateat plus minus passus. Aduectis ergo per aggeres disruptos 36. nauigijs fluuiatilibus (*Pleitas* vocant) sic Scaldim strauit: vt interstitia nauium, quæ singulæ 4. anchoris erant firmatæ per 22. pedes, per trabes præpilatas ac decussatim etiam firmatas, ita occluderentur: vt & Batavi Mattiacique seu Zelandi, & Antuerpienses, variis licet excogitatis instrumentis, molibus, ac molaribus lapidibus & templorum sarcophagis rumpendi pontis spem animo deponere fuerint compulsi. Itaque post cladem vnam atque alteram acceptam coacti sunt Antuerpienses propositis non iniquis conditionibus acquiescere, seque dedere, 16. Kalend. Septembr. Ex hac igitur tam memorabili expeditione tantum nomen tantamque gloriam scientiæ militaris clementiæque comparauit sibi Alexander Farnesius Princeps Parmensis, vt & præcipui atque acerrimi eius hostes erubescerent, quicquam sinistræ famæ de illo spargere. Non defuere, qui eum titulo VERE PONTIFICIS MAXIMI *à ponte faciendo*, decorandum esse censerent; cum curando extrui celebrem illum pontem in Scaldi non inferior TRAIANO haberi posset, superans etiam C. Iul. CÆSAREM, qui pontem Rheno superstruxerat.

Interea Batauorum legati appulsi in Angliam cum Elisabetha regina fœdus ineunt, vt illa ipsos pecunia & milite iuuaret atque defenderet, suaque præsidia Vlissingæ & Brielæ maritimis oppidis imponeret mitteretque Comitem Lecestriensem in Belgij gubernatorem; qui Non. Februar. edicto Gubernator Belgij proclamatus passim magno fauore populi fuit exceptus: sicuti non minore populi lætitia à Regina est reuocatus, quod vulgo persuasum haberent eum spectare ad Tyrannidem, quod Lugdunum Medeblicum, aliasque nitebatur occupare ciuitates. Eo ergo abeunte confœderatorum regionum gubernatio *Mauritio Nassouio* Guilielmi Auriaci F. committebatur, cum interea Lecestrius 6. Kalend Octobr. in Britannia supremum obiret diem: & Farnesius Grauia, Nouesio, & præcipue Slusa, quondam Gessoriaco, potiretur, atque aliis Gelriæ quoque locis.

## GALLIA.

Dum hæc geruntur HENRICVS III. Rex simultate animo concepta in familiam Lotharingiam, regni proceres ad conuentus solennes Blosium euocauit. Quo cunctis aduentantibus postridie Kal. Octobris supplicationes iussu eius fuere celebratæ, & post

post quatriduum orationem ad ordines habuit, in qua se hæc comitia ad honorem Dei, conseruationem Catholicæ, Apostolicæ, Rom. fidei & tranquillitati regni indixisse referebat, quæ omnia præses luculenta oratione prosecutus est. Exhibuit etiam 15. Kal. Nouembr. Edictum vnionis Catholicorum ad quam obseruandam N. Archiepiscopus Bituricensis, iussu regis ordines exhortatus est. Rex denique, ordinesq; se cuncta obseruatura sancte iurauerunt. Omnibus acclamantibus, VIVAT REX. Recedentibus aliis seruauit apud se rex XII. præcipuos proceres regni, qui conuenientes singulis de rebus, de regni negociis consultabant. Erat & Blosii N. Legatus Sixti V. Pont. Roman. Decumbebatque ibidem Catharina Medices, mater regis, aduersa affecta valetudine. Post x. Kal. Ianuarii erant, Henricus II. Rex quasi consulturus de rebus seriis Henricum Ducem Guisium, per Bernardum secretarium suum, è concilio ad se vocauit; atq; introeuntem ipsius conclaue immissis percussoribus dire trucidari procurauit. Nec etiã abstinuit à viris sacratis, cum postridie, pridie Natalis Dom. an. 1588. rabie percitus Ludouicum Cardinalem Guisium contrucidari iuberet; & Carolum Cardinalem Borbonium teneret, Petrumque Archiepiscopum Lugdunensem & Guisii filium Genuillisensem Principem, & Pelicartum, qui Guisio fuerat à secretis, ducem Nemours, & Marchionem Albonensem, aliosq; Guisii fautores. Cum fama tanti facti per Galliam volaret, confestim Parisii, Ambiani, Rheni, Albeuillum, Rothomagum, Aurelianenses, Tholosates, aliique complures à fide Regi promissa desciuerunt; Illum tanquam dirissimum Tyrannum execrantes, non dignantes eius, quas scriberet litteras, quibus & factũ excusabat vel legere vllo modo. Quin Theologi Sorbonici atq; periti Iuris ad 70. numero VII. Idus Ianuarii postulantibus Clariss. DD. Præfecto, Ædilibus, Coss. & Catholicis ciuibus almæ vrbis Parisiensibus declarauerunt, quod populus regni Galliæ solutus sit & liberatus à sacramento fidelitatis atq; obedientiæ Henrico III. Regi præstito. Deinde, quod idem populus licite & tuta conscientia armari, vniri, pecunias colligere & contribuere potest. ad defensionem & conseruationem religionis Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ aduersus nefaria consilia & conatus prædicti Regis & quorumlibet illi adhærentium.

ANNI CHRISTI.

Ex quo fidem publicam violauit in præiudicium Religionis Catholicæ & edicti sanctæ vnionis, & naturalis libertatis conuocationis trium ordinum regni. Hanc conclusionem decreuerunt etiam mittendam ad Rom. Pontificem, vt authoritate sua probare, & Ecclesiæ Gallicanæ grauissime laboranti opem & au-

ANNI CHRISTI. xilium præstare dignetur. Implorant & auxilium Philippi II. Regis Hispaniarum, vt sibi velit patrocinari.

Henricus Rex interim ciuitates rebellionis accusare edictis, eorumque bona dare in prædam. Duces quoque Maienensem & Aumalium, illisque confœderatos, adscribens illis crimini, quod fauerint hæreticis & amicitiam cum Henrico Nauarræ Rege fouerint in ipsius fideique Catholicæ damnum. At cum perspicit arma præualere suis edictis primum inducias, mox quoque amicitiam cum Nauarro sororio sibi parat. Qui ipso dissidente cum regni sui proceribus; cõplures ciuitates ad se deditione traxerat, eo magis, quod ab antiqua illa sæuitia se ostenderet alienum, nolens vt sui causa religio foret damno. Quinetiam Regem Turonis, quo curiam atque Parlamentum traduxerat, à Meienense obsessum liberauit obsidione. Rex ergo cernẽs se nihil minis ac edictis proficere cõparato exercitu in Parisios mouere statuit, atque ex itinere Æstampio aliisque aliquot oppidulis deditione receptis sexto miliari à Lutetia apud S. Claudium consedit. Erat Parisiis *Iacobus Clemens* Dominicanæ familiæ Monachus annos natus circiter 23. qui animo versans Aod olim Eglon regem Moabitarum sica in ventrem impacta confecisse, eius secuturus exemplum impetrato à Priore suo commeatu eundi Aureliam, in castra Regis venit, dictitans se secretum habere soli Regi reuelandum, missumque esse ab Harleo Præside in vrbe captiuo, à quo etiam litteras habeat Maiest. Regiæ præsentandas. Admissus tandem solus apud Regem, dum is porrectas literas attentius legit, sicam clam exstractam capulotenus ad intestina vsque adegit pridie Kal. Augusti: Oborto mox rumore percussor oppressus fuit: atque cadauer in partes 4. distractum in cineres est combustum. Paulo post ex vulnere moritur Henricus III. Rex virilis sexus vltimus, Familiæ Valesiæ:

*Scilicet, heu fati leges, rapit omnia tempus:*
*Et quæ sustulerat, deprimit ipsa dies.*

Iam & regnum quoque illud Franciæ longe florentissimum quondam: quod *Sequana, Ligeri, Garumna, atque Rhodano* tanquam Paradisus terrestris irrigabatur, non modo à suis intra viscribus depascitur: sed astutissimis Italis, acerrimis Hispanis, Britannis rapacissimis, & ferocissimæ Germaniæ merecnariis expositum est in prædam. Porro cum stirps Borbonia esset coronæ propinquior, non modo Hugenottæ sed & ii qui regiarum fuerant partium suis suffragiis Regem Nauarræ Henricum IV. eius nominis Franciæ Regem declararunt: exercitu quoque regio eum Regem agnoscente, atque parente ipsius iussui. Aucto vero eorum, qui Henrico 3. Valesio adhæserant multum

fuit

fuit depressa. Dum enim Nauarro, vt Catholicismum profitea- ANNI CHRISTI.
tur persuadere nituntur, ab Hugonottis, Atheismi insimulanter dicentibus, nequaquam ob regnum obtinendum mutandam esse fidem. Ceterum Henricus IV. exercitu in tres phalangas diuiso, postquam 6 Kal. Septembr. per literas ordinibus conuentus ad Kalend. Octobris celebrandos Turonis significauerat vnam versus Picardiam, aliam in Campaniam destinauit, & tertio tentato Rhotomago Diepum opidum portu celebre insedit, vbi antequam hostes ad hyberna contenderent, ferme fuisset oppressus. Sed aduentantibus aliis Phalangibus obsidione liberatus ad tentandos Parisios profectus est: indeque confestim discedens in Neustrios, 2. Idus Martii hostes ancipiti prælio superauit, fuitque iusto longius intentus in fidem recipiendis occupandisque Normandiæ oppidis. Nam Parisii, qui tanta clade animis defecerāt, paulatim redintegrati viribus, reficiēdis mœnibus, fundendis tormentis, agendis delectibus, & comparandæ annonæ, qua laborabant, operam suam impendere; ita vt interea in vrbe inuentæ fuerint 3000. modii frugum, vini quoque magna copia. Sed acto censu numeratisque 200000 capitibus: non videbatur vltra mensem annona illius sufficere. Verum Senatus populusq; vsq; adeo animo erāt obdurati vt mori maluerint, quam se dedere in potestatem Nauarræ, adeo vt vltra 20 qui de ineunda pace cum illo verba fecerant, mergendos in Sequanam præcipitauerint: atque vltro præsidiarios exposcerent imponi vrbi: Erat oppido Præfectus Dux Nemoursensis vir imperterriti animi & proposito multo pertinacissimi, præeratque præsidiis Aurallus: quibus aderāt inprimis Legatus Pont. Rom. Henr. Card. Caietanus Bernardinus Mendosa Orator Hispaniæ & Scotiæ legatus Card. Gondyus Archiepiscopi Glasconensis & Lugdunēsis, Episcopi Rhenensis Seuliensis Astrensis Plancensis & Astreensis cum innumera nobilium multitudine. Nam Maiensis Dux illic quoque vxorem liberosq; similiter sororem Ludouici Mompenserii viduam, atque fratriam Henrici Guisii quondam vxorem quasi in tuto reliquerat. Obstructo ergo Sequanæ ostio captis Corbeia & Melduno vi. Idus Maii Rex Lutetiam simul & S. Dionysii oppidum obsidione cinxit exercitu 12000 peditum & 3000. equitum. Fiebant subinde leuia prœlia cum crebris eruptionibus obsessi hostes infestarent, multis ab vtraque parte cadentibus præcipue cum fruges maturarent in messem. Nam inter præliandum dissectæ in pomeriis fruges tutius importabātur vrbi: quæ frumenti iam penuria laborare cœpe, at vt septenarium vænierit 120. coronatis & libra panis simile coronato, duobus vel tribus pondo butyri oua singula 10. & 12. solidis Parisinis plurimi vescebantur equina, asinina, & Ca-

ANNI CHRISTI.

nina multi quoque moriuntur fame Emicu t iam munificentia ac magnanimitas Oratoris Hispaniæ Bernardini Mendozæ, qui cum singulis diebus tribuendo pauperibus cibos 120. coronatis emptos & conferendo stipendia præsidiariis, omnem pecuniam suam exposuisset, quidquid auri argentique infecti factique habebat, eosdem consumebat in vsus contrahens etiam grande æs alienum: Erat enim non minus liberatis distribuendo etiam equos suos atque vtensilia: quam Pontificius Legatus Henr. Gajatanus concedendo indulgentias cum populus continuo tereret templorum limina, procederet, atq; vacaret precationibus ad Deum. Verum tandem necessitas coegit obsessos emittere fœciales Lugdunensem & Parisiensem Episcopos rogatum Nauarrum vt detestata erronea sua religione velit eam amplecti, quam prędecessores omnes Reges fuerant professi: se tum paratos esse eum vt Christianiss. in Regem recipere, ipsique inseruire: aliter non posse nec etiam velle confœderatos, vt per se cogantur subesse regi hæreseos labe contaminato immo præoptare potius defungi vita. At ille paucis se non regno, nedum Lutetia religionem edoctam semel esse permutaturum, respondit: existimans Parisios ad extrema esse redactos rebusque suis magis fidebat quod deditione iam oppidi S. Dionysii potiretur. Interea populum per se satis illum detestantem incendunt quoque in suis concionibus varii generis monachi; inter quos ob summã eloquentiã maximę auctoritatis erat *Petrus Christinus*. Hi nãq; eos ad patienter obdurandum exhortantes Maiensem Ducem cum exercitu in propinquo esse, & Alexandrum Farnesium Parmæ ducem cum lectissimis Hispanorum ac Belgarum copiis aduentare clamabant. Nec vana spe lactata plebs est. Etenim aduentare vtroque exercitu, Henricus Rex conclamatis vasis obsidionem soluit: cœpitque mox ciuitas in tantum abundare rerum & annonæ copia, vt septenarium frumenti prius 120. coronatis venditum postquam Duces Maienses & Parmenses quasi ouantes intrassent vrbem, emeretur plus minus quatuor. Fuere præ fame 3000. equi, 1500. asini, ac muli, innumeri canes & feles fœdioraque animalia, vt narrent ibidem consumpta. Tanti valuit, apud Parisios ad memoriam posteriorum sempiternam veræ religionis ardor.

Confœderati Hollandis populi exercitus Duce Mauritio Nassouio mouens in Teuchros deditione illico accepit Zutphaniam IV. Kal. Iunij. Inde progressus in Ansuarios Dauentria quam Hermannus Bergensis pręsidio tenebat quassata tormentis bellicis per diem vnum 4. Idus Iunii deditione Nassouio etiam fuit tradita. Progressum inde ad vlteriorem Frisiæ orã est frustraq; tentata Gronica moles erecta ad emissarium Amasis fuit

sis fuit recepta in præsidiarios, quorum infida ignauia ea fuerat tradita seuere animaduertit. Præfectus Groningæ Franc. Verdugo, pilis capita imposita è muris ac portis ostentans. Cum vero Alexander Farnesius expeditionem moliretur in agrum Batauum venissetq; Nouiomagum: Mauritius è Frisia recedens consedit apud Arenacum ad vlteriorem ripam Rheni: Itaq; nullo sibi inuicem illato celebri damno discessere, hic in Hollandiam ille Bruxellas. Paulo post nauigiis compluribus appulsus in Wasiam Frisiabonum olim sedem, Hulstum Mauritius confestim citra sanguinem deditum intrauit 8. Kal. Octob. reuersusque est ad Hollandos. mox mouens in Gelros Cisrbenanos Nouiomagum Batauorum primam aggreditur.

Initio huius anni Ernestus Austriacus in Belgis obiit, pro Rege auunculo ei prouinciæ præfectus. Albertus eius frater quamuis in possessionem missus Toletani Archiepiscopatus ad tertium nonas Aprilis nunquam ad eam Ecclesiam venit, neq; sacratus est. Rex auunculus Belgis eum præfecit, quò Madrito abiit sub Augusti finem: Vicarium pro se tamen Guisiam Loaysam reliquit, qui post tres annos eius abdicatione successit in eo Archiepiscopatu. Ernesti obitu rem Belgicam aliquandiu gessit Petrus Henricus Toletus Fontius Comes, vir strenuus, præcipua pietate.

Caspari Quirogæ Cardinali & Archiep. Toletano successerat in Archeipiscopatu *Albertus Austriacus*, qui deinde Pontificis permissu, & ex voluntate Regis auunculi vestem mutauit, vxore ducta Isabella Clara Eugenia, Regis filia, quæ nunc superest. Octobris die tertio Fontius Comes post diuturnam obsidionem Cameracum Gallis abstulit. Venere quidem ex Gallia copiæ obsessis opitulatum, semel, secundo & tertio sed à Fontio victi semper & repulsi sunt. Geusijs autem hæreticis in insidias proditionesq; semper intentis, quando aperto marte non possunt superare, dum *Petrus Henriques* Fontium comes Cameracum obsideret Liram noctu scalis inuadunt tertio ab Antuerpia lapide munitum oppidum vt præsidiarijs alibi occupatis nudatum XIV. Octob. Octo iam horis oppidum vi tenebant & domos templumque, vt sacrilegi solent spoliari aggressis Alphonsus de Luna Hispanorum Præfectus vrbis portam occupat, munitque doliis ac curribus, Antuerpiensibus confestim ac Mechliniensibus quo in loco res sit, aduolant læti paratique ciues Centurijs quindecim & Mechlinienses aliquot, cum CL peditibus Hispanis vrbem ingressi omnes trucidant in fugamque natando compellunt: nimirum ad Liram asini, qui prædas prius agere, quã rem fortiter gerere cœpissent.

*Ernestus* Mansfeldius Comes vir strenuus ac fortis in armis fidusque

ANNI CHRISTI. dusque Regi Catholicęque fidei obiit, & Carolus eius filius manu quoque promptus a Rudolpho Cæsare aductus Christiani nominis hostem Turcam militiæ Præfectus euocatur qui dum Strigonium obsidet, cæditque Turcas fortiter pugna fessus dysenteria occubuit Eius hortatu Duces vrbem occupant. Comorę moritur 14. Augusti 1595. ætatis quinquagesimo secundo

Grollam Zutphaniæ oppidum oppugnante Mauritio Christoph. Mondragonius militia validus arcis Antuerp. Præfectus, vrbem liberat, cæditque Mauritii exercitum eiusque fratres Philippum & Ernestum Nassouios.

Albertus Austriacus Cardinalis & Toletanus Archeipiscopus fit Belgii Prorex, Hulstum aquis munitum oppidum armis inuadit pellitque Geusios. Caletum mox occupat. Dein Isabellam Regis Catholici filiam cum Belgica ditione dotis nomine vxorem ducit

## HISPANIA.

Mense Augusto Madriti terribili cruciatu exstinctus fuit Martinus de a Cogne quod 36000. ducatos aureos a Rege Philippo 2. per ipsum missos Constantinopolim in suos vsus verterat; & tres Bassas, quibus dare illos iussus fuerat, per literas detulisset, Turcam esse traditu os atque Hispaniarum regi deuotos. Ex his 2. Constantinopoli fuerunt acerbe necati. Tertius fuga elapsus in Cabriam appulit; indeque missus in Hispaniam à Rege benigne fuit exceptus. Cui ad sustentationem vitæ honestioris 12000. ducati annuatim sunt constituti liberalitate regis.

Classis omnium, quæ 1000. annis visa est instructissima ex variis regnis, Vlyssipone congregata auspiciis Philippi 2. Austriaci venit Coronnam Gallæcæ portum, vnde soluens 7. Kal. Augusti infausto cursu orientem versus nauigauit. Nam circumnauigata Britannia naues quædam vadis inhęrentes captę sunt: cōplures fœda tempestate actæ apud Hiberniam naufragium passæ, reliquæ ingloriæ Vlyssiponem reuersæ fuerunt sicque tantus belli naualis ardor atque incendium euanuere in fumum sic disponente Deo.

PHILIPPUS. 2. Rex Britones, quam ditionum Anna Britonia Ludouici 12. Galliarum Regis vxor, Claudiæ nuptæ Francisco Valesio, hereditate reliquerat, cum per Henricum. 2. eiusque filios ordine successionis ad Margaretam Valesiam peruenisset, nomine filiæ suæ Catharinæ Austriacæ tutari cœpit. Eo quod Britones recusantes impudicæ mulieri, ab Henrico Nauarro repudiatæ, subesse, atque verentes ne Nauarro forent prædę, principatum ad Catharinam sanguine atque ætate proximam detule-

deculerant, vt ipsos Rex Hispaniæ pater eius contra Henricum Anglosque protegeret, atque permitteret viuere antiquo suo more. Itaque Aremoricæ ciuitates abundantes viris, maritimæ scientiæ peritis atque naualibus sociis præstiterunt Catharinæ quasi legitimæ Ducissæ, omne obsequium & solemne iuramentum.

ANNI CHRISTI.

Philippus II. Rex Hispaniarum in ciuitate Lusco amplissima regni Peru Societati Iesu Colleg. erigi curauit sub rectore N. de Braccamonte.

Eodem quoque anno simile collegium eius iussu erectum fuit in ciuitate Mexica metropoli nouæ Hispaniæ in America:

Cum ANTONIVS PEREZIVS Aragonius Madriti carcere elapsus, se Cæsaraugustæ ad dicendam causam in vinculis constitueret in patria, atque Prorex eum conaretur reducere ad carcerem Madriti, exorto Panico tumultu ipse Prorex Aragoniæ, Inicus Mendoza Marchio Almenaræ cum multis ex suo famulitio à furente plebe trucidati fuere: spectabantque Arragonij ad arma, collecto iusto exercitu. Sic turbulenti ciues breui pœnas concitati tumultus dederunt. Missus Cæsaraugustam exercitus duce Alfonso Varga, strenuo & veterano, qui magnā virtutis opinionē in bello Belgico erat consecutus. Eius diligentia ciuiū ferocia repressa. Multis exitialis audacia fuit. Ante omnes ipse Aragonū Iustitiæ (vt summus magistratus ibi, veluti Tribunus plebis olim Romæ, nuncupatur) Ioannes Nuza capite pœnas luit Lege Maiestatis, quod armatus contra Regias copias processisset. Diegus Heredia, & Ioannes Luna, præcipui seditionis auctores, simili supplicio subiecti. Aliis sontibus irrogata supplicia haud exiguo numero. Dux Villæ formosæ, & Arandæ Comes capti, atque in Castellum missi breui in carcere obierunt. Post mortem pro innocentia tamen est pronuntiatum, & posteris relicti Principatus Rebus vtpax esset, medela malis, gentis Aragoniæ cōuentus Turiasonæ habiti sunt Præside Andrea Bobadilla, Cæsaraugustano Præsule] Ex Ioan. Marianæ Annalium Hispaniæ summario ad annum Christi 1591. 1591.

ALEXANDER FARNESIVS Regis Philippi 2. Hispaniarum Legatus, Belgii Præfectus, sub brumam ad auxiliandum fœderatis Galliæ proceribus ac ciuitatibus Veruinum & Chapellum oppida ex itinere abstulit. Henricus Nauarrus obsidione Rothomagum Normandiæ metropolim premebat. Quod & obsidione ille liberauit.

## ITALIA.

Legati Regum Iapanum profecti ex Iapone & ad portus

ANNI CHRISTI. Sinarum delati inde ad auream Chersonensem mox in Indiam atque deinde in Lusitaniam peragrata Hispania post triennium Romam venerunt.

## GOTHIA.

Fuga elapso Henrico III. è Polonia eligitur communibus suffragiis in regem Poloniæ Stephanus.

Stephanus Rex Poloniæ mouens bellum in Moscouitas expugnata Polotski vrbe Lithuania ducatum recuperauit, 2. Kal. Septembr. Mox deinde pace facta cum Moscouitis, qui ei Liflandiam cesserunt euocat ex Belgio colonos, magnifice promittens. Restituique Catholicam ibidem religionem per presbyteros societatis Iesu, atque paulo post moritur IOANNES Rex Suetiæ & Gothiæ, Nouogardiam vtramque occupauit 8. Idus Septembris. Mortuo *Stephano* pars Polonorum elegerunt, atq; secuti sunt Maximilianum Archiducē Austriæ, Rudolphi Cæs. fratrem, suum Regem: Alii Sigismundum Sueciç regem Ioannis filium elegerunt, ex Sigismundi Augusti filia natum. Qui victoria potitus Maximilianum deditione captum regno exuit, atq; 5. Idus Decembr. magna pompa Cracouiam intrauit acceptusque fuit à S.P.Q. Polono in Regem.

## GALLIA.

HENRICVS BORBONIVS, Nauarræ Rex, cui per desponsationem Margareta Valesia nupserat, & Henricus Borbonius Princeps Condæus, cum à religione catholica, quam se profiteri antea solenni iuramento declarauerant, descisceren, à Sixto V. Pont. Rom. hæreseos fuerint dānati atq; relapsi & indigni principatu omnique administratione ciuili declarati, clientes ipsorum a iuramentis ipsis præstitis quoque sunt absoluti. Quibus & sub pœna excommunicationis interdictum illis inseruire.

VIII. Kal. Aprilis ipso die annuntiationis S. Mariæ hora 11. ingens terræ motus fuit in Britonia apud Namnetas quem descripsit Ludouicus Vantius, medicus, illius vniuersitatis.

Eodem fere tempore Henricus Borbonius Princeps Condæus occubuit veneno extinctus, à puero vt ferunt, qui ei inseruierat inscius. Effugium fuit animaduersum. (aufugerat enim) & Brillantius eius domesticus in 4. partes per 4. equos est distractus apud Ioan. de Angelo.

1595. Henricus, qui Rex Nauarræ vocabatur, & ad Gallica sceptra aspirabat iure sanguinis, per hæc tempora hæresi repudiata se Catholicum ostendebat, absoluique a censuris cupiebat, quibus erat implicitus. Dux Niuernensis ab eo Romam propterea missus diligenter rem vrgebat, sed pontifex se difficilem præbebat.

neque

neque vllis precibus flectebatur: ac vero acriter Bituricensem Archiepiscopum accusabat, qui eum principem in Gallia inconsulta sede Apostolica absoluisset. Multi etiam suspicabantur simulationem: quos errasse tempus aperuit.

Idem Henricus Vindomiensis, Rex Nauarræ dictus, & Gallica sceptra petens, Romæ vt solueretur anathemate more maiorum curabat. Agitata ea res diligenter, & quamuis multi contra sentirent, Pontifex tandem annuere petitioni constituit. Sic anathemate liberum regno illum idoneum reddidit, die Septembris 17. Gallicæ mox vrbes libenter se eius imperio subdiderunt.

## VIRI ILLVSTRES.

STANISLAVS HOSIVS, Tit. S. Laurentii Cardinalis & Episcopus Varmiensis sexto nonas Octobris litteras per Petrum Pesserium Canonicum Gustatensem Amstelredamo oriundum ex vrbe Roma misit Senatui Amstelredamensi, gratulando animi constantiam in defendenda auita religione per longam successionem Episcoporum & Presbyterorum quasi traditam: apte allegoriis easdem ornans litteras, vt erat longe doctissimus, inter Theologos non aliter quam Luna inter minora fulgens sidera ornamentum non modo Sarmatiæ imo Europæ totius:

*Ingens ingentem HOSIVM quem personat orbis,*
*Hac tibi dimidium picta tabella refert.*
*Ac cur non totum? mirari desine, Lector:*
*Integra nam totum terra nec ipsa capit.*

CAROLVS BORROMÆVS, S. Praxedis 124. Archiep. Mediolanensis, vir singularis eruditionis & vitæ sanctimonia præditus, conscriptis variis libris, mortuus est Mediolani, atque in maiori ecclesia sepultus, Xenodochio hærede bonorum suorum instituto.

EMVNDVS CAMPIANVS Londinensis societatis Iesu Sacerdos, in Angliā missus vt concionibus ac muniis sacerdotalibus inseruiret plebis catholicæ reliquiis, captus laqueo collum inseritur, & suspensus hæret curru abducto: mox quoque capite resecto corpus in quatuor diuisum est partes. Constans in confessione veræ fidei permansit, etsi crimine maiestatis lege, ac perduellionis accusaretur: præcipue quod edito doctissimo libello Academicos Oxonij, vbi fuerat promotus, & Cantabrigiæ ad disputationem super *decem Articulos à se propositos* prouocasset. Complures quoque alii Sacerdotes vna sunt interempti, crudeli laniena & inaudita.

GVLIEL-

ANNI CHRISTI.

VIRI ILLVSTRES.

GVLIELMVS LINDANVS Dordracensis ex Ruremondensi Episcopo factus Gandensis; moritur Gandæ, postridie Kalend. Nouembris:

*Cui niueus toto regnabat pectore candor,*
*Vnum cui cœlum cura laborque fuit:*
*Dicitur insolidum se deuouisse duobus:*
*Nempe Deo inprimis, deinde etiam Fidei.*

Petrus Lupus Belgii prouincialis Ord. Carmelit: & Concionator Zelosus Geusiis Mechliniam inuadentibus occisus ibidē magna opinione sanctitatis suspicitur.

IVSTVS LIPSIVS, Bruxellensis, vir longe doctissimus cum per annos plus minus XVIII. cum summa auditorum admiratione literas fuisset professus Latinas, fruendo amicitia Iani Douzæ, poetæ maledici Leidæ: data opera Coloniam profectus relicta cathedra, & scriptis *Amphitheatro, Saturnalibus* de gladiatorum muneribus, *Constantia atq; Politicis* iurgiisq; à Theodorico Demosthene Batauo, ipsi suscitatis, Coloniæ Sodalitati Mariæ Virginis Matris nomen dedit, in conspectuque sacerdotum Societatis Iesu in Mariæ Virg. laudem luculentam habuit orationem: Vt & *Corn. Tacitum*, docto hercule & laborioso illustrauit commentario, & *L. Senecam*. Senex dehinc miranda B. Virginis Deiparæ Hallensis, & Aspricollis diserto stylo reliquit, vt ostenderet ad Catholicos Catholicum se rediisse eque Batauorum nidis fugientem posteris testatum relinqueret pugnæ præsto se adesse.

ANDREAS SCHOTTVS, Antuerpianus, vir doctus, cum Toleti Carpetanorum & Cæsaraugustæ Græcas literas publice esse professus, atque libris conscriptis haberetur percelebris, sponte se Societati Iesu adiunxit, relinquens omnia, quo expeditius iam piscator hominum sagena Euangelica posset innumeros trahere ad littus Ecclesiæ: & quia adhuc viuit, tempero à laudibus: scripta eius loquentur à funere. nam *Liuor post fata quiescet.*

MARTINVS DVNCANVS Kempenas Theologus, qui in Batauia Anabaptistarum sectæ se obiecit, non modo concionando, sed & Latine popularique sermone scribendo quæ in manibus sunt. Obiit Decanus Hagiensis, ætatis octogesimo quinto: decimo sexto Kal. Maias Amorsforti ad S. Agathæ conditus.

HENRICVS GRAVIVS Louanii doctor Theologus professione & patria. Euocatus eruditionis gratia ad Biblia illustranda a Xixto V. Pont. Vbi Romam peruenit iam Pont. defuncto, ibidemque Cęsari Baronio percarus: sepultus anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo in basilica Germanorum S. Mariæ animarum.

IOANNES

IOANNES WAMESIVS, Iuris Pontificii Louanii ꝓfessor, natus Leodii apud Eburenes. Eius Consilia Iuris multa a funere reperta ab hæredibus, ibidem edita. Obiit diutina inualitudine anno 1590. ANNI CHRISTI.

*Franc. Ribera* Doctor Theologus, Hispanus Salmanticæ vita decessit scripsitque erudite in XII Prophetas minores, aliaque: trium linguarum peritissimus.

HIERONYMVS PLATVS, Mediolanensis, Societatis Iesu Sacerdos, aureum reliquit opus de manibus minime deponendum, puta *De bono status religiosi & de Cardinalium officio*, qui fratrem in purpuratorum senatu Cardinalem haberet, & alterum in societate. Dominici prænomine, qui *de* CHRISTI *passione* Meditationes reliquit, suntq; in manibus F. Laurentius Cuperus Carmelitarum in Belgio Prouincialis tempore disturbii scripsit historiam Belgicam, sicut & aliud opus Chronologicum diu quæsitum. Commentarii in aliquot libros sacræ scripturæ suo tempore putantur edendi.

GERARDVS MERCATOR, Belga, Flander, Mathematicus summus, & ducum Cliuensium Cosmographus Ea in arte præstans tabulas sculpsit Geographicas, quod opus *Atlantem* inscripsit. Edidit & Chronicon insigne Coloniæ ac *de quatuor Euangelistarum Concordia* seu Harmonia contra Caroli Molinæi errores. Obiit anno 1594 4 Non. Decembr.

TILMANNVS BREDENBACHIVS Theologus Coloniensis, & Canonicus *Collationes* edidit Cassiani imitatione sed *Exemplorum*: aliaque plurima aduersus nascentes tum Lutheri hæreses, doctissimi parentis MATTHIÆ (qui Embricensi Gymnasio cum laude pręfuit) doctus filius: cuius etiam parentis eruditos in *Psalmos* LXIX. & in Matthæum *Commentarios* euulgandos in Vbiis curauit.

ORLANDVS LASSVS, grauis & summus illo æuo Musicus Ducis Bauariæ. Montibus Hannoniæ in Belgio natus & altus.

GVLIELMVS ALANVS Lancastrensis, Anglus, S. R. E. Card. à Sixto. V. renuntiatus, Mechliniensium etiam Archiepiscopus, reliquit propugnandæ Ecclesiæ catholicæ Opus *de Sacramentis Ecclesiæ*: Rhemis in Francia & Duaci in Belgio docendo claruit, aliaque conscripta reliquit. Romæ purpuræ insignia deposuit & in ęde sacra S. Trinitatis Anglorum conditur, exacto tertio & sexagesimo ætatis anno, XVII. Kal. Nouembris, millesimo quingentesimo nonagesimo quarto.

Circa hoc tempus absolutissimum illud Commentariorum opus in Psalmos Dauidicos, hactenus sub nomine Anonymi posthumum circumlatum suo authori & nitori restituerunt Carmelitę, eumque esse Michaelem de Bononia eiusdem Ordinis

ANNI CHRISTI. nis Doctorem Theologum & Priorem Generalem circa annum Domini M cccc. publicis instrumentis probarunt, quo in negotio primas impendit Georgius Canalius Venetiarum Prouincialis, & anno huius nouæ editionis 1625. in congregatione generali Romana vniuerso Ordini caput suffectus.

LEVINVS TORRENTIVS, Gandauensis, Lyrico carmine etiam apud Itales laudem adeptus, edidit typis Plantinianis poemata sacra odis Horatianis: & *Horatium Flaccum* insigni post Lambinum commentario adornauit: item in *Suetonii Tranquilli* XII. *Cæsares*. Collegii Societatis Iesu Theologorum Louanii fundator, & Antuerpiensium. Secundus post Franc. Sonnium Episcopus designatus etiam Mechliniensium, nisi intempestiue & ante diem abreptus esset. decessit vero Bruxellæ Tumulus autem Antuerpiæ in Cathedrali B. Mariæ habitu quiescentis ad summam aram in dextero cornu, VI. Kal. Maias, 1595.

GILBERTVS GENEBRARDVS, Benedictinus sodalis, Hebraicarum regius Professor & ad Aquas Sextias Episcopus, sed Gallorum pulsus calumnia fuit.

PETRVS PITHOEVS, egregius Iurisconsultus, & antiquarius insignis, moritur, cui multi scriptores lucem acceptam ferunt.

Q. SEPTIMIVS FLORENS Christianus Græce in poetica doctissimus vita functus est.

IOANNES POSTIVS Poeta, facilis, vt postea Paulus Melissus Franco, Palatinæ Præfectus Bibliothecæ ac medicus, hoc anno extinctus putatur.

IOANNES LESLÆVS Epis. Roffensis Scotus, multa pie scripsit, quibus in carcere Mariam Scotiæ Reginam solatus est, aduersa vt æquo animo & vincula pro fide Catholica sustineret. Ipse Bruxellis vitæ periodum absoluit. Regina Maria Stuarta in vinculis post annos XIII.

ALTVS MANVTIVS, Pauli disertissimi F. Romæ obiit, in Sapientiæ gymnasio Professor publicus, & Pontificis domesticus.

PETRVS CANISIVS magnum Societatis decus, doctrina ac sanctitate clarus, Cæsarũ Ecclesiastes disertus, Lucernæ moritur: cuius de vita scripsit Matthæus Raderus, &c.

Hoc quidem Christi anno M.D.XCV. extinctum ferunt *Petrum Opmeerium* Ambstelredamũ Gronographiæ huius Vniuersi auctorem. Quamobrem nihil amplius appendere placuit. Legat qui volet. Laurentij Beyerlinck Appendicem, vel aliorum æui nostri, sed Catholicos omni exceptione maiores Chronologos. Nos *Martyrum Batauiæ historiam* typis hactenus non visam, ad piorum solatium adiiciendam curauimus. Haue mi lector, & faue.

FINIS.

# INDEX RERVM MEMORABILIVM CONTENTARVM

## PRIORI HOC OPERIS CHRONOGRAPHICI TOMO.

A



iii aduen-

Argen-

duplex

mori-

Anso-

à san-

Chil-

Cibil-

D.



à Tro-

moritur

Dio-

Histo-

eius

Ferdi-

G.

## H.

Hono-

Iac-

Inge-

M.

Marti-

N.

## P.

Eunu-

Ra-

R.

C. Cri-

Phi-

Sena-

Seue-

Sise-

T.

Titus

FINIS.



# HISTORIA
# MARTYRUM
## BATAVICORUM
SIVE
## DEFECTIONIS A FIDE MA-IORUM HOLLANDIAE INITIA:

*Duas in Decades distributa,*

Auctore

## PETRO OPMEERO
AMSTELREDAMO BATAVO.

*Praemittitur*

S. HIERONIS Scoti in Hollandia MARTYRIUM celebratum XVII. Augusti ; prosa & carmine:

*Antehac numquam, ne à Surio quidem, editum,*




COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Hæredes IOANNIS WIDENFELT, &
GODEFRIDUM de BERGES.

Anno M. DC. LXXXIV.

*Seue-*

Ste-

T.

Themi-

Vlyssi-

Z.



FINIS.



# HISTORIA.
# MARTYRUM
## BATAVICORUM
*SIVE*
## DEFECTIONIS A FIDE MAIORUM HOLLANDIAE INITIA:
*Duas in Decades distributa,*

Auctore

## PETRO OPMEERO
AMSTELREDAMO BATAVO.

*Præmittitur*

S. HIERONIS Scoti in Hollandia MARTYRIUM celebratum XVII. Augusti; prosa & carmine:

*Antehac numquam, ne à Surio quidem, editum,*



*COLONIÆ AGRIPPINÆ,*
Apud Hæredes IOANNIS WIDENFELT, & GODEFRIDUM de BERGES.

Anno M. DC. LXXXIV.

*TERTVLLIANVS in Apolog. extremo:*

Plures efficimur, quoties metimur à malis. Semen est SANGVIS Christianorum.

*AMBROSIVS Orat. De fide resurrectionis:*

Morte MARTYRVM Religio defensa, Fides cumulata, Ecclesia roborata est. Vicerunt mortui, persecutores victi sunt.

*AVGVSTINVS Serm. CVIII.*

ECCLESIA persecutionibus crescit.

# PETRVS OPMEERVS PIO LECTORI.



EMINI me aliquando apud doctissimos & praestantissimos viros Amstelredami fuisse, vbi multi sermones serebantur de Hollandiae nostrae Martyribus celebrandis: Cum ego cuidam viro insigniter docto: Quin tu, Bonti, quandoquidem Amstelredamo oriundus, atque Goudae natus, rerumque Hollandicarum longe peritissimus haberis & in cunctis versatus sis oppidis, tibi desumis has partes, vt agones atq; gloriosas mortes tot insignium virorum describas? Magnum ad fidei Orthodoxae conseruationem pietatisq; paulatim labentis sustentationem emolumentum hoc agendo feceris. Nec maius beneficium Ecclesiae ac Reipub. Christianae praestiteris, quam vt variarum orbis partium, vbi haereses grassantur, Martyres, eorumq; acta, & passiones ex fide literarum monumentis committas. Quod ergo alii vel metu, vel contemptu praesentiũ omittunt, Tu vir fortissime, & virtutum etiam summe admirator sedulo agito. Cum enim afflictione, & sanguinis effusione primitus Ecclesia, sustentetur iisdem remediis, eadem, te laudum Martyrum praecone. Quid multa? recepit in se hoc facturum, moxque specimen haud contemnendum nobis exhibuit. Intellexi hominem mox supremum obiisse diem Groningae Frisiae, opere nondum absoluto, neque ad limam reuocato, eique accidisse quod Coae Veneri ab Apelle inchoatae cui nemo artificum manus admouere postea fuerit ausus. Quod tamen quale quale sit, vt in lucem prodeat, quamplurimi viri pii exoptant. Ego cum tanta spe inopina doctiss. viri morte me, & Ecclesiam Dei viderem frustratum, & considerarem me otiari in exsilio, manum ad calamum admoui, & XX. hasce Historias in duas Decades distinctas exaraui. Laborem lubenter, sed nō sine commiseratione & lacrymis perfeci. Tuum est boni consulere, & precari, atq; ex his, vt apis ex floribus, mel exsugere. Vale.

# DECADIS PRIMÆ

## LIBRO PRIMO

### Brielæ passi.

HENRICVS *Bogardus cum sociis Andrea Pastore, Beroaldo Ioannis Canonico, Cornelio Luypio, Matthia Passiana.*

## LIBRO II.

### Enchusæ passi.

*Daniel Arendoncius cum sociis, Cornelio Diestensi, Ioanne Nardeno, Ludouico ab Arquenes, Hadriano Goudano, Engelberto Terhogio Laico, Gerardo Campensi, Gerardo Houao.*

## LIBRO III.

### Brielæ passi.

*Fratres Minores XI. Gorcomiensis Cœnobii: Leonardus Wecholius cum sociis, Nicolao Popellio, Nicolao Preckio, Hieronymo Wertensi, Willehardo Dano, Nicasio Hasio, Theodorico Emmero, Arnoldo Regio, Theodorico Emsero, Antonio Wertensi, Godefrido Memelano, Francisco Rhodio, Antonio Hornariensi, Petro Aschano, Cornelio Batauoduro, Ioanne Osteruicano, Godefrido Duynao, Ioanne Pastore Hornariensi, Hadriano ab Hiluarenbeca, Iacobo Lacopio, Andrea Walteri, Hadriano Bondero.*

## LIBRO IV.

*Iodocus Carthusianus Brielæ passus.*

## LIBRO V.

*Leonardus Boschotius Gorcomii passus.*

## LIBRO VI.

*Iacobus Cruquius Canonicus regularis cum sociis Schoonhoniæ passis, Corn. Reinero, Iasparo Arnoldio, Theodorico Gerardi.*

L I-

# A. S. A.



*ACTVS amici benigna manu martyrium S. Hieronis Scoti, Nortuici in Hollandia olim passi, Danis ac Normannis eam oram barbare infestantibus, descriptum manu fideli Ioannis Vlimmerij religiosi Canonici S. Augustini ad S. Martinum Louanii anno 1571. idque Amstelrodami. Imo & poemata Guilielmi Goudani cum Harlemensi contulit exemplari scripto anno 1437. virgiliana plane venustate. Vtrumque hic leges, idemque varia dicendi forma. Quod vero neque in Aloysio Lipomano, neq; in paulo diligentiore Laurentio Surio hæc non extant, his Martyrib. apponere visum fuit, qui testimoniũ fidei Gorcomi dederunt anno huius seculi M.D.XXII. sanguinemq; pro Christi fide profuderunt, & in crucẽ ab impiis Geusiis acti, gloriosum certamen certarunt. Deus itaque benedictus in sempiternum, mirabilis in sanctis suis, qui hodieque in mundi senecta fidei testes mittit in vineam suam, quam irrigent, vt apud Iapones indies atque Chinenses Ecclesiam ad hanc etiam Belgicam atq; Batauicam externi ac finitimi Christiani è Britannia & Scotia huc mari delati, prædicando sacrosanctum Iesu Christi Euangelium constituerunt, vt Willibrordus, vt Eligius, vt Norbertus, atque Scotus iste HIERON aliiq; complures, quorum Natales singulari libro Iohannes Molanus Doctor Theologiæ rerum Ecclesiasticarum peritissimus ex annalibus ecclesiasticis celebrat, vt antea Vsuardi Martyrologium, egregie auctũ illustrarat. Faxit vero ille Deus, quem venerans precor, vt Hollandi tandem aliquando resipiscant, ad officiumq; obedientiæ redeant, Deo Opt. Max. & regi Catholico pareant, tot cædes & latrocinia expient, qui nunc bello, ac seditionibus, factionibusque efferati, seditiosa illa ac pestilenti Caluinistarum hæresi, terra marique piratæ ac prædones è mercatoribus & incendiarii redditi, heu, suspirant, nimirum dici vt solet:*

Flet bello victus, victor at interiit.

*Vtinam incendiarii illi templorumq; profanatores cælesti tandem igne charitatis inflammentur & ardeant, & non ad Aeter-*

*nam*

*nium impietatemq́ plusquam Mahumetarum (quod sectarum est omnium, atq́ hæreseon abyssus ac barathrum) viuentes videntes incidant. Vale mi Lector, & hoc legere de Hierone Martyre, cæterisq́ Batauicis æui nostri graue ne sit. Sic bene tibi, bene mihi & voueo.*

Petrus Opmeerus Chronologiæ pag. de Nortmannis & Danis scribens.

NORTVICI *Ieronem pium præsbyterum Diis eorum sacrificare recusantem, gladio illuuies illa Nortmannica peremit, XVI. Kal. Septemb. cum antea Walfridum atq́ Rutfridum filiũ eius ob fidei Christianæ professionem, occidissent.*

VSVARDVS IN MARTYROLOGO XVII. Aug.

IN *pago Hollandiæ Egmonda monasterio S. IERONIS præsbyteri & martyris.*


Ex Historia quæ fuit Egmondæ manu scripta apud Ioan. Molanum in natalibus Sanctorum Belgii.

EGMONDÆ, *natalis S. IERONIS presbyteri & Martyris, qui genere Scotus, ac nobilitate insignis, cum esset parentibus suis vnicus, nequaquam mundi illecebris detineri potuit, sed Dei famulis se iungens, vniuscuiusq́ sectabatur virtutes, cumq́, ad presbyterii gradum suo merito conscendisset, multos in Frisiæ partibus, à diuersis erroribus auertit ac liberauit, Demum prout optauerat calicem passionis bibit, sub persecutione enim Danorum ac Nortmannorum ad tribunal protractus, post flagella & carcerem reliquasque iniurias ense martyrium consummauit, caput eius est in Nortvvick loco Martyrii: corpus paulo post per [illegible] iocesanum Episcopum, & Theodoricum secundum Hollandiæ comitem accedentib. miraculis translatum est Egmondam, in sancti Adalberti monasterium, præmisso ex more triduano ieiunio.*

*Loca autem sunt diocesis Harlemensis in Hollandia, in historia adnumerantur Frisiæ, cum enim ea scriberetur Hollandia nomen nondum innotuerat. Festum valde notũ est Hollandis, multi enim eius beneficio res suas deperditas recuperarunt vnde versus exstat.*

Rebus in amissis IERON sæpissime fulget.

*Literati quidam in suis carminibus* HIERONEM *appellare sunt.*



*PASSIO & VITA*

# S. HIERONIS MARTYRIS, HOLLANDIÆ, passi XVII. die Augusti, quæ est octaua S. Laurentii.

## *PROLOGVS anonymi.*



VAMVIS sempiterna Saluatoris nostri Dei virtus & magnificentia, in omnibus quæ creauit, præclaris semper sit prædicanda eloquiis; tamen speciali prærogatiua in hoc est maxime glorificanda, quod mirabiliter de hoste humani generis triumphantes non solum angelorum in cœlestibus præstat esse conciues; verum etiam quod ad eorum mortua corpora, noua quotidie concedit crescere miracula, pro ipsorum sanctitatis indicio. De his ergo inexpugnabilibus cœlestis militiæ triumphatoribus loqui, & memoriam abundantiæ virtutum eorum dulcisono altrinsecus crescere sermone, eius, per cuius largifluam benignitatem tales fieri meruerunt, est prædicare magnalia & ingens incrementum ad profectum audientium. Quapropter licet impari sermone eorum qui sanctorum scripsere virtutes, moliamur fieri sequipedes, & ad propositum cunctorum pie viuere cupientium, ad altiora prouocandum vitam sanctissimi Hieronis enucleare festinemus. Cuius si dicta factis non exæquantur, incultior Lectorem non offendat oratio; qua luce clarius constat, quod regnum cœlorum non luculentis huius mundi sapientum eloquiis, sed simplici prout Spiritus sanctus dictauerat, piscatorum famine,

*al. in cœlis.*

ſamine, in omni quæ ſub cœlo eſt natione ſit prædicatum. Nec debet etiam cuiquam ſapientum irreprehenſibile videri, quod quamuis nulla literariæ diſciplinæ prærogatiua imbuti, quiddam debiti in domo domini ſtudeamus pro noſſe noſtro exhibere ſeruitii: cum conſtet quia commiſſi non carebit culpa talenti, qui cum nullo vult partiri quantulamcumque ſibi commiſſam ſcientiæ pecuniam.

Sanctus igitur HIERON. parentibus iuxta ſæculi dignitatem nobilibus progenitus, diuinis ſine mora regenerandus fontibus, reuerendis ſanctæ matris Eccleſiæ ſinibus adducitur; vt in nouam renatus infantiam, quæ diuerſos ſexu & ætate in vnum Catholicæ fidei dogma diuina parturit gratia, abnegaret impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie ac iuſte inciperet viuere ſecundum perpetuum ſalutiferæ regenerationis ſuæ authorem, *Tit. 2.* ſcilicet vt peccatis conſepultus per baptiſmum, viueret iuſtitiæ in acquiſitionem beatitudinis æternæ. Suggerente *Rom. 6.* autem diuina Spiritus ſancti clementia, qui eum ſibi vas electionis proſcierat futurũ, in baptiſmate ſacro eſt HIERON vocatus, vt in ipſo ſui nominis vocabulo futurum eius ſanctiſſimæ vitæ proderetur meritum. Cum autem maxima nutritus parentum diligentia annos fere tranſiret pueritiæ, non, vt ſolet illa ætas, infantilibus operam dedit luſibus, ſed iam tunc totum ſe diuinis geſtiens mancipare obſequiis, cum ſui corporis incremento interiorem hominem proficere elaborauit ſanctarũ copia virtutum. Erant enim in iuuenili eius pectore matura ſtudia, & aſſiduis Deum exorabat gemitibus, vt eum in via mandatorum ſuorum dirigeret, ne ſi quid de ſcientia mundi attingeret, ipſe immane in præcipitium totus iret. Interea dum prompte voluntati merita *S. Greg. de B. Benedicto.* religioſa ſuccreſcerent, prudenter diu celatum piæ deuotionis affectum fidelibus decreuit aperire, videlicet, quia ſuam ætatulam omnimodis cœleſtibus cuperet erudiri dogmatibus, ac quæ tranſitoria penitus vellet de-

*al. esse audiret. Adhærere Domino Deo bonum est. Psal.*

clinare quod scriptum est: *Bonum est adhærere Domino. ponere in Domino Deo spem*

Dum autem rescirent pii genitores quid suus haberet animo filius, partim minis, partim blanditus, ne se desereret, pertinaciter instabant. Et tentantes si quomodo eum possent ab arrepto detrahere proposito, immittebant ei in fluxam seculi gloriam, & reliqua remissioris vitę blandimenta; postremo virtutis arduum finem, & maximum perueniendi laborem. Sed fortis animi tirunculus illa sæpe in animo versans promissa, de quibus ait Apostolus: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; his eos alloquitur verbis: Hæc quæ commemoramini, aut qualiscunque infortunii sunt amittenda euentu, aut mortis interueniente articulo: Hæc autem quæ Deus præparauit his, qui eum toto mentis affectu diligunt, non qualibet violentis potestatis auferri valetudine, nullo termino possunt finiri: Illi vero vbi diuina protectione munitum ad id quod moliebantur consentire nolle perspexerant, mox mutati virtuti dextræ excelsi, adolescentulum, vt cœptum quanto cyus aggrediatur negotium, instigant: & vt his egregie præter cætera studens sagaci mente intenderet, vnde postmodum notas faceret in populis adinuentiones eius, qui nos vocauit in admirabile lumē suum. Extra omnium morarum impatiens, Dominici ingressus est scholam seruitii, in qua non conuersionis feruore nouitio, sed sollicitudine assidua discitur, cum quibus armis Deo auxiliante seruis Dei sit resistendum ingruentibus exercitatorum ad supplantandum inimicorum bellis. Cœpit namque cum omni actis ingenii perspicacitate sanctarum meditationi insistere scripturarum, & non diebus non noctibus illorum abesse conspectibus, quorum se posse proficere doctrina perspexerat. Tunc etiam sedulo pertractans illud Psalmistæ: *Bonum mihi quod humiliasti me, vt discam manda-*

Margin notes: *Rom. 8.* — *al. superuenturam.* — *forte violenta.* — *reciderat* — *Psal. 118.* — *al. iustificationes tuas.*

*tatua* ſingulis quibuſque contubernalium congrua exhibebat charitatis obſequia. Vnum ei contigit, vt cum ſingulorum proprias ſtudio diſcendi hauriret gratias ſcientiæ, omnibus tamen charus & acceptus eſſet. In breui ergo temporis curriculo ad ſummum diſciplinæ cœleſtis culmen prouectus, ad ſedes paternas regreditur.

Et ſecum reputans nullum oportere in arrepti rigore propoſiti laceſſere, ſed quaſi incipientem augere ſemper quod cœperit: vt apis prudentiſſima diuinorum præceptorum quoſque propagatores perluſtrat, vt aluearijs ſui pectoris dulciflua virtutum mella reconderet. Huius ergo continentiam illius ſectabatur iucunditatem, iſtius lenitatem, illius vigilias, alterius legendi æmulabatur induſtriam. Iſtum ieiunantem, illum humi quieſcentem imitabatur: Alterius patientiam alterius prædicabat ſupernaturalis Zeli feruorem. Et alios commiſſa ſibi quinque talenta bonorum operum pio labore duplicare elaborantes ſectatus, alios duorum multiplicatione ſolicitos æmulatus, ſui negligens, omnibus, iuxta Apoſtolum ſtuduit omnia fieri, & nunc huius vitæ neceſſaria, nunc ſane ſolatia doctrinæ egentibus miniſtrabat. Sic ergo cunctis virtutum floribus compte redimitus, diuinae igitur gratia, & honore decenter ſublimatur ſacerdotum.

*Athan. in vitaS. Antonii.*

*al ſpiritualis.*

*1. Corint. 9*

Dum igitur iam talis eſſet qualis poſſet ſine oblocutione omnium inuidorum prædicari, inimicus humani generis tantas in eo creſcere virtutes impatienter ferens more ſolito inuidens ingemuit. Tunc vniuerſa nequitiæ ſuæ tela arripiens, diuerſis tentationum machinationibus, mundanis illum rurſus deſiderijs irritire conatur, & nunc corporis fragilitatem ad memoriam illi reducere, nunc ætatis prolixa ſpatia nunc tamquam impoſſibilem rem virtutes pauere conari aggredi, plurimos iam cœpiſſe, & minime voti compotes effectos fuiſſe. Vir auté Domini diuino edoctus eloquio multiplices dæmo-

dæmonum esse captiones solerti propositum labore seruabat. Et primi Deus ne versuti supplantatores in aliis superati, nouarum adinuentione artium in alios vincirent, magis & magis corpus suum humiliabat. Et sæpe mente reuolués, humanæ vitæ spatia æternitati comparata breuissima esse, diabolicis decreuit non cedere suasionibus, quoadusque spiritus cœlitus per membra diffusus, hos sibi infirmos regeret artus, nec fatiscentem vnquam ætatem à muniis Christi posse excusari: idcirco
Psal. 90. fidei anchoram figens in adiutorio Altissimi; *Si consistant,*
Psal. 26. inquit, *aduersum me castra, non timebit cor meum, sed persequar inimicos meos & comprehendam illos, & non conuertar,*
Psal. 17. *donec deficiant*: quoniam Dominus qui vicit illos, & vniuersa arma eorum in quibus confidebant, distribuit; *docet manus mea ad prælium, & posuit vt arcum æreum brachia*
Ibidem. *mea, & dedit mihi protectionem salutis sua, & dextera sua suscepit me.* His ergo aliisque quam plurimis sanctarum Scripturarum propugnaculis inexpugnabile Spiritus paracleti præmuniens habitaculum, multo diligentius quam cœperat, adeptos more ecclesiastico perennes religionis gradus, studuit competenti exornare honestatis sanctimonia.

Cupiens itaque particeps remunerationis fieri eorum qui pro Domino omnia reliquerunt, more Patriarchæ nostri Abrahæ, patriam & quosque affinitate coniunctos dereliquit, & quo eum vellet Dominus dirigere, secum deliberauit ire. Sicque diuina comitatus gratia Frisiam ingressus, alios quidem illam habitantium cum paganicis inuenit ritibus nephandis deseruire idolorum cultibus; alios post veritatis agnitionem, varios prout instituebantur à pseudodoctoribus, incidisse errores. Et secum reputans, ne forte eum Dominus pro salute eorum illuc destinaret, vt quondam ciues suos, ita omni vigilantia illos, vt à laqueis diaboli, quibus ad voluntatem ipsius tenebantur captiui, resipiscerent, & suaue creatoris sui iugum susciperent salubriter admonuit,

ipsum-

ipſumque fideliter adorarent, vt ad reſtaurationem ſuarum periclitatarũ animarum quoquo pacto pertingere ſatagerent, vt denuo potius creaturæ quam creatori deſeruire deſinerent, dulciſonis hortabatur faminib. ne quando priſtinis erroribus inuolutis fierent poſteriora deteriora prioribus. Ait enim: *Quæ pars, fratres, fideli cũ infideli, aut quæ ſocietas luci ad tenebras: Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Templum enim Dei ſanctum eſt, quid eſtis vos. Quapropter filioli, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis, nolite reſpicere in vanitates & inſanias falſas, ne templum Dei violantes ſitis monumenta dæmonum. Filij enim Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem quod cum apparuit Chriſtus:* in quo ſperamus, ſimiles ei erimus, & quamuis non æqualitate naturæ tamen participatione gloriæ. Quid plura? Chriſtum Deum prædicando iugit, ferocitatem gentis perdomuit, & populum acceptabilem Domino acquiſiuit. Et cum iam *Chriſtiana* religio per eius doctrinam circumquaque floreret, & pro ſanctitatis reuerentia ipſe miro veneraretur affectu, ſæpe illam Domini ſententiam tremens reduxit ad memoriam, qua dicit: *Qui amat animam ſuam, perdet eam*, ſcilicet hoc eo intelligens ſignificatu, vt qui pro aliquibus honeſtis laboribus, huius mundi vanis delectantur fauoribus, illius futuræ remunerationis priuetur recompenſationibus. Vnde feruentiſſimo accenſus deſiderio ſuam pro CHRISTO, per tormenta variæ paſſionis concupiuit ponere animam, vt ſecundum ipſius promiſſionem, eorum quandoque iungi mereretur choro, qui ſtolas ſuas lauerunt in ſanguine agni. Cuius voti eum compotem fieri diuina diſponens largitas, hoc modo de hoſte antiquo triumphare conceſſit.

1.Cor.6.

1.Cor.3.

1.Ioan.3.

Ioan.12.

Ea tempeſtate cùm pagani deprædantes omnem locupletationem Friſoniæ, alios vtriuſque ſexus necarent gladio, alios captiuos ducerent, ſanctus vir, de quo præſens loquitur textus, ſimul cum eis comprehenſus, iudicio reſeruatur examinandus. Dum autem traheretur, *Act.* 5.

gaudens

gaudens quoniam dignus habitus esset pro nomine IESV contumeliam pati, orabat dicens *Domine deduc* Psal. 5. *me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam.* Et dum perductus fuisset ad præsidis tribunal, confuse clamabat perstrepens vulgus. Alii clamabant, tolle huiusmodi de terra nec patiaris diutius viuere inimicum sacrorum nostrorum: alii exquisitis diu tortum persuadebant cruciari tormentis; vt & illi ipsius saciarentur pœna; & populus qui ex eius pendebat amore, tali terreretur exemplo. Interea obscuro clauditur carceris chilindro, vt in crastinum aut thura gratis diis offerret, aut si nollet, pro contemptu interiret.

Ipse autem psallebat, *Domine in lumine vultus tui* Psal. 88.16 *ambulabo, & in nomine tuo exultabo tota die.* Mane vero educentes filium lucis de tenebrarum locis, statuerunt eum in consilio suo ante præsidem. Cui & ipse. Nunquid ait hesternæ plagæ aliquem dolorem tibi intulerunt? At ipse hilariter respondit: Non solum dolorem non intulerunt, sed etiam fortiorem me reddiderunt. Scriptum est enim: Psal. 93. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ domine lætificauerunt animam meam.* Et interrogauit eum, cuius conditionis esset, & quam sectam coleret. Ille vero respondit: Non solum ingenuus, sed & spectabilis sum genere. CHRISTVM verum Deum confessus ab infantia colo, & idolis vanis ceruicem nunquam inclinabo, quia Dominus dicit in Matth. 4. Euangelio, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.*

Ait Præses: Audi me & sacrifica diis, vt & quod superest vitæ, vsque ad senectam cum gaudio ducas, & nostra fruaris amicitia. Tunc sanctus respondit: stulta suades & dubia promittis. Derelinque, inquit, Deum factorem (velis nolis) nostrum communem, imo omnium sæculorum, & dæmoniis immola vt & vitæ tuæ vsq; ad senectam possit esse consultum, cum solus Deus, qui vitam

hom-

hominum condidit quæ sunt illi futura à longe cognoscit. Dixit Præses: Volo mihi dicas, quis sit iste Deus, quem solum omnis creaturæ laude dignum prædicas? Respondit Sanctus: scriptum est, *Nolite sanctum dare canibus, neque mittere margaritas vestras ante porcos.* Quapropter tu nunquam à me pollutis auribus hauries huius veritatis noticiam. Quoniam autem ex circumstantibus quosdam prædestinatos ad vitam cognosco, horum prædico scientiæ, quæ sit nostræ summa religionis. Credimus patrem, ex quo omnis paternitas sedem Apostolicam, in cœlis & in terra nominatur, Filium eius, & Spiritum sanctum, de quibus Psalmista, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Horum diuisibilem trinitatem in personis, indiuisibilem veneramur, in vnitate substantiæ. Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus, sed totas tres personas coæternas sibi & coæquales, & omnem qui extra hunc vnum trinumque Deum aliquid credit aut colit quasi Deum, in æternum cum eo, in quo spem salutis suæ posuerit perire. At hæc vero fidei dogmata lætantibus cunctis Christicolis, in aliis virtutum cupido exarsit, in aliis infirma refouebatur fides. Ex aliorum mentibus falsorum monumenta pellebantur Deorum, ex aliorum sensibus omnium remouebantur passionum terrores. At vero iudex iniquus sicut aspis ad vocem incantantis obturans aures suas, ne in iniuria Deorum & sua loqui audiret illum, celerius eum puniri iussit. Cumque ab apparitoribus ipsius duceretur, psallebat dicens: *Non abscondi in corde meo misericordiam tuam, & veritatem tuam à consilio multo. Quapropter, quæso Domine, ne longe facias miserationes tuas à me, sed misericordia tua & veritas tua semper suscipiant me.* Dum hæc perorasset, à carnificibus diuersis cruciatibus tormentorum generibus martyr Domini præclarus in æternum victurus ad patriam cœli migrauit. Tunc pauci qui ibidem erant timorati, compuncti de iniusta tanti viri nece, clam propter gentilium

Matth. 7.

Psal 32.

Psal. 39. 11.

tilium timorem rapuerunt eius sacrosanctum corpus, & posuerunt illud in monumento nouo. Sicque plurimorum annorum curriculis in sui reuolutione sibi succedentibus, vt tempus passionis ipsius, ita & locus sepulturæ post eorum excessum ab omnibus ignorabatur, donec placuit diuinæ pietati tali reuelatione eius sacras manifestare reliquias.

---

# TRANSLATIO
# S. HIERONIS MARTYRIS.

TEMPORE quo totius Galliæ principatus monarchiam Deo constituente, obtinuit Otto, ad corrigendam prauitatem malefactorum, strenuus, ad corroborandā diuini cultus sanctimoniam omni seculo prædicandus erat quidam fidelis in laicali habitu constitutus nomine *Nothbôdo*, illic vicinè commanens, vbi hæc pretiosissima fidei Deo soli cognita absconsa erat gemma. Qui ruris culturæ quotidie dans operam, propriam vitam sine fraude studuit ducere, & necessitatibus Sanctorum communicare. Retinuit namque in suo animo à Domino nobis esse præceptum, vt faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, vt cū defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula, ideoque labores suos manibus pauperum in cœlestibus thesauris elaborabat recondere vbi nec ærugine neque tinea certus erat eas nunquam exterminari, nec in noctibus tetra caligine à furibus effodi. Hic dum quadam nocte se inuigilans in strato suo quiesceret, vidit sibi adsistere virum ætate senem, statura procerum, vultu decorum. Cuius dum mirabilem miraretur aspectus pulchritudinem, & quasi elinguis prorsus præ pauore effectus non auderet interrogare, quis esset, huiuscemodi sermonis initio is, qui videbatur, eum allocutus est: Ne paueas, neq; pertimescas frater charissime, quoniam iusti labores manuum tuarum

*al. noctiu.*

rum

rum beatum te fecerunt: eleemosynę quas facis, tuam ab omni sorde vitiorũ purificauerunt conscientiam, vt conseruorum suorum iam cum Deo regnãtium possis vultũ videre, & eorum frui alloquio. Quapropter & mihi vni ex his gratia Dei effecto, tuis apparere visibus, cõcessum esse cognosce, vt meas in negligentia positas leues reliquias, & per hoc cunctis innotescat, quanti apud Deum habearis meriti. Qui cum dulcedine familiaris alloquii confortatus, humili responso interrogaret, quis esset, & sæpius salutifero nostræ redemptionis vexillo frontẽ armaret, ne forte phantasmatici satanæ illuderetur fraude, Optime inquit, tuæ congaudeo fidei, quæ omnia diabolica figmenta veraciter credit effugari per sanctæ crucis venerabile signum. Ego autem non, vt tu putas, phantasma sum, sed in delicto cõceptus, in vulua meæ matris cõmunẽ suscepi aerem, & primo propter protoplasti iniquã preuaricationem huius peregrinationis passus ærumnas, nunc gratia Dei iustificatus paradisiaca possideo gaudia. Et dum plenissime eum sicut prælibauimus instrueret, qualiter in cursu semitarum iustitiæ, fide seruata per palmã martyrii ad reposita sibi in cœlis peruenerit præmia; nunc vade ait, in vicum *Northico* cognominatum, ibique meum inuenies sepulcrũ munitis compositum lapillis. Quod dum egesta humo repereris, mea tollens membra perferes ea ad loca *Hacmunda* iure vocata; quoniam ab omni spurcitia idolatriæ sunt purgata per præclara sanctissimi *Adalberti* merita. Nec cũcteris ea in venerabili ipsius collocare sacrario: quoniam qui mihi concessit vincere terrena, ipse & annuit tanti collegæ sui tabernaculo. His prædictis, ab oculis eius se subtraxit. *Crucis signum.*

Vir autem Domini reminiscens quod author falsitatis sępe transformatus in angelum lucis incautos solet decipere, nequaquam huic primæ visioni vllo modo fidẽ adhibuit, sed à Deo intelligens quomodo se haberet tantæ rei veritas, perquirendum, in spiritu humilitatis & in animo contrito, assiduis precib. supernos diuinæ clemen-

tiæ pulsauit auditus: vt si ab eo facta esset hæc visio, denuo ac tertio sibi manifestaretur. In ieiuniis itaque & orationibus constituto eo, apparuit iterum idem qui supra,& monuit ne contumaciter à Deo sibi iniunctā sperneret obedientiam; ne dum quæ ante secularia tempora diuina bonitas decreuit,per eum fieri perficere contemneret, inexcusabilis pœna contemptorib. digna puniretur in die iræ& reuelationis iusti iudicii Dei. Cumq; continua afflictione parsimoniæ & vigiliarum pro hoc ipso negotio inquirendo, seipsum sine intermissione Domino mactaret placabile holocaustum, cōtigit equos suos, dum forte essent in pastu pastore dormiente, ita vt fit, à furibus clam subtrahi, & in absconditis fugitiuorum locis abscondi. Quos collectis amicorum & seruorum manipulis per deuia quæque requirens, vesperascente iam die venit secus locum, bis iam sibi à Domino ostensum. Nulli tamen commeantium illud secretum pandens,ibidem hortabatur socios lassatos ex discursione varia quieti dare membra. Cuius consilium concordi affectu ob difficultatem laboris implentes,post refectionem carnalem, vt erant sub dio, se dormire collocant. Et cum omnem illam collectam altus sopor corripuisset, ecce ipse Dominus HIERON vni innocenti &simplici viro de contribulibus præfati viri ibidem secum quiescentibus apparuit per visum dicens: Surge, & dic Nothbodoni, ne vltra diuina præsumat paruipendere iussa, & in parte orientalis plagæ dextrorsum loci, quo hac nocte ipse pausauerat,meum nouerit esse tumulum. Quoniam autem infideles signa petunt, vt diluculum erit,ad hanc proximam vobis concurrite syluam,& equos quos perdidistis sine dubio inuenietis. Tunc ille expergefactus, experimentum in hoc capere visionis cupiens, propere socios monet,vt surgant, & caballos sine difficultate iam inueniendos,Deo monstrante, annunciat. Moxq; vt syluam ingressi sunt, eos eminus in proximo à via publica diuerticulo conspiciunt stipitibusque à furibus resticulis alligatos,

gatos,

gatos; & tam euidentibus indiciis certus de visione factus, secrete omnia quæ audierat cui iussus fuerat, narrat. Ille vero vt hæc audiuit, nõ minimo replebatur gaudio, quia inuentus est & alius testis iam olim sibi visione demonstrata. Et dimissa cætera multitudine, cum ipsi tantum duo arreptis sarculis in designato sibi loco fodere cœpissent, mox cœlestis thesauri conspiciunt thecam, indeque certissimi effecti se nequaquam seductos videri, sicut iussi fuerant, fideles legatos Episcopo dirigunt, ad cuius diœcesim locus ipse pertinet: & Theoderico, qui locupletis possessionis patrum hæres, atque eorum comitiuæ dignitatis successor, diues gazarum, nec minus bonarum virtutum tunc tẽporis pollebat, vt quantocyus venirent & sanctas reliquias cum condigno honore ad destinatum locum deferrent. Hi autem vtrique admodũ piæ vitæ diditi, dum fuissent studiis talibus non mediocriter lætificati sunt nunciis, ac prudenti vsi consilio, triduano tam se quam omnes prouinciales purificauerunt ieiunio, & tunc quasi cœlitus iussi, moram pati in accurrẽdo nolentes velocius adfuerunt, & odoris suauissimi, qui de membris gloriosissimi Martyris manauit fragrantia refecti, intellexerunt & hunc vnum esse de his, de quibus Apostolus ait: *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco.* 2. Cor. 2.
Exaltantes itaque Dominum Deum nostrũ in voce exultationis exclamant. *Quam magnificata sunt opera tua Domine, & nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ*; nunc in isto anima nostra cognoscit valde.

Tum pretiosa pignora mundissima obuoluentes syndone, humeris imposuerunt, & cum Psalmorum iubilo canori, hymnoq; dulci melodia secus mare iter quod ad locum superius dictum mittit, ingrediuntur. Cumq; saltum qui *Ryniuera* dicitur transirent, ecce hinc inde popularis ala diuersi sexus & ætatis circumfluit, pia deuotione certans, qui eorum tam salubris baiulus esse mereretur oneris. Interea his eis ad vota succedentib. dum approximarent loco, quo ibant, cœperunt secum quasi ita- *Hymnorumq;.*

ſcendo ſtomachari,cur de ſylua dum poſſibile erat, lecticam in modum humanæ conſuetudinis non fecerint, quam tunc in exuſtis ſolis ardore armis conſtitutis nulla ſuppeteret facultas perficiendi. Et dum huc illucq; ſedulo, vt eſt humanæ cura ſolertię, oculorum vſq; quaq; voluerent orbes, vt ſi forte ad huiuſmodi fabricam diuina adminicularetur prouidentia, vident ſubito in proximis tumeſcentis maris fluctibus feretrum ferri. Quod in arena mox eiectum arripiunt, atque cuncto ſeculo veneranda in eo collocant membra; ſicque alternatim con-
Pſ.132.v.1. crepando, *Ecce quā bonum & quam iucundū, habitare fratres in vnum*: quos diuerſo in tempore inuiolata fides catholicæ confeſſionis bonis exornabat moribus, regiā ſanctę aulę intrant, quam ſancti Adalberti venerabilia decorant merita. Cumq; ſacras reliquias, ſicut ei s iuſſum fuerat honorifice ibidē componerent, vnuſquiſque gaudio non modico ſuffultus rediit in ſua, narrantes mirabilia hæc Domini per omnem circumquaq; regionem: quatenus omnes qui audirent, in communi cōfiterentur nomini ſancto Domini: quoniam non ſolum eruit ſperantes in ſe, & liberat eos de manu anguſtiæ, verum etiam qui eorum zelo Dei, vtcunque prædicant merita, perpetuus ipſorum præſtat participari & pręmiis, quorum quidem quamuis iungi non mereor collegio; ſicut nec narrationis effectu, ſic nec in retributionis gaudio, tamen ſpe certa aliquantulæ ablutionis meorum peccaminum, ſanctiſſimi viri paſſionem ſparſim collectam, vt à narrantib. diſcere potui, meo arbitratu veſtrę explicaui ſanctitati. Quapropter potius religioſas quam diſertas quæſo apponite aures: ſcilicet vt dum obſcuram in mea inſipientia perſcrutanda breuitatis diligentiam tanto intercedente patrono, cœleſtis doctrinæ ſapientem valeatis apprehendere ſtultitiam. Quod præſtare dignetur, qui trinus & vnus ab omni creatura ſemper eſt glorificandus. Amen.



*VITA & PASSIO*

# S. HIERONIS MARTYRIS HOLLANDIÆ vnici Carmine per Gulielmum Goudanum.



*ESTA Virumque cano Scoticis qui vectus ab oris*
*In Batauos fato profugus Hollandaque venit*
*Littora: multum ille & dictis profecit, & actis,*
*Vnum dum populo numen persuadet IESV.*
*Musa mihi vitamque, & magnam dicere mortem*
*Incipe, quæque viri mortem miracla sequuntur.*
*Sanguine ab illustri proauisque est ortus honestis*
*Et clarus* HIERON *natalibus attigit astra;*
*Diues opum genitor vicos possedit & agros,*
*Armentique grauem numerum; bis mille bidentes,*
*Frugiferam centum terram vertebat aratris.*
*Magna manus famulorum erat, & non parua clientum:*
*Illas inter opes patria nutritur in aula,*
*Vna domus* HIERON *tanta spes, vnus & hæres,*
*Atque suis ideo magno est dilectus amore.*
*Sæpe auidis illum genitrix complectitur vlnis;*
*Oscula carpendo, mœrentis gaudia matris*
*Nuncupat, & seræ solatia sola senectæ.*
*Ostentansque arces puerum secum atria circum*
*Ampla trahit, dominumque domus fore commonet illum.*
*Imperat & famulos iam iussa capescere nati,*
*Hortaturque ipsum venturo assuescere honori.*
*Hæc genitor tacito assensu permittit amori*
*Materno, atque ipsi pertentant gaudia pectus*
*Credenti partam requiem placidamque senectam;*
*Certum quod præsens, spes est incerta futuri*
*Ancipiti euentu rerum deludimur omnes.*

Affantur parentes Hieronem super coniuge.

*Postquam flos æui puero, & maturior ætas*
*Accessit, pater & mater iam grandis vterque*

*Coniugio super incœptant, & prole creanda*
*Alloquium; primum senior se optare nepotes,*
*Seque nurum genitrix memorat, quæsitaque virgo,*
*Atque inuenta tibi est, inquit, currentibus annis,*
*Par tibi, par forma, par moribus atque (ea si quid*
*Esse putas) neque diuitiis neque patribus impar,*
*Nos vobis amplam fessi concedimus aulam,*
*Vobis tantarum rerum moderamina iunto:*
*Rus nostris modicum sat erit secessibus, illic*
*Quod superest æui (si quid superesse putamus)*
*Mollibus in latebris, placida sub pace quieti*
*Ducemus, tu nate ô patri decus esto, mihique,*
*Et fessis æuo pax tuta parentibus esto.*

Respondet HIERON.

*Sic fata est genitrix, contra sic filius orsus;*
*Non mihi fœmineo pectus tentatur amore*
*Nec me virgo capit, nec prolis cura creandæ:*
*Virginei solique thori, synceraque vita*
*Me iuuat: hos nostra menti Deus indidit ignes:*
*Non arces sed templa placent: non aula, sed ara,*
*Proque opibus mihi pauperies, gratissima res est.*
*Sunt ea iussa Dei, iussis obsistere quis vel*
*Ausit vel possit? stimulo mea corda fatigant*
*Nam modo (fabor enim ô dulces charique parentes)*
*Arcani quiddam, conclusaque pectora pandam.*
*Est mihi mens (docuistis enim quibus indiget, artes)*
*Esse ministerium templis, diuumque sacerdos*
*Sic hortante Deo. Quin idem trans mare vobis*
*Desertis, patriaque, alienas visere terras.*
*Imperat, auellor vestris complexibus, eheu,*
*Inuitus, dura est & inexorata voluntas*
*Numinibus; nolim cupiam, parere necesse est.*

Eiulatio matris.

*His nati dictis perculsi corde parentes*
*Obriguere animis: utque illum excedere terra*
*Natali audiuit genitrix, anus & grauis annis,*
*Eiulat, & cœpit canos laniare capillos,*
*Diruptoque sinu (neque multis absque querelis)*
*Vbera commonstrat: ne matrem nate relinque,*
*Per quæ potasti nunc vbera flaccida, perque hunc*
*Qui te gestauit vterum tot mensibus oro,*

*Nate*

*Nate mane, atque istam citius precor exue mentem.*
*At senior gemino sua pectora vulnere læsus*
*Fundebat lachrymas, qui nati saucius altum*
*Ingemit abcessu primum, de hinc coniugis ora*
*Et miseræ matris casus miseratur acerbos.*

Respondet HIERON.

*Ast* HIERON *fixus mentem vultumque manebat*
*Ceu morinum marmor, quod adhuc de viscere matris*
*Telluris molle est, vento durescit & imbri:*
*Haud aliter pulsus lachrymis, pulsusque querelis*
*Duriciam sumit, nec quicquam pectora mutat.*
*Non cessat suadere tamen, miserasq; parentum*
*Solari curas iis vocibus: Esto voluntas.*
*Afforet, an possem terra hac consistere: credo*
*Numina permittens, potiorque humana voluntas*
*Diuina (nisi fallor) erit, sed fallimur. En iam*
*Vt vultis maneo, nec vestro natus ab ore*
*Discedo quoquam: Tantum lux crastina surget,*
*Et vestrum vobis natum mors auferet atra.*
*Quippe senem iuxta ac iuuenem mors effera carpit,*
*Ibo igitur quo me Deus euocat, huicque volentes*
*Vos parere decet: nolentes cogere posset.*

HIERON in Frisiam & Batauos venit.

*Ergo de patria excedens, Abrahamus vt alter*
*Trans pontum venit Frisiam Batauosque feroces*
*Quos* Willibrordus *diuus purgauerat agros,*
*Hic colere occœpit, sulcos impressit aratro,*
*Et sparsit sulcis diuini semina verbi,*
*Atque suis retulit messem sudoribus æquam.*
*Est ingens vicus* Northieum *nomine, Rhenus*
*Incolumi at modico tranquillior alluit alueo:*
*Nam supra est de fonte suo pracisus, & infra,*
*Collibus obiectus non inuenit æquoris vndas.*
*Hoc* Hieron *deg.ns vico, non millia pauca*
*Lucratur* Christo, *nam multos casta mouebat*
*Vita viri, quia vita viri fuit æthere digna:*
*Multos & verbo duxit, namque hauserat artes*
*Diuinas, neque deerat ei bona copia fandi,*
*Tum linguam gentis tenuit: hac gente profecti*
*Ipsi olim proaui & nostra de sede feruntur.*
*Hoc opus exercet tranquilla pace quisitus,*

*Dum tempestatem Daci, gens fœda, mouerent.*
*Est regio gelidis subiecta trionibus, agros*
*Nix vbi longa tegit, durantur frigore campi.*
*Vix alit hac tellus cultorem fruge maligna;*
*Arma colunt Daci, genus ipso Aquilone creatum,*
*Ceruice inflexum, rigidis & moribus horrens,*
*Atque implacatum, Borea certissima proles.*
*Ii quondam sterilemque locum, frigusque perosi*
*Sedibus excedunt patriis, & sole tepentem*
*Et pingui gleba tellurem, Austrumque requirunt.*
*Obuia prima tulit se vestigantibus, illis*
*Et specie tetigit mentes Hollandica tellus.*
*Hic pressere pedem, totoque sagacia campo*
*Lumina iactantes, hac prata virentia cernunt,*
*Hac longos grauibus culmos horrescere aristis,*
*Piscososque lacus, syluas venatibus aptas.*
*Pracipitat bifidus pingui se flumine Rhenus,*
*Atque per ora duo vicinum currit in æquor.*
*Classe ineunt Mosam, stabat fortissima turris.*
*Os Rheni seruans, & muro stabat & auo*
*Vrbs antiqua nimis* Vlerdingen *nomine dicta.*
*Hac se defensat longum, contraque iacentes*
*Et sparsa in Mosa, seruantesque ostia Rheni,*
*Addunt insula opem, quorum est* Walachria *princeps*
*Atrox exoritur bellum, certatur in ipso*
*Limine pro terra. sparguntur sanguine fluctus.*
*Hostibus, ah superum nutu, victoria cessit*
Vlerdingen *flamma pascunt, nascensq;* Schiedam
*Non procul hinc ardet, iuxta nec tunc quoque grandis*
Rotteredam *crepat in cineres, tua patria* Erasme,
*Nunc vrbs, & per te sublimia fertur in astra.*
*At Daci subigunt naues quo tramite ducit*
*Impia de Rheno fluuius iam dictus* Isella.
*Hic mea Gouda ruit: nunc muro insignis & arce,*
*Tunc portus tantum, & statio bene fida carinis,*
*Tum quoque erat flauus, vt nunc est, aureus vndis,*
*Gouda tibi fluuius viria que prima creanda es:*
*Hac tua dos etiam* Cornelius *auget honorem*
Cornel. Gaudanus *Carmine & ingenio quo non torrentior alter.*
*Fœda natans classis ripa grassatur vtraq;,*
*Captiuumq; pecus trahitur, pecorisq; magister*
*Et ferrum & flamma crudeliter omnia vastant.*

Dorestad-

Doreſtaddum exciditur.

*Vrbs antiqua fuit quondam notiſſima fama,*
*Quam non præcipites foſſæ, non plurima turris*
*Non centum portæ texerunt, nuda patenti*
*Se campo & cœlo tenuit, ſecura pauorum*
*Mole ſua & virtute virum, fuit aſpera bello,*
*Aſpera tentando Getuli more Leonis*
*Illius æquandam ſpatio Rhenus pater vllam*
*(Vſq; à fonte ſuo dum liber currit in æquor)*
*Vrbem perſpicuis non præterlabitur vndis*
*Quinquaginta intus diuorum templa fuere.*
*Venit ſumma dies, & ineluctabile fatum.*
*En Doreſtaddum ruit, & radicibus imis*
*Exciſum vix vlla ſui veſtigia liquit*

Traiectum deſtruitur.

*Hinc fera tempeſtas* Traiecti *ad mœnia tendens*
*Concuſſit valido turritos turbine muros:*
*Nituntur contra* Wilt*a, quæ plurima turba*
*Vaſtis ex agris munitam influxerat vrbem.*
*Heu nihil inuitis fas quenquam fidere diuis:*
*Talis murus erat, tot circum mœnia turres;*
*Pro muro ſtabant iuuenes, pro turribus altis,*
*Tot bellatores intus, niſi fata fuiſſet,*
*Orbis ſi coeat non illam exciderat vrbem.*
*Obruitur fatis, perrumpunt viribus hoſtes.*
*Pugnatur portis, tota pugnatur in vrbe:*
*Alterna cædes, alterna per agmina mors eſt:*
*Corpora calcantur, medijs effuſa plateis,*
*Purpureiq; viis ibant de ſanguine riui.*
*Scuta virum, & galeas & fortia pectora Rhenus*
*Sanguine iam tumidus rubicundis voluit in vndis:*
*Nec ſtetit hæc hoſti noſtro victoria paruo.*
*Dum Dacus campo ſeſe non credit aperto.*
*Accerſit a domo donec trans claſſibus æquor*
*Magna manus iuuenum Normannorumq; cateruæ*
*Auxilio accurrant, prædæq; & cædis amore.*
*Ryphæiſq; Scythæ niuibus venere relictis.*
*Tum lacer, & dudum ſat habens ſua parta tueri*
*Aduentu ſociorum fretus ferus ocia rupit*
*Hoſtis, & eſt auſus Traiecti excedere muris.*
*Fert animus populare plagam, quæ gurgite paruo*
*It contra Corum Rhenus, ſub nomine Rheni*

 Arx

Arx Autindoli Regis exciditur.

*Rex fuit armipotens olim ( nisi credere nolis)*
*Cui longa auricula dederant cognomen Asello.*
*Ille, vt erat, Batauis late dominatus in agris,*
*Arcem constituit ferroque adamanteque duro:*
*Hanc certum est Dacis quocunque excidere damno*
*Quippe nihil credunt actos prodesse labores,*
*Hac arce incolumi, neque rerum posse potiri.*
*Incubuere igitur totis cum viribus, atque*
*Cetera securi* Voiburgum *cingere solum*
*Obsidione parant, atque omnia millia cogunt:*
*Ergo vbi cernebant arcem obsidione teneri,*
*Clamant Rhenani; nunc arma capessere tempus*
*Stridentes sonuere tubæ vastosque per agros*
*Exululare, ferumque lacessere cornua martem*
*Ærea, tum segetes galeæ lucere per albas*
*Ibat tunc vicus, nunc vrbs pulcherrima* Leydi
*Hagaque vicus adest, vbi nunc est curia primum*
*Valkenburgini properant, & Cattus vterque.*
*Tum Delphi venere viri, ditissima nunc vrbs*
*Ægidiique mei patria, & patriæ decus ille est*
*Ante omnes magnus Northicum viribus ibat,*
*Namque acuit* Hieron *hunc bello, atque induit armis:*
*Lecti ductores populis Gerlacus & acer*
*Dilbondus, pugnas edoctus vterque cruentas.*
*Agmen init campo varium, vibrantia densi*
*Fulgura iactarunt clypei, iam credere posses*
*Solem, ortum geminum, solem reddentibus armis*
*Longa manus matrum, pueri innuptæque puellæ*
*Portant scuta viris, animosque laudemque ministrant.*
*Instructi stabant hostes, Martemque canebant,*
*Concurrunt acies, magno certamine quisque*
*Pro se conniti, summum ferit æthera clamor.*
*Quis cladem illius, quis funera tanta diei*
*Enumeret, quis vel Dacorum talia fando*
*Temperet à lachrymis? mihi frigora pectora mentem*
*Destituunt, mihi cœpta canis vox faucibus hæret.*
*Vicistis Bathaui, Dacinauemque fugamque*
*Et reditum in patriam magnis vlulatibus optant.*
*Sed Deus his animos delapsus ab æthere reddit,*
*Instaurantque suas acies, vincunt modo victi*
*Aspirante Deo, quia tales illius iras*
*Imperii crimen meruit, vetitumque cubile.*

Non

*Non tamen est passus, neque vos optastis inire*
*Ignauam turpemque fugam, concessit honeste,*
*Et vestris natis memoranda mortis amorem*
*O fortes animæ, pro sancta relligione.*
*Pro patria, in patria pulchris cecidistis in armis.*
*Non vos uxorem castam, non pignora chara*
*Cernetis captiua trahi, patriaue ruinas:*
*Quin etiam magnis vos hostis laudibus effert.*
*Æquaque funeribus luget sua funera vestris,*
*Pronus in occiduum Rhenus dum currit in æquor,*
*Vester honos, vestrum nomen laudesque manebunt*

## Capitur diuus HIERON.

*Hac clade accepta factus truculentior hostis,*
*Sæuit in immensum, iugilatque hauritque cruorem*
*Vt vero satur est mactando, vincula nectit:*
*Mœsta nurus trahitur, suffusaque lumina fletu*
*Virgo peregrino est seruitum abducta marito.*
*Portantur pelago lectissima corpora matrum.*
*Captiuos inter longa cum veste sacerdos*
*A templo rapitur* Hieron, *vtque agmine longo*
*Agnitus est, oritur fremitus non paruus ab ipsis*
*Militibus, regem poscunt hunc dedere letho;*
*Esse nefas clamant bello superesse cruento,*
*Qui tanti belli tuba succensorque fuisset,*
*Vnius ad pugnam tot gentes voce coisse*
*Hunc animasse viros, hunc Dacis esse pudorum*
*Et damni authorem, iam tot popularibus vmbris*
*Vnum hunc inferias mitti debere tonabant.*
*Rex autem vultuque viri gestuque decoro*
*Suspensus fremitum vulgi, dextrasque coercet.*
*Hinc versus dictis* Hieronem *affatur amicis:*
*Permittit primum vitam, mortemque remittit.*
*Spondet opes & amicitiam, dumtaxat ab aris*
*Digrediens nomen diui execretur IESV.*
*Mauortis fiat dehinc, Mercuriine sacerdos.*
*Ille recusabat dictis parere tyranni,*
*Pollicitisq; nihil, præsenteque morte mouetur,*
*At contra multos, proq; vno disserit idem.*
*Multa Deo præsesq; diu suadentis ab ore*
*Quamuis pendebat, tamen illum cædere virgis*
*Imperat: & tetro concludi carcere cæsum.*

*Poste-*

*Postera lux oritur, lictorum fœda caterua*
*Eduxere virum sistentis iudice coram.*
*Iudex vt glabrum vidit sine vulnere corpus,*
*Obstupuit, neque res potuit saturare tuentem*
*Quærentemq́; oculis hesterni signa flagelli*
*Talia miranti liuorem tersit* Iesus
*Et plagas: dixit* Hieron, *mihi solus in omni*
*Vita erit ille Deus; proq́; illo amittere vitam*
*Nulla mora est, nec tormentis terrebimur vllis,*
*Nostraq́; flectuntur promissis pectora nullis.*
*His motus verbis, tum crebescente tumultu,*
*Voceq́; poscentum mortem, mortisq́; figuram*
*Insolitam, rex (cum seruandi nulla potestas*
*Affuit, & variis non quiuit flectere dictis*
*Duci hominem iubet, ac fuso dare sanguine pœnas*
*Ast* HIERON *ibat nil motus pectore & oculis*
*Optata vita cursum se fine gauisus*
*Claudere, & haud dubius victurum semper in astris.*
*Felix qui posuit curas vitæq; labores*
*Omnes, & potuit pro* CHRISTO *temnere mortem*
*In facili tumulo quam molliter ossa cubabunt.*

---

## TRANSLATIO
# S. HIERONIS MARTYRIS.

HINC *à morte viri multis labentibus annis*
*Maturum tempus, rerumque immobilis ordo*
*Poscebat tumulo positas sustollere sancti*
*Martyris exuuias, templisque inferre dicatis,*
*Vir* Nothbodo *fuit, culti ditissimus agri*
*Quin & equis bello natis famosus alendis:*
*Vicit opes virtus, neque enim illo iustior alter.*
*Tempus erat, quo se labentia numina vatum*
*Pectoribus miscent, præsagaque somnia mittunt,*
*Cœperat & roseis prodire aurora quadrigis:*
*Tum* Nothbodonis *pro lecto astabat imago:*
*Purpura erat, vestisque pedes defluxit ad imos,*
*Pulchro maiestas veneranda sedebat in ore,*
*Distinctum gemmis gestabat dextera librum*
*Nothbodo vigilas? vigila inquit, & accipe iussa.*

*Sum martyr* HIERON, *Dacorum barbarus ensis*
*Me perimit, nemoris Boreali parte sepulchrum est,*
*Corpus humo tolli Deus imperat, hac tibi mando.*
*Dixerat, & sese nocturnis miscuit vmbris.*
*Euigilat, frustraque petit Nothbodo loquentem*
*Tum positis orat genibus manibusq; supinis*
*Vt nisi vana foret) species ea nocte sequenti*
*Se referat, species retulit se nocte sequenti*
*Certe eadem, sed non vultu sermoneque eodem:*
*Sermo minis plenus fuerat, terroreque vultus.*
*Sed dubitabat adhuc Nothbodo prodere visum.*
*Ecce autem euincit neglecti numinis ira;*
*Quorum grex ingens conseptis ibat in agris,*
*Error equos rapit insolitus, sua pascua linquit*
*Omne pecus profugum, saltuque reconditur atro.*
*Mane venit Dominus iumenta reuisere: quorum*
*Signa pedum vt vidit, furto diducta putauit,*
*Quærit cum famulis, comes it vicinia tota.*
*Sol erat in cœlo iam flagrantissimus alto,*
*Fessi opere atque æstu considunt gramine cuncti,*
*Ægraque sternuntur patula sub tegmine fagi*
*Corpora, deque ipsis aliquem sopor occupat vnum,*
*Sed cui simplicitas animi, simul ingenuumque*
*Ruris erat: sic arcanas sine murmere voces*
*Audiit in somnis, & fantia numina vidit.*
*Subsilit excitus subito: quos quæritis inquit,*
*Scimus equos, Hieron docuit, dixitque sepulcro*
*Ipsius immotos insistere: dux ero vester.*
*Nothbodo sequitur per opaca silentia sylua:*
*Perueniunt, iumenta vident insistere dicto*
*Fixa loco, nullos etiam tentare recessus:*
*At contra aspectare viros, neque radere campum.*
*Tum demum Nothbodo sibi non vana fuisse*
*Somnia credebat, monstro firmatus equorum,*
*Atque hoc teste viro. Traiecti venit ab vrbe*
*Talibus acceptis antistes rebus, adestque*
*Cum strepitu procerum Theodricus, natus ab illo*
*Qui comes Hollandus Dacos eiecerat oris*
*Tollitur à tumulo cum tali martyr honore,*
*Sectaturque humeris resonantum voce canora.*
*Ventum erat ad littus, gestandis ossibus illic*
*Aut fuit omnino nullum, fractumue feretrum*
*Quid faciant? huc atque illuc obuertitur ora.*

*Totus ibi cœtus grandis dolor accipit omnes.*
*Hinc vastum pelagus, hinc sicca collis arena est*
*Omnis sylua procul, arbos in littore nulla.*
*Tum subito salsis appelli fluctibus, atque*
*Ex alto libitina nitens adnare videtur.*
*Excipiunt lecticam alacres, vocemque dedere*
*Cum plausu, sonuitque æther, pontusque refugit.*
*Vos icti colles longa sparsisti arenas.*
*Ibant haud dubii collectum martyris esse*
*Octophorum munus, totoque hunc ore canebant*
Egmondam *sanctum portant onus; huc ubi nuper*
*Diuus Adalbertus ( comitem quod virgo monebat )*
*Fossus humo, & fuerat sublimi sede locatus:*
*Hoc* Hierona *tenet templum, sed non* Hierona
*Integrum, neque enim pariter tumulo caput illo*
*Effossum inuentumque fuit, neque tempore eodem*
*Vico in Northbico stabat venerabilis ædes*
*Sacra viro, stabant aræ sub nomine sancto*
*Aram qua templo fuerat celeberrima in illo*
*Forte viri effodiunt penitus; fundoque reuellunt.*
*En subito sonuere simul quot cymbula in æde,*
*Tota inerant, mixtumque dabant pendentia turri*
*Ærea iam solitum fuso fabricata metallo,*
*Tympana sponte sua, neque compulsoribus vllis:*
*Irruit ex agro populus, causamque requirit.*
*Sedit in æde sacra Ritthardus maximus æuo,*
*Cui iam sola Deum facies ac templa tueri*
*Cura fuit, talem hic diuino pectore vocem*
*Reddidit: inuentum caput est, quod quærimus olim*
*Diui* Hieronis *ait, hinc vndique ahena sonabant:*
*Verba pij senioris erant, non vana profundi*
*De fouea altaris fossor caput ecce leuabat.*

REM Perditam monstrat HIERON.

*At quoniam diuus Hieron monstrauerat ante*
*Nothbodonis equos, si quando perdita res est*
*Omnes implorant illum, votisque vocatus*
*Solatur mœstos, prodit vis illa latentes:*
*Taurus ab armento grege si decrrauerit agnus*
*De cera pecudem quum vouit ouemque bouemque*
*Rustica reperiet: curru si decidit aurum,*
*Mercator poterit plenam seruare crumenam*

*Promisso*

*Premiſſo aureolo: nobis quoque non ſemel idem*
*Diuus opem tulit, & præſentia numina ſenſi.*
*Atque ideo veneror votiuaque carmina reddo.*
*Nulla illum tenebræ fallunt, nullæque latebræ*
*Quamque potens idem quantumuis clauſa tueri,*
*Tam facilis pronuſque roganti pandere clauſa:*
*Inde viro Hollandis honor ingens fertur in oris,*
*Inde viro locuples templum, multuſque ſacerdos.*



# PETRI OPMEERI
## *DECADIS PRIMÆ*
# MARTYRVM HOLLANDIÆ
## *LIBER I.*

### Martyrium D. Henrici Bogardi & aliorum aliquot CHRISTI Sacerdotum.



RAVES atq; acerbas persecutionum clades iam olim ob pietatem verumq; Dei Optimi Maximi cultum, passa est vnica illa IESV CHRISTI sponsa Ecclesia Catholica ab Imperatoribus Romanis, aliisq; Principibus, immanissimis Tyrannis: Qui, vt suam tegerent crudelitatem, atque sæuitiæ maculas eluerent, Synaxes Christianorumq; sacra præcipue causati, se propterea punire eos, Satana suggerente, affirmabant, quod in conuentibus illi suis, incestas exercerent libidines, & infantis recens occisi carnes vorarent. At enim, postquam huiuscemodi commentis, nihil se proficere, Ecclesiamq; sanguine Martyrum iá multo fœcundissimam indies quasi parturire, ac noua prole augeri sensit antiquus ille veterator, occultis accessibus serpens & verbis blandiens mendacibus lætissimæ huius fœcunditatis abortus quasi procurare molitus fuit, hæreticos excitando: qui nimirum sub vocabulo Christiano doctrinæ resisterent Christianæ, & rudes mortalium animos incauta credulitate deceptos in suos errores pertraherent. His autem omnibus hoc potissimum curæ studioque fuit, vt incruenti sacrificii mysteria nostra summam illam Saluatoris erga genus humanum caritatem testantia, symbolaque vnitatis Ecclesiæ verissima è medio omnino tollerentur. Persuasum namque habebant hoc modo fidem Orthodoxam facillime euerti posse. Porro permisit quidem sæpius hæreticis piissimus DEVS male

*Ecclesia Catholica persecutiones sempe perpassa.*

*C. Plinius 10 epist. Tertull. in apologet. & Minucius Felix in Octauio.*

 sentien-

sentiendo aduersari Ecclesiæ suæ vnice dilectæ; vt eius videlicet sapientiam exerceant simulq; aperiant, qui vere crediderint, & qui non. Quin etiam ad exercitationem virtutis, profectumq; patientiæ, piorum potestatem ipsos corporaliter affligendi subinde illis quoque concedit. Quod si quando euenerit, multo acerbius atque atrocius, quam vnquam antea infideles sæuire illi in eos, qui fide sincera, inconfusa spe, vnanimi dilectione, innocentia deniq; & integritate vitæ, summaq; morum probitate Deum colendum, honorandumque esse profiterentur: quos velut athletas fortissimos, magnis laboribus & calamitate grauissima exercendos, tunc potissimum in agona producit, talium certaminum arbiter, Christus. Exempla affatim abunde suppeditant nobis persecutiones Constantii, Juliani, Valentis, aliorumq; Principum ac Regum; qui noxia ac pestifera hæreticorũ sequentes dogmata, ab orthodoxa fide desciuerunt. Sed & hoc senio & decrepita quasi Catholicæ Ecclesiæ ætate, qui relicta purioris vitæ recta semita per deuios errorum anfractus longissime à veritate aberrarunt; maxime autem doctrinæ Iohannis Caluini Nouiodunensis sectatores, qui religioni vim armaq; addendi censent, vetustorum illorum Hęresiarcharum mores ad amussim exprimentes, inprimisque diuinam liturgiam, & ter adorandam sacram Eucharistiam odio prosequentes inexpiabili ea mendaciis ac blasphemiis petulanter sane, summaq; cum impietate oppugnare aggressi fuere. Absterruit illos a vi aliquandiu legum, pœnarumq; metus: sed eo amoto, concessaq; insuper errorum libertate, quemadmodum potestatis vigor omnis paulatim languidior esse cœpit; sic inter ipsos crescere ferocia, sceleratequeagendi cupido: quæ nullis tandem mediis rationeq; nulla reprimi potis fuit. Testis oculatus huius rei non solum Gallia, sed & Belgium nostrum abunde esse poterit. Hanc namque regionem studio nouarum rerum secundario tumultuantem cum ingenti astu, occultioreque solertia à fide Catholici Hispaniarum Regis PHILIPPI II. abduceret, simulque plebis furentis fauore fretus inuaderet Guilielmus Nassouius Aurasii (Romanor. quondam Coloniæ) princeps; orta est persecutionis tempestas longe maxima, qualisque multis retro seculis visa non fuerat, præsertim vero in Holandia Zelandiaque regionibus maritimis, quæ intra Helium ac Fleuum extrema Rheni ostia continentur. Passi fortassis alibi plures numero fuerunt: sed nusquam gentium magis insignes, siue pietatem, eruditionem, dignitatẽ ac natalium splẽdorem: siue fidei constantiam, animi feruorem, fortitudinem atque tormentorum & suppliciorum exquisita genera spectare velimus. Quorum sane martyria, cum neminem ex Ecclesiæ Notariis, quibus hocce onus rite incumbit aggredi

*Caluinianorum ferocia ac tyrannis.*

*Cur opus hoc auctor sit aggressus.*

id ta-

id videam, describere gestit animus; præcipue autem illorum, qui mihi ob fidem atque eruditionem, dum viuerent, noti fuerunt, plerique etiam amicitia iuncti. Neque enim ex vlla re alia patriam quondam clarissimam illustriorem me magis reddere posse existimo, aut vtilitatem popularibus meis adferre præsentiorem: cum vix alia exempla ad deterrendū a fallatum religionum sectis homines efficaciora inueniri possint, quæque nos magis incitent, vt si Martyrii dignitate ac gloria illis pares esse non possimus, saltem ipsorum sedulo sectemur fidem, virtutem imitemur, bonisque artibus & vitæ lineamentis mores exprimamus. Solent ex more scriptores plerique viros virtute bellica inclitos, aut eruditione rara præstantes monumentis literarum commendare Hos sapientiæ, illos fortitudinis ergo. At vero, si sapientis est bonum ferre modice, fortiter autem malum, erroreque amoto contemplari humana iuxta ac diuina: vel si fortem ac magnanimum definimus, qui solius honestatis causa nulla extimescit incommoda, nullaq; deprecatur mala: Certe martyres hi nostri vel maxime laudandi fuerint, doctorumque eruditis encomiis celebrandi; qui postquam sobrie, iuste ac pie vixere, contumelias varias atque inauditos cruciatus ob fidei orthodoxæ professionem CHRISTIQVE nomen summa patientia, inuictoque animi robore perferentes mori potius, quam veritatem abnegare elegerunt, operante illud in ipsis potissimum DEI dilectione & charitate, quę aliarum virtutum longe maxima, tū præcipue in hac mortali vita elucet; cum propter eam vita deponitur, & in cœlesti quoque regno multo, quam hic, cumulatior est futura, cum fide ac spe excidentibus: sola tamen ea minime excidet. Sed antequam horum tā illustrium Martyrum passiones describere aggrediar; operæ pretium fuerit Hollandiam nostram crassiore quasi penicillo vtcumque delineare, simulque causam atque originem tam diræ persecutionis paulo altius repetere. Igitur HOLLANDIA qua longissima ad C. & VIII. passuum circiter extenditur, & Fleuo ac Hebio Rheni fluuii, qui ex summis Alpibus (montem S. Gothardi vocant) profluit, ostris interiacens occidentem Solem spectat, collibusque arenosis vastos Oceani æstus arcet: cum cætera aggeres cingant lutosi; præterquam vbi oriētem versus Geldriç Vltraiectinæq; ditioni peninsulæ in modum adiacet. Mediam regionem (ea inferior Batauiæ pars est, multo fertilissima, quam quondam cultoribus vacuam Batauí Cattorū populus domestica seditione sedibus suis pulsus occupauere.) Isola, Mosaque amnes interfluunt atque in partes duas diuidunt. Harum, quæ Caninefatibus (gens ea partem ditionis incolit origine, lingua, virtute Batauis par, numero superatur) & Frisiis minoribus seu occidentalibus iuncta est, Hollandia descriptio.

septentrionalis: altera vero Adnaticis atque Zelandis (hi Mattiaci Tacito, vt volunt, dicti, vlteriores Insulas, quas Schaldis fluminis, quem Tabudam Ptolomæus nominat, alluit, ad Helum, vsque hodie habitant) proxima existens Austrina Hollandia nuncupatur, ripa potissimum Gallica, Arkelana ditione, insulisque compluribus constans. Quas inter tres Mari proximiores Veorniæ vocatæ olim sub Dominis suis vsq; floruere. Donec Machteldis Veornia Waltaneui Walchenburgii vidua sine prole mo-

An.1372. riens, eas Alberto Boiariæ Duci, in cuius fide clientelaque fuerat, relinqueret annectendas an à Christo nato CIↃ. CCC. LXXII. In harum vlteriore oppidulum (vt & hoc obiter ad regionis commendationem hic referam) quod a fida statione nomen Gœrex apte habet, conspicitur; vbi patrum memoria populum sibi commissum pabulo diuini verbi pie pascens tirocinium sui pastora-

Hadrian. VI Pont. tus, primitus fecerat Hadrianus Florentii filius Vltraiectinus, qui postea eius nominis Sextus Romanus Pontifex fuit. Porro quæ Orientalior ad Mosæ ostium proxime sit, ob Brielam oppidum, & Augustam in propinquo Iacobæ Principis quondam domum, magis celebris est, plurimis olim ciuilibus bellis latro-

De factionib. hisce Houex & Cabelliau. videndus Ioh. Gerbrandus in Chronico MS. Hollandiæ & Hadr. Barlandus. ciniisque fuit infestata. Nam præter alia annis ab hinc circiter ducentis ac viginti exortis jam tum subito factionibus, quarum vna ab Asello pisce, altera vero ab Hamo nomina sortirentur, Margareta Ludouici Bauari tertii Romanorum Cæsaris vidua à Guilielmo filio ibidem nauali bello deuicta, in Angliam fugere compellitur. Post annis lapsis sexaginta sex expulsa ditione sua Iacoba legitima Hollandiæ Principe, Iacobus Bauarus ipsius Patruus Brielam inuadit, occupatque annis post hæc quinquaginta quatuor à Piratis eadem ciuitas frustra est tentata. Quin & pridem, cum de coniuratis aliquot nobilibus, qui luxu ac fœnore ad egestatem redacti, quo publi a ruina sibi rursum spes recuperarent, ab audacia præsidium mutuati summa perfidia an-

1566. no M. D. LXVI. Regi Catholico palam aduersabantur, supplicium iam fuisset sumptum, vindicataq; esset mors V. Cl. Ioannis Lin-

Comes Arenbergiæ. gii Domini de Arenberga, qui tanquam Athleta fortissimus ac Christi Martyr, Pio V. Pontifice Maximo & optimo teste, cum Legione Sardiniensi occubuerat: Cumq; fame inediaque profli-

Geusici belli causa & origo. gato, ac turpi in Galliam fuga consulere sibi coacto Auranio (qui Brabantiam vastaturus Mosam vado transierat) prædonibusque ad Amisium superatis, quieta omnia esse viderentur. Ferdinandusq; à Toleto Dux Albanus decimationem vrgeret decimoniorum; subito classis piratarum viginti sex nauium, quæ ex Britannia soluerat, ipsis Calendis Aprilis Anno Domini CIↃ.

1572. IↃ. LXXII. Brielam paulo ante præsidio temere atque inconsulto vacuatam appulit; vbi concrematis portis Piratæ ac scutati aliquot,

quot, cum nulli resisterent, vrbe facile potiri fuere. Vnde & initium atrocissimi ac periculosissimi belli (quod vel piraticum, vel potius Geusaicum, hoc est, scurrile appellare liceat, & persecutionis multo crudelissimæ ortum fuit Etenim qui hæresibus addicti, aut nouarum cupidi rerum erant, cum in ordinum cõcordia se nullos esse viderent, Reipub. perturbatores potius, quam quietis communis amatores esse volentes, passim conquerebãtur superbe atq; auare ab Albano Belgii præfecto imperari, omnes promiscue Belgas ipsum hæreticorum loco ducere, nulla habita ratione virtutis cuiusquam: idcirco & cunctam fere in eum conspirasse nobilitatem; eique nullos fauere præter imbellẽ turbam, Sacerdotes ac Monachos, quo tutius suam exerceant tyrannidem, hos quasi lupos furenti rabie occęcatos opprimendi occasionem esse, cum in ipsos iam parari bellũ ab Aurantio constet. His porro debellatis, & ad internecionem quodam modo deletis, illum sponte Belgio excedentem, in Hispaniam statim cum suis migraturum, exulesque secure vndiq; in patriam redituros: tunc aurea tandem futura secula, cum licitum vnicuique fuerit, cuicunque velit, se religionis sectæ addicere. Huiusmodi igitur sermonibus passim per idoneos diuulgatis, obærati, infames, iudiciis conuicti, capitalia ausi, præterea rusticorum mercenarii complures, fuga facta, ad piratas quotidie conuenire, affirmantes se ob hęreseos sanctissimę famam, cui iam pridem, corpora atque animas deuouerant, illo transfugisse: Pro qua defendenda non laborem vllum aut vlla pericula se esse recusaturos. Quin & vrbs Hollandiæ primaria Dordracum literis Aurãtii sollicitatum, aliæq; cõplures ciuitates longinquæ pacis pertęsæ aduentu tam vilium scurrarum à Clementissimo Potentissimoq; Rege palam defectionem parabant. Erat Archithalassus ac Piratarum Dux Guilielmus Lumeius apud Eburones illustri quidem stirpe ortus, sed animo degener, nobilissimæque prosapiæ labes Genus enim paternum ad Arenbergios, ad Wassenarios vero maternum referebat. Quorum illi longa auorum serie auctorem familiæ suæ produnt Adolphum ex vetusta Vrbinorũ gente Romani sanguinis virum: quem Henricus V. Rom. Cæsar ob fidem, strenuamque sibi præstitam bello operam Comitatu Marchæ (regio hæc in Bructenorum finibus sita iure hęreditario Guilielmo Cliuensium Regulo nunc paret) donauit: Hi autem in Cattos antiquissimam Batauorum gentem dominatum exercentes à Caudio Ciuili, qui Regio sanguine oriundus, Vespasiano imperante acerrimus populi Romani hostis fuerat. genealogiam suam haud vanis indiciis, argumentisq; omnino infirmis deducere nituntur. Hic ergo cum nefariæ crudelitatis vir esset, atque prædandi licentia Britannica pelliceret auxilia, militem-

*Guilielmus Lumeius.*

*Lumaii crudelitas.*

que compararet: quo eum sibi deuinctū magis redderet, impietate & sæuitia existimauit imbuendum: adeo vt incertum videri posset, Deo ne potius an hominibus bellum inferret. Cum odio Christiani nominis flagrans, multo conamine, magnaque vi cœperit templa Dei Opt. Max. incendere aut prophanare, altaria euertere, diuina conculcare Sacramenta, signa tabulasque diuorum confringere, exurere rituales Ecclesiarum libros, templorum donaria diripere, mysticos calices vasaque consecrata aut conflare, aut ad vsus nefarios transferre, de sacris palliis vestibusque Ecclesiasticis vestimenta sibi suisque facere, demortuorum piorum hominum ossa cineresque sepulchris eruere, monasteria solo æquare, aut suorum iubere esse habitacula, virgines Deo sacratas palam scurrarum libidini exponere, easdemque ad cuiusuis libitū impune violare, sacerdotiorū reditus ac latifundia in fiscum redacta aut vendere, aut pro accepto pignore dare, pupillorum apographa, codicillos, literas & syngrapha sub titulo æquandarum opum discerpere, sceleratos maximeq; atroces ad Magistratus vocare, ex iisdem nullis fidere, nisi qui perfidia, proditione aut sacrilegio se commacularint, illos præcipue ditare, atque honoribus extollere, leges promulgare, quibus cuncta vel diuini vel profani iuris ad suum arbitrium reuocaret, domos orthodoxorum omni spoliare supellectili, nulli ordini, ætati aut sexui parcere, sacros, prophanos, senes, iuuenes, viros, mulieres, aut tristi subiectos seruitio habere, aut ciuitate expellere, alios in vincula coniicere, alios flagris cædere, alios item aliis tormentorum generibus ad abnegandam fidem Christianam cogere. Vnde aliqui religionem eiurarunt, nonnulli se iam olim secreto fuisse hæreticos profitebantur, complures symbolis & infaustis acclamationibus, aut pileo ab altera parte erecto seu obuoluto, quod illis tesseræ loco erat, se sectæq ipsorum fauere palam ostendere volebant. Non deerant etiam, qui calumniis diris, blasphemiis ac sacrilegiis denique satagerent innotescere Ex iis vero, qui Christi erant, hi solum vertere, exilioque voluntario extorres confessionem suam mundo notā facere; illi latere, aut capti ingenti pecunia se redimere. Quod præter alios Hadriano quoq; Flandro lætissimę hilaritatis presbytero ac Canonico octogenario contigit: cum crudelissime flagellata eius ancilla, patibulo suspendendus adstans, vitam, quā petendo ostiatim stipem paulo post misere finiuit, gratis quondam ipsius oculis vniceque dilectis peruetustis illis aureis nummis quasi mercari coactus sit. Præterea multi quoque tanquam firmæ ac stabiles columnæ diuina ope ac gratia roboratæ fidei, firmitati, quæ in eorum animis penitus insidebat, vires ac tolerantiam apte & apposite respondentem adepti, admirabiles &

*Hadrianus Flander Canonicus.*

insignes

insignes Christi Martyres atque testes facti sunt Sic vt palam facile nobis hic fieret, qui verus & charitate adunatus esset Dei populus, nimirum illi, quos inimicus lacesseret. Neq; enim persequitur & impugnat Diabolus, nisi castra & milites Christi. Hęreticos vero prostratos semel, ac suos iam factos contemnit ac prȩterit. Quos stare ergo fide firmos cernebat, deiicere aggressus est.

Horum primus erat Henricus Bogardus ex Eburonibus, vt ferunt ortus, vir pecuniæ quidem pauper, sed fide longe ditissimus. Fungebatur is pastorali officio seu sacerdotio apud Heluotum ditionis Vornensis obscuri nominis vicum, eratque à moribus vrbanis, & multa sacrarum literarum cognitione apprime commēdatus. Nam Theologi in scholis suis eum ob doctrinam dudum titulo, qui à Lauri bacca nomen habet ornauerant, & nuperrime Vltraiectinus Archipræsul Fridericus à Tautenburgo ipsi veniam, quam Pius V. Pont. Max. hæreticis Iconoclastis, aliisque enormium scelerū reis benigne elargiri dignatus fuerat pœnitētibus concedendā permisit. Sed dolendum sane in tanto viro, qualem regio illa non haberet alterum, quod humana fragilitate lapsus carnis se addixerit desideriis, atque ex concubina sex liberos sustulerit. Indignantur itaque nonnulli morosiores huius tam illustris Martyrii primitias tactu sorduisse fœmineo. At ego crediderim numinis prouidentia hunc primo potissimū in certamen productum hæcce initiasse Martyria: quo constaret haud humani meriti opus, sed diuinæ gratiæ donum esse Christi martyrem fieri, eosque errare quā maxime, qui gloriæ tanti muneris derogantes, pro martyribus huius temporis, postquam in vera Christi confessione hinc decesserint, etiam orandum esse censeant. Quasi vero non omnes errauerint, & egeāt gloria DEI? & tempus non causa efficiat Martyres plenarios; aut feruidus ille IESV CHRISTI cruor ætate in electis refrixerit? Necessario profecto fatemur illos, qui in Christo baptizati sunt, secundum Euangelium viuere, & vitæ integritate Christo testimonium perhibere, vt videlicet passionibus eius participent: sed interim non negamus, piissimum Deum aliquando pmittere electos quoq; labi suos, quo peccatores ad veniæ spem maiori confidentia erigantur: nec etiam inficiamur Catholicos homines, quantumuis improbos Martyrii esse capaces. Nam & Martyrium prioris vitæ pœnitentia antecedit: & si quid ad iustam pœnitentiam desit, id totum magnitudo martyrii supplet, omnem obruens culpā, atque ex malo peruersoque optimum reddens hominem. Sic olim latro crucem mutauit Paradiso, & martyrii palmam pœna homicidii adeptus est. Recte apteque D. Chrysostomus: Ob id, inquit, Martyres amamus, non ꝙ crucientur, sed ꝙ ob Christū cru-

*Henr. Bogardus pastor in Helmoes.*

cruciatus ferant. Contra latrones deteſtamur, non quod puniuntur, ſed quod ob male facta puniuntur. Cæterum cum aduentu Piratarum ad Hollandos iam confugiſſet Henricus, intelligeretque Maximilianum Boſſuuium Hollandiæ præfectum euocata ex hybernis Inſubrenſi legione, in Vcorniam traiicere Inſulam nihil cunctatus ad iter ſe quoque illico accingit, quo ouibus ſuis in ſancto ac ſolemni paſchali feſto paſtor adeſſet. Paraſceues igitur die ſcapha Moſam tranſuectus, Heluotum venit, vbi Paſcha celebrans, & ſacris ritu Chriſtiano operatus, precum ſacrarum, communionisq; Dominici corporis plebē ſuam participem fecit. Peractis myſteriis populoque vix dum dimiſſo, cum & ipſe templo egreditur, prodeuntibus eum ruſticis aliquot ſuis, à Marino Branto ſummæ inter piratas audaciæ centurione capitur, iumentoque Brielam vectus arctæ traditur cuſtodię. Poſtridie vero Paſchæ ſeptimo nimirum Idus Aprilis ad Guilielmum Lumeum, quem in potentia ſumma tunc conſtitutum omnibuſque imperantem lictores, ingenſque famulorum pompa comitabantur, productus fuit vir humilis ac manſuetus, omnique humano auxilio deſtitutus. Is ergo modo ad preces, modo vero ad minas conuerſus variis ipſum tentat modis, vt ab orthodoxa fide declinare, atque libertatem Chriſtianam ſeruitute hæreſeon mutare vellet. Sed poſtquam ſe nihil proficere, Bogardumque vera virtute firmari, & fidei radicibus altius immiſſis niti ſenſit tyrannus, conuitiis ac blaſphemiis illum laceſſere incipit, traditorem, ſacrilegum, idololatram ac Dei voratorem vocans, donec tandem arbitrio prædonum ſuſpendendum concederet. Hi itaque arreptum virum pilæ (quæ ſuſtentando ſedili ante ædes Vincētii Cornelii hominis Orthodoxi erecta ſtabat) alligant, atque manuum pedumque digitos articulatim præcidentes, fronti inſuper geniſq; ac collo eius crebra crucis ſignacula pio manantia cruore cultrorum mucronibus inſcribunt. Ferunt nullum poſtea martyrum fidem orthodoxam magis obfirmato animo confoſſum fuiſſe, aut cruciatus tam immanes conſtantiore ſuſtinuiſſe tolerantia. Poſt quos miſere ex patibulo gulam fractus, martyrii coronam glorioſa morte adeptus eſt. Mortuo etiam pedum plantas ludibrio, quod è vinculis noctu fugere tentaſſe dicebatur, abſciderunt homines ſceleſti; atque exoneratis frequentius ſclopetis, cadauer crudeli modo traiicere, priuſquam humaretur. Porro tam atrox ac nefarium facinus vniuerſa ciuitas exhorruit, complures quoque mortem viri non ſine lachrymis deplorauere. Hoc itaque initium in Hollandia immaniſſimæ perſecutionis homicidiorumq; impunitatis fuit. Inde ius vi obrutum, ſceleratiorque habitus prior. Quod haud mirum quidem eſt. Non enim ibi conſiſtunt exempla, vnde cœ-

perunt

perunt; sed quamlibet in tenuem recepta tramitem latissime euagandi sibi viam faciunt, & vbi semel retro aberratum est, in præceps peruenitur, nec quisquam putat turpe, quod alii impune libuerit, aut fuerit fructuosum. Mox igitur obsuccensa a Piratis negligentius custodita nauigia, non sine trepidatione excedente insula cum Hispano milite Bossuuio, liberius illi vagari, prædasque agere, statimque vicinas circumcirca insulas inuadere tentant. Sed nulla illis prior cura, quam vndique conquisitos Christi Sacerdotes ad furcam trahere suspendendos. Alios ergo nauibus aduehunt, alios vero pedestri itinere Brielam vsq; ducunt. Quos omnes recensere, vt immensi operis, ita non nostri nunc est instituti. Pastorem Heyneuortensem (vicus est Heyneuortum in Strienensi Insula) *Andream* nomine & annis & pannis obsitum illo quoque per trahunt, ac mox crudeliter sane suspendunt. In altero item exactæ ætatis sene, cuius caluitiem mire venerabilem rara reddebat canities (Vincentio huic ni fallor, nomen fuerat, ætasq; octoginta quinque anni) iterum quodammodo crucifigere filium DEI, & ostentui habuere. Capiti namque eius coronam ex cannis contextam imponunt, & dorsum cruce onerant lignea: in quam frequenter insilientes virum etiam pastoralis dignitatis vocabulo honorabilem diritissimis dinexant excruciantque modis. Fluebat capite largiter sanguis sanie mistus. Nam dum curru, actis celerius jumentis, vehitur continuo occipitium multa arundine circundatum, extremis tabulis illiserat. Tandem concidentem, & extremos iamiam halitus efflantem fæde è patibulo suspendunt. Non minoris etiam immanitatis fuit, tres *Christi* Sacerdotes (horum nomina mihi plane incognita libro vitæ inscripta inueniuntur) in latrinam proiecisse: quos in stercore sese volutantes, atque gemitus miserabiles, horrendosque eiulatus edentes, per biduum ferme se exaudisse affirmat *Andreas Tournaotius* ciuis Bredanus. Is enim dum abactos à prædonibus boues persequitur, captus fuerat, & in eodem cubiculo cum *Leonardo Vechelio* Pastore Sorcomiensi tunc custodiebatur Quid? quod non modo inaudita huiusmodi crudelitas tot lectissimos è medio abstulit viros, verum etiam hominibus leuissimis misericordiam consuetudine malorum ademit. Nam cum omnibus fere horis aliquid atrociter fieri viderent aut audirent, etiam qui natura mitissimi erant assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animo amisere. Cuius quidem rei exemplum præter cæteros palam nobis exhibuit *Iohannes Duuenuordius* prætor ac Quæstor Veonẽsis, cum municipem suũ, eundemq; Ecclesiæ Brielensis Canonicum *Beroaldum Ioannis* Filium, simplicem, ac nullo fuco hominem è lecto subito extractum, nocte indicta causa laqueo suspenderit

*Andr. Past. in Heyneuort.*

*Vincentius.*

*Tres Sacerdotes in latrinam proiecti.*

*Beroald. Ioa. Canonicus.*

magno vociferantem eiulatu:eumq; vndiq; popularibus ad opē implorantis voces confluētibus seminecem atq; adhuc spirantem iniecta humo obrui mādauerit. Sed obsequendum scil. erat Præfecto oppidi Dommalio ita iubenti. Nam cum Beroaldi domus proxima esset ædibus Mariæ Fasoliæ, cuius filiam in concubinam sibi sumpserat præfectus, nec ille eam licet supellectile spoliatam mulieri concedere vellet, necem viro instar Naboth Iezraelitæ machinata fuisse fertur, altera Iezabel, vt sic possideret domum ipsius. Porro non se continuit intra Hollandiæ Zelandiæq; limites furor piraticus, sed & Aduaticorum oram dum legit, Finarto ditionis Bergensis pago Curionem eripuit *Cornelium Ioannis F. Luyxium* cognomine, patria Sunderrensem, cuius collum Brielæ quoque laqueo innectitur. Quin & Flandriam ingressus pastorem Eclouiensem *Matthiam Pasianum*, virum quinquagenarium, matri viduæ honeste cohabitantem, ex Gorduno-rum ditione cum paucis, qui forte ibi erant Hispanis militibus raptum Brielam aduexit. Aiunt hunc Matthiam Louanio ortum inculpatissimis fuisse moribus & rara eruditione insignem. Sed cum summus esset fidei Orthodoxæ assertor, atque in publicis concionibus perfidiam hæreticorum facunda libertate frequentius argueret, facile odium impiorum sibi contraxisse, vnde & factum existimant, quod exquisitiore supplicio in eum vindicari contigerit. Nam suspensis fortissimis, ac maxime fidelibus illis Hispanici nominis militibus, post dirissimos cruciatus funem ex canabi contortum eius orifreni in modum indunt, vt sic maxillis distentis per tres ferme horas viuus ex furca pependerit. Ac corpora quidem horum Martyrum omnia apud cæmeterium D. Catharinæ in pratis herbosis nuda sepulta fuere: sed animæ pro cultu vestium virtutum decore fulgentes in cælesti Paradiso versantur. Vbi etiam summus ille Christi Athleta *Henricus Bogardus* omnium nunc calamitatum atque ærumnarum oblitus, vereque Diues ac beatus, in hortis, fluminibus aquæ viuæ irriguis, ex felicioribus arboribus primitiarum novi martyrii vberrimos fructus carpit. Pulchrum sane est, ô sanctissimi *Iesu Christi* Martyres, vestra certamina atque coronas vestras commendare laudibus, sed pulcri⁹ vestrorū permotos exēplis ad fidē accēdi, incalescere ad charitatē, & certa spe ꝓuocari ad Martyrium. Etenim si in Gymnicis certaminibus plerique, visis Athletis coronatis, accēsi etiam ipsi se exuerint, ac multos sudores laboresque pertulerint, vt ramis vel oleę, vel lauri coronarentur: quanta vero & nos conuenit alacritate pro vera *Christi* Religione & fide orthodoxa sudores ferre; quando vos sic à Deo coronatos videmus, vt cælestibus redimiamur & ipsi coronis ꝓpter bona salutariaque facinora. Quomodo non graue & multa ita dignum si Auie-

*Cornel. Luyxius pastor in Finart.*

*Matth. Pasianus pastor in Eclo.*

*Hispani milites suspensi.*

si Athletas allectet folium lauri, apii vel oliuæ, & gloria huius transitoriæ vitæ, nos autem nihil moueant æterna *Christi* munera, vt omnem ignauiam amoueamus, & timorem Dei terrenis præferamus deliciis? Multos profecto exempla mouebunt vestra, vt vestris quoque secure insistant vestigiis. Nam & columbæ sæpius visa vna auolante, illico sequuntur omnes: Et oue etiam vna transiliente septa, cæteræ quoque continuo transiliunt. Ad hoc enim laboramus, & in seculi huius periclitamur militia, vt in futuro quoq; seculo coronemur. At equorum cursus pauore pernicior fit, pugilum fortitudo clamoribus incitatur, & paratas ad prælium acies, strictosque mucrones Imperatoris Ducumque sermo accendit. Quapropter si quos hisce difficillimis temporibus apud nos hic videtis trepidos certamina honestissima detrectantes, hosce, vt orationibus vestris adiuuare dignemini humiliter obsecramꝰ. Sed macte caritate erga peccatores miseros, vel tu præcipue *Henrice Bogarde* Orthodoxæ fidei testis inclite. Nam *Christus* quoque purgauit peccata tua, & exaltauit in æternum cornu tuum, & dedit tibi testamentum Regum, & sedem gloriæ inter Martyres & testes suos. Ad Insulas longe diuulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua.

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS PRIMÆ*
# LIBER II.

## Martyrium D. Danielis Arendoncii & Sociorum.

FRISIA minor & occidentalis paludosa, aspectu tristis, aspera cælo, seditionibus neceq; Guilielmi Cæsaris Romani aliorumq; Principum infamis, ad meridiem Caninefatibus Waterlandiisq; adiacet. Ab occidēte vero, vastis Oceani fluctibus validissime cōcutitur: Cætera lacus alluit, quem vocant Znyderzee, in quem Rhenus, Vidrus, aliiq; amnes effusi septentrionē versus se in mare exonerant. Agrū habet planū, qui multo germine fæcūdus pecoris abundat, aut uberi gleba segetes, olcraq; largiter ꝓducit. Oppida vero *Medenblicū, Euchusiā Hornā* atq; *Alcmariā*. Præterea pagos vicosq; innumeros ex ligno advectitio humiliter constructos. Impatiens enim arborum regio vsque eo est, ut stercore boum siccato ruri, in oppidis autem bituminoso cespite ignem plerumque foueant. Gens ut robusti proceriq; corporis, *Frisia minoris seu Northollandiæ descriptio.*

ita in-

ita ingenii tardi & hebetis, lacte atroq; pane plu imum victitās. Nobilitas ei præcipue inuisa, censu & diuitiis cuiusque dignitatem metiuntur, virtuteque excellentes viros ægre ferunt, Plebeii fere omnes, si *Alemariam* excipias. Quæ cæli clementia, soliue amœnitate nulli quoque Hollandiæ regioni impar, cæteris longe humanitate antecellit. Celeberrima quondam ludo literario, quem *Ioan. Murmelius* Rutemundensis ibidem aperuerat. Vnde præter alios complures viros eruditione præstantes patriæ suæ decus *Petrus Nannius* Orator & Thologus absolutissimus etiam prodiit.

*Alemaria.* *Ioan. Murmelius.* *Petrus Nannius.*

Est illa in ciuitate, qua Corum aspicit, proximum mœnibus cænobium doctis pietateque feruentibus fratribus, qui decreta Beati Francisci Assisij religiose obseruant, habitatum. Quos idcirco præses sodalitii, quem ministrum appellant, illo ablegauerat, vt Frisios variis erroribus, vitiisque diuersis infectos, & concionando erudite fide recte sentientium imbuerent, & viuēdo pie augustam portam, arctamq; illam viam, quæ ad vitam ducit, docerent. Huiusmodi ergo monasterium, illud olim fuisse existimo, quod iuxta Mediolanensis vrbis mœnia bonis fratribus plenum sub Ambrosio nutritore vigebat. aut casam illam seruorum *Christi* apud Treuiros, ad quam Potitianum secū, tum in hortos muris contiguos deambulatum exire, irruisse commemorat D. Aurelius Augustinus. Sed hæc casa potissimum celebratur, quod is duos ibidem ex suis reliquerit commilitonibus, qui militia seculari relicta, nomen religiosæ vitæ dederint, atque Deo loco in illo seruire, noui milites statim aggressi fuerint. At quando magis prædicandum venerandumque Alcmarianum hocce nostrum cœnobium, quod sex fortissimos veteranos, testesque fidei Orthodoxæ constantissimos æternitatis præmio ab Agonotheta Christo donandos nuperrime in aciem gloriosumque certamen emisit. Quorum dux & Antesignanus moderator Contubernii (Quardianū Itala voce, quasi ouium pastorem & moderatorem nominant) *Daniel Arendonco* non incelebri Advaticorum, quos *Campinienses* nunc vocant, pago ortus fuit: piorum omnino desideriorum vir, amatorque Catholicæ Religionis feruentissimus. quem sollicitudine, vigiliis, ieiuniis, curisque continuis, media etiamnum ætate maceratum pallentemque, singularis, rataque sacrarum literarum cognitio præcipue commendabat. Cuius insigne quidem specimen singulis pene edebat diebus, dum Catechismum ex decreto sacrosancti Concilii Tridentini editum, fratribus erudite simul ac sincere interpretaretur, illorum semper secutus opinionem, quos intelligendi Scripturas regulam ex Apostolica successione suscepisse constat. Diuinam namque Theologiam apud Franciscanos

*lib. 8. Confession. cap. VI. & VII.*

*Daniel Arendonus Guardian. Alemaria.*

ciscanos Louanii didicerat ab *Adamo Sasboldo* auditore Clarissimi scripturarum interpretis *Iohannis Hasselani*, cuius eruditio quoque in sacrosancta Synodo Tridenti, vbi & vita defunctus est, mirum in modum enituit, cum iam antea constitutiones exercitatorias omnemque monasticam disciplinam edoctus esset. à *Liuino Brechto* Antuerpiano insigni poeta Tragico, & *Francisco Dommelano*, quem erudierat summus Philosophus ac Theologus *Francisc. Titelmannus* Hasselensis, cui Martinus Turnautius Præceptor fuerat, discipulus Theodorici Monasteriensis, qui prisca & rudi illa ætate primarius Catechista per Belgium habebatur, cuiusque liber *SPECVLVM CHRISTIANI HOMINIS* inscriptus passim puerorum manibus teritur. Cæterum, quo hanc ob causam maiores Arendoncio decernebantur honores, hoc minor ille esse sedulo studebat, cunctisque submissior fratribus, verecundia, casta humilitate præcipue ornatus. Quem in hoc agone præeuntem subsequitur *Cornelius Diestensis*, sacrarum Virginum seuerioris ordinis D. Claræ Arbitræ præfectus, honesta familia opulentisque parentibus ortus: cui in decliui ætate, cum ob vitam innocenter actam corde continuo lætaretur, vultus quoque florebat. Sermo vero eius, quandoquidem præcipuus diuini verbi Declamator inter suos esset, gratia spirituali refertus, & sale Euangelico conditus aperte indicabat numine diuino ipsius mentem plane habitari. *Cornelius Diestensis præfectus Diua Clara apud Alcmarianos.*

Huic uti muneris apud virgines, ita & hic certaminis socius fuit IOHAN. NARDENVS, vir gratiosus, templi quoque Minoritarum æditiuus. Comitatus & eos est, qui biennio vixdum exacto sacris initiatus fuerat, LVDOVIC. *ab Arquennes* Gallobrabantus, iuuenis permodestus. Duo præterea Laici, *Hadrianus Gaudanus*, cænobii videlicet ianitor vigilantissimus & procurator Pæni, *Engelbertus Terhogius* frugi homo, atque à solerti diligentia plurimum commendatus. Horum itaque passiones in quantum accurate percontando addiscere potui, quam fidelissime commemorare aggredior. Postquam ergo iam Fuchusiæ à seditiosis subinde tumultuatum esset, Consulesque in vinculis captiui detinerentur. Sacerdotes Christi atque Senatorii ordinis pars melior ac maior, & intacta perniciosis Consiliis plebs Amstelrodamum, quasi ad tutissimum Orthodoxis hominibus asylum quoddam confugere satagunt. Cuius rei fama non solum Frisios sed & Caninefates atque Batauos varie affecit: præcipue autem, cum nouarum rerum auidos nonnullos nebulones, atque inquietos aliquot nauicularios accersitum piratas ad Fleuum extremum Rheni ostium, nauigasse nūciaretur. Qui in oppidum intromissi, duce *Foxo* notæ crudelitatis Frisonæ, cui quod claudus esset, *Lignipedi* inditum cognomen fuerat, cum sacratas Deo *Iohan. Nardenus. Ludouic. ab Arquennes. Hadrian. Gaudanus & Engelbert. Terhogius.*

virgines

virgines primo spoliarent, domiciliisque exuerent, templa diriperent, signa tabulasque Diuorum disrumperēt, sacra prophanis miscerent, denique nihil intactum inuiolatumque relinquerēt. Frisia hæc omnis non gradu sed cursu præcipiti a Catholicæ Ecclesiæ veteri religione atque Rege suo impie desciuit. Sola Alcmaria per aliquot dies dubia fluctuabat fide. Cumque illinc Minoritæ metu terroreque perculsi discedere pararent, vocatos ad se consolantur Consules, bonoque esse animo iubent, sibi curæ fore, nequid damni detrimentiue patiantur. De annona quoque ex ærario se illis prouisuros affirmant. Similiter & templi Curionem *Eilardum Waterlandum* Harlemo, quo profugerat, promissis variis reuocarūnt. Celebratur antiquitus fides Punica: at Alcmariana hæc promissa non minus lubrica infidaque fuerūt. Etenim intromissis per effractas Frisicæ portę valuas hostibus, Minoritæ Harlemum effugere conantes à perniciosis ciuibus portæ exitu prohibiti sunt, nec ullus inuentus in ciuitate vniuersa, qui eos recipere aut occultare auderet. Humano destituti itaque auxilio illi, ad eum confugiunt, qui refugium est pauperi, *adiutor in oportunitatibus & tribulatione.* In templo enim ante summum altare cum gemitibus ac suspiriis procumbentes *Arendoncius* atq; Cornelius ab irruentibus statim prædonibus summo cum tumultu, funibus, quibus cincti erant, vinciuntur. Mox quoque cæteris dilapsis fratribus *Iohannes Nardenus & Hadrianus* huc illuc pauoris pleni discurrentes capiuntur, simulq; coniiciuntur in vincula. Post triduum a carcere extracti Fuchusiam vehenti curribus imponuntur, comitantib. eos Lignipede, Holbeco, Ænocapitone, aliisque huius modi farinæ prædonibus. A quibus, quæ conuitiorum probra patienter audita? Quæ contumeliarum tolerata ludibria? Attulerant porro fratres secū, dum oppido excedere tentant, Psalmorū, Horariarumque precum libros, quos Breuiaria vocamus, illos ex manicis detractos in veneranda caluitie capita impingunt scelesti, dirisque ora sanctorum contundunt modis. Forte propinqua viæ erat taberna Cereuisiaria, ad quam sedandæ siti, qua barbara hæc hominū proluvies continuo laborat, currus acti cum essent, epoto poculo cruorem, qui Diestensi largiter naribus profluebat, sedulo nebulones excipiunt, fratribusque propinant ad hunc modum proloquentes: *En lupi rabidi, nunc vestro tandem satiamini sanguine*; qui toties nostrū sitistis. Sed hęc omnia Minoritæ Spiritu vere pauperes, ac calicem sanguinis Dominici dudum bibere assueti, summa cum patientia pertulere. Hæc etenim virtus plane aurea est, & nunquam satis pro meritis laudanda, quæ iram temperat, mentem gubernat, frænat linguam, pacem custodit, tumoris violentiam comprimit, incendium simultatis exstinguit,

*Eilardus Waterlandus.*

*Patientia laus.*

guit, facit in prosperis humiles, in aduersis fortes, contra iniurias ac contumelias mites: Docet delinquentibus cito ignoscere, si ipse delinquas diu multumque rogare: tentationes expugnat, persecutiones tolerat, passiones & Martyria consumit. Ipsa est, inquam, quæ fidei nostræ fundamẽta firmiter ponit; ipsa est, quæ incrementa spei sublimiter prouehit, ipsa autem dirigit, ut tenere possimus viam *Christi*, dum per eius tolerantiam gradimur: ipsa efficit ut perseueremus filii DEI, dum patientiam patris diligenter imitamur. Iam Horna currus excesserant, cum præconem iumento impositum Fuchusiam præmittunt, qui altum illic clamitet, nunc tandem debellatum esse, detecta enim proditione captiuos aduentare ꝓditores. Ad has igitur voces multitudo in vias procurrit, pars in ædium vestibulis stat, plerique ex fenestris tectisque prospectant, & quid rei sit, cogitant: donec tandem aduenientibus vinctis omnia vario strepitu complentur. Erat in oppido *Gerhardus Berckerodius* Caninefas vir stolidus æque ac crudelis, ex auo adulteriis per Hollandiam nobilitate ortus, cui quod presbyteratu se iamdudum abdicauerat, & patria idcirco fuerat extorris, multum fidebat Aurantius, imperiumque in piratas ipsi cõmiserat. Hic ergo *Arendoncium* ad se adductum, prolato, quo sacrificãtes utuntur Orthodoxi Sacerdotes, pane azymo, hunc in modum compellasse narratur. *Hiccine* DEVS *vester est, quẽ religiose hactenus colitis? Hiccine vester ille Christus Iesus est, à quo salutem expectatis? Quid taciturnus trepidas? quidue meditaris, ac cessas palà [illegible] od sentis, eloqui?* *Ad quæ animo excelso ac cõfidẽte vir pius: Equidem non ignotam mihi hic ostendi video formam azymi panis, quem ex simila humanaue tantum confecerit industria, an etiam benedictio sacerdotalis consecrauerit, omnino ignoro. Verum, quoniam tuis sermonibus elicere velle videris eam, quam de diuina Eucharistia profiteantur Orthodoxi fidem; Idcirco nos, qui gratia* DEI *Catholici, ac fidei Romanæ, adeo ab Apostolo Paulo commendatæ, membra sumus, illud in propatulo confiteri non veremur: Panem hunc, si à legitimo Sacerdote verbis Christi rite consecratus fuerit, non effigie, sed natura vere mutatum esse in eum, qui est* DEVS *ac Dominus noster,* IESVM CHRISTVM. *Eum, qui ex virgine* DEI *genitrice Maria homo nasci, atque pro humani generis salute, in ara crucis mori dignatus sit. Quique morte deuicta ascendens in cælum ad dextram* DEI *Patris sedet, unde & venturus est iudicare viuos & mortuos.*

His itaque diuinis plane verbis auditis ad rabiem quodammodo inuitatur homo nefarie ferox, continuoque *Arendoncium* ac socios ad furcam productos, quasi perduelles atque patriæ hostes in crastinum suspendendos pronunciat. Custodiæ deinde traditi fratres sub vesperam inuicem alius alii confitentur peccata, profusisque largiter precibus, negotium salutis suæ sedulo pro-

dulo procurant. Detinebatur vero eodem in carcere miles captiuus supremo supplicio afficiendus. cui ob iuuentam impie & cum scelere peractam exigua salutis spes manebat. Hunc neque enim viuida sanctorum fides quiescere stimulante charitate poterat, consolantur, erigunt, docent, immensaque Dei Opt. Max. misericordia proposita prorsus animant. Sed seu gloriæ martyrium, seu pœnitentis saluti inuiderint scelesti, nefariique nebulones dimissum postea hominem in malam rem abire iussere. Postero die, qui D. Iohanni Baptistæ sacer VIII. Kalendas Iulii erat, sole vixdum exorto *Hadrianum* ianitorem iubet accersi, rerum capitalium Præfectui, vitæque impunitate proposita, rogat, num socios suspendere vellet. Cui senex, canitie venerabilis: *Mori,* inquit, *possum, at carnificem agere in eos, qui me fidem Christianam omnemque virtutem erudierunt, non possum.* Paulo deinde post, hora iam circiter quinta, ex patibulo, quod via lata ante domum Ciuicam erectum erat, hunc suspenderunt. Mox eo perducuntur & cæteri Minoritæ: quorum Moderator Daniel Psalmum 30. *In te Domine speraui*, & quæ sequuntur, ter clara voce, vt à circumstantibus exaudiri posset, pronuncians Deo Opt. Max. vero ac viuo animam suam commendabat, de corpore haud multum solicitus, quod cum gloria olim resurrecturum, nodoso reste, quo cinctus fuerat, suffocatum fuit. Inde alii post alios in eodem patibulo strangulati sunt, cum omnes hosce nominis sui amatores fideique Orthodoxæ abunde corroborasset *Christus*. Libet hic exclamare: ô Con[illegible]tia Martyrum laudabilis! ô Charitas inextinguibilis & patientia inuincibilis! quę licet hic interpressuras persequentium visa sit despicabilis, inuenta est ad laudem & gloriam & honorem in tempore retributionis. A prandio, vergente in vesperam die sancta cadauera extra portam Septentrionalē, qua Medenblicum itur, in ripa lacus *Mullē* locus vocatur, vbi vuida siccari solēt piscatorum retia, proiecta limo cœnoque, quod ibidem eiectum refluа reliquerat vnda, contecta sunt. Veræ Martyrii gloriæ addunt miracula. Lumina illis in locis per complures nocte apparuisse: præsertim vero, cum æstus fluctibus plus solito excrescentibus, denudata in aquis cadauera iacere cōspicerentur, quę loco postea minime cognito sepulta fuisse dicuntur. Et quomodo mirum videri poterit, in tenebris eluxisse luminaria beatorum Martyrū, qui instar quinq; prudentiū accipientes oleum, in vasis suis cum lampadibus sponso venienti obuiam exierant? in quorum etiam splendoribus conspicua claritate iam dudum Christus præfulserat? Paulo post *Gerardus Campensis* ciuis bonus atque opulentus, cum eius alutis boumque coriis quæ magno æstimabantur, insidiarentur, sutrina extractus, quod Orthodoxus ac

*Gerardus Campensis ciuis Enchusanus*

Regius

Regius omnibus haberetur, eodem in loco misere suspenditur, productis quoque ad cernendum tam triste ac crudele, planeq; tragicum spectaculum, uxore eius liberisque. Præterea his fere diebus *Engelbertus Terhogius*, quem Peni Procuratorem inter Minoritas fuisse diximus, iudicio mulierculæ proditus, apud Alcmariã carceri includitur. Hunc maiore propterea odio prosequebatur Oppidi præfectus *Wigboldus* Frisius, q sub Carolo Brimæo Comite Magensi, dum Brederodianos is persequitur, stipendia meruerat; quodque deauratos calices & argentea Ecclesiæ vasa, quæ ab ipso seruari dicebantur, prodere recusaret. Quamobrem durissimis eum quæstionibus suppliciisque inauditis torserunt. Nam ut fidiculas, pedumque exustiones, catastã & urinam ori infusam, flagraque sileam; ferunt inflictas dorso surisque eius plagas feruenti perfusas oleo: & ouis in igne, quã maxime fieri poterat, calefactis, axillarum pilos subinde exustos fuisse. Sub exitum mensis Nouembis situ ac squalore carceris horridum, macieque deformatum *Liuinus Decrotius* Gandensis Centurio Randapum Waterlandiæ ex adversum Amstelrodamo pagũ adducitur, ubi ex Sambucea arbore, quæ apud cæmiterium alte excreuerat ei gulam laqueo fregere. Nec quisquam alius ullius nominis in Waterlandia hucusque pro Christi fide interemptus est, nisi quod tertio Idus Augusti eiusdem anni LXXII supra millesimum ei quingentesimum suspensus misere fuerat Monachodami *Gerardus Honaus* Wybrandi filius, Sacerdos ac Canonicus Sodalitatis Windesheimensis, ex cænobio Nouæ lucis prope Hornam. Quod unicum Frisię huius Minoris ornamentum, ubi modo septingenti, subinde etiam mille pauperes ac tenuioris fortunæ ciues per hyemem pasci solent, tanta libidine atque impietate euersum fuit, ut honestissimas matronas ac prædiuites viduas trahis vectas per undas congelatas media Bruma cogerent consules Hornani latericulos aliquot loco dimouere: quo sacrilegii criminisque læsæ Maiestatis ipsę non minus se, si Diis placet, reæ dicerentur. Sed ad Martyres rursum Euchrisianos reuertatur tandem nostra oratio: quos pro meritis laudare, vix humanæ vocis est. Celebret itaque quantum volet antiquitas beatum suum *Franciscum Assisium*, mireturque seu volucrum audientiam (vtor his libenter verbis *Francisci Petrarchæ*, V. C. & vicini sacri confessoris, ætati scriptoris longe celeberrimi) seu Seraphicum raptæ mentis ardorem, stupendumque illud insigne sacrorum Christi stigmatum, & vulnus animi testantia membra, tantumque tam breui de paupertatis coniugio genitæ prolis incrementum. Commemoret etiam *Antoninum Vlyssiponensem* atq; *Bernardinum Senensem* sanctimonia vitæ & scientia colendi DEVM insignes. Crepet quoque Doctores pla-

*Engelbertus Terhogius.*

*Gerardus Honaus Canonic. Reg.*

res planos, solidos, subtiles, speculatiuos, Seraphicos atque irrefragabiles. Produeat & in aciem gladiis exertis Orthodoxę fidei testes illos, quos Miramamolus Marochiorum Tyrannus trucidauit, qui fronte aduersa vulnera sua cum decore ostentent. Nos *Danielem, Cornelium, Ioannem, Ludouicum, Hadrianum cum Engelberto* celebrabimus, illos feremus ad astra, illisque lætum Pæana canemus. Hi namque sex (numerus iste, quod ex omnibus suis constet partibus, perfectissimus Mathematicis habetur) inuictissimi Christi Martyres, atq; fidei Romanæ adeo ab Apostolo commendatæ testes eminentissimi, quemadmodum dum in terris agerent, instar sex hydriarum, pleni musto illo, quod utres veteres non reciperent, quoque ebrii erant Apostoli, cum nondum diei hora esset tertia, feliciter ad huiusmodi agones vegetabantur ac incalescebant: ita nunc quoque instar sex ductilium ex auro purissimo calamorum de lateribus candelabri Ecclesiæ egredientium è lucernis suis pastum lætitiæ oleo lumen late urbibus Catholicis effundunt, atque lucem veritatis à confusione tenebrarum splendore clarifico enubilant. Euchusia nautis ac piscatoribus potissimum habitata, nuper innotuerat passim hominibus pie eruditis, ob præclarissimum suum ciuem Ruardum Tapperum acutissimum philosophum, summum Theologum, atque Orthodoxæ fidei propugnatorem strenuissimum: quem acriter ac diserte differentem non solum alma Louaniensis Academia, sed & sacrosancta Synodus Tridentina magno cum stupore admirata fuit, cuius quoque industria, fide & mirabili doctrina Belgium per quam plurimos annos ab infestatione variarum hæreseon defensum fuit. Quam ob rem D. Carolo V. Imp. Cæs. Augusto, & D. Philippo Austriaco II. Hispaniarum Regi Catholico, eius filio gratus, quoad vixerat, carusque erat. At eadem hæc ciuitas longe nunc magis inclarescet, clariorque reddetur propter hosce multo illustrissimos Martyres, qui in vinea Domini Sabaoth feliciter laborantes, quæ ille sermone recte docuit, morte sua confirmarunt. Et propter multas tribulationes probati, DEI amici effecti sunt. Dilexit enim eos Christus, quoniam verba illius in eis manserunt, & præcepta ipsius fideliter usque seruauerunt. Itaque quasi Patronos & intercessores pro nobis ad Patrem eos adeamus, quo in filii nomine diuinam Maiestatem deprecantes pacem Ecclesiæ Catholicæ postulent. Orēt ēt pro lapsis in hac lōge acerbissima persecutione, ut erigantur; pro vacillantibus, ut sustentēur, pro stantibus, ut non ad ruinam vsque tententur; sed in eiusdem fidei solida constantia, quasi stabiles ac immotæ columnæ ipsius gratia & ope fundatæ firmiter perseuerent, constituentes corpora sua hostiam viuam, sanctam ac DEO gratam, ad probandum, quæ ipsius sit volun-

tas bona & placens & perfecta; prouidentes quoque bona, non tantum coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus.

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS I.*
## LIBER III.

### CAPITVM SERIES.

I. *Origines Arkelanæ gentis, opidique Gorcomiensis.*

II. *Pastoris & socij, item P. Guardiani Gorcomiensium encomia & laudes.*

III. *Minoritarum Gorcomiensium ceterorumque Sacerdotum in societatem Martyrum adlectorum recensus & laudatio.*

IV. *Dordraco prædones Gorcomium venientes, arcem in quam Martyres confugerant occupauerunt.*

V. *Pacta violantes sacrilegi Geusii, Martyres incarceratos sannis, dirisq; vexauerunt cruciatibus, frustra conantes eos à recta fide in S S. Eucharistiam, seducere.*

VI. *Nauigio cum venissent Dordracum, insulsis scurris illudendi propositi publice fuerunt.*

VII. *Brielam aduecti barbaris excipiuntur ludibriis, iussi processionis in morem patibula cum canticis circumiri.*

VIII. *P. Nicolaus Pieckius Guardianus frustra tentatus, auctoritatem Pontificis Rom. quem ouilis Christi pastorem asseruit, vt abnegaret, spe vitæ producendæ.*

IX. *Lata sententia cum se parassent ad mortem, P. Guardianus, decem Minoritæ sodales eius, curiones duo Gorcomiensis immaniter ex trabe suspensi fuere.*

X. *Item cum illis Præfectus virginum cœnobii Gorcomiensis, ordinis canonicorum Regularium S. August. suspensus.*

XI. *Sacerdos Gorcomiensis importune cum vellet cum illis coronari, etiam ipse suspensus fuit.*

XII. *Ex ordine Prædicatorum vnum, item duos Præmonstratenses suspensos laqueo necauerunt.*

XIII. *Barbara plus quam feritatis scelera in cadauera Martyrum sacrilegi isti perpetrauerunt.*

XIV. *Miracula nonnulla ad sepulchra Martyrum.*

XV. *Prodigiosa portenta motus Belgicos prænunciantia.*

XVI. *Impii proditionis scelere cum Martyres obscurarent, illi longe illustriores inclaruerunt, vita potiti beata.*

EX relatione *Ponti Heuteri* & *Rutgeri Hesselii Estii*, qui ambo etiam Gorcomii capti fuerant, quorum hic carmen rithmicum, ille historiolam conscripsere de hisce martyribus.

## CAPVT I.

ARKELANAM gentem vetustissimæ inter Batauos nobilitatis, ab Hercule Alemanno, totius olim Germaniæ Regis originem ducere haud satis firmis coniecturis, fabulosaque magis q̃ vera narratione quidam non obscuri alioquin Scriptores asserunt. At vero historiæ nostratium à Iohanne Leydensi ex annalibus Vincentij Bartholomæi, & Iohannis de Boke, annis ab hinc centum & sexaginta circiter conscriptæ Toparchas illius ditionis ordine recēsentes commemorāt Henemannum quendam Pannonium primæ nobilitatis virum, cum Othoni huius nominis tertio Romano Cæsari strenuam domi militiæque operam præstitisset, Theodoricum secundum Hollandiæ Principem, cuius filio Arnulpho Ludgardis Cæsaris Matertera nupserat, adiisse, à quo ob virtutem ac merita agrum Arkelanum dono acceperit Quem anno à Christo nato D. CCCC. XCVI moriens hæreditarium Fopponi minori natu filio reliquerit: Cumque porro iam annos ferme ducentos & quadraginta eius nepotes posterique iusta successione regioni profuissent, Iohannem nonum ex ordine Toparcham *Gorconium* seu *Gorinchdunum*, paulum infra, vbi Rhenus (Wahalem Accolæ vocant) Mosæ flumini coniungitur in ripa amnis condidisse: nō ignobile hac nostra præcipue ætate oppidum; & ob portus commoditatem, conuehendis distrahendisq; mercimoniis longe aptissimum. Nam Linga fluuius ex Betua (ita superior nunc Batauiæ pars appellatur) regione multo fœcundissima, omnisque commeatus fertilissima defluens commodum per ciuitatem labitur, Rhenoque è summis Alpibus Rheticis profluenti, atque Mosæ ex Vogeso orto illico miscetur. Quamobrem & incolæ præter paucissimos, qui ex agrorum redditibus victitant, maxima ex parte aut mercatores sunt, aut nauiculariam exercent.

*Gorconium conditur an. 1316.*

### SCHOLIA P. HENRICI SEDVLII.

*Rhenus, Vahalim accolæ vocant* ] Corn. Taciti hæc verba ascribo; *Rhenus vno alueo continuus, aut modicas insulas circumueniens, apud principium agri Bataui, velut in duos amnes diuiditur, seruatq; nomen & violentiam cursus, qua Germaniam prauehitur, donec Oceano misceatur: ad Gallicam ripam latior & placidior adfluens, verso cognomento Vahalem accoladicunt: mox id quoq; vocabulum mutat Mosa flumine, eiusdem immenso ore eumdem in oceanum effunditur.* Rhenus varia habet nomina idem fluuius.

CAPVT

## CAPVT II.

EST ea in vrbe templum à Iohanne Arlielano Leodiensis Ecclesiæ quondam Episcopo Canonicorum collegio decoratum: vbi ouium Christi pastorem Ecclesiæ agebat *Leonhardus Vechelius* Buscoducensis, quo nemo regione in illa solidæ doctrinæ opinione celebrior, nemo sobrietatis & Castimoniæ laude ornatior, nemo vitæ modestia, humanitate, innocentia religioneque præstâtior inueniebatur. Erat huic in hoc suo munere socius *Nicolaus Poppelius*, vir pius ac summæ virtutis: quique non modo alacer ac sedul⁹ ad sacra excurrere munia. vnde & Slaefke, quod seruilis sonat, vulgo audiebat, sed & puræ ac Catholicæ religionis antiqua iura ardentissime tueri solebat. Erant & ex laudata illa Franciscanorum familia ibidem mansueti animi, ac Deum valde amantes viri: quorum diligentiam in adiuuandis laborantibus Ecclesiæ præfectis admirari liceret. His digne præerat, & mitem hunc, placidumque gregem, quasi sollicitus opilio pascebat *Nicolaus Piechius* diuini verbi concionator facundus iuxta atque exercitatus, illustrisque plane generosæ frontis honore conspicuus. Qui quidem non efferebatur insolentius super fratres suos:, quanquam præter summas corporis animiq; dotes claritudo natalium summopere eum apud ciues quoque commendaret. Etenim fuerat quondam *Piechiorum* familia plurimũ illustris, & ad Arhelanos Principes originem referens: sed ad plebem se omnis fere illa contulit. Postquam Asperiensis Toparcha Arnoldus Piechius ditione fortunisq; mulctatus esset, à Carolo Burgundo Charlesii Comite, atq; Athelano tunc principe: propterea quod Guilielmum Buranum consobrinum suum à cæde Rutgeri Boetselarii redeuntem hospitio exceperat.

*Leonh. Vechelius pastor Gorcomij.*

*Nicolaus Poppelius Vicepastor.*

*Nic. Piechius Guardianus Gorcomij.*

Ioannes Mahus] ex ordine Seraphico D. Francisci, quem sacrarum litterarum professione in nostro conuentu Louaniensi concionibus egregiis, tum etiam gloriosa martyrei palma inclaruisse, scripsi alibi.

## CAPVT III.

CÆterum Nicolao in pastorali suo inter fratres munere vicariam præstabat sedulo operam *Hieronymus Weertensis* vir vt prudens, ita & vitiorum omnium, præsertim hæreseos hostis acerrimus,

*Hieron. VVeertensis.*

*Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.*

Nam posteaquam apud Guerystcham celeberrimum Brabātiæ pagum templi Curionem, duobus de hoc inter se sacerdotio litigantibus, quasi sequester egerat, in Palæstinam profectus, aliquot annis Hierosolymis sanctissime vixit, omnique regione peragrata loca præcipua, quæ sacris voluminibus celebrantur, religiose perlustrauit: vestigia nimirum secutus tot veterum Episcoporum, Martyrum, atque eloquentium doctrina Ecclesiastica virorum, qui persuasum habebant minus se habere scientiæ, minusque religionis ac virtutis; nisi in illis *Christum* locis adorassent, de quibus primum Euangelium è crucis patibulo coruscauerat. Porro cæteros inter fratres, qui cænobium hocce

*VVillehadus Danus Nicasius Hesius.*

Gorcomianum inhabitabant, præcipue etiam excellere visi sunt: *VVillehadus Danus* & *Nicasius Hesius* S. Theologiæ Baccalaureus, vt vocant formatus. Quoniam ille iamdudum quoque confessione inclytus fuerat, cum ex Cimbria ab Hęreticis eiectus in Britanniam profugerit, atque hinc mox profligatus, Scotiam adierit; Vndequoq; depulsus tandem appulerit in Belgium, vbi sanctæ conuersationis specimen multo tempore dedit.

Hic vero DEI opera assidue contemplari & admirari solitus, *Christi* philosophiam in altissimo silentio & meritis excessu recognoscebat; cum duceret eum sponsus in cellam vinariam, noua atque vetera ipsi depromens, & in cubiculum quoque suum, vti specularetur pulchrum illud omnium *pulchrorum pulcherrimum*, cuius amore languere cernebatur. Eduxerat autē

*Theodoricus Hesius Archipresbyter.*

hunc sollicite, ac multa cura patruus ipsius *Theodoricus Hesius* Ecclesiæ Leodiensis nuperrime Archipresbyter, vir magni nominis, quem cum Hadriano VI. Rom. Pontif. ab Epistolis secretioribus fuisset, virum optimarum literarum notitia & Christiana modestia insignem nominat Paulus Iouius, de Belgarum ingeniis alioquin parum candide sentiens. Cæterum post bonarum literarum studia, Aristotelicamq; philosophiam feliciter perceptam, totum se diuinæ philosophiæ consecrauerat Nicasius, cum in collegio Pontificio, quod eiusdem Hadriani sexti impensis magnifice plane Louanii exædificatum conspicitur, sub

*Tielmannus Clericus Geldorpius. Iacob. Latomus Ruard. Tapperus. Ioh. Hassel. Iodoc à Rauenstein. Ioh. Mahus. Theolog. Louanii Profess.*

optimo Moderatore Tielmanno Clerico Geldorpio honeste pieque viueret: atque in Academia illa summos sacrarum literarum proceres *Iacobum Latomum, Ruardum Tapperum, Ioannem Hasselanum, Iodocum à Rauenstein & Iohannem Mahusium* primū Ecclesiæ Dauentriensis denominatum Episcopum sedulo attenteque audiret. Præter hosce Minoritas ac Curiones erant & eodem in oppido, regioneque, quæ circum circa est, complures alii religiosi viri, quos diuina benignitas in sanctissimum hunc Martyrum Senatum etiam conscribere dignata est. quandoquidem

quidem in fidei Orthodoxæ confessione pro Christi nomine libenter occubuerint.

Arnoldus Regius.] Iohan. Splinterus, cuius scripta memini, ita vocatum dixit, non Andream, vt scripsit P. Opmerius: adstipulatur Guliel. Estius lib. 1. Gorcom. Martyr. cap. 24. Pro Andrea Arnoldum reposui.

Carceri inclusos variis contumeliis.] quas Estius fuse perscribit lib. prædicti cap. 16. & sequentib.

Nicolaum Poppelium præcipue] Hunc propemodum suspendio peremerunt Guiliel. Est. lib. 1. Histor. Mart. Gorcom. cap. 18.

Is quoque constantissime confessus est veritatem Dominici Corporis in Eucharistia, vt merito dici Martyr ea causa debeat. Vide cap. 24. prædicti.

P. Nicolaum Pieckium.] Postquam istæ ferales Harpyæ à singulis pecuniam & thesauros exegissent, deinceps etiã P. Quardianum similiter aggressi sunt. Qui cum se nihil horum aut habere aut scire respondisset, proprio fune de superliminari suspẽderunt. Sed fracto fune, cũ in terram velut mortuus decidisset, mortis eius explorandæ causa, admotis candelis ardentibus amburunt ei frontem, verticem, os, genas, aures, mentũ, nasum. Quin etiam flammam naribus insertam in cerebrum submittunt. Neque id satis; Os illi vi diducunt aperiuntque, & ardente candela immissa, linguam & palatum omne ita adurunt, vt ex eo tempore gustu vehementer hebetato ac pene extincto, vix vllũ è cibo potuue saporem amplius perceperit. Hæc Estius l. 1. Histor. Martyr. Gorcom. cap. 20.

## CAPVT IV.

CVM n. Dordracum primaria Hollandiæ ciuitas post complura accepta beneficia à legitimo suo Principe Philippo II. Austriaco Hispaniarum Rege Catholico iam palam, non sine extrema impietate desciuisset, piratis intra muros paucorum proditione receptis, *Marinus Brantus* & *Hadrianus Ficus* Tielensis expedito milite sociisque naualibus Gorcomium magnis itineribus, ita vt famam fere præuenerint, contendunt. Vbi & à ciuibus perniciosis, qui iam antea ad mouendam seditionem ab *Hadriano Henelio* exule sollicitati fuerant, intromissi sacra profanaque suo more per oppidum miscebant. Est ea in vrbe arx vtcunque satis munita à Guilielmo sexto huius nominis Hollandiæ Principe, Alberti Boiarii filio, Ludouicique Cæsaris nepote excitata post annum Domini cIↄ. cccc. XII. Cum ager Arlielanus, ciuitasque ipsa, coniecto in carcerem Ioanne Deci-

mo quinto ditionis illius Toparcha, expacto a Guilielmo ipsius filio ei traderetur: Cui & turris ex marmore pulcerrima à Carolo Burgundo, cui Bellicoso cognomen, adstructa fuit. *Auleam* vulgo nominant. In hanc itaque arcem sacerdotes Monachique cum optimatum plurimis hocce rerum statu confugerant, confidentes aduentu Maximiliani Bossutii Comitis, quem Vltraiecti militem cõscribere inaudierãt, se breui posse liberari. Sed cum hostes iam arcis oppugnationem serio moliri, seq; qui in ea erant defendendæ illius, & ob propugnatorum infrequẽtiam, & ob pulueris tormentarii commeatusque inopiam impares esse cernerent, hac conditione eam tradidere, vt corporibus inuiolatis dimitterentur obsessi, cætera prædæ militi essent.

## Capvt V.

*Theodoric. Bommerus & Arnoldus Regius suspensi.*

TRADITA arce, minime pactis stetere fœdifragi. Nam postq̃ fortissimus propugnatorũ *Theodoricus Bõmerus*, & *Arnoldus Regius* ex furca jam essent suspensi, sacratos viros præter paucos, qui multo ære se redemerant, carceri inclusos, variis contumeliis, sarcasmis, minis, terrore, dirissimisque cruciatibus affecere. Narrant *Hieronymum Weertensem* & *Nicolaum Poppelium* præcipue vexatos, suspendioque ad carceris superliminare propemodum enectum *P. Pierlinum* Gardianum, sed fune disrupto, dilapsum reuixisse. In quos propterea exquisitiora exercuere tormenta, quod aliis liberius maioreque ardore opiniones hæreticorum inter concionandum refutasse, dicerentur. Porro inter immanissimas quæstiones nihil magis sacrilegi quærere ac vrgere, quam vt præsentiã corporis Dominici in Eucharistia negarent sanctissimi viri. At illi quanto magis ob hoc cruciarentur, tanto confidentius verbis apertissimis verum corpus ac sanguinem Saluatoris nostri Iesu Christi in diuino hoc gratiæ Salutaris Sacramento contineri asserebant. Hoc enim clarissime sonare sacræ scripturæ verba: Hanc omnium anteactæ ætatis Patrum fuisse sententiam, etiam sanguine tot illustrium Ecclesiæ Catholicæ Martyrum confirmatam affirmare. Pro qua, si res ita tulerit, consignanda se quoq; vitam velle impendere dicebant. Non esse humani ingenii imo nec Angelici quidem intellectus perscrutari, quæ diuini Numinis sapientia benigne sua in hoc mysterio operetur omnipotentia. Neque homo est, inquiunt, qui corpus Christi faciat & sanguinem (vti vos subsannãdo miseros nugamini) sed ille, qui pro nobis crucifixus est, *Christus*; Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei gratia ac virtute proposita consecrantur *Hoc enim*, ait, *est corpus meum*; Vox autem illa semel est dicta, sed per omnia Ecclesiæ Altaria vsq; ad Christi aduentum præstat sacrificio firmitatem. quæ *nisi credideritis*, non *intelligetis*; cum intellectus merces sit fidei.

Caput

## CAPVT VI.

QVANDO interrogati ergo hæc omnes incredibili quadam constantia identidem affirmarent, Hæreseos Caluinianæ assertores, quique aderant scurræ ac prædones, intemperiis quasi acti, tanta sanguinis Sanctorum hauriendi siti arsere, tantaq; auiditate supplicii de iis sumẽdi incitati fuere, vt verbis id haud facile quisquam expresserit. Verum quandoquidem hac in vrbe sæuitiæ suæ exempla in tam inclytos viros edere palam verebantur scelerati sacrilegique homines, de nocte lacernis cucullisque exutos, binosque brachiis inter se colligatos naui vectoriæ imposuere, atque secundo amne Dordracum vsq; deuectos, nauiculatoribus, lintrariis, mesonautis, cæterisque seditiosæ ciuitatis nebulonibus deridendos toto die, qui Dominicus erat, tradidere. Quorum alii modo probra, modo sordidam mendicitatem atque humile & sine ope vitæ genus obiicerent, alii ineptas plane insulsasque quæstiones non absque sannis ac minis proponerent. Cum interim illi non vestitu sapientiam, sed veritate præferentes, neque verbis sed factis potius Philosophi patientiam, quam cœlestibus eloquiis didicerant, obsequiis spiritualibus exhiberent: ita, vt nulla aduersa à fidei sinceritate & virtute auocauerint.

Dordracum vsq; deuectos] hic cũ adoram propositi essent omnium ludibriis, disputationem factam de S. Euchar. inter Martyres & Caluinianæ sectæ Ministrum (forte eandem, quæ capite præcedente) scribit Gul. Est. lib. 2. Mart. Gorcom. cap. 3.

## CAPVT VII.

POSTRIDIE Brielam appulsi, à Guilielmo Lumeius qui de aduentu ipsorum ab Oeconomo suo Ioanne Sumallo certior factus in portu forte ad auram obequitabat, cum summo clamore, cachinnisque prodigiosis excipiuntur. Hunc indomita alioquin libidine, immanique crudelitate exæstuantem quouis quæsito colore ad sæuiendum in innoxios incitabant, qui cum eo equis ierant Lanslotus Brederodius, Reineri nothus, Guilielmus Treslongus, Ioachim. Ortelius. Sumallus, aliique ipsius Satellites, quo minore spe veniæ cresceret, inter ipsos vinculum sceleris. Fregerant sacrilegi cruces labaraque (*fanones* vocant) Ecclesiastica, quæ proræ nauis imposita Gorcomio secum attulerant, ad ea stabant mæsti, fixis in terrã oculis monachi Sacerdotesq;, inculta pleriq; canitie venerandi, quorũ putrida iam senectute membra aut leuidense indusiũ, aut thorax caligæq; tantum operuerant. Hos Dei voratores, Idololatras, sanguinarios, proditoresque increpant, more vulgi suum quisque vitium aliis obiectando. Porro quo gratum Tyranni oculis spectaculũ exhibeant,

beant, tale quiddam comminiſcuntur. Eſt Chriſtianis ſolenne circum loca ſacra ſubinde cum Pſalmodiis Orientem verſus procedere. Hoc itaque ritu ſacratos viros binos multo cum cantu incedere, caculam venabulo pileum holoſericum præferentem, ac Minoritarum mediaſtinum *Henricum* nomine, labarum geſtantem ſubſequi, atque furcas infames quæ in portu mediaque in vrbe erectæ fuerant, circuire, ſed occidentem verſus multis verberibus plagiſque coegerunt. Quod, ſi quando à cantandis Litaniis, aliiſque ſacris hymnis ceſſarent illi, non contumeliis, non manibus flagelliſue abſtinent abiectiſſimi quique immoderateLumeio cæteriſque, qui adſtabant, ridentibus. Ad quos conuerſus P. *Hieronymus* viriliter excelſoque animo: *Quod hoc hominum genus? queue tam barbara hunc morem permittis patria? inquit: Nauigaui quondam ego Adriaticum, Ionium, Libycum Syriacumq́; maria, adij Cretam, Cyprum, multasq́; latrocinijs infames Inſulas. Peragraui Palæſtinã, vidi Iudæos, Græcos, Agarenos, Turcas ac Mauros: ſed nunquam hoſce adeo Chriſtianis infeſtos inueni. Neminem læſimus, neminem corrupimus, circumuenimus neminẽ. Et hæc tam atrocia atq; abominanda pati nunc cogimur? En quomodo benigniſſimus Deus nos nouiſſimos oſtenderit, & tanquam morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, & Angelis & hominibus. Vſq; in hanc horam eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur; maledicitur nobis & benedicimus; perſecutionem patimur & ſuſtinemus; blaſphemamur & obſecramus; tanquam purgamenta huius mundi ſumus, omnium Peripſema vſq; adhuc.* Mox in carcerem coniectos adeunt Caluinianæ hæreſeos miniſtri, periculũ facturi, num blandimentis minisue à fide recte ſentientium, religioneque Catholica reuocari vllo pacto poſſint; ſed ſanctorum iſta pia ſocietas decreuerat omnino magis mori quam relinquere abnuereque Chriſtianam, Orthodoxam, & ſaluiferam fidem.

## *Scholia P. Henric. Sedulij.*

A *Guilielmo Lumeno.*) Huius ſæui tyranni ortum, educationem, ſtudia, mores, odium capitale in Sacerdotes & Monachos ſcribit Gul. Eſt. li. 2. Martyr. Gorcom. cap. 5. Qui quantis ludibriis exceperit martyres cap. ſeq. narrat. Item lib. 4. cap. 9. & ſequen. crudelitatem multis exponit. Morſu proprii canis grauiter cruciatus impænitens mortuus eſt in d. cap. 17.

*Ioanne Oumallo.*) Fuerat is antea Canonicus Leodicenſis, ſed Eccleſiæ Catholicæ deſertor factus eſt ſacrilegus & Pirata. Guil. Eſt. lib. 1. Hiſtor. Martyr. Gorcom. cap. 27. Tandem Delphis decollatus.

*Pileum holoſericum.*] Guil. Eſt. lib. 2. c. 6. in fine commemorat carnificem, cum Martyres in formam proceſſionis urbem intrare

intrare coegissent perditi nebulones F. Henrico sacrũ vexillum gestanti pileum holosericum imposuisse. Porro, quæ hic autor noster scr.bit, contigisse antea potuerunt, quam patibulum circumirent.

## CAPVT VIII.

ADuenerant & Brielam fratres Pieclui pecunia haud mediocri ipsum redempturi, quoque facilius illud apud Prædones impetrarent, suadent vt vel saltem Romani Pontificis authoritati detrahere vellet. At P. Nicolaus quasi gloriosus populi furẽtis victor, inseparabili Constantia unam Ecclesiam à *Christo* Domino super Petrã origine veritatis fundatã respondebat. Cuius Rectorem, atque adeo omnium *Christi* ouium pastorem illum esse confiteretur. Quin & nos, inquit, cum Domini sumus, unitatemque Domini tenemus, & secundum ipsius dignationem sacerdotium eius in Ecclesia administramus: Quamobrem quæcunque aduersarii eius dicunt & faciunt, repudiare ac habere pro prophanis debemus Cum nec blanditiis itaq; nec terrore à fide Orthodoxa reuocari posse dicerentur sancti Martyres, ira accensus Lumeius nocte concubia epulis assidens, multoque vino madidus extremo eos supplicio affici sine mora iussit.

*Rom. Pontificis auctoritati detrahere.* ] Hoc fanatici, non solo P. Guardiano exigebant sed publica disputatione ab vtroque pastore Gorcomiensi, à P. Vicario & P. Godefrido Meruellano, præsentibus fratribus germanis, id vnice à fratre desiderantibus Adi G. Est. lib. 2. Mart Gorcom. cap. 13. & sequen. alii quoque socii fortissime fidem Sanctæ Ecclesiæ de veritate corporis Dominici, publice disputantes propugnarunt. Porrò quod fratres P. Nicolai Pieckii suum fratrem adeuntes postmodum persuadere sint conati, pontifici vt renuntiaret, si consultum vitæ suæ vellet, perscribit G. Est. lib. 2. Gorcom. Martyr. cap. 17 & seq. Vere B. Cyprianus; *Neq; enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur. nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Ep. SS. Cornelio.

## CAPVT IX.

PArent ergo dicto lictores, accensisque extemplo lucernis facibusque Dei sanctos sua inuicem alios aliis peccata confitentes, multaque cum fiducia prose mutuo orantes extra oppidum ad Canonicorum Sodalitatis Wyndeshemensis cœnobium, *Rugaum* dictum, ducunt, vbi Pieclius, qui *hilari spiritu DEO seruiendum esse* continuo fratres admonuerat, eosdem nunc mœrentes magna cum constantia ad Martyrium hortatur, docens aliud quiddam esse pro peccato affligi, aliud pro iustitia

exerceri.

exerceri In peccatore namque, inquit, meritorum retributio, in iusto, gloriosa de virtute certatio. Illic peccator, vt meretur, affligitur; hic iustus examine comprobatur. Quis ergo iam non & fortiter & constanter *pretiosam in conspectu Domini mortem* excipiat, complaciturus eius oculis, qui nos in confessione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat: retributione paternæ pietatis remunerans in nobis, quicquid ipse præstitit; & honorans, quod ipse perfecit? Vix hæc loquutus fuerat, cũ vestibus spoliatum ex horrei trabe crudeliter sane suspendunt, naso, auriculisque nec non virili membro ipsi fœdo vulnere præcisis. *P. Hieronymum* deinde eodem supplicii genere interimunt, postquam grauiter jam esset conquestus de Adolescentulo *Henrico*, qui cum in disciplina monastica parum admodum profecisset, pœnæ metu lapsus, ad hostes transierat, atq; Citharædo Lumni inseruiebat. Mox quoque ambo Curiones *Leonhardus Vechelius* & *Nicolaus Poppelius* eodem modo suspenduntur. Ferunt hoc ipso die, qui septimus Idus Iulii anni cIↃ.IↃ. LXXII. erat, Leonardum inter cæteros sacræ Theologiæ Candidatos Louanii licentiæ, vt vocant, laurea decorandum fuisse Sed aliter Deo Opt. Max. visum, qui illum corona potius Martyrii tunc ornandum esse censebat. In P. *Nicasium* deinceps atrocius sæuitum. Ex huius enim oculis cum pectoris ardor, scintillæque fidei maxime relucerent: animam magis strangulare, quam corpus desiderabant hostes immanissimi. Igitur capistrum ori eius inicitur, ex quo vltra horas octo viuus pependisse fertur. Post hunc *Willehadus Danus*, *Theodoricus Emsenus* Amersfordianus, *Antonius Weertensis*, *Godefridus Meruellanus*, *Franciscus Rhodius* Bruxellensis, *Antonius Hornariensis* sacris omnes initiati Minoritæ. Præterea duo Laici *Petrus Aschamus* & *Cornelius Batauoturus* (quorum ille voto obstrictus, hic vero voluntarie ad inseruiendum monachis se dedicauerant) coniunctis dorsis, nudi dilaceratique infami laqueo necantur Dimisso interim *Gulielmo* Eburone, quod se sub Treslongo meriturum promiserat. Quanquam is paulo post clauem cellæ vinariæ Lumeni effinxisse accusatus, post varias quæstiones media in vrbe Brielensi ad quadriuium ex furca strangulatur. Ita vt pro qualicunque vita præsentis vsura cupidius, quam par erat, adamata, sempiternam infelicitatem reportauerit.

*Deinde P. Hieronymum*] Hic cum Geusios offendisset, *figuras crucis Hierosolymitanæ, quæ illi, vt terræ sanctæ peregrino erant in pectore & dextro brachio ita certa ratione inscriptæ, vt carne integra deleri non possent; adhuc viuenti è carne homines inimici crucis Christi, crudeliter exciderunt*. G. Est. lib. 2. Gorcom. Mart c. 22.

In P.

In. P. Nicasium] Capistro ori eius iniecto scribit auctor noster esse suspensum. Teste Estio, *alius ore funem velut frenum mordebat, alius extremo mento suppositum, alius gutturi quidem admotum, sed non satis astrictum habebat. quo factum vt & tardius eis spiritus includeretur: & diutius in extremo cruciatu retinerentur: adeo vt quidam eorum, inter quos venerabilis Nicasius; funem ori immissum habens, in clarum vsque diem adhuc spirare inuenti fuerint lib.2. c.25.*

*Theodoricus Emsenus*] Estius cum aliis Emdenus legit.

*Cornelius Batauodurus*] Estius Wicanum scribit. Qui lib.3. Hist. Martyr. Gorcom. cap 40. adnumerat Andream Walteri parochum Heinortensem, qui vicus est prope à Dordraco, vbi captus à Geusiis Brielam ductus, Martyrio suspendii aliis martyribus fuit adiunctus. Itaque in vniuersum Martyres nouendecim fuere. Est. l.3. c.41.

## CAPVT X.

DVM hæc fiunt aderat quoque ditionis Voornensis Prætor Iohannes *Duuenuordius*, quem conspicatus venerabilis senex *Iohannes Osteruicanus*, sacrarum virginum ordinis D. Augustini Gorcomii præfectus, sperabat iam se liberari illius intercessione posse, quandoquidem magna cum Duuenuordio ipsi intercesserat familiaritas, eo, quod inter Canonicos diu egisset in Ruggensi hocce Cœnobio; quo conuiuandi causa subinde venire solitus ille fuerat. Verum, ne vllo verbulo quidem pro amico extremum calamitoso intercedere dignatus est Duuenuordius. Aiunt iustas huius impietatis luisse pœnas, dum capto Harlemo, quo vxoris ducendæ causa venerat, inter notios plecteretur capite, atque sponsa ipsius mox riualis potiretur. Porro de Osteruicano silentio prætereundum non est, quod ciues quidam Brielenses, quibus optime notus ille fuerat, nobis cum fide retulere, hominem nimirum iamdudum septuagesimum ætatis annum excedentem, regione tam frigida, minimeque salubri nunquam calefaciendi sui gratia ad ignem accessisse, siue aduersæ, siue bona frueretur valetudine. *Ioan Osteru. Virginum præfectus.*

## CAPVT XI.

RESTABAT iam ex Gorcomiensibus vnus *Godefridus Duyneus* Sacerdos; qui cum in Parisiēsi Academia quondā humaniores literas cum laude esset professus, ex continuis studiorum lucubrationibus mentis alienatione affectus, desipere omnino cernebatur. Hunc non difficulter dimisissent carnifices, nisi cōtinuo vociferatus esset; nolle se Martyrij gloria fraudari, ad quam socios iam omnes peruenisse conspiceret. Non eo se venisse, vti à cœlesti sponso repudietur, sed potius, vt anima sua Christo *Godef. Duyn. Sacerdos.*

Christo desponsaretur. Dum ergo molestus esse pergit, laqueo quoque eum è medio sustulere.

## CAPVT XII.

Ioan. Dominicani ordinis pastor in Hoornaer. Hadr. ab Hiluarenbeca pastor in Monster Holland. pag. Iacob. Lacupius.

EODEM momento post dirissimos cruciatus suspenditur etiam *Iohannes* quidam ex Dominicana Familia Monachus, pastorali officio diu functus quatuor circiter passuum milibus à Gorcomio, Hoornaer pago nomen est. Postremo *Hadrianus ab Hiluarenbeca* qui nuperrime Middelburgo ex Præmonstratensiū Canonicorum cœnobio à *Nicolao à Castro* excelso, præparatique ad Martyrium animi præsule pastor missus, Munsterii, qui ad Oceanum situs est pagus, *Christi* ouiculas pabulo diuini verbi, salutarique spiritalis alimoniæ cibo pie pascebat. *Iacobus Lacupius* Aldemardius eius, vt ferunt, Sacellanus eiusdem instituti Canonicus, & Andreas Walteri Parochus Heinortensis (qui territorii Dordraceni vicus est) à Geusiis prædonibus ea loca percurrentibus domi captus, Brielamque abductus, simili omnes mortis genere interimuntur. Cum interea Lacopij pater vir grandæuus ac honestus multa oratione & filium & Hadrianum ad Martyrium hortaretur. Fuerat is enim cum Becano simul & Filio a prædonibus captus, dum Batauorum agrum, qui Oceano adiacet, illi depopularentur.

*Adrianus Becanus*] Ita Gul. Est. lib. 2. Gorcom. Martyr. cap. 11. Præmonstratens. hunc pastorem, vocatum Adrianum, vt etiam lib. 3. Gorcom. Mart. cap. 38 & seq. Auctor Petrum nominat, nos proprium nomen reddimus.

## CAP. XIII.

ORto iam aliquantisper sole, triumphantium more ingrediuntur oppidum scelerati, auriculas, nares, viriliaq; sanctissimorum Martyrum, opimorum instar spoliorum pileis pleraq; affigi ostentantes. Quin & illud (horrendum dictu) extremæ malitiæ signum, quod genitalia sanctorum vento fumoque indurauerint, quę in secundis mensis bellariorum loco postea matronis honestioribus, aut virginibus sacratis multo cum risu apponerent, hac impuritate se ornari putantes, atque ex scelere immanissimo quærentes videri faceti. In cadauera quoq; ob ramicum varia genera aspectu etiam misera sæuitum. Quibus, antequam ex trabe dimitterentur, ac nuda, mutilata, pecorumque more discissa & cruore calenti illita terræ mandarentur, omentum extractum fuit, atque Gorcomii non sine ludibriis, venum expositum.

## CAPUT XIV.

COmmemorant aliqui quædam apud Martyrum horum sepulchra facta esse miracula. Hemorrhoidem videlicet mulierem sanatam, virum quoque herniosum *Matthiam Thoranium* nomine per merita suffragiaque Martyrum exitiali periculo liberatum continuo conualuisse. Sed cum ea certo mihi explorata non sint, recensere accuratius nolui. Et quotusquisq; nunc vel euidentissimis credet miraculis? Cum huic nostro perditissimo seculo non desint, etiam sui Porphyrii, Eunomii atque Vigilantii, qui rabidorum instar canum latrantes signa ac virtutes, quæ apud memorias Martyrum fiunt, Dæmonum præstigias esse contendunt. Quid quæso, etiam vel amplius aut maius nobis ob miracula reddetur, si utrique fide, cæterisque non studuerimus abundare virtutibus.

*Miracula nonnulla ad sepulchrum Martyrum* ] Auctor noster studio prætermisit: Gul. Estius lib. 4. Hist. cap. 1. & seq. aliquot conscripsit. Nempe, Mathiam Thoranum ciuẽ Gorconiensem, cum pro more precibus se noctu dedisset mox à morte vidisse Martyres stolis albis amictos, coronis aureis mirabili fulgore decoratos, atque in hunc ipsum, eorum intuentu ab Hernia liberatum. Similem prope visionem scribit vidisse Mathiam Estium, cum precibus incumberet nocte. Alium ciuem Brielensem ad eorum sepulchrum à grauissima podagra curatum esse. Nec est illud de fortuito, q̃ super illorum sepulchrum germinauerint flosculi albicantes, antehac numquam vsquã visi. De quibus illud admirandum scribitur in hæc verba: *Surculus in loco Martyrii BB. Martyrum Gorcomiensium prope Brielam in Hollandia decerptus, pixidique inclusus, habẽs tres vel quatuor flosculos, biennio post, anno millesimo sexcentesimo decimo septimo inuentus est, non sine miraculo, in totidem excreuisse flosculos, quot Martyres fuere; nouemdecim.*

Multo plura Antuerpiæ & alibi facta, cum ab Ordinariis fuerint approbata, dabuntur in lucem.

## CAPUT XV.

AVdiuimus multoties præclarũ *Christi* Confessorem Othonem *Hiluerbecanum*, bella stragesque ob hæreses aduenturas prophetico eloquio, auribus uostris occinentem, & quasi vatem præsagum his Ezechielis verbis tempus ipsum denunciantem: *Hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit.* Vidimus hisce temporibus quoque non obscura imminentis persecutionis signa: Oceanum fluminaque retortis violenter undis 1572.

aggeres

aggeres deiicere, Belgiique agros, præcipue Zypensem cum strage hominum pecorumque fæde passim inundari: stellam quoq; non antea visam per complures noctes maxime splendere. Lucem præterea à cæli regione Aquilonari, qua duce Hispanus miles Ziriczeam clarissimorum Medicorum *Iasonis Pratensis & Levini Lemnij* patriam obsessurus Columbariam inuasit insulam, in altissimis tenebris fulgore candido intermicare, atque per vniuersum Belgium haud vnquam lumen visum late diffundere. Conspeximus insuper adventuræ calamitatis ac miseriæ portenta. Nobilitatem Belgii cinericiis palliis pileisque, insuper & pera mendicorum poculoq; ligneo superbientem. Cernere præterea licuit certissima futuræ captiuitatis atque seruitutis durissimæ præsagia, viros reticulis versicoloribus, mulieres vero catenis ferreis instar captiuarum sese ornantes. Non defuerunt nobis notissima quoque miracula, hostes videlicet, ad Amstelæ ripam non sine victoria se, ut urbe castrisque commeatum excluderent, secundo munientes terga subito vertisse, quando Amstelrodamenses diuinitus per Rusticum Abcaudanum admoniti, cum sacrosancta Eucharistia supplicantes procederēt. Quid? an non luce clarius constat *Barbaram* Georgii Nicolai Fabri lignarii Hagiensis uxorē, cum pede utroque laboraret, claudaq; omnino esset, religionis ergo Amstelrodamum profectam, voto apud sacrum Eucharistiæ locum persoluto, sanam recteque incedentem domum statim rediisse; Vicinamque, quæ ei, quasi vitium illud antea finxerit, obiecerat, postridie claudicasse? Sed quotusquisque vel leuiter hisce rebus animum advertit: aut, quot quæso, ideo meliores effecti sunt? Recte Chrysostomus: *Ob mirabilia inquit, nos absque dubio debitores efficimur* DEI: *pro bene autem acta vita,* DEVM *habemus debitorem.*

*Iason Pratensis. Leuinus Lemnius Medici Ziriczæi.*

*Miraculum SS Eucha. Amstelrodamensis.*

*Othonem Hiluersbecanum*] In concione sæpius prædicere solebat huius anni persecutionem in catholicos his verbis Ezech. Prophetæ cap. 21. vers. 14. *Hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit.* Aduerte numerales litteras, & inuenies signate notari annum domini septuagesimum secundum supra millesimum quingentesimum. M.CCCCC.L VVV.IIIIIII.

## CAPVT XVI.

PORRO cum impollutam Martyrum fidem, constantiamque inuictam vbique prædicari exaudirent prædones sceleratissimi; Proditionis sanctos *Christi* incusare non destiterunt. Et vt fides dictis ipsorum adhiberetur facilius, *Hadrianum Bonderum* Goudanum, qui apud veteris Mosæ aggerem, (al. *Meselano* loco nomen) Curionem egerat, atque fide Catholica sacerdotioque abnegatis

*Hadr. Bonderus pastor in Maesdam.*

abnegatis, in Caluini verba palam mortis metu lapsus iurauerat, decimo sexto Kalendas Augusti, in pomario *Leonhardi Cæsarii* haud procul ab vrbe quasi proditionis socium (forte quod pænituerit) ex arbore suspendunt. Fuerat is Canonicus Gorcomiensis, qui quid fecerit commemorat Guliel. Est.lib.1. Gorcom. Martyr.cap.21. in fine libr. quoque 3. cap. 43. & sequenti.

Idem in *Pontum Heuterum* Delphium, Historiarum Burgundicarum & Austriacarum scriptorem tentatum: sed quod Latine Galliceq; sciret exacte, atq; esset in re familiari exercēda exercitatus, vt Oumallo Scriba & Oeconomus foret, vita donatus fuit. Sed tantum abest, vt hæc impiorum malitia martyrum obscurarit gloriam; vti etiam illam multo illustriorem reddiderit. Cum enim, postquam sanctissime vixerant in veræ fidei confessione ꝑ *Christi* nomine fortiter ac cōstanter occubuerint; & hic in terris multo viuis clariores sunt, & in cælesti aula bonis perfruuntur ineffabilibus. Recepti namque à *Christo* in æterna tabernacula, atque in sancto illo & spirituali grege ad dexteram ipsius segregati, vestibusque lætitiæ & salutis tunicis cum decore induti, sanctorum Martyrum albo inscribuntur; vt paratam piis à mundi primordio hæreditatem possideant, vbi cælestes potestates, Angelicique Spiritus condensis sanctorum agminibus permisti, eis de triumpho tam nobili gaudentes congratulantur. Vbi & ipse IESVS CHRISTVS summus Sacerdos eos omnes quasi holocaustomata ac sacrificia perfecta Deo Patri offerens dicit. *Ecce ego & pueri mei, quos dedisti, volo pater vt vbi sum ego, ibi & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi, & vt cognoscat mundus, quia tu me misisti & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.*

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS PRIMÆ*
## LIBER IV.

### Martyrium D. Iodoci Carthusiani ad Clariss. I.C. Bartho lomæum Bodegenium Delphum.

DELPHI, seu *Dilsi*, Batauorum vrbs celebris ac potens, tertiam inter Hollandiæ ciuitates obtinet dignitatem Hanc à Lotharingiæ Regulo Godefrido cognomine Gibboso, dum expulso legitimo Principe Theodorico eius nominis quinto, quatuor circiter annos per tyrannidem regione potitur, fundatam *Delphi Batauorum vrbs descripta.*

commemorant in ripis aluei, qui ex veteri Rheno in Mosam amnem olim effossus (Corbulonis fossam existimāt) agrum occiduum ab Orientali, (depressior hic est, simul & bituminosus multoque fœno abundans) diuidit, nomenque vrbi dedit. Quæ à pietate humanitateque ciuium, inter quos honestiores quæstui iuxta ac sumptui dediti, aut ceruisiæ coctores, aut mercatores frumentarii propolæque fere sunt, & ab ædificiorum pulchritudine antiquitus potissimum commendatur. Habuit enim duo augustissima templa, quæ signis pulcherrimis, tabulisque plane Apellæis mirum in modum ante rebellionem exornata fuere, quibus turres admirandi operis decorem addunt. Quemadmodum & domus quoque ciuica antiqua structura ac insulari situ amplissimum oppidi forum inclytum reddit. Conspiciebantur præterea non solum intra, sed & extra ciuitatis mœnia complures aliæ tum publicæ, tum priuatæ ædes, apparatu omnino magnifico constructæ. Præcipue vero monasterium Carthusianorū ab Osternantii Comite Francone Borsalio, cui Iacoba ultima ex Boiorum stirpe Hollandiæ princeps nupserat, quingentis fere passibus ab urbe, qua Africum illa spectat fundatum, atque à Bartholomæo Strengio, Priore solerti ac industrio paucis ab hinc annis exædificatum. Quod lucus omni felicium arborum genere consitus, & amplæ spaciosæque porticus, nec non fanum quam maxime religiosum inprimis commendabant. Accedebat his Monachorum contubernium, quod innocentia, vitæque integritate, ac inculpatissimis moribus candorem illum vestium facile vinceret. Cui cum subinde interessem, videbar plane mihi inter Antonios, Iulianos, Macarios, Serapiones, aliosq; vetusti Monachismi proceres versari. Narrant beatissimum Brunonem Coloniensem ostento Lutetiæ Parisiorum territū, hunc ordinem tantopere à D. Bernhardo Clareual'ensi commentatum, apud Allobroges annis abhinc fere quingentis instituisse, constructo in Alpium Graiarum radicibus monasterio, in *Carthusia* nomen: cum eum adiutaret sedulo, sumptusque benigne suppeditaret Hugo Gratianopolitanæ Ecclesiæ Antistes. At vero inter Monachos hosce nostros Delphenses, ut corporis forma, ita & animi pulchritudine præ cæteris facile excelluit *Iodocus Goudanus* Alberti filius, antiqua & clara Schonhouianorū familia ortus. Qui cum adolescens à *Georgio Macropedio*, Poeta, Comico longe festiuissimo Vltraiecti liberalibus esset institutus disciplinis, sacręque deinde Theologiæ operam quoque dedisset, contemplatricis philosophiæ amore accensus, asperum & durum hocce monasticum vitæ genus sibi elegit, quod tamen fidei feruor lene suaueque illi reddebat. Quandoquidem cellulę solitudinem, cilicii asperitatem, continua quoque jeiunia, mensamque ex ęquo omnibus parcissimam, quæ ex pane cibario, legumiuibus, pau-

*Iodocus Schōhouius Goudanus Carthusianus. Georgius Macropedius*

cisque pisciculis & modico vino Pictauiensi plerumque consta-bat, vel Regum purpuræ deliciisque longissime præferre videba-tur Quod si quando ab oratione, quā flexo corpore semper per-agebat, cellulæ inclusus cessaret, quo vitiorum incentiva, car-nisque illecebras ac titillationes facilius deprimeret, aut sedens solitarius præstolabatur cum silentio salutare DEI, meditans in lege Domini sicut columba, aut operis aliquid faciebat. Nam & scribere quam optime norat, variisque simul coloribus pingere, feliciore nimirum in eo ingenio luxuriante. Quin & hortulus oleribus, diuersisque flosculis atque herbis odoriferis virens ei cum esset, in illo meletam indutus plerunque terram vertebat, Adamum alterum quasi nobis exhibens. Porro postquam sacris initiatus templi æditus iam crearetur, summa cum erga omnes Ecclesiæ Cæremonias sollicitudo cepit. Lætusque & alacris illo munere, quamuis onerose atque difficili perfunctus est. Media namque nocte cultitra exiliens monachos excitare, nolæque so-nitu admonere, ut in noctibus extollant manus suas in sancta, & benedicant Domino. Insuper & septies in diem laudent DEVM super iudicia iustitiæ suæ. Inter quos ille stans, aut Psalmos can-tare Dauidicos, multa cum vocis consonantia, apteque compo-sitis concentibus, aut lectiones recitare Propheticas, aut deniq; in profunda quiete orare solebat.

Cæterum cum ingruente hac persecutionis tempestate, post solitudinis libertatem cum cæteris fratribus urbe iam quasi car-cere concluderetur, perspiceretque Delphenses portas claudere, occupareque muros, ut potentes rerum suarum, atque urbis præ-dones intro acciperent, commeatu à Præposito suo Ioanne E-schesano impetrato, Vltraiectum cogitabat, Gouda iter factu-rus. Sed auertit DEVS hunc cursum, ad Martyrii palmam vocans Athletam suum. Vix enim Ouwerschiam pagus hic quinq; mil-lia distat ab urbe Delphensi, ubi quondam pastorali sacerdotio functus est *Martinus Dorpius* Naeldubicenus, Poeta ac Theolo-gus insignis: quem etiam defunctum D. Erasmus eleganti Epita-phio prosecutus est) peruenerat; cum à pomarii custode prodi-tus, curru extrahitur, cymbæque mox impositus, secundo amne Brielam deportatur. Hic igitur portui appulsus, à piratis sæuissi-misque spurcis ludibriis ac contumeliis excipitur, atque ad Io-hannis Oumalii ædes recta deducitur. Etenim is à Lumeio Dor-dracum ad comitia nauigante, oppido cum præsidio relictus fue-rat, & mensæ tum forte assidebat, adductumque Iodocum, ut simul accubat, hortatur. Sanguinei viro erant oculi, spumabat os, lingua volubilis turgebat, & super omnem terrorem, rugi-tus personabat immanis. Iurasses antiquorum Tyrannorum, qui olim Christianos persecuti sunt, te agnoscere satellitem Rur-

*Martinus Dorpius Naeldubicenus*

ſum Iodoco genæ virgeneo ſuffundebantur rubore, menteque in cælum erecta, oculis demiſſe terram ſpectare, & tanquam agnus ex Dominico grege ad lanienā ductus, non aperuit os ſuum. Oumalius autem, cum Carthuſianum illum eſſe iam audiuiſſet, viuendique modum Monachorum (fuerat enim apud Eburones quondam Canonicus) optime intelligeret, oblata carne, ea uti veſcatur, imperat. Renuenti atque religione ab eſu carnium prohiberi ſe reſpondenti: Ergo, inquit, vel hunc calicem ſume, & quodcunque vini eſt, exhauri, minime inſolens ex huiuſmodi bibere poculo. Verum ais, reſpondit ille, ſed ſanguinem Dominicum, cui contumelia procul omni dubio infertur: Si quis contra Eccleſiaſticos Canones calice initiato abutatur; An non legiſti aliquando, quomodo Balthaſar Rex Babylonis temulentus biberit vinum, ex vaſis aureis & argenteis, quæ aſportauerat Nabuchodonoſor pater eius de templo Domini, quod fuerat in Hieruſalem, & apparuerint digiti quaſi hominis ſcribentis contra candelabrū in ſuperficie parietis aulę Regię Et quo pacto ſcripturam illam interpretatus ſit Daniel, atq; eadem nocte interēpto Balthaſare ſucceſſerit Darius Medus in regnum eius? Hæc ſane nos ab immani hoc ſcelere terrere debent. Conantem plura, hæſitante parum lingua, dicere, in carcerem deduci Oumalius jubet, vbi cum lachrymis ac ſuſpiriis anteactæ vitæ lapſus in amaritudine animæ ſuæ recogitans, conqueſtus plurimum eſt, quod minus dignam curam adhibuerit extirpandis radicitus affectibus ſuis, ac vanis ſuſpicionibus: quodque virtutum quodammodo conſcientia ſuperbiens, ſubinde aſperiore dicendi libertate, etiam aduerſus præpoſitos ſuos vſus fuerit. Iam confiteri pecccata ſua ritu Chriſtiano coram Sacerdote, qui vinctus ibidem detinebatur, parabat. Cum Oumalius Monachum illum, qui pridie carnibus veſci recuſauerat, ſuſpendi extemplo verbis aſperioribus mandat. Producitur itaque vir ſanctus & innocens, qui nulli nocere aut malefacere nouerat, pati pro *Christi* nomine paratus. Cumque manibus complicatis, oculiſque in terram cum quadam verecundia demiſſis ad pœnę locum accederet, exclamante muliere: Siccine & vir ille omnium facile formoſiſſimus extremo quoque afficitur ſupplicio? Quid ergo fecit, aut commiſit? Quid, inquit, ex Spiculatoribus blatero quidam commiſerit, rogas? *Monachus eſt.* Quaſi vero ſcelus ſit, vel morte expiandum, ſolitarium philoſophari. Dum hæc fiunt ac multitudo vndique conuenit præclari iſti milites atque egregii bellatores apud forum inambulantes, aut in tabernis exedriſque conſidentes, quaſi inſignem confecerint pugnam, hoſteſque multo cum ſanguine fuderint, geſta ſua iucunda ac feſtiua narratione referre gaudent.

Quo-

Quorum hic, Primus ego, ait, in illum Monachum manus inieci, eumque affatim verberibus affeci. Alius vero, At ego eum, cum alios lateret, initio prodidi. Econtra alius: Ego vero omnibus magis Oumalium præfectum aduersus illum concitaui. Alius carcerem carcerisque supplicia, alius item aliud prosequitur. Deinde omnes sublato cachinno super his gaudent, exultant, se rioque triumphant. Iam ad supplicii locum peruenerat *Iodocus*, atque flexis genibus & manibus complicatis, ceruiceque demissa, dum humi, ut moris Carthusianis est, procumbit, ac feruidas sollicitasque ad DEVM opt. Max. cuius amori arctius inhærebat, orationes solitis cum suspiriis fundit: Spiritus eius, sarcina corporis relicta, ad æthereas euolauit sedes pridie Calendas Augusti, hora quarta pomeridiana, anno à partu virginis Matris cIↃ. IↃ. LXXII. cum annos vixisset triginta septem. Morte sanctissimi viri nondum saturata immanis scurrarum feritas, in corpus quoque exanime, quod officioso gestu etiamnum DEO, cui omnia viuunt precabatur, sæuitum, cum illud crassiore fune, in sublime sublatum per aliquot horas ex patibulo dependeret, vultu quodammodo hilari, mirumq; in modum relucente. Quod postea fune inciso decidens haud procul inde in gramineo cæmiterio D. Catharinæ conditum fuit. Ferunt Oumalium, cum extractis vestibus cilicium strictius cadaueri adhærere conspiceret, ingemuisse, atque crudelitatis pœnituisse, dum ei

*Frigidus obstaret circum præcordia sanguis.*

Crediderim ego quidem non illibenter Iodocum hunc nostrum purpurea trabea indutum, non secus inter Angelorum choros, inter Prophetarum & Apostolorum populos, inter Martyrum denique exercitus cælestia ascendisse regna, atque olim niueo candore fulgens Paulus Thebæus, in sublime conscenderit, quandoquidem uterque inter orandum extremum halitum effuderit. Vtinam & hic alter, quem DEVS tali visione dignaretur, quique cum fide nobis referret, adfuisset Antonius. O amplissimum Carthusianorum ordinem, quem à lectissimis Romanis Pontificibus summis priuilegiis decoratum, temporibus his nostris etiam gloriosus Martyrum sanguis illustrat. Erat autem in operibus fratrum quondam candidus, nunc etiam factus est in Martyrum canone purpureus. Protulit ille olim viros pietate & varia eruditione conspicuos, Brunonem, Hugones Gratianopolitanum & Lincomensem Guigonem, quem ob vitę sanctimoniam *D. quoque Bernhardus apud Carthusiam inuiserat, Ludolphum Saxonem, Dionysium Richelium, Ioannem Landspergium, Petrum Blomenennam,* Liuinum Ammonium & Florentium Harlemæum. At idem sera hac quoque ætate vel in extrema orbis parte Iodocum hunc nostrum Martyrio inclytum

*Paulus Thebæus.*

*Carthusia laus*

*Carthusiani docti.*

producit. Quem complures alii in hoc stadio currentes non aliter insequentes, quam generosum pullum in equorum armento exilientem, alacriter cæteri sæpe equuli sequuntur omnes. Huic sane ordini iam deinceps neque rosæ, neque lilia vnquam deerunt. Certent modo singuli ad utriusque honoris summam dignitatem, ut accipiant ab Agonotheta IESV CHRISTO coronas vel piis de operibus candidas, vel de Martyrij sanguine purpureas. In cælestibus enim castris & pax & acies flores habent suos, quibus Christi milites ad gloriam coronari solent. Vbi & tu sanctissime Iodoce decorem & fortitudinem indutus, atque gloria & honore coronatus, inter beatissimos Martyres residens miserorum nostrorum peccatorum uti meminisse digneris, etiã atque etiam rogamus. Etenim

*Tu decus omne tuus, postquam te Fata tulere*

tam acerba. Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt. Nam nos vita viuimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS PRIMÆ*
## LIBER V.
### Martyrium D. Leonardi Boschotii.

***Ex relatione Iohannis Boschotij Senatoris fratris Leonardi & varijs narrationibus aliorum.***

NVNQVAM mihi placuit præturas apud nos ita pluris licitantibus addici, sæpiusque indignari soleo, ac tacitus mecum dicere: ô venalem Hollandiam, & mature perituram, si emptorem inuenerit! Et quis, quæso existimaret, in tanta prætorum colluuie viros bonos, qui peius Lotho flagitia timeant: imo Christi quoque Martyres inueniri? Quid? an non credendus Martyr est Arnoldus Cnobboutius, Zypanus quondam Prætor: quem pridem ex Caninefatibus ad Fleuum vsque deuectum, ac malo nauis alligatum, ob constantem religionis Catholicæ professionem & fidem Regi suo inuiolate seruatam, humani generis hostes piratæ lardo ardenti sclopis eiaculato misere exustulauerunt? Quo supplicii quoque genere, easdemque ob causas nuper Huysdunæ ad lacus ostium necatur vir antiquæ seueritatis *Iohannes Ludus*, qui Schellinghoutæ prope Hornam Frisiorum

*Arn. Cnobb. prætor Zypanus.*

*Ioan. Lud. in Schellinghout prætor.*

siorum

siorum vrbem præturam gerebat: quanquam vxor liberique eius Gerardo Gorcomio Prædoni lytri nomine mille quadringentos Carolæos iam persoluissent. Hisce tertius addatur (funicul⁹ enim triplex difficile rumpitur) *Leonardus Boschotius*, vir ornatissimus, quem laqueo Gorcomii interemptum, quisnam albo Diuorum inscribendum, atque inter Martyres celebrandum esse negauerit? Quandoquidem dilexerit iustitiam, ac senserit de Domino in bonitate: & in simplicitate cordis quæreret illum. Osterhoutum Aduaticorum pagus est Batauis proximus, vbi prætorem agebat Boschotius, ob commodos mores aduenis iuxta ac inquilinis gratus, nisi quod inuidiam nonnullorum, qui hæresi Caluiniana infecti, Aurantianæ factionis essent, linguæ libertate sibi conciliasse rumore fertur. Nam cum aliquando inter epulas sermo incidisset de Aurantio: quem aliqui per adulationem immodice laudare non desisterent, & bellum hocce recte legitimeque ab eo susceptum affirmarent. Ille displicere sibi huiuscemodi seditiones & tribunicias quasi faces dixisse; ac neque virum bonum, neque bonum esse ciuem, qui Reipubl. statum pro suo arbitratu commutatum velit, respondisse commemoratur. Et illos quoque olim esse laudatos, qui pro patria letum oppetiissent, non qui patriam pro se perire æquum censerent. Hæc ergo cum male narrando deprauarentur, vilissimorum ipsaque luce indignorum nebulonum calumniis passim vir optimus lacerabatur. Quo igitur sibi suisque consuleret, cum rapto Gorcomio illis in oris impune prædas agerent Piratæ, in castellum confugit, quod haud procul à pago *Guilielmus Duuenuordius* olim ędificauerat. Dominicus dies erat septimus Idus Augusti anno cIↃ IↃ LXXII. quando hora circiter nona è castro prodit templum aditurus, quo sacris Christiano more interesset publicis, atque pro peccatis & excessibus suis Deum oraret, simul & precum quæ Sacerdotis multorumque ore prouenirent, particeps fieret. Vbi id ergo resciuere prædatores, quos virgulta texerant, subito prosilientes inopinantem adoriuntur, rapiunt atque vinctum per pagum frequentem ducunt, subducente se interea è templo *Daniele* Curione. Deinde ergo mox Gorcomium vsque captiuum vehunt. Præerat oppido illi arcemque cum præsidio tenebat Marinus Brantus nobilis Pirata, qui adductum sibi Leonardum grauiter accusat, quod & Orthodoxus esset & Aurantio infestus, in quem etiam debacchatus fuerit apud eam gentem, quæ illius imperium ferre consueuerit. Summo istud ipsi dari crimini, cui expiando vnicum supersit remedium; nimirum si abnegata fide Orthodoxa in verba Aurantii iurare voluerit. Alioquin ipsi non modo prætoratu abeundum esse, sed & vitam torque cannabina finiendam. Ad quæ ille ma-

*Leon. Bosch. prætor in Osterhout.*

 gnó

gno animi robore respondens, se quidem Orthodoxum esse fateri, at asperiora in Aurantium loquutum fuisse pernegabat. Puerum enim se iam olim didicisse, haud tutum esse; aliud quicquam, præter bonum de principibus memorare. Non possum, inquit, prohibere, quid quisque effutiat. Et quis tam modestus fuerit, qui malignantium dentes possit effugere? Nil enim tam circumspecte dicas, quod non morsibus calumniantium sit obnoxium. Quod si quicquam contra leges abs se dictum factumue fuerit, vt ex legum præscripto puniatur, haudquaquam se recusare. Fidem Orthodoxam quoque nec debere ipsum, nec velle abnegare: similiter cum sacramento, quod Regi suo dixerit, absolutus non sit, non posse iurare in verba Aurantii. Quod si quid lytri nomine sibi persoluendum fuerit, imperaret ille, quod iustum æquumque pro suis facultatibus esset, sese persoluturum. His auditis Marinus eum custodiæ tradi iubet. Interea ipsum amici notique adeunt suadentes atque etiam obsecrantes, vt vxoris liberorumque misertus præfecti verbis consensum præbeat. Malo enim Dæmoni morem aliquando gerendum, & rata non haberi, quæ per vim acta fuerint. Egone, exclamat ille, Deum meum ac religionem auitam vna cum Rege Catholico abiurarem? nunquam faciam. Confido enim eum, qui viduam benedicit, & pauperes saturat panibus, pupillos & viduam meam suscepturum, neque illis vnquam defuturum, cum pater Orphanorum & iudex viduarum sit. Persuaserim ergo mihi facile ratione temporis, quo natalitia tot illustrium Martyrum Syxti, Laurētii, Hippolyti, Bartholomæi ac Ioannis Baptistæ celebrantur, fortitudinem, magnanimitatem, patientiam, cæterasque virtutes viro auctas fuisse. Quem enim memoria præcursoris Domini non excitauerit, vt libenter pro iustitia pati velit? Quis recordatione excoriationis S. Apostoli, & dilacerationis distractionisque membrorum Commentariensis illius Romani, ad cruciatuum tolerantiam pro *Christi* nomine non exstimuletur? Cui cogitanti exustulati Diaconi verba ad Tyrannum os ad libertatem Christianam non formabitur? Cuius mentem exemplum contentionis, qua Pontifex & Leuita inter se, vter prior ob veræ religionis professionem pateretur, certarunt, ad Martyrii agonem non accenderet? An non credetes illum sæpius cogitasse, quanta eos gloria maneat in cælis, quando natalitia ipsorum tanta festiuitate in terris celebrentur? & conuersum ad se subinde dixisse: Age anima mea, & tu pari fide, consimilique virtute, *Christo* præstante, dimica, ac hostem vince, vt parta victoria cum iisdem Sanctis, possis triumphare. Sed hæc ista dicta sunto, qui semetipsum abnegans, baiulat crucem suam quotidie, & magnis passibus IESVM sequitur. *Animalis* enim *homo*, vt ait Apostolus,

non

*non percipit, quæ Spiritus sunt DEI.* Cæterum per hæc tempora Rutgerus Carnessius, cui Arculanæ ditionis præfectura ab Au. t.ntio commissa erat, Gorcomium aduenicns, de templis locisque aliis violandis cum Marino consilia agitat. Quod facinus VIII. Calendas Septembris non sine tumultu perpetratum fuit, Laurentio Fossio Lanione ciues ad arma, vt pro aris focisque decertent, æris campani sonitu vocante.

Mox vero dein inter se altercantur de oppidi arcisque Principatu, & vt Marinus decedat prouincia Carnessius contendit. Exacerbatis iam ergo hinc inde animis superuenere literæ à *Iohanne Boschotio* Secreti consilii Regii Senatore, quibus pro salute fratris intercedebat. Quæ tantum abest, vt auxilio vllo fuerint Leonardo, vt etiam ne religiosus quidem & sacer dies à supplicio eius cessauerit. Nam VI. Idus Septembris, quo die Natiuitas virginis Matris Mariæ celebrari consueuit, primo diluculo excitus somno ad pœnæ locum deducitur. Vbi postquam ad circumstantem coronam dixisset, se non passurum vt homicidam aut furem, aut maledicum, aut alienorũ appetitorem: sed vt Christianum: & deinde paucis, animam suam DEO Opt. Max. commendasset, laqueo suspensus Martyrii corona exornatur. Porro ad vesperam impetratum fuit, vt corpus exanime in sepulchretis publicis humaretur. Pro rerum vicissitudinem! Oppugnata apud seculum prius fides Christiana fuit à philosophis acutissimis ac hæreticis argutissimis: at tandem nunc idiotas indoctissimos & insulsissimos nebulones, quorum vita etiam DEO hominibusque odibilis est, infestare cernimus. Persecuti etiam fuere antiquitus Christianos potentissimi Principes, multi paucos, eosque omni auxilio præterquam diuino destitutos. Hoc vero tempore pauci prædones, & infimæ plebis colluuies, innumeros Orthodoxos, & inter eos prætores, aliosque viros clarissimos ter Maximi Regis præsidio munitos acerbe affligunt. Idque nulla alia fit de causa (si iudicio illorum, qui res humanas altius inspiciunt, fidem adhibere volumus, quam peccatis Ordinum. Qui si placitis optimi potentissimique Regis obsequentes officio suo rite fuissent functi, potuerant facile hæreseon scintillæ extingui; vnde hoc tantum incendium excitatum est. Cæterum longe alia à nostratibus mens Romanis, quorum recte facta modo ore tenus tantum probantur, olim fuit Quanta enim cum diligentia legimus, falsa etiamnum religione ipsorum animos occupante, Bacchanalia Romæ sublata fuisse; Quantum Sp Posthumii Cons tacite miramur solertiam in indagando, quæ sacris in illis solent fieri. Quantum & ipsius prouidentiam laudamus, in iudicibus custodiendis, antequam rem ad Senatum referret. Quam seueritatem etiam Senatus in

*Ioan. Bosch. Secreti Consilij Senator.*

opprimendis, puniendisque noxiis, ne mali labes veluti contagione morbi vlterius serperet, laudamus. Quantis denique extollimus laudibus eius gratitudinem, quod referente Posthumio iudicibus P. Ebutio & Hispalæ Veroniæ Libertinæ digna præmia Senatus constituerit? Verũ nulli nunc Posthumii, aut si qui sunt, falsis delati criminationibus, & in vincula coniecti Assasinatus, vt vocant, accusantur. Quod V. V. C. C. *Florentio Engberto* pastori, & *Henrico Theodorico* Consuli, Amstelrodamensibus iam pridem accidit, qui sancti & innocentes post quadriennales carceris ærumnas ægre tandem dimissi fuere. Quod vidimus, testamur. Sed ô te felicem vereque beatum! *Boschots*, qui à Leonis robore digne *Leonardus* vocaris. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te DEVS, DEVS tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. Placens enim DEO factus dilectus, & viuens inter peccatores translatus es. Raptus es ne malitia mutaret intellectum tuum, aut ne fictio deciperet animam tuam. Consummatus in breui expleuisti tempora multa. Placita namque erat DEO anima tua: propter hæc properauit educere illam è medio iniquitatum. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia Concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia.

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS PRIMÆ*
## LIBER VI.

### Martyrium D. Iacobi Cruquii & sociorum.

*Ex relatione Iohannis Godefridi filij, Ciuitati Schönhouiæ à secretis, & aliquot Canonicorum Regularium literis.*

CANONICORVM, quos addita voce Latina Regulares appellãt, ordinem à Beato Augustino Hipponensium olim Episcopo celeberrimo, sumpsisse originem, plerique solent affirmare, nominis potissimum persuasi. Quidam altius repetentes ab Apostolis initium habere. Alii autem Marcum Euangelistam apud Alexandriam caput fuisse huius instituti asserunt. In priorem nos opinionem rationibus plurimis adducti facile quoque consentimus. Nam talaris niuei coloris tunica, amiculum linteum, capitium religiosum, quodque præterea vestitus est,

non

non obscuras antiquitatis notas præ se ferre conspiciuntur. Accedit insuper vitæ cœnobiticæ etiam voto astricta ratio, nec non pensum psalmorum Hymnorumque Deo certis horis decantandorum, preces ac orationes quoque, & in lege Domini meditatio continua. Duæ horum præcipue apud nos Sodalitates sunt, quas capitula vocant Harum vni, quæ late longeque deductis quasi coloniis vagatur, Præfectus monasterii Windeshemensis apud fossam Drusianam, inter Suollam & Dauentriam claras Transisulanæ ditionis (Francorum Saliorum hæc olim sedes fuisse creditur) vrbes siti præest: altera Hollandiæ finibus sese continens, priori paret cænobii Sionis, quod mille circiter passus à Delphis celebri Batauorum oppido, in agro Rysuicensi ædificatum erat, loco vbi quondam DD. fratrum M. Aurelii Antonini philosophi & L. Ælii Commodi Veri A.A. prædium fuisse putatur, testante hoc marmorea illa columella (agri fuisse terminum opinor) quæ non procul inde aliquot ante annos, dum vomere altius nouali impresso arantes equos remoratur, effossa est cum hac inscriptione

IMP. CÆS.
M. AVREL. ANTO-
NINO. AVG. PONT.
MAX. TR. POT. XVI.
COSS. III. ET
IMP. CÆS.
L. AVREL. VERO AVG.
TR. POT. II. COS. II.
A. M. A. E. C.
M. P. XII.

Est huius quoque sodalitatis montis sancti Michaelis cœnobium Schonhouiæ vicinum, cuius auctorem fuisse narrant Guilielmum Cliucardum, virum & corporis proceritate, & feruore religionis cænobiticæ propagandæ insignem. Qui cum per complures annos Dauentriæ in fratrum domo sub Florentio Oeconomum fideliter egisset, strictioris vitæ desiderio in patriam rediens anno ab incarnato Christo cIↃ. cccc. vII. ascitis aliquot religiosis sacerdotibus, auctoritate Vltraiectini Antistitis Frederici Blancenhemi, consensuque Guidonis Comitis Blesensis Schonhouiæ Goudæque Principis Linigeronum Canonicorum collegium instituit, collato in illorum vsum quodcunque peculii agrique ex patrimonio possederat. Hemum loco nomen est, quem præterlabendo alluit Lecca riuuli olim manantis vocabulum etiam obtinens: Cæterum obstructo apud Cattorum vicum veteris Rheni alueo, amnis celeberrimus,

mus, à captura sapidissimorum salmonum inprimis commendatus.

*Iacob. Cruq. regularis Canonicus.*

Ex hoc igitur collegio, dum ob ruptos tempestate aggeres agri inundarentur, Hemenses, apud Siona exulantem inuisimus aliquando *IacobumCruquium* Goudanum Guilielmi Filium, virum varia literatura eruditum, sed infra aliorum æsti mationem sese metientem, mitem ingenio, moribus quietum, officio sedulum, fide syncerum, spe erectum, feruentem charitate, semperq; ardua via dextrum virtutis callem petentem. Quem per 10. circiter annos supprioratus, vt vocant, officio digne fungentem, indigna omnino nece, cum tribus sui propositi sodalibus nuper trucidari contigit. Ex his duo sacris iam dudum initiati fuerant, *Cornelius* nimirum *Reineri Restionis filius*, Schönhouiæ honesta magis quam diuiti familia ortus. Et *Iasparus Arnoldius* Dinslacensis Menapius, summæ spei iuuenis. Tertius vero laicus *Theodoricus Gerardi* filius, patria Goudanus. Quorum martyria idcirco alacrius perscribere conabor, quod ex illorum numero vere hi fuerint, de quibus Saluator dixerat: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam illorum est regnum cælorum: & beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersus vos, mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

*Corn. Reiner Sacerdos Regularis.*
*Iasp. Arnoldius Sacerdos regularis.*
*Theodoricus Gerardi laicus.*

Cum ergo iam frustra tentatum esset Amstelrodamum nobilissimum Hollandiæ Emporium, ciuitates coniuratæ, cæterique rebelles, penes quos summa tunc rerum erat Dordracensibus hoc, vt libera ipsis nauigatio foret, præcipue postulantibus, Schonhouiam obsidendam esse decernunt. Eo paulo antea, præter alios plures, Hemenses etiam Canonici migrauerant: cum quod exploratæ fidei ciuitas ea esset, tum quod Catholici Regis nomine trecentorum fere Germanorum militum præsidio eandem teneret Hermannus Lostratus præfectus. Exercitus itaque duorum circiter millium tumultuariorum militum colligitur, præter Volonum, naualiumque sociorum auxilia. Huic Guilielmus Lumeius præficitur libidine, sæuitia, impietateque quam maxime nobilitatus. Vixdum obsidebatur ciuitas, signaque infesta aduenerant, cum accensis crebro ignibus aperti signa pauoris ederet Lostratus, atque aduentum Maximiliani Comitis Bassutii, qui cum auxilio haud aberat quatuor millia passuum, minime apertus, ob pulueris tormentarii penuriam oppidum prædoni traderet: pactus, vt tam ciues, quam milites inuiolati seruarentur, neque sua cuiquam religio esset fraudi. Fama est temeritate multa, atque inscitia cum ciuitatem prodidisse, dum suo non ciuium periculo sollicitus esset. Lummenus autem ciuitatem cum milite ingressus, nihil minus, quam

pactis

pactis standum esse putauit. Concubia enim nocte in D. Elisabethæ cœnobio *Theodoricus Gerardi* filius altum stertens, à Britannis triginta quatuor vulneribus misere confossus est, vir plane simplex & rectus, qui cum ipsi de victu prouisum esset, vltro inter illos qui donati Canonicis inseruiunt, nomen professus fuerat. Postero die, qui XII. Kalendas Nouembris erat, in vincula coniiciuntur canonicorum præfectus D. *Cornelius Simonius*, vir spectatæ integritatis singularisque prudentiæ, & D. *Iacobus Cruquius*, quinquagesimum octauum ætatis iam annum agens, vna cum D. *Cornelio Reinerio* iuuenta formaque florente ad ædes *Ioannis Godefridi*, qui ciuitati a Secretis erat, abducti. Præfectum *Simonium* post varias illusiones verberibus etiam atrociter affectum, consanguinei amicique haud parua pecunia sub vesperam redemerunt: dum interea per vniuersam noctem *Cruquius* atque *Cornelius* conuiciis, execrationibus, sannis, alapisque verberati, tandem pedibus ab improbissima Scurrarum colluuie adeo proteruntur, vti agnosci à ciuibus difficile potuerint. Diluculo ad præfectum rerum capitalium cum iam adducti essent, huiusmodi calumniam gens fallax periuraque comminiscitur. Infectas veneno glandes plumbeas, quarum onerandis sclopetis vsus est, vestium loculis, dum plagis onerant miseros, clam inferserant, eas vestimentis extractas militi furenti exhibent clamantes, indignum facinus! vulneratos glandibus Monachorum neci obnoxios non posse curari, vt conualescant.

Theodoricus Gerardi F.

Cornelius Simonius.

Iacob. Cruq.

Corn. Reiner.

Ad has statim voces Britanni Gallique globati magno cum fremitu prætorium versus decurrentes, postquam hasce glandes castrorum præfecto Lumeio multitudinique, quæ fremens illo conuenerat, ostendissent, Canonicos ad pœnam rabie quodammodo perciti deposcunt. Annuit statim Archipirata pacti conuentique immemor, atque captiuos indefensos inauditosque illico extremo decernit supplicio afficiendos. Et quid mirum sententiam huiuscemodi proferri ab homine sanguinario? qui neque quid faceret, neque quid diceret quicquam pensi vnquam habuerat, cuique viros sacratos tradere neci, ludus quodammodo erat ac iocus. Flumen Lecca mediam influens vrbem portum pulcherrimum efficit incertæ altitudinis, vtrumque exæstuat aut deficit mare. Huic frequentes tiliæ, nucesque, aliæ arbores ordine ad ripam consitæ, amœnitatem ornatumque addunt. Quarum vna cæteris eminentior apud pontem lapideum conspicitur, ad quam militem Gallum sceleris conuictum aurora sublucente suspenderant. Ad hanc igitur Canonici pias DEO preces fundentes cum ducuntur, omnium in se conuerterant

rant oculos. Forte Delphis à filio Sacerdote Bartholomæo, qui ibidem in D. Hippolyti æditum agebat redierat Cornelii mater, atque cum filia sermones serebat, dum ille eas improuiso conspicatus: En, inquit, mater charissima, tuque amica soror, quo pacto ad supplicium, nihil tale promeritus pertrahor; itaque piissimũ DEVM, vt delictorum iuuentutis meæ immemor nunc saltem misereatur mei, rogare ne desistite.

Iam ambo vincti patula sub nuce stabant, habueratque oratiunculam ad populum supplantator vitiorum, virtutumque plantator ille Cruquius, cum immistum turbæ videret veterem congerronem Martinum, quorum seria iocosaque miscere solitus fuerat: eum itaque hisce subbalbutiens alloquitur verbis: Bottere, si vnquam dicto factoque te offenderim, vel vllo modo fuerim scandalo, illud vt mihi ignoscas, etiam atque etiam oro. Martino ilico lachrimæ obortæ fuere, conantique respondere vox faucibus hæsit. Mox ad scalam, quæ arbori adstabat, in genua, complicatis etiam manibus procumbens, Deo Opt. Max. animam feruente prece commendat. Deinde plenus spei fiduciæque in Domino NOLVIT MALO VINCI. Sed in bono malum potius, euincens ex toto corde pro persecutoribus suis Christi Exemplo, ita orabat: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Hinc ambo fide clari atque inuicti constantia, ex eodem arboris ramo, cum nefario illo Gallo, qui medius pendebat, misere, calumniam illam de infectis veneno glandibus affigam pectoribus gerentes exitus vitæ suæ cum Martyrii gloria consummarunt. Descenderat olim Zachæus festinans ex Sycomoro, fatua nimirũ arbore, excepitque IESVM gaudens in domum suam.

Ascendunt hic viridi amænissimaq; nuce Iacobus ac Cornelius sanctissimi Martyres, & recipit eos Christus in æterna sua tabernacula. Ipse Dominus cum in Sycomoro viæ vicina nihil præter folia inuenisset: Nunquam, ait, ex te fructus nascatur in perpetuum. Et arefacta est continuo ficulnea. Apostolus quoq; Iudas illos, qui in via Cain abierunt, & in errore Balaã mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt, arbores autumnales bis mortuas, infructuosas, eradicatas nominat. At hæc, pulchri horti, arbor longe pulcherrima fœcunda fertilitate Martyres xi. tiam Calendas Nouembris producit. Felix dignaque celebrari iuglans, quam si quando eruditorum ingeniis coli contigerit, facile Ouidianam, licet florentem ac longæuam, vincet nucem. Quandoquidem eam in mysticum illum hortum Deum transplantatam, nulla tempestas, vetustasve vnquam consumet. Iam arbore funibus incisis, Sanctorum deciderant corpora, vestibusque detractis fœde ac pudendum in modum

nuda

nuda in plateis iacuere; cum interea animas illorum stolæ immortalitatis, quas in sanguine agni lauerant, vestirent. Sub vesperam in D. Elisabethæ ad templi introitum, eodem quo pependerant, modo cum Gallo simul humantur. Et ne sacerdotibus dignus deesset minister, eodem fere in loco Theodoricus Gerardi F. quoque sepelitur, quem non minor Martyrii manet gloria, quod idiota, inscius, & non publice perierit, cum causa pereundi propter Christum fuerit. Post hæc D. Iasparus quoq; in vincula, carcerem conijcitur. Quem licet peregrina stirpe oriundum, mirum in modum commendarant morum elegantia, piaque circa omnes cæremonias sollicitudo; cum sedulo curaret æditus, vt niterent altaria, parietes absque fuligine, sacrarium mundum, vasaque lucentia essent. Nepotianum dixisses nostri seculi. Hunc itaque post varias de calicibus cæterisque templi cimeliis, habitas quæstiones, dirissimosq; cruciatus equi viatorii caudæ alligatum dum subsequitur ægre Goudam, quæ septẽ millia passuum à Schonhouia distat, vsq; pertrahunt. Quo cum primis se intendentibus tenebris peruenissent, portas inueniunt clausas. Appulerat illuc commodum, & lembus piscatorius, qui portu exclusus in anchoris prope vrbem expectabat. In hunc ergo se recipiunt prædones, noctu horrendis Canonicum afficientes suppliciis. Lucente vero die, qui SS. Christi Apostolis Simoni & Iudæ sacer, V. Calendas Nouembris erat, sub horam circiter decimam arreptum Iasparum nauigii antennæ alligant, collo laqueum circumdantes, simulque in sublime trahunt horribiles eiulatus edentem, atque Deum Diuosque omnes inuocantem. Hoc tam atroci spectaculo oculos ex arce pascente Lummeno, & illud iustum esse militariter acclamãte. Et Goudę quidem apud Orthodoxos ex tam crudeli nece cum luctus ingens, tum timor in futurum erat, præcipue cum cænobium D. Margaretæ ab ebrio milite in censum conflagrasset, duo quoque Primores fratrũ, quos collationarios vocant per triduũ desiderarentur. Post horas aliquot demissum corpus exanime flumini Isulæ committitur: quod vestitu denudatum æstu reciprocante sursum deorsumque per complures dies fœde usque fluctuabat, donec tandem in arundinetis imputruerit. Ecce, quomodo perit iustus, & non est, qui recogitet in corde suo. Viri misericordiæ colliguntur, quia non est, qui intelligat. Etsi vero coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorũ immortalitate plena est. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti. & tanquam scintillæ in arundineta discurrent. Iudicabunt natio-

*D. Iasparus.*

nes & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum & pax est electis eius. Cæterum illud iræ atque odij execrabilis indicium est, quod incendiis deuastationeque in tecta innoxia murosque cœnobiorum Hemensis & Dougensis sæuierunt, quorum ruinis omnes, qui Leccā circa accolunt, pauperes maxime ingemuere.

*Canonici Regulares S. Augustini.*

Siona quoque, vnde coloniæ cæteræ deductæ fuerant à fundamentis proruerunt, ne stirpis, ne memoria Originū Canonicorū extaret. Quamuis nulli ordini plura, q̄ horum sodalitati merito debeant Batavi. Nam vt taceam plerosque Anglorum proceres, qui cum sanctissimo Clemēte Willibrordo primo Vltraiectensiū Archipræsule ad Christi Euangelium prædicandum in Hollandiam appulerint.

*Corn. Aurel. Guil. Goud. D. Erasm. Petrus Roterodamus*

Ex beati Augustini præscripto Canonicos vixisse, nonne huic Sioniæ Sodalitati bonas literas omnemque eruditionem Belgium Germaniamque referre acceptas iure decet? Cum patrum memoria inclytos *Heroas* illos *Cornelium Aurelium & Guilielmum Hermannum* Goudanos: D. quoque Erasmum & Germanum ipsius fratrem Petrum Roterodamos ea produxerit, fouetitque? Infelix, ingrata, meritoque detestanda ingeniis patria, quæ vtilissima Reipubl. Christianæ munera, donaque longe optima cædibus piorū, incendiis, deuastationibusq; remuneretur: vt piratam perduellem, strigososque è supera Germania accitos aliquot capos misera in suam perniciem saginet. Quid? quod huius sodalitii complures fide probati, charitate eximii ac constantia firmi, ob iustitiamque ludibria & verbera experti; extorres, egentes, angustiati, mireque afflicti fuere. Inter quos

*Gerar. Pamb.*

Sionici gregis præses inclytusque confessor *Gerardus. Pamburgius* doctrina, probitate, prudentia, honesti cultu, studioque religionis mirandum in modū enituit Quem peste crudeliter extinctum, dum funeri eius Amstelrodami apud velatas virgines Lilianas, quo post varia pericula, multosque exantlatos labores tandem peruenerat, mœsti interfuimus, pro officio sane defleuimus; quandoquidem restaurandæ Sionis spes omnis in illo omnino collocata videbatur. Sed huiusmodi sanctis viris frui vlterius, haud digna DEO visa fuit Batauia. Quos tamen omnes multis post se paralangis reliquerunt beatissimi Martyres Hemenses. Lauda igitur Hemum Dominum, lauda DEVM tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Exulta quoque Schonhouia, & lætare in Domino DEO tuo; quia dedit tibi Doctores, testesque iustitiæ, quorum vitæ initia bona, melior progressus, finisq; longe optimus subsecutus est. Arpinum Ciceronis patria ob honorem tanti sui municipis

nicipis etiamnum literas M. T. C. pro publico signo habens, quondam Schoonhouiam inuidia prosequebatur: quod *Christophorum Longolium* eius alumnum, propter inimitabilem Ciceronianam Eloquentiam ab ipso expressam Romana ciuitate donatum esse, intellexerat. Quam ægre æmulam, putas ciuitatem habebit, cum ciuem ternosq; vrbis Schoonhouiæ inquilinos in cinctorum Senatum cælestis Hierusalem adscriptos esse percipiet. Beata tantis Martyrib Schoonhouia, propter quorum fidem ac virtutem miserebitur ipsius Dominus, & curam ciuium ipsius sedulo habebit. Felix quoque arx seu specula Sion, pro cuius reliquiis amatores isti sodalitatis suæ manus puras protendentes, continuo Deum Opt Max deprecantur. Quod si Canonicis Sionicis vlli deuote Martyres percolendi vnquam fuerint, hi sane præ cæteris venerandi erunt. Quorum nunquam apud misericordiam cœlestis Patris pro fratribus & sororibus cessatoratio Quin & nos quoque piis precibus horum commendari devotissime poscimus apud Dominum nostrum IESVM Christum, qui est benedictus in omne æuum. *Christoph. Longolius.*

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS PRIMÆ*
## LIBER VII.

Martyrium DD. Ioannis & Hadriani *ad doctissimum Presbyterum ac Amicum integerrimum Bartholomæum Sonnium Harlemæum, antiqui lateris Scholæ Amstelrodamensis Rectorem.*

FR. Cornelius Nicolaus, ex Minorita Carthusianus, pius simul & doctus mihique summus amicus, cum impeditioris esset linguæ, hanc a L. Apuleio mutuatus sententiam Symboli loco sibi desumpsit: *Innocentia eloquentia est*, innuens eos videlicet, qui melius facere, quam dicere didicere, facile ac tuto inter homines, maxime vero ciues suos, agere. Est istud sane verum, modo legitimo imperio Respubl. gubernetur. At vero, si vel effrenatæ plebis insano arbitrio, vel paucorum libidini, aut viuus denique tyrannidi parendum fuerit, secus omnia euemiæ, innocentesque pro nocentibus plerunque pænas pendere cernimus. Cuius rei cum nunc omnes fere Belgii maritimæ ciuitates, tum præcipue Gouda, quam Hula flumen interfluit, euidentissima

Exempla præbere poterit. Ea namque ciuitas non solum præclarissimis ingeniis fæcunda, sed & religioni Catholicæ mordicus semper addicta fuit. Quin cum anno Domini CIƆ. IƆ. LXVI. technis Guilhelmi Nassouii, Aurasii Principis, aliorumque aliquot Magnatum Iconoclastæ ac sacrarum imaginum euersores per Belgium vbique fere grassarentur impune, cultus Dei immortalis in hac ciuitate nequaquam intermissus fuit, confugientibus illuc Vltraiecto, aliisque vicinis oppidis Orthodoxis Sacerdotibus ac primariis Catholicæ Religionis viris. Ita vt non immerito Gouda tunc receptaculum hospitiumque Sacerdotum, & sacrarium Ecclesiæ Vltraiectensis appellari meruerit. Est ibidem non procul à templo, qua Orientem spectat, domus Sacerdotum in communi viuentium. Fratres collationum propterea nominant, quod & vestitus monasticus illis sit, & festiuis diebus hora 3. pomeridiana collationē seu cōciunculam ad populum ex veteri instituto habeant. Nulla illis votorum vincula, victus, præter tenues, quos habent, reditus, scribendis imprimendisque Ritualibus libris, iisdemue compingendis fere ipsis comparatur. Archipræsuli suo Vltraiectino simpliciter subditi liberam pureque Christianam vitam sine proprio, sineq; mendicitate viuunt.

Quod si quem forte huiusce vitæ pænitentia ceperit, sola illum pœna manet inconstantiæ, & temeritatis nota. Referunt Annales *Gerardum* quendam cognomento Magnum, cum Lutetiæ Parisiorum haberetur doctissimus, relicta Sorbona, Dauentriam ad Rheni fossam, cui Drusianæ nomen est, vnde fuerat oriundus, postliminio quasi rediisse sub annū Domini CIƆ. CCC. LXXX. Vrbano VI. Rom. Pont. & Wenceslao Imperat. nimirum Caroli IV. Filio, ibidemque verbum Dei animose prædicande religiosæ illud vitæ genus Diaconum tantummodo coluisse, institutis fratribus, qui scholam aperirent, ac discipulos non tantum literas, sed mores quoque, & bene pieque viuendi rationem docerent. Inter quos fuere præcipui *Florentius* Presbyter, à quo domus illa Dauentriensis, domus Florentii etiamnum nuncupatur, & Gerardus Zutphaniensis, qui trigesimo primo ætatis anno moriens, duos de spirituali exercitio libros certe vtilissimos nobis reliquit. *Thomas* quoque *de Campis*, cuius libellus de imitatione Christi, piorum hominum manibus vel maxime nunc teritur. Qui postea ad Canonicos Wyndeshemenses, quo liberius philosopharetur, commigrauit. Cæterum non defuerunt huic quoque Fraternitati sui æmuli atque obtrectatores. Nam Fr. *Matthaeus Grabonius* Dominicanus, cum Groningæ Frisiorum lector fuisset, odio atque ira aduersus eandem incensus, publice in Oecumenico sacro Concilio Constantiensi impietatis fratres illos tradu-

*Gerardus Magnus.*

*Gerardus Zutphaniens.*

*Thomas de Campis.*

*Matth. Grabonius.*

traducere non veritus eſt, aſſerens ex illorum eſſe illos numero, quos Bonifacius VIII. Clemens V. & Iohannes XXII. Rom. Pontifices dudum ſub Regnãdorum nomine exterminauerant. Sed reſtitit calumniæ huic inſignis ille Theologus *Iohan. Gerſonius*, cum eo tempore concilio intereſſet, prolatoque Act. Apoſt. quarto capite in medium, illos fratres non minus aliis, qui voti religione obſtringuntur, religioſos eſſe palam oſtendit. Præter hæc Matthæum eo pepulit, vt incenſo famoſo libello, ipſe palinodiam cantare coactus ſit: cum interea ſacroſanctum Concilium, præſidente Martino V. Rom. Pontifice fratres plurimum roboraret, atque modum vitæ tam religioſæ comprobans, eos hortaretur viriliter agere, ſcholas erigere, ad pietatē diſcipulos inſtituere, quibus Eccleſia Dei fulciri poſſet, cum illa piis doctiſque viris tunc vel maxime indigeret. Acceſſere poſtea etiam Eugenii IV. & Pii II. varia diplomata, quibus fratribus hiſce præclara priuilegia conceſſa fuerunt. Acceptis iis, læti illi quidem per uniuerſum Belgium quaſi colonias ducere, dum alii alios imitantur, cæperunt. Ad hunc igitur modum & domus illa Goudana à Fratribus collationariis habitari incepta complures doctrina & vitæ ſanctimonia eximios viros protulit. Inter quos nuperrime enituere *D. Iohannes à Rixtel* (pagus eſt Tazandriæ haud procul ab Holmouda oppidulo ſitus) cænobiarcha, & *D Hadrian. Lambertius Goudanus* æconomus, vir columbinæ omnino ſimplicitatis, (alterum Nathanaelem diceres) cum eos eruditio & morum integritas præter cęteros reddidiſſet inſignes. Sed haud profuit eis innocentes, ſcelerumque puros ſancte vitam traduxiſſe, cum nefarii aliquot ciues, fere illa nauiculariorum ſordidiſſimiſque ſcurris ſibi adiunctis, per tumultuariam ſeditionē, excuſſo legitimimitiſſimi Regis imperii iugo miſeram ciuitatem atrociſſimo tyranno, eiusque ſæuiſſimis ſatellitibus illudendam iam tradiderant, atque Gouda urbs quondam aurea, nunc diuerſorium, ſeu potius proſtibulum latronum, lupanar piratarum, nec non carnificina piorum religioſorumq; hominum effecta eſſet. Eſt arx ea in ciuitate, quæ portum intrantibus ad dextram ſpectatur, incondita antiqui operis mole Archiuum continens, ubi diplomata, codicilli cæteraque monumenta ad Hollandiæ Comitatum pertinentia ſeruantur.

*Ioan. Gerſon.*

*Ioan. Rixtelius.*

*Hadrian Lambertus Goudanus.*

Hanc itaque, eiecto Cornelio Mylio Regio arcis præfecto, cum præſidio teneret Hadrianus à Swieten primarius inter exules Catilinarios Batauicæ nobilitatis vir, venit Goudam Guilielmus Lumeius Archipirata, ob deditione captam Schoonhoniam ſolito ferocior cum vniuerſo fere exercitu, qui mille quingentis circiter militibus conſtabat. Pars portis, plurimi per ar-

cem intromiſſi, ciuium ædes, maxime autem cænobia impleuere, fanda nefandaque perpetrantes. Cum vero iam pauor, tremorque omnium animos occupaſſent, paſſimque Dei Sacerdotes ac viri religioſi occulte latitarent, prodeunt in publicum, prandio iam iam peracto, Rixtelius cum ſuo œconomo ſimul & domus ianitore *Arnoldo Delpho*, ad hoc eos cogente militum, qui innumerabiles prope ad ipſorũ ædes confluxerant, iniuria.

His ergo recta ad arcem tendentibus (eo enim exercitus præfectus Lumeius cum Dommalio ſuo diuerterant) obuia forte facta deuota quædam mulier: Quo properatis, inquit, viri religioſi, nunquid videtis, impunitate ſcelerum propoſita, ferocire militem, & Barbaros etiam ubique Deo ſacratos viros ad lanienam quærere? nonne vos monet ſacerdotis heſterna nocte occiſi exemplum? Ah ſi neſcis, etiam pueros, qui latitantes produnt Preſbyteros, pretio conducunt. Quare, ſi vobis vel tantillum mentis eſt, illico domum tendite*, aut alibi voſmet ipſos per dies aliquot donec furor iſte deferbuerit, occultate. Hæc ubi audita fuere, domum ianitorem ablegant, inſtitutum ipſi iter perſequentes. In arcem admiſſi, Lumenum inſtar Saul à Spiritu nequam exagitati, frementem inter cithara ludentes aſſidere conſpiciunt: ſalutatoque eo quantum poſſunt honorificentiſſime hanc Rixtellius orationem orditur: Iniuriis impares, Illuſtris Comes, (ita enim vocitari ambiebat prædo nobilis) quæ à tumultuoſo nobis milite inferuntur coacte huc venimus, claues domus noſtræ cũ obſequio deportantes; rogaturi, vti digneris ex iis, quas poſſidemus, rebus, nonnullos tantummodo reditus vitæ noſtræ ſuſtentandæ (ô monaſticã plane ſimplicitatem) conſtituere: Vel ſi id minus placeat, veſtibus ſolum indutos tua pace permittas tuto aliorſum migrare. Vixdum hæc effatus erat, cum horrendo quodam ſibilo pirata: Sacerdotes mihi, inquit, videmini. Mox ad Prætorianos conuerſus milites abduci illos intro, gratum ſub veſperam ſpectaculum exhibituros, iubet. Parent illi dicto, atque cubiculo, quo pro carcere vtebantur, includunt, arcteque cuſtodiunt. Iam cæna inſtabat, hora ad ſeptimam quaſi vergente, cum captiuos fratres produci ſacrilegus mandat. Conſilio prius cum Dommalio aliiſque habito, ac excogitato ex loci ſitu inauditi cruciatus genere pœnæ, quo innoxios excarnificari voluit viros, quorum habitus, vultus, ſermo, inceſſus per omnẽ vitam doctrina plane virtutũ fuerat. Aream, quæ arcẽ intranti patet, ad ſiniſtrã hortus adiacet, hũc ſepes ãbit ex implexa illa acuta ſpina: quæ uti vere odoriferis floſculis, ita ſub hyemẽ acinis rubentibus fœcunda conſpicitur, eum videlicet inuſum, ut obambulantibus aholerum aliarumue hortenſium herbarum rapina arceat. Hortus hic itaque Genio quõdam dicatus carnificinæ deputatur. Producũtur captiui

fratres superioribus exuti vestibus, sereno iam cælo, astrisque iam clarum splendentibus, atque dum Pontem, qui versatilis ex arce dimittitur, transire cum minis ac conuitiis coguntur. Nunc ait Rixtellius, vere intelligo, Christi ouiculas rabidis esse commissas lupis Mox misere exclamante Adriano Oeconomo: Ergone nobis ex infami immerito patibulo pendendum erit? Benigne cum captata occasione ex die, qui VIII. Calendarum Nouembrium erat, consolatur his verbis: Hodie, mi frater, natale est duorum illustrium Iesu Christi Martyrum, Crispini & Crispiniani, qui cum essent viri sanctissimi, pro Christi nomine in Gallia ciuitate Suessione, post dira & immania tormenta gladio trucidati, Martyrii coronam consequuti fuerunt, Diocletiano & Maximiano Rom. Impp. Ecclesiam Dei persequentibus. Horum itaq; passionis memoria nos ad patientiam, fortitudinem, constantiam, cæterasque Christiani hominis virtutes debet excitare. Quid? an male nobiscum actum putabis, si hodie pro Christianæ fidei professione exiguos cruciatus perferentes, cras æternæ vitæ muneremur salario clementiæ diuinæ benignitate inter sanctos Martyres adscripti? Erras sane, si ita existimes. Parantibus plura dicere vestes detrahuntur, atque inter districtos vndique gladios ac pugiones nudi fœdum in modum statuuntur. Cumque iam nullum pateret effugium, cæsim ac punctim gladiorum mucronibus petiti, horribilib ac miserandis editis clamoribus, eousque in spineam illam sepem adiguntur repelluntur q,: donec tandem vulnerib. confecti, cum omnia replessent sanguine, exanimes quasi corruerunt. Narrant, Rixtellium, cum venter illi, altius impacto gladio, adaperiretur intestinaque in terram defluerent, lata voce sacrosanctæ indiuiduæ Trinitatis implorasse auxilium. Iacebant vero mortua iam sanctorum corpora humi, nuda quidem misere, at animas eorum stolis sanctitatis indutas continentiæ cingula circa lumbos cinxere. Obumbrarant capita, expulsis omnibus ignorantiæ nebulis, sanctæ fidei umbracula, insuper sacerdotalia ornamenta atque indumenta iustitiæ, charitatis ac humilitatis vestierunt eas. Cælestem aulam ingressas autem, talem odoris fragrantiam, ex piis operibus spirasse credimus, qualis odor agri pleni est, cui benedixerit Dominus.

Porro cædem perse miserabilem, miserabiliorem facit, quod nondũ plane extinctos, verũ adhuc spirantes in cænũ prouciũt, ter aque modica operiunt. Nec per aliquot dies licitum cuiquam fuerit, de hisce innocentissimis sanctissimisque viris inquirere, aut ullo de eis quidem modo vel hiscere. Sed cum increbuisset per urbem rumor, indicante illud cum detestatione Petro Asperensi Consule, occisos in arce multo miserrime esse fra-

tres collationarios, fremere multitudo & ciues palam vel mortua corpora deposcere cœperunt: videbaturque res ad seditionem spectare, ni illa, uti honeste sepelirentur, deuotis id religiose ac constanter postulantibus, concessa à Switemio esset. Effossa igitur per hortulanum sancta cadauera, mundeq; patrio more capsis imposita, sub vesperam ad Fratrum collationariorum templum deportantur, confluentibus illo ad funeris spectaculum omnis generis hominibus. Commemorant, qui funeri tunc interfuere religiosi viri corpora illa sanctissimorum Martyrum per septem iam dies putredini exposita, non solum non ad turpem & inconditam peruenisse deformitatem, aut fœtorem ullum redoluisse: sed potius incorrupta, stillantibus roseum etiamnum cruorem vulneribus fragrantissimum odorem spirasse: cum Hadriano genæ virgineo rubore quoque suffunderentur. Cæterum iusta funebria cum ritibus ac ceremoniis in Ecclesia Christi sacerdotibus adhiberi solitis per honorabilem senem octuagenarium Dn. Antonium Vltraiectinū persoluta fuerunt: dum plurima psalmorum laude celebrata triumphales victimæ ante summum DEI Opt. Max. altare, ubi Christus hostia offerri ab illis solet, uno eodemque sepulchro conduntur. Gloriosi sane ciuitatis Goudanæ Martyres, qui ut in vita se inuicem dilexerunt, ita & in morte non sunt separati. Felix, (si tādem modo resipiscat) præclara ingeniorum nutrix Gouda: quæ non solum orationibus, sed & vita etiam ac passionibus suorum Martyrum adiuuabitur. Exempla enim ciuibus suis reliquerunt illi pie, sobrie ac caste vivendo conuersationis, tolerando vero fortiter passionis.

Ideo namque Dominus diuersis in locis per vniuersum mundum & olim pati voluit suos Martyres, vt tanquam idonei testes præsenti quodam fidei exemplo homines ad suæ confessionis imitationē vrgerent. Porro reddiderat celebrem quōdā Goudā Steynæum Augustinensium Canonicorum collegium & cœnobium, vnde veluti ex altero Troiano equo prodiere *Cornelij*, *Guilielmi*, *Erasmi*, similesque Heroes: at longe celebriorem eam reddet fratrum collationariorū domus, quæ sera hac ætate Martyres protulit. Ornamento quoque Goudæ suæ nuper fuere varia eruditione clarissimi ciues *Reinerus Snoius* & *Hermannus Lethmatius*. Verum multo magis ornabāt eam *Iohannes Rixtellius* & *Hadrianus Lambertius*, Martyrio illustrissimi: maxime autem cum dulciloqui vatis *Cornelii Schonai* sui hymnis digne agones ipsorum decantati fuerint. Valete nunc tandem sanctissimi Martyres, clientisque vestri ac antiqui amici *Petri Opmeerij* senectutem iam pro foribus adstantem Domino nostro *Iesu Christo* precibus vestris commendare dignemini, instar fortium maximeque

*Reinerus Snoius. Hermannus Lethmatius.*

meque

meque fidorum militum ostendentes cum fiducia inflicta vobis à dirissimis Orthodoxæ fidei hostibus honesta illa vulnera, per quæ omnia vestra vota non difficile impetrare poteritis apud æternum Regem, qui est benedictus in sæcula.

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS I.*

## LIBER VIII.

## Martyrium D. Hadriani Harinchusani.

*Ex relatione variorum pastorum minoris Frisiæ & præcipue VViggeri Medeblicii præfecti aggerum ibidem.*

QVi patriam nostram Hollandiam non à ligni fœniue copia, aut terræ cæcitate, vel populo quondam equorum indomitorum in morem tumultuante esse appellatam; sed à Danis, quorum arma annis abhinc septingentis triginta circiter per maritimam Galliæ Belgicæ oram late dominabantur, Hollandiæ seu Olandiæ nomen accepisse opinantur; ij, Scagam Cimbrorum olim fuisse coloniam, atque à cognomine ipsi pago, qui ad promontorium Chersonesi Cimbricæ visitur, esse dictam contendunt. Mores namque illud indicare incolarum, qui more victoris quondam populi animis insolenter elatis tument, & ferocia quadam vicinos circum circa despiciunt. Agrum quoq; affirmant Scaganum & ob situm loci, & ob soli fertilitatem deducendæ coloniæ multo fuisse aptissimum. Neque enim alterum meliorem pretiive maioris Hollandiam habere. Abundat is itaque equis generosis, abundat & validis & lactiferis vaccis, amplissimique corporis ouibus. Fruges præterea producit largiter, nec vlla parte sui inculta infructuosaue est. His accedit, quod haud procul inde ad Crabbendanum viculum Rheni cernitur alueus, qui nomen suum antiquum, licet à Rheno destitutus, etiamnum retinet: quo classes Danorum sæpius appulisse feruntur. In propinquo quippe Oceanus est. Lacus quoque, cui mari Austrino nunc nomen, & Wartum stagnum piscosum. Quæ quidem, vt vndique infestant regionem: ita prouentus rursum vberes accolis compluresque commoditates præbent. Mirabile relatu: Insula in lacu est à Scaga septem circiter milli-

bus Widtinga nomine. Huc quotannis olores ac anseres, & ex anatum genere Penelopes, præcipue vere adulto agminatim commeant, rostris algam virentem ab imo lacus euellentes: quam magno emolumento Frisii piscantur. Hac etenim vestiunt aggeres latissimos, atque ab iniuria maris (quod aliter haud fieri posset,) defendunt. Nulla namque materia magis pondere sui condensatur, excipiendoque fluctus æquoreos firmior est. Porro ditionem Scaganam Philippus II. Burgundiæ Dux, cui Bono fuerat cognomen, Gulielmo Alberti Bauari notho, Auunculo suo donauerat. Continet ea Scagam opulentissimum totius Frisiæ minoris Municipium, Berningerhornam quoque ac Harinchusam vicum, vbi natus fuit, quem celebrare aggredimur *Hadrianus Olai* filius integritate innocentis vitæ, Orthodoxæque fidei professione, nec non martyrii palma inclytus. Qui cum à puero procul negotiis foret educatus, elegit abiectus esse in domo Dei sui magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Quoque sibi ac proli, quam quinam ipsi vxor moriens reliquerat victum, pararet, sacrorum agebat custodem, assidueque in templo versabatur. Illud sedulus aperire ac claudere, situm etiam ac puluere purgatum, decenter ornare. In illo animos agrestium formare puerorum, docendo eos & literas & hymnos modulari Ecclesiasticos: cantandi nimirum Latine, quam loquendi peritior.

*Hadrian. Olai Custos templi Laicus Harinchusæ.*

Præterea campanæ sonitu agricolas vocare, vt cum Deo loquantur, & pro peccatis excessibusq; suis illum precentur. Oleo insuper flammã viuacis pascere luminis. Deinde psallere spiritu, psallere & mente, atq; supplens locũ Idiotæ, super benedictioné sacerdotis dicere, Amen. Et quis quæso non crederet hunc talem tam humili sorte contentum, proculque ab inuidiæ malis remotissimum intra mapalia sua latere tranquille potuisse? At nescit celari ardua splendidaque virtus: neque occultari tectis fidei Orthodoxæ fulgor potis est. Præcipue vero si quando vehementior, solitoque sæuior persecutionis procella oborta fuerit.

Quod profligato ex Hannonia exercitu Aurantii accidit: cum vis Germanorum consilii expers mole rueret sua. Atque ipse dux metus ac angoris plenus cum exiguo comitatu Enchusiam appelleret, extrema quasi in Hollandia operturus. Etenim centuriones tunc quique, quos desperata salus ad rabiem omnino accenderat, quo aduentui eius serio gratulari viderentur, passim sacerdotes Christi, quasi victimas pro salute ipsius deuotas ad pœnam quærebant. Forte huc illuc metu, formidineque vagantem hospitio exceperat sacerdotem Hadrianus, miseratus iniquam miseri sortem. Id cum à Dorgo quopiam (Habet

bet enim, proh dolor, non paucos nunc huiusmodi susurrones Hollandia) delatum esset ad Liuinum Decrocium, Gandensem Centurionem, mittit hic satellites suos Harenchusam, qui impetu in tuguriolum facto, supellectilem vestemque omnem viri innocentis depopulentur: atque Sacerdotem captiuum sibi adducant.

Sed commodum is abierat; quare Hadrianum ipsius loco comprehendunt, atque inter lachrymas vagitusque infantulorum ferreis compedibus onerant. Lamentatur ille, simulque exclamat: Siccine innoxium rebus suis spoliari? atque indigenam rapi ex ædibus? siccine parentem à dulcissima sobole diuelli? ô facinus atrox ac indignum! siccine & puerulos teneros suo orbari parente? ita ne pusiones cum eiulatu subsequentes genitorem, minis verberibusq; abigere decet? Me miserũ! quo fugient? quis tecto illos recepturus est? quis pultem cocturus, annonamue præbiturus? Vbi cubabunt, quis induet exuetq; vestitu? quis dormituros signaculo crucis muniet? angelisque custodibus post preces Deo Opt. Max. dictas commendabit? Ah, ne vos frigora lædant. Conantem plura dicere vetuere. Interea emenso Waito stagno vinctus ad Paludanos maiores deuehitur. Habitant hi ædes continuas in medio fere municipij, quod via strata ad sex millia passuum ab Enchusia exporrectum, quatuor vicis distinguitur. Genus hominum agreste ac laboriosum, fossores hortulanique fere omnes, quæstum facientes ex prouentu cæparum ac cicerum, quæ regio profert præcipuæ generositatis, omninoque qualia Tiberius Imper. flagitabat omnibus annis à Germania.

Eo ergo appulsi Prædones, domum Cornelii Germanici F. Catholici viri ingrediuntur, multo clamore succendi luculenter focum postulantes. Accurrunt illico Cornelii vxor (exulabat enim ille Amstelrodami) liberique & pro se sedulo quisque festinat. Alii focum extruere, alii lectos sternere aut cœnam apparare. Vbi ignis iam emicuit, vident Hadrianum sedentem solum, atque dolorem suum silentio deuorantem. Adeunt miserum, atque multa de vi bonor. raptorum ac liberis à se abactis conquerentem consolantur. Deinde præfectum rerum capitalium hoc modo alloquitur materfamilias: Itane hominem vinctum huc adduxisse, atque ædes hasce carceris loco haberi æquum est? sinite, quæso, illum abire, aut saltem dicito, quid de illo fiet. Cui præfectus; Facile, inquit, tibi ipso dimittendo gratificaremur hospita, si illum, quem venabamur sacrificum, cæpisse contigisset. At quando is effugerit, hic pœnas pro eo, vt luat, necesse est. Cras enim suspendetur, nec vlterius vobis negotium facesset. His auditis, ingemuit Hadrianus, simulque incla-

mat: Ain tu? me crastino die suspendio sublatum iri? Cuius accusor criminis, aut quod maleficium commisisse arguor? Quis actor? quique iudices erunt, apud quos causam dicturus sum? qui testes? Nullusve mihi Patronus dabitur, qui in tanto periculo calamitosum defendat? Tum capitalium rerum Præfectus: Non est, respondit, quod te huiusmodi rebus excrucies. Iam dudum enim sententia Centurionis nostri damnatus es, & nisi desidia torpentes imbre ac frigore intra nauiculam continuisset: ex prima, quæ in itinere visa fuerat, arbore pependisses. Quod ad crimen attinet, annon satis tibi peccasse videris, quod spreta noua ac sincera, quam adferimus religione, veterem ac obsoletam profitearis? præterea sacrificium domi tuæ occulueris? Ad quæ captiuus paulo iam hilarior: Rides, inquit, ni fallor, qui in tanta errorum licentia, atque scelerum impunitate me ob fidem auitam capitis damnari, aut etiam hospitalitatem amico antiquo, quem deseri Sapiens vetat, gratis exhibitam mihi dari crimini asseris.

Audi, si placet, quæ paucis tibi referam. Pagus hinc vix quatuor miliaribus abest, quem modo præter nauigauimus, Westvvouda nomine: vbi hanc fidem ante annos octingentos seruandam esse docuit S. Bonifacius Vltraiectinus Archipræsul, cum eo in loco templum ex topho ædificatum, Deo ritu Christiano consecraret. Eandem enim Beatus Werenfridus iam antea annunciarat, & postmodum etiam prædicauit D. Odulphus, qui hinc ad Sturios, vt monasterium extrueret, profecturus, Rheni ostium furnario baculo traiecisse traditur. Porro hanc eandem meo nomine seruari promissam in sacro baptismate, parentes me quoque docuere. Quæ diuini numinis munere inter tot hæreses inconcussa stabilitate conseruata, vel ita mihi antiquior est. Non patitur hæc me esse otiosum, sed ad opera charitatis obeunda impellit. Hortatur vt esurienti frangam panem meum, & egenos vagosque inducam in domum meam. Videlicet ne sim hospitalitatis immemor. Quandoquidem per hanc quidam inscientes Angelos hospitio receperint. Hæc risu excepta fuere; clamantibus cunctis: idcirco ipsi moriendum esse, quod obiecta sibi crimina vltro confiteatur. Interea cœna peragitur, lectisque se componunt prædones: tum multus Hadriano de sua liberorumque calamitate apud domesticam familiam sermo. Subinde Christi itaque Sanctorum exemplo seipsum consolatur: aliquoties etiam preces ad Devm fundit, & Sanctos ad memoriam reuocans, vt pro se orare dignentur, rogat. Kalendæ Nouembris erant, qui dies honori omnium Sanctorum consecratus solenniter ab Ecclesia obseruari solet anno CIↃ.IↃ.LXXII. cum mane, hora ferme sexta tortor Hadrianum

num à tergo manus vinciri recusantem, & se vltro, quo duceretur secuturum promittentem ad nucem, quæ ante ædes Ioannis Frederici i medio inter templum D. Iohannis Baptistæ ac virginum sacrarum cænobium itinere altum excreuerat, ducit Vbi & collo eius vincula intendit canabina, atque dicentem: In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum, ex arbore strangulat pendente ad pectus pyctacio, cui inscriptum fuerat: Mandato Principis Aurasii illud esse factum: Narrant, qui adfuere, eum suauiter dormientis in modum pependisse, oculis clausis, auribusque arrectis quodam modo ad vocem Archangeli & tubam Dei, quo experrectus audire posset Christum dicentem: Sancti mei, qui in carne positi certamen habuistis, mercedem laboris ergo reddam vobis. Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Hospes namque eram & collegistis me: Amen enim dico vobis, quatenus fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Cæterum sub vesperam ex arbore demittitur sacrum cadauer in cæmiterio humandum, pauloque post nux à Dominio exscinditur, ne tantæ crudelitatis extaret monumentum. Varii deinde inter agricolas sparsi sermones, dum simpliciores in Decrocium inuehuntur vehementer: cati vero magis in Aurantium culpam coniiciunt, quasi is Orthodoxos excruciari imperauerit. Quos nequaquam falsos opinione fuisse videtur: quod postmodū tot Sacerdotes Monachosq; impune trucidauerint Scurræ vilissimi quique: cum interea Liuinus extremo sit affectus supplicio, quod Ioannem Culicem haud satis sobrię mentis sacrificum mactauerit Adbiberat is paulo plus, atque Decrocium Alcmaria Scagam cum cohorte mouentem secutus vociferari: se abnegato sacerdotio, fideque Orthodoxa, militiæ nomen dare velle. Quo audito Liuinus, qui in feritatem iam degenerauerat, maximeq; sacerdotū flagrabat odio: caudæ equinæ alligari hominem mandauit. atque gradientem celerius caballum subsequi coegit. Iam ad longum peruenerant aggerem, cum naso, auriculis, mentulaque misero abscissis, ipsum morsibus canis Molossi exponunt, misereque laceratum glandibus traiiciunt sclopetariis. Rumore huius tam immanis facinoris Alcmariam perlato, adeunt Snoium præfectum Caluiniani acerbe Liuinum accusantes, quod sacrificum in sua verba iurare paratum, crudeli morte affecerat. Id in dedecus professionis suæ redundare, quasi homines innoxios, & non potius pontificiā persequi religionem videantur. Deterreri tali sæuitie homines, & nequaquam ad se allici. Quod si sæuire libeat, complures alios passim inueniri presbyteros (neque enim quisquam honestę

Ioannes Culex Sacerdos.

vitæ

vitæ ac mediocris doctrinæ Sacerdos per vniuersam Hollandiam, etiam nunc fide Orthodoxa abnegata ad illos desciuit) in quos impune istud liceat. Non posse hanc à se abstergi maculam, nisi grauiter in Decrocium ipsiusque militem animaduerterit.

Similiter & ad Frisiorum ordines huiusmodi querelæ delatæ sunt. Quare Scagam missus Snoius obtruncari Liuinũ curauit. Cum is multa ad circumstantes agricolas locutus, libertatem frustra ipsos à Snoio aliisque Piratis ac latronibus expectare dixisset. Quandoquidem illi apud se constituerint, rusticos vaccarum in modum mulgendos, remulgendosque vsque esse, donec omnibus exutos fortunis & ad extremam calamitatem redactos relicturi fugiendo fuerint.

Porro cohors quoque inde abducta à Christophoro Mondragonio, dum is Insulam Ruygenhillam inuadit, internecione deleta fuit.

Sic ut iudicium absque misericordia fuerit eis, qui non fecerant misericordiam. Sed missa faciamus huiusmodi Satanæ mancipia, vna cum Culice Sacrificulo, vt qui præcipitis audaciæ ac impietatis pœnas dederint, atque ad Hadrianum ex sacrorum æditu o gloriosissimum Martyrem reuertamur. Quem non possumus non vere felicem ac beatum prædicare, quod reliquerit patriam rusticitatis vernaculam, vbi qui ditior est, sanctior habetur & prudentior, qui contentiosus ac præfractus magis est; vbi fora & tribunalia iurgiis litibusque perstrepunt, denique vbi nulla fere celebrantur matrimonia, nisi scortationes, & impuri antecesserint concubitus. Quodq; non per Cocyti stagna, Stygiamq; paludem ad campos Elysios vectus fuerit: sed quod per multas tribulationes intrauerit in regnum cælorum; quod pauperum spiritu est, & eorum, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, vbi mites terram possident, lugentes consolantur, misericordes consequuntur misericordiam, saturantur, qui esuriunt & sitiunt iustitiam, mundi corde Deum vident, & pacifici filii Dei vocantur. Censendus nimirum inter ciues sanctæ ciuitatis Hierusalem nouæ, cuius portæ ex Sapphyro & Smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur & per vicos eius Alleluia cantabitur.

PETRI

# PETRI OPMEERI
# DECADIS PRIMAE
## LIBER IX.

### Martyrium D. Arnoldi Anachoretæ: ex variis Leidensium atque Harlemensium literis descriptum.

LVgdunum Batauorum longe omnium, quas Hollandia habet, amænissima pulcherrima vrbs, ad veteris Rheni ripas sita Leida nunc, seu potius, vt plerique malunt, Legia, à Romanis nimirum Legionibus dicta est. Quam antiquissimam esse ostendit propugnaculum media in ciuitate erectum, quod amnis circumfluit. Quin & alia complura antiquitatis monumenta circum circa possidet. Nam passibus inde IX. M. Alpheni castra conspiciuntur: & in propinquo sunt Romanum ac Rheni castella. Ad Oceanum vero Cattorum & Normannorum oppositi sibi inuicem stant vici, inter quos Rhenus in mare influere solet, loco vbi quondam arx Britannica visebatur, armamentarium videlicet populi Romani à Claudio Principe (vt referunt nostratium historiæ) in Oceani littore positum. Quamquam ego turrim primitus illam altissimam fuisse existimo; quam C. Caligula excitauerat, ex qua, vt ex Pharo, noctibus ad regendos nauium cursus ignes emicarent: cum ille quasi perpetraturus bellum, directa acie, in littore Oceani, ac balistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante, quid nam cæpturus esset, repente vt conchas legerent, galeasque & sinus replerent (ludribrium Caianarum expeditionum recte nominat Tacitus) imperauit: spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioque debita. Huius ergo turris reliquias subinde cernere licet, cum Circio flante impetuosius, solito plus excrescit Oceanus, fædioreque tempestate actus arenam littoris altius eluerit. Eruunturque ibi antiqua tunc Princip. Roman or. numismata, ac vetera rudera, imbrices quoque & pauimenti laterculi coctiles cum huiuscemodi inscriptionibus.

C.C. P. F.
Ex. Ger. Inf.
Leg. XXX.
Leg. XXX. Ato.
Leg. I. M. At.

Sed & inter tophos complura religiosæ vetustatis monumenta reperta sunt: atque lapis quadratus quinquaginta abhinc circiter annis inuentus, cui hæc inscripta fuere.

Imp. Cęs. L. Septimius Seuerus Aug. & M. Antonius Cæs. Cos. Vol. Armamentarium vetustate conlapsum restituerunt sub Val. Pudente Leg. Aug. Pr. Pr. Curante Cæcil Batæ Prac.

Ex altera autem parte:

Gens Batauorum amici & fratres Romani Imperii.

Est & alter postea effossus titulo aræ ab Antonio Caracalla consecratę inscriptus hoc pene modo:

Imp. Cæs. M. Aurel. Antoninus, Britannic. Germanic. Pius, Felix, Augustus, Pont. Max. Trib. Pot. xviii. Cons. iiii. P.P. Imp III.

Aram à Diuo Claudio & postea à Diuo Seuero Patre suo Restitutam.

Item alter quoque cum imaguncula, & hac inscriptione:

Imp. Cæs.
Anto.
Avg. Coh.
Baetorv.
P. E.

Præter hæc frequentiores priscæ nobilitatis ibidem familiæ non obscuris vetustatem loci indiciis produnt. Plures namque natalium claritate insignes viri ciuitate in illa, agroque Rhenano, quam in cunctis cæteris Hollandiæ oppidis, vniuersaque adeo regione numerantur. Inter quos nuper emicuit valde *Hadrianus Naldicenus*, inclyta in Batauis stirpe ortus, permodestus ac bonæ frugi homo. Huic ad inseruiendum se locauerat sartor Vltraiecto veniens *Arnoldus* nomine *Ioannis Filius* ex Ambactu Bergensi, haud procul à Schoonhouia ortus; factiosæ ciuitatis luxum, arrogantiam, libidinem, fastum, ferociam, impiamque ambitionem, necnon sacram auaritiam, quam Simoniam appellant exosus Ingenium enim viro simplex, & ab insidiis, omnique fuco alienum, nullisque obnoxium vitiis. Summa eum frugalitatis, humilitatis atque solitudinis habebat admiratio. Qui post heri sui mortem Latinas literas ab *Ioanne Saraio* Grammatista mediocriter edoctus, cum ad Sacerdotium inuitaretur, facile adsensit, scopum vitæ suæ proponens Christum. Igitur sacris iam initiatus more vetustorum Patrum Eremi secreta antiquitus incolentium philosophari cæpit, solitariam o-

*Hadr. Naldicenus.*

*Arnoldus Iohan. Ambacherita.*

*Ioan. Saraius Grammatista*

mnino degens vitam: ſicuti vulgo Anachorita paſſim vocaretur. Habitauit enim anguſtæ domus cubiculum exiguum gratis ipſi conceſſum, è regione ſacrarum virginum, ex præſcripto Beati Dominici Calaguritani viuentium non procul à D. Petri: Rapenburgo loco nomen eſt. Rara ei ſupellex, locoq; ubi alii ſigna tabulaſque artificioſe depictas oſtendunt, ipſe cranium demortui hominis poſſidebat, ut eo conſpecto mortalium nouiſſima continuo meditaretur, turbarum hominumque præcipue mulierum fugitans, adeo uti nec ſororem Germanam ad cubile ſuum facile admiſerit. Vbi tanquam inſano multum religioſo plerumque DEO proſtratus crebris & diuturnis orationibus veniam delictis ſuis poſtulabat, aut Pſalmorum precumque horariarum recitatione ſacrum penſum perſoluebat. Quin imo & ſacerdotio ſumma cum diligentia perfunctus eſt. Vir plane dignus qui Paulis, Antoniis, Hilarionibuſq; annumeretur. Præſertim cum æuo florente (neque enim trigeſimum quintum ætatis annum exceſſerat.) atque regione tam frigida admirandam continentiam cibi aſperitate continuoque ieiunio exercuerit. Interdiu namque prandebat, nocte ſuper ſtramina ventre vacuo cubitans. Cibus autem panis ſale conditus, potus aqua erat. Quod ſi quando feſtis potiſſimum diebus ſe reficere, lautiuſq; epulari vellet, cæpe vnum aut alterum obſonii loco ſumebat.

Quid de veſtibus dicã? quæ viles ſordidæque ſeculi contemptum probantes, candidæ mentis ſigna haud occulte oſtendebant. Neque enim par erat, illum veſtimentorum ambitione componi, qui virtutum operatione abunde ornatus eſſet. Cæterum cum iam abdicato ſeculo ſe occultare ſatageret taciturnus, neque DEO, neque hominibus ob fidei ſanctimoniæque fragrantiam latere potuit. Nam hi eum ad pœnam auſu temerario depoſcere: ille vero ſeruum bonum, & ſupra pauca fidelem per Martyrii gloriam (ea ſumma, quæ Chriſtiano homini contingere poteſt) ſupra multa conſtituturus ad æternitatis gaudium euocare voluit. Hic igitur cum Schoonhouia in fidem recepta ad hyberna dimitteretur exercitus, Guilielmus Lummenus peragrando aliquot ciuitates Lugdunum Batauorum venit, Harlemum cogitans, ſtipantibus eum Prætorianis, qui ſub ſigno quod conſpicilio notabatur, cuique Henricus Aloſtanus præerat, merebant. Erant hi ex Tungris, Eburonibus viciniſque Gallis collecti, genus hominum ſæuitiæ, rapinis atq; cædibus piorũ innocentiumque virorum, maxime autem Chriſti ſacerdotum magis, quam præliis aſſuetum. Qui ciuitatem ingreſſi, fanatico quaſi furore correpti illico per vias diſcurrunt, vbique latitantes acriter inveſtigando Preſbyteros. Dum igitur eos quæritant D. *Henric. Paulum* honeſtate morum & humanitate inſignem comprehendunt, quem poſt complura pericula lytro perſoluto poſt- *Henr. Paulus.*

ea dimisere. Inde Anachoritam quoque nostrum Arnoldum, (habitabat his ædes contiguas, alterque alteri vicinus erat) indicio proditum, in vincula coniiciunt. Quem columbina simplicitate conspicuum quibus contumeliis excepere? quibus onerauere ludibriis? quibus deniq; iniuriis affecere? Porro cum summus veræ paupertatis esset amator, pecuniaque ipsi, qua se redimeret, deesset, Harlemum petentes nauiculæ vinctum imponunt, advectumque per stagnum vastum, ac voraginosum, haud procul ab urbe, in ripam nocte concubia exponunt. Deinde torpentem frigore, atque metu propemodum exanimem gradientes celerius subsequi coegere. Sed cum exesa continuis ieiuniis carne vix ossibus hæreret, & cursu citatiore defessus ægre incederet, mucronibus gladiorum, hastiliumque spiculis latera, tergaque anhelantis vsque improbi fodere: donec tandem sanguine largius profluente, viribus deficeret, atque moribundus cum suspiriis misere procumberet. Est pagus haud longe ab Harlemo Hemstedium nominant; hunc circiter eum arreptum, & ad arborem ligatum sclopetis frequentibus sæpius exoneratis crudeli sane miserabilique modo trauciunt: atque ita is, qui quondam diuitias, honores, voluptates, delicias, quæque cætera homines mirantur despiciens, ut ab hoc sæculo nequam transferri, & cum Christo esse posset, pie semper desiderauerat, nocte, quæ Calendas Nouembres insecuta est, morte sua imortalem ac cælestem vitam comparauit. Sacrum cadauer, cum prius ipsi membrum virile præsectum fuerat, fossæ lutosæ abeuntes immergunt, pedibus in sublime eleuatis, quod post dies octo inde extractum agricolæ ac pastores sacello viciniæ, cui Langeueldo nomen est, inferunt, effossaq; scrobe condũt. Felix sacellum hoc tali deposito, quod scrinium virtutũ omnium, imo sacrariũ Spiritus sancti fuerat: Sacellum, inquam, plane dignum, cui Normannorum vicus Ieronis Presbyteri ac Martyris iam olim inclytus etiam inuideat. Felix quoque Lugdunum tanto suo municipe, atque ap. DEVM. Opt. Max Patrono. Quam quidem ciuitatem immerito etiam gloriari decet, quod insuper duos in ea nasci contigerit doctissimos Theologos, eosdemque summos solitudinis amatores, & vitæ monasticæ proceres, *Petrum Blomeuennam & Petrum Leidensem*. Quorum ille, cum monasterii Carthusianorum apud Coloniam Agrippinam moderator, ac Ruremundenses visitaret Monachos, *Dionysii Richelij* Doctoris, ut vocant, extatici opera a tineis ac blattis vindicata in gratiam diuinæ Theologiæ Candidatorum typis accurate excudi curauit. Hic vero ob eximiam doctrinam, singularem pietatem, raramque monasticæ disciplinæ obseruationem in Patriarchatum Carthusiæ magnæ apud Allobroges vocatus, dignissime summaque

*Petrus Blomeuenna.*
*Petr Leidens.*
*Dionys. Richelius.*

maque cum laude illo munere perfunctus est. Accedit præterea ad huius ciuitatis decus, quod non sine peculiari Numinis nutu clarissimus solitudinis Encomiastes Cornelius Musius Delphus Poeta ac Theologus celeberrimus ibidem, pro Christi nomine fideque Orthodoxa passus sit. Felix denique vereque beatus sanctissimus Martyr Arnoldus, ut qui post peracta gloriosa certamina deposito onere corporeo supra turbida mundi huius nubila alis pernicibus aduolauit, atque modo in cœlesti curia inter purpuratos atque sacri exercitus principes conspicuus lucem incommutabilis veritatis firmissimis purissimæ mentis oculis intuetur: modo in amænissimis Paradisi pratis cũ suis illis popularibus aliisque monachis & anachoritis de triplici solitudine; nimirum loci, temporis atque animi suauiter philosophatur.

Hunc conspicaturi ii quandoque, qui ausu sacrilego illum trucidauere, quique nefarie in illius necem consensere: Nunquid hic est, inquient, quem habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illius æstimabamus insaniam, & finem illius sine honore. Ecce quomodo computatus est inter filios Dei, & inter sanctos sors ipsius est. Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles. Viam autem Domini ignorauimus. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud altissimum.

Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextera sua teget eos, & in brachio sancto suo defendet illos. Contra insensatos vero stabit Spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos, & ad eremum perducet omnem terram iniquitatis illorum. Relicta erit in vrbe solitudo, & calamitas opprimet portas, & omnis, qui transibit per illam, sibilabit & mouebit manum suam.

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS PRIMÆ*
# LIBER X.

## Vita & Martyrium D.Cornelii Musii Delphici.

*Ex relatione ipsius Musii, varijs opusculis ac literis, tam eius, quam amicorum diuersorum, narratione denique Sacerdotum & sacrarum virginum Delphis exulantium.*

*Corn.Musius Diu.Agath. apud Delphos præfectus.*

*Cum iam olim mihi probe cognitum sit, Clarissime, quanta familiaritate iam inde ab adolescentia cum sanctissimo IESV CHRISTI Martyre celeberrimo Theologo ac eximio Poeta Cornelio Musio Delpho coniunctus fueris,* quamque sancte & inuiolate amicitiam inter vos ad extremum vsque coluistis: non potui non apud te commemorare, quæ diligentius in vitam ipsius inquirendo tam ex eo ipso, quam ex Synchronis eius intellexerim, quæque ex schedis diuersis ab ipso perscriptis didicerim. Cum quod me rem tibi multo gratissimam facturum persuasum habeam, tum, quod si alicubi aberrauero, illud te pro pristino tuo candore admonere liberius dignaturum, plane confidam. Nosti enim, opinor, quomodo mihi homini ab omni fuco alieno, & obesæ omnino naris sua Apotheosi, quam etiam literis mandatam ad me D. *Adrianus Crucius* noster transmiserat, nuperrime aliquot lepide nugaces imposuere Poetæ. Quibus vero tantum abest vt succensendum existimem, vti etiam ingentes eis habeam gratias.

*Adrianus Crucius.*

Quandoquidem hoc suo quasi pungentes aculeo ad secretiora summi viri illustrissimique Martyris indaganda, simul & in erudite piorum hominum gratiam memoriæ prodenda, me præcipue excitauere. Quæ huiusmodi fere esse certo comperi. Cornelius Musius Vlardinga antiquissimo Slauorum olim ad Mosæ ostium pago oriundus nascitur Delphis celebri Batauorum ciuitate III. Idus Iunii, dieque postero, qui Odulpho Confessori sacer est, in D.Hippolyti per Baptismatis lauacrum Christo regeneratur anno à partu virginis cIↃ. IↃ. Qui etiam annus præterquam, quod Iubilæus fuerit, natiuitate D. Caroli V. Imp. religiosissimi atque ter maximi inclytus habetur. Domus in qua

qua natus fuit Cornelius, via Hagana inter portam, & D. Georgii Xenodochium ostenditur. Patrem habuit *Iohannem Musium*, Petri filium, virum animi probitate & solerti industria potius, quam opibus magnificis insignem. Matrem Elisabetham Woudanam, mulierem honestam sane ac piam, quæ germinantia virtutum semina liberorum animis præclare à viro suo mandata sedulo commodissimeque rigaret. Pueritiam primamque adolescentiam in patria egit, cum à *Ioanne Nardeno* percelebri Grammatico, qui Hardernico Sicambrorum euocatus, Delphensem summa cum autoritate scholam moderabatur, liberalibus institueretur disciplinis. Quo tempore primo Matrem, pauloque post Patrem quoque amisit, tutorque ei datus est Nicolaus Segnerdius Bartholomæi filius, Sophiæ Sosboutiæ vxoris quondam meæ auus maternus. Huius consilio cum Petrus frater & soror Iudith, quæ mutato nomine Elisabetha iā vocabatur, religiosæ vitæ etiam voto se adstrinxerant, Louanium grandior ablegatur, vbi Philosophiam multa discendi facilitate in Castrensi Gymnasio feliciter percepit, & sæpius eruditione spectata insignis inter primarios Candidatos laurea donatur. Inde Buslidianum, quod Trilingue nunc dicunt, Collegium frequētans ardentius, maioreque conamine humaniorib. studiis operā nauare: cū *Conradum Cocleniū* Westphalum Latinas, *Rutgerum* aūt *Rescium* Græcas literas profitentes attente audiret. Verum cum census tenuitatem agnosceret, quo se annuæ impensæ metu aliquo modo liberaret, variis instructus disciplinis Gondanum Gordunorum proficiscitur: ibidemque oblata honesta cōditione docere iuuentutum aggressus est, in domo fratrum. Ludus hic literarius in fundo nobilis viri Gerardi Villani, seu vt appellatur aliis, Diaboli est ædificatus anno a Christo nato cIↃ.CCCC.XXIX. Cum Philippus Burgundus cognomento Bonus ducta Elisabetha Iohannis Lusitaniæ Regis filia in nuptiarum celebratione ordinem aurei velleris institueret. Cæterum quandoquidem præter eximiæ eruditionis opinionem, vbique probatissimi nominis fama iam quoque frueretur Musius, Cortracum euocatus, Iacobo Sanctaragundo Thoraltensi præposito doctissimo, atque aliis aliquot generosis adolescentulis à Carolo Coquinio Aquicinctensis Monasterii Abbate Pædagogus constituitur. Cū his igitur Louanium mox petens Stephano villico Thiletensi, veteri sodali aliquandiu suauiter conuixit, quem Bucolico etiam tunc carmine celebrauit. Verum dum diuinæ iam Theologiæ studiis serio se addiceret, antiquiores potissimum scriptores lectitans, Clarissimum Theologum *Iohannem Hasselanum* amicum sibi comparat, cuius censuræ postea scripta sua præcipue solitus

*Iohan. Nard.*

*Conrad. Cocl. Rutger. Resc.*

*Ordo velleris institutus A. 1429.*

*Iac. Sanctaragundus. Carol. Coquinius.*

*Ioh. Hassel. Theologus.*

litus sit committere. Postquam ergo aliquot annos Louanii egisset Atrebatum, deinde Lutetiam Parisiorum cum discipulis proficiscitur *Iodoco Badio* Ascensio Gandensi ob Coquinium cæterosque amicos plurimum commendatus. Erat autem *Badius* Typographus ac Bibliopola magni nominis, cuius officinam sæpius inuisere soliti erant *Guilielmus Budæus, Iacobus Faber Stapulensis, Faustus Andrelinus, Petrus Rossetus, Iohannes Ganeius*, cæteraque Latinæ Græcæque linguæ luminaria, quæ liberalitate ac munificentia Francisci Valesii primi eius nominis Galliarum Regis Christianissimi, tum vel maxime illa in Academia florebant.

*Iodocus Badius.* *Guil. Budæus* *Iacob. Faber Stapulensis.* *Faustus Andrelinus.* *Pet. Rossetus.* *Ioh. Ganeius.*

Horum cætui sæpius interesse Musius, hos familiarius confabulantes auscultare, cum his denique sermones serere. Vnde & factum existimo, quod tot per Galliam postea abundauerit amicis, præcipue autem cum Aurelianorum Turonum Andogauensiumque regionibus peragratis Pictauii biennium ageret: quales fuere *Guilielmus Longanus*, Consiliarius Burdigallensis: *Antonius Ardillonius* Heluetius, *Petrus Ioannes Oliuarius Valentinus Hispanus, Leonardus Latus. Hilermus & Renatus Fabricii* fratres Iuliodunenses quique editis ingenii sui monumetnis potissimum enituere tres clarissimi Poetæ, *Ioachinus Polites, Iulianus Hauretius, & Salmonius Macrinus* Antigrapheus & cubicularius Regius: qui cum *Benedicto Theocreno* Episcopo Crassensi liberorum Francisci Regis Præceptori etiam commendasse putatur. Horum varia carmina literasque diuersas ad Musium, & vicissim Musii ad ipsos quam amicissime conscriptas, auditique candoris plenas, multa cum voluptate aliquando legi. Quin & Iohannes Secundus Hagiensis (cuius Basia à Lilio Gyraldo tantum commendata passim tunc auide legebantur) ex Hispania rediens, cum aduersa Pictauii tentaretur valetudine, aliquot menses apud eum mansit, imaginemque ipsius summo sane expressam artificio ex argento plumboque elegantissime fudit, cum in Secundi cognomen hocce Disticho lepide lusisset:

*Guil. Long.* *Anton. Ardillonius Heluetius.* *Petr. Iohan. Oliuarius.* *Valentinus Hispanus.* *Leon. Latus.* *Hilermus & Renatus Fabricij.* *Ioachimus Polites.* *Iul. Hauret.* *Salmonius Macrinus.* *Benedictus Theocrenus.* *Ioannes Secundus Lilius Gyraldus*

*Non fecit merito, nomen qui forte Secundo*
*Imposuit: Primus iure vocandus eras.*

Quantum autem inter doctissimos istos profecerit amicos, Epistola ad ipsum perscripta satis testatur Hasselanus, in qua hæc habentur: *Veruntamen Carmen tuum unice placuit, non solum quia candidum, sed etiam, quia rara quadam & amabili prorsus felicitate dicam, an facilitate expeditũ, qua dote nulla mihi gratior. Itaque quod in Corporibus Hollandicis animaduertere sæpius visus sũ, ut si quando agere in cœlo Gallico contigisset, è crassis & obesis habiliores fierent, moleque sua minus impedita; idẽ comperire videor in ingenio, Delphe, tuo, Carmina quædam isthic abs te scripta cum iis conferens, quæ pridem*

*dem apud nos scripsisti.* Porro quid etiam soluta potuerit oratione præstare, satis superque ostendit in Epistola illa dedicatoria ad *Carolum Coquinium* Abbatem Patientiæ à se luculenter carmine descriptæ præfixa. Quanquam & idem in Oratione de officio præfecti sacrarum Virginum, Amstelrodami in Synodo Patrum Tertianorum, ut vocant, habita, cernere licebat. Sed maluit secreto quodam naturæ instinctu se potius oblectare Poesi, vinctaque numeris oratione. Itaque cum apud Pictones moraretur, edidit *institutionem fœminæ Christianæ* ex ultimo Prouerbiorum Salomonis capite, diuerso carmine redditam ad cognatum suum *Iodocum Sasboutium*, Delphum in Senatu Hollandiæ Consiliarium, & *de veri pastoris officio Odam* ad Lambertum Gulielmũ Delphis ad Pastoritium munus tunc recens accitum. Psalmos quoque aliquot *Dauidicos* ad amicos vario carminũ genere versos. Præter hæc *Imaginem* etiam *Patientiæ* ad Cebetis Thebani tabulæ imitationem effictam, Coquinioque Mœcenati ac Patrono suo inscriptam; simul & *de temporum fugacitate, & sacrorum Poematum immortalitate* carmen ad Iacobum suum Sanctagarundum. Quæ omnia ibidem à Marnefiis fratribus excusa sunt, mense Februario Anno Domini cIɔ Iɔ XXXVI. Quo anno & Rutgerus Rescius sub hyemem *libellum tumulorum* D. Erasmi Roterodami prælo commisit, quem ille quoque luserat in Belgium reuersus, dum diutius hæret apud Aquicinctum nobile ac vetustate venerandum ordinis D. Benedicti Nursini in Hannonia, haud procul à Duaco Monasterium, iam olim etiam liberalis hospitii nomine commendatum. Narrant sanctissimum Christi Martyrem *Thomam Cantuariensem Archiepiscopum*, cum ut rebus Ecclesiasticis iniquitate quorumdam in Anglia tum perturbatis, & saluti suæ consuleret, finibus patriæ excedere cogeretur, ad hoc cænobium diuertisse, & ibi omnia humanitatis officia in eum honorifice exceptum collata fuisse. Porro ex Tumulorum libello Distichon ab amitimo ipsius *Cornelio Hetelano* effigiei D. Erasmi adscriptum, cum quidam mecum impensius laudarent, quod nomen, annum, mensem diemque obitus doctissimi, atque omnis memoriæ clarissimi viri artificiose contineret (excelluit enim & in hoc scribendi genere) mox quoque alterum, in quo ad Desiderii Prænomen perquam venuste ab incerto autore (*Ludouici Masij* esse postea didici) allusum esset, legeretur, conticentibus cæteris: Agnosco Magistrum, inquit Cornelius. Ita namque & modice de suis, & magnifice de scriptis alienis sentire solitus erat. Vtrumque carmen propter eximiam venustatem hic adscribere placuit.

*Carol. Coqu.* *Iodoc. Sasb.* *Lamb. Guil.* *Rutg. Resc.* *Thom. Cantuariensis, Archiepisc.* *Corn. Hetel.* *Lud. Masius.*

C. Musii Distichon.

*Siccine pro studijs cælo donatur Erasmus,*
*Quinto post Nonas, Cæsar Iule, tuas.*

L. Masii.

*Fatalis series nobis inuidit Erasmum,*
*Sed Desiderium tollere non potuit.*

Cæterum cum Italiam iam cogitaret Musius cum Iacobo suo Sanctagarundo, subito Delphis moritur *Iohannes Colmannus* sacrarum virginum Agathensium præfectus, vir & honestis opibus & morum probitate vitæque sanctimonia conspicuus, insuper & laurea Pontificij Iuris decoratus, atque sacrorum Canonum doctor salutatus. Quamobrem sollicitis de nouo eligendo Præfecto virginibus suadent Lambertus Guilielmus in D. Hippolyti Pastor, *Ioannes Heuterus* Prætor: *Iodocus Ketelanus* Sacerdos, & *Iodocus Henricius* summæ autoritatis ciuis, ut Cornelium, qui iam dudum in Hannonia sacris initiatus fuerat accersi curent, eique illud munus ultro deferant. Commendari enim ipsum à pietate, cultiorisque vitæ honestate potissimum; Prætetea à concionandi verbum DEI, & cantus Ecclesiasticos apte sonoreque modulandi scientia; denique ab administrationis rei domesticæ, quam Oeconomiam vocant, exacta peritia, illum unum esse, qui diligenti solertia Colmanni defuncti (& hic moriens eum sibi successorem summopere exoptauerat) vices supplere posset Vocatus itaque *Musius* primo vere in Hollandiam se recepit, prosequente eum honestissimo viatico & annuo munere Mecænate Coquinio: quartoque Idus Martii gubernandarum sacrarum virginum prouinciam suscepit, anno à virginis partu cIↄ Iↄ XXXVIII. quam & per annos 34. menses 9. facile & egregie administrauit. Diem hunc, qui Gregorio Pontifici Romano, cui Magno cognomen, sacer est, conuocatis complusculis amicis, instar natalis honestis epulis, conuiuioque hilariori celebrare singulis annis solitus fuit. Conuiuabatur enim perlibenter cum probis clarisque viris, præsertim doctis, quorum eruditis colloquiis, aut acute faceteue dictis mirum in modum delectabatur, ipse interea sermonibus disteriisque suis oblectans conuiuantes. Neque alicui fas erat eo præsente cuiusquam vitam traducere, vel mores carpere, vel denique quicquam ab honestate alienum effutire: sed tantum meri sales, Atticique lepores, & priscæ hilaritatis confabulationes in mensa personabant. Quin & in publicum prodiens, comiter ac blande obuios salutare, cum summa interim cum grauitate togatus incederet.

*Ioh. Colman.* *Lamb. Guil.* *Ioh. Heuter.* *Iodoc. Hetel.* *Iodoc. Henr.*

Erat quippe statura excelsa, corpore quadrato ac integro, vultuque ad seueritatem apte composito, ex quo amabilis tamen

morum

morum elucebat candor, grataque cunctis affabilitas. Iurasses Palladem ( & quid vetat autem de Poeta tam illustri vel hic more loqui Poetico? ) cum Gratiis Musisque in illo ornando etiam serio certasse.

At vero templa ingressus DEI opt. Max. summam pietatem, deuotionemque Christianam palam ostendebat. Præcipue autem, si quando orationi esset intentus, aut operaretur sacris. Res quoque religiosas sacrasque summa prosequebatur veneratione. Cum ergo sanctissimi Patris, beati Clementis Willibrordi corpus in Heptinacriensi Monasterio ab ipso olim fundato quiescere intellexisset, in votis habuerat religionis ergo illuc excurrere: sed itineris longinquitate difficultateque & senectutis incommodis deterritus, conscripta Rithmica cautione ab Honęo suo aliquid reliquiarum impetrare nitebatur, in dedicatorio carmine hunc in modum canens.

*Tu tamen optatis poteris succurrere solus,*
*Antoni amicorum intime:*
*Si mihi particulam sacrati corporis vnam*
*Paruamque micam miseris.*
*Crede mihi, cineri occurram cum fronde virenti*
*Et suaue odoris floribus.*
*Quantulum, & illud erit, Agathæ in sacra æde locabo*
*Auroque puro vestiam,*
*Wilbrordum vt celebrent omnes gratique Patronum*
*Suumque Præsulem canant.*

At vero cum Honæus multa per literas causatus sacri cineris loco numisma Cæsaris perpetui Dictatoris in vicino agro repertum remitteret, pro thesauro carbones se accepisse arbitratus fuit. Detuli aliquando ritualem librum ob vetustatem sane admirandum ex D. Werenfridi prædio, quod IIII. à Medenblico Frisiæ minoris oppido circiter distat, ad me transmissum, quo in peragendo Christiano sacrificio vsus fuisse olim beatus tradebatur Adulphus. Papæ! quanta illum lætitia suscepit librum? quot ipsi oscula infigit? quantum & veneratus est? lachrymabatur præ gaudio pius senex, ac rudis seculi exosculabatur simplicitatem. Ostensis ei literis Pii V. Pontif. Maxim. quibus ille Margaretam Arenbergiam super morte Iohannis Lingij consolabatur, quemque vt Christi fortissimum athletam, & tanquam Martyrem occubuisse scribebat ; hoc dicebat , *vere pii Pontificis officium, tam pie pias consolari viduas*. Acceperat & ante aliquot annos commodato ab Alexandro Osterumo virginum D. Vrsulæ apud Culenburgum Præposito Guilielmi Cæsaris Romani Hollandiæque quondam Comitis libellum precum diurnarum, quem non solum exscribi , atque figuris ipsis regiis si-

Nicol. Euer. Ioh. Secundus Nicol. Grud

millimis illustrari à Clarissima sacra virgine Elisabetha, D. *Nicolai Euerardi* Hollandici & deinde Mechliniensis Senatus præsidis filia, *Ioannisque Secundi* ac *Nicolai Grudij* illustrium Poetarum sorore Germana curauit: sed etiam ad illud exemplar & ipsius preces septenas ad vnum & trinum DEVM, alias item in D. Virginem Matrem Mariam, alias in S. quoque Cornelium Centurionem, alias denique in primarias Ecclesiæ festiuitates, vna cum elegantissimis hymnis conscripsit; Adiecta insuper precationum suarum Syluula. Habet quoque in deliciis Christi crucifixi imaginem, quam D. Erasmus Roterodamus, cum adolescens haud procul ab Vrbe Gouda Canonicum Ordinis D. Aurelii Augustini ageret, non inscite depinxerat: Cui hi ipsius Musij adscripti aureis literis fuere versiculi:

*Hac Desiderius (ne spernas) pingit Erasmus*
*Olim, in Steinao quando latebat agro.*

Sed super hæc omnia in precio habuit ac religiose veneratus est particulam ligni sanctæ crucis aureæ cruci inclusam, ex parte illa, quæ in Engmondensi monasterio seruabatur, ipsi à *Nicolao Nonaterrano* primo Harlemensium Episcopo anno Domini CIↃ IↃ.LXIII. dono transmissam. Hanc namque cum VI. Idus Aprilis accepisset, postridie qui sanctus Parasceues dies erat, sub diuino officio ostendit, cantando (vt moris est) Ecce lignum crucis, quod & in Aduersariis annotatum reliquit. Quin & more *Paulini Nolani* diuersis carminibus in hoc munimentum præsentis, & pignus æternæ vitæ lusit. Ex quibus & Decastichon editum est, docens quid etiam in vero Dominicæ crucis ligno adorandum sit. Lusit vero variis Epigrammatis, cum in res alias religiosas, tum potissimum in molem illam marmoream aræ maximæ in D. Hippolyti ratione Dorica constructam, atque signis ex alabastrite lapide mirum in modum ornatam; ad quam visendam, omnis generis artifices confluere vndique soliti fuerant. Memini ipsum aliquando, dum admirabundi miraculum istud Delphicum attentius contemplamur, præter alia & hocce Tetrastichon mihi communicasse:

Nicol. Nonaterra.

Paulin. Nolanus.

*Hoc opus augustum diuerso ex marmore pulchre*
*Perfectum, vt nusquam cultius inuenias.*
*Alter Praxiteles, si non illustrior illo est,*
*Delphus apud Delphos Tetrodius statuit.*

Etenim quamuis altissimo frueretur otio, tamen nunquam otiosus erat, semper nimirum aut legens aut scribens aliquid, quod ad pietatem conduceret. Vertit itaque carmine complures Psalmos Dauidicos: Hymnos quoque plurimos in sanctissimos Iesu Christi Martyres atque Confessores decantauit. Inter quos lectu multo dignissimos, nupertime vidi vnum in S. Stephanum

phanum Protomartyrem ad Stephanum Villicum suum & alterum in S. Dominicum Calaguritanum ad fratrem suum Germanum *Petrum Musium*, Ordinis Prædicatorii Monachum. Delectabatur autem & Rhithmicis versiculis atq; consono verborum sono, quo scribendi genere superiori seculo vsi fuere *Adamus à Sancto Victor*, Beatus Thomas Aquinas, & S. Bonauentura Albanensis Episcopus aliique illius æui Hymnographi Pa res. *Petr. Musius.* *Adam. à S. Victore.* *Tho. Aquin.* *Bonauentur. Albanensis Episcopus.*

Ad horum igitur imitationem, *Solitudinem* siue vitam solitariam laudauit, simul & verum descripsit *Monachum*. Florem enim quendam & lapidem preciosissimum inter Ecclesiastica ornamenta Sanctorum Monachorum & sacrarum virginum chorum esse credebat, minimeque putabat paucorum delicta aut hypocrises, licet eas fuerit expertus, præiudicare religioni. Porro cum solitudinem, cæteraque, quæ à Christophoro Plantino illius sunt carmina excusa, *Hadriano Iunio* Medico, Poetæque multo clarissimo legenda, corrigendaque tradidisset; eidem vetus numisma P. Virgilii Maronis effigiem referens (habebat autem complura Rom. numismata apud veteres eruta) vna cum venustissimo Phaleucio in ipsius laudem conscripto, dono misit Verum cum postea hominem haud recte de fide Christiana sentire, quęstusque causa Hæreticis turpiter assentari intelligeret, secreto ingenium malum prauumque auersatus est. *Hadr. Iun.*

Quin etiam persentiscens versiculos quosdam ab illo per adulationem compositos, atque effigiei illustris Martyris Iohannis Fischeri Episcopi quondam Roffensis à *Philippo Galleo* æri incisæ ipsius opera adscriptos egregie talem sanctissimi Martyris iniuriam sub ipsius Roffensis persona simili Hexasticho vltus est. Carmen vero Iunii huiusmodi erat: *Philip. Gall.*

*Te niuei mores celebrem, te conscia virtus*
*Erexit cœlo, & relligionis amor.*
*Sed dum Romuleo nimium tibicine fultus*
*Perstas, nec causam Regis amare potes,*
*Mors properata tibi est ceruice cruenta rescissa*
*Munus vbi infelix purpura missa venit.*

Cui ita responsum fuit:

*Non ego purpureos ambiui indignus honores,*
*Nec potui humanis fidere præsidiis.*
*Vnica cura fidem intrepide verumque tueri*
*Commissoque ouium pro grege cuncta pati.*
*Si quæras ceruix igitur cur ense rescissa est?*
*Improba displicuit Regia causa mihi.*

Eodem etiam modo erga *Iohannem Sartorium* Grammati- *Ioh. Sart.*

*Petreius Tia.* cum, *Petreium Tiaram* Medicum, aliosque nonnullos afficiebatur, cum illorum eruditionem laudibus quidem extolleret, errores vero detestaretur. Simultatem porro cum nullo vnquã exercuit aperte, sed potius obsequio quam plurimos sibi amicos parare.

*Guil. Linda.* *Franc. Sonn.* *Nic. de Cast.* *Anton. Hon.* *Ruard. Tap.* *Herm. Leth.* *Iodoc. à Rauenstein.* *Gerard. Moringus.* *Georg. Macropedius.* *Liuinius Brechtus.* *Corn. Crocus.* *Nicol. Cann.* Ex quibus sinceriores magisque fidos expertus est *Guilielmum Lindanum* Ruremundensem, *Franciscum Sonnium* Antuerpiensem ac Nicolaum de Castro Metelliburgensem Episcopos: *Antonium Honaum*, Monasterii Heptinacriensis Abbatem sacriq; Imperii Principem: *Ruardum Tapperum* veterem Patronum: *Hermannum Lethmatium* & *Iodocum à Rauestein* claros Theologos. *Gerardum Moringum* Bomelianum, Historiæ scriptorem disertum, *Georgium Macropedium* & *Liuinum Brechtum*, alterum Comicum, alterum Tragicum claros Poetas, *Cornelium* quoque *Crocum* atque *Nicolaum Cannium præceptores meos nunquam pro meritis satis laudandos*; quorum ille, cum ob vitæ sanctimoniam, tum propter Romani sermonis puritatem insignis etiam ipsa in vrbe Roma: vbi & Societati Iesu adscriptus vita defunctus est, habebatur. Hic vero & scribendi facilitate admiranda, & festiua amænissimi ingenii vrbanitate Erasmum suum, cuius Amanuensis per sexennium fuerat, plane referebat. Præterea *Petrum*

*Petr. Nann.* *Nannium* Latinæ linguæ in Buslidiano collegio Professorem; qui Diuarum *Agathæ & Luciæ Dialogismos* ei dedicauit, atque commentariolum *de Claris Corneliis* in ipsius gratiam conscripsit. Hic vero quanti ipsius iudicium censuramque fecerit, satis declarat in iis literis, quas V. Kalendas Aprilis anno CIƆ. IƆ. XLII (cum negotium sibi facesserat, multisque oneraret calu-

*Iust. Velsius.* mniis *Iustus Velsius* Haganus Medicus) ad ipsum in hæc verba conscripsit: *Est hic quidam sesquiplus Thraso, qui cum meæ professioni inhiabat. frustratus omni spe, quia hic maneo, quosdam subornauit indoctissimos nebulones, qui aliquot Epigrammata in me scripserunt, eo ferme argumento, quasi ob iustitiam ab Episcopo hic derelictus essem. Quæso aut carmine aliquo aut Epistola rescribas, quid de meis opusculis sentias. Nescis quantopere optem tuum Eulogium, vt*

*Petr. Mensius* *hominis & doctissimi & clarissimi. Idem etiam petam à viro insigniter erudito Petro Mensio, si tabellarius mihi tempus permiserit. Quod si eius iniquitate exclusus fuerim, quæso illi meam voluntatem significes. Quicquid scripseritis, curabo imprimi. Quamobrem à vestra Eruditione peto scripta digna vestris ingeniis. Id tamen dissimulate, quod quicquam à vobis petierim. Scribite quæso libere & ingenue, censuramque nostri peragite, non ex amore, sed vero iudicio. Bene Vale vir eruditissime & digne, qui à Musis Musæus appelleris.* Sed hi, quos amicos Musio enumeraui, omnes Ecclesiastici, sacrisque initiati fuere. At vero ex iis, qui in Repub. versantur, præcipui erant

erant amicitia ipsi coniuncti *D. Maximilianus à Burgundia Marchio Veriensis, & præter te Clarissime præses Corneli Susi*, quem nescio, quo secretiore naturæ instinctu ac Sympathia arcana plus cæteris mutuo prosequebatur amore, *Arnoldus Sasboutius* ex Gelriæ Cancellario nuperrime Secreti Consilii Philippi Austriac. II. Hispaniarum Regis Catholici Præses multo dignissimus, *Splinterus ab Osteruvick* & *Damianus à Goes Lusitanus* equites clarissimi. *Balduinus Iacobi* F. Dordracenus in senatu Mechliniensi Consiliarius æquissimus, *Petrus* quoque *Meusius* Poeta ac Iurisperitus, & *Petrus Manchicortius*, cum quo iam olim amicitiam in Gallia contraxerat. Ambo Musices peritissimi, quorum hic Antiphonam (*Cornelius Centurio*) concentu quinque vocum in illius gratiam contexuit, eoque munere Tornaco Neruiorum, vbi Phonascum agebat, Delphos transmisso Musium donauit. Meusius vero modos fecit in Liturgiam, Hymnos, festaque Carmina Compendio Christi seruatoris passionem & crucem, eiusdemque genitricis ac virginis Mariæ dolores lachrymasque complectentia. Quæ olim pius composuerat Musius, in gratiam Chori Delphici, quorum & vsum in Ecclesia *Nicolaus Nonaterranus* Hebronensis eo tempore Episcopus approbauit, concessis etiã ex prædiuite Ecclesiæ thesauro quadraginta dierũ indulgentiis iis pœnitẽtibus, qui religiose legerint, cantauerintq;. Hos itaq; fere omnes, aliosque complures aut viuos carminib. suis celebrauit, aut mortuis Epitaphia scripsit. Habuit præterea ciues nonnullos arctissima familiaritate sibi iunctos, *Martinum Duncanum, Paulum Taphœum*, Ecclesiarum pastores vigilantissimos. Simonem Theodorici filium, coætaneum suum, & *Ioannem Bollium* Louaniensem, Presbyteros confessione nunc valde inclytos, dignosque plane, quos D. Cypriano aliquis quam simillimus hac dirissima persecutione consolaretur: cũ Bollius atrocium vulnerum cicatrices ostendere possit. *Michaelem Dodanum* virginum D. Barbaræ præfectum, quem Maximilianus Marchio Veriensis etiam in deliciis habuit, solitus per iocum *Barbariei Patrem* illum appellare.

*Maximil. à Burgundia.*
*Corn. Susius.*
*Arnold. Sasboutius.*
*Præses Concil. priuati.*
*Splint. ab Osteruvic.*
*Damian. à Goes.*
*Balduinus Iacobi.*
*Petr. Manchicortius.*
*Nic. Nonat.*
*Martinus Duncanus.*
*Paul. Taph.*
*Simon Theo.*
*Ioh. Bollius.*

Iodocum quoque Henricum, Petrum Sasboutium, Ioannem & Iacobum Heuteros Fratres viros probos atque ornatos, multosque ex iis, qui ipsi quondam cum fide inseruierant. Hi enim omnes, præter unum aut alterum, per solitos gradus ad sacerdotium eius consilio ascenderant. Quin & *Petrum Opmeerum* Amstelrodamum inter familiares annumerare solebat, qui non per vulgarem mercenariamque benevolentiam ipsi factus amicus fuerat, sed per liberalis disciplinæ, veræque religionis communionem. Cui certe vni, qui sapit, plus adhibet fidei, quam

*Petr. Sasbout.*
*Ioh. & Iacob. Heuter.*
*Pet. Opmeer.*

quam vlli, aut coniunctioni amicorum aut corporum consanguinitati. Virgines etiam aliquot casto prosequutus amore, quasque eruditione prætare nouerat, maxime suspiciebat. Inter eas erat *Cornelia Adrichemia* Benernici Caninefatum Ordinis D. Augustini monialis & generis nobilitate & sacræ Poeseos studiis longe clarissima, cuius ingenium vel ex hocce, quod sibi moriturae conscripsit, Epitaphiolo cognoscere admirarique licebit:

*Cornelia Adrichemia.*

*Corpus humo, Superis animam, Cornelia condo,*
*Puluerulenta caro vermibus esca datur.*
*Non lachrymas, non singultus tristesque querelas,*
*Sed Christo oblatas nunc precor vmbra preces.*

*Guilielm. Tethrodius. Augustin. Georgius. Ant. Blochlandius. Pet. Longus. Martinus Hemsherchius.*

In pretio etiam apud eum fuere eximii quidam sculptores pictoresque *Guilielmus Tethrodius*, & *Augustinus Georgius Delphenses*, *Antonius Blochlandius* Montfortius, *Petrus Longus* Amstelrodamus, quique vel inprimis numerandus erat *Martinus Hemskerclius* Caninefas; cum præter alias compluresin D. Agathæ, & illam primariæ aræ tabulam depinxerit, quam legauerat Colmannus, Musius a. posuit. Expresserat hic idẽ elegantissime effigiem eius biennio antequam moreretur, quam cum circulari forma à Philippo Gallæo argenteæ laminæ incidi curasset, dono ipsi Harlemo transmisit. In hanc igitur picturam tale scripsit distichon Musius:

*Vita septeno decies Cornelius anno*
*Musius in tegro corpore talis eram.*

Cæterum haud mirum alicui videri debet, ipsum tot sibi cõciliasse amicos: Præsertim cui præter mores suauissimos, atque heroicas plane virtutes, liberalitas hospitalitasque viri vel leuiter notæ fuerint. Etenim ædes illæ magnificæ, domusque augusta, quam habitabat, *non immerito receptaculum nobilium, diuersoriumque amicorum appellari potuisset:* cumque cætera omnia vitia, tum pręcipue auaritiam, quę omnium malorũ materies, probitatem, fidem, cæterasque virtutes, & bonas artes euertere solet, detestabatur, largus in pauperes, egenos atque inopes. Erga colonos quoq;, qui agros Agathenses pretio colerent, æquissimus erat, preciosiores etiam vililocare solitus. Donatus aliquando Sacerdotio in Adnaticis, (Etteuhomam locum nominant) statim illud tenuioris conditionis presbytero cessit. Voluit eum testamento ex asse sibi declarare hæredem *Vincentius Sparenvvondanus* probus & opulentus Sacerdos, sed hæreditatem se adire nolle respondit. Quin cum ædes suas utendas fruendas Vincentius ipsi legasset, mortuo illo eas vendi illico curauit Musius, pretiumque veteris Ecclesiæ, publicorumque pauperum, necnon Nosocomii præfectis distribuendum tradidit: nihil sibi ex hoc

*Vincentius Sparenvvondanus.*

ex hoc legato vel fidei commissi nomine reseruans. Quid? nonne memorabilis liberalitatis, imo, an non Regiæ cuiusdam munificentiæ specimen exhibuit, cum, quando ultimo iam veteres in Brabantia amicos inuisisset, septuaginta cyphos argenteos, quorum singuli semilibram, quam Marcam dicunt, penderent, emptos inde asportauerit; sacrisque virginibus suis strenæ nomine dono dederit; distribuente illos Anna Bergensi, illustris Comitis Arenbergii, & magnanimi Domini Abbenbrocani vidua, munusque verbis egregie exornante. Quo sane munere quantum virgines sibi deuinxerit, cum & antea ipsi alioquin essent deuinctissimæ, haud facile quisquam dixerit. Nam quemadmodum ille in omnibus erga eas paternum omnino gerebat affectum, sic & hæ solitæ erant illum unum spectare, atque ad illius exemplar sedulo vitam suam instituere. Nec enim cænobij opes in priuata vertere commoda, sed publicæ utilitati unaminiter singulæ studere. Vix crediderim Paulam & Eustochium, reliquasque quæ olim sub Hieronymo Rectore agebant, magis cænobiticus vixisse. Quandoquidem non voces illæ, ***meum, non meum***, quas Reip. maxime perniciosas existimat Plato, inter eas exaudiebantur: sed omnia ipsis erant communia, vestes quoque ac precum libelli, cochlearia, cultelli, aliaque his minutiora. Diuidebatur porro singulis, quod unicuique necessarium erat, neque ulla inter ipsas alicuius rei egebat. Igitur & ob hanc præclaram virginum Oeconomiam, vitamque vere cænobiticam vulgo etiam suspiciebatur Musius, credebaturque cæteris plus sapere, atque futura acutius prouidere. Sed quanto magis & magnus haberetur, ac etiam passim diceretur: tanto humilius ille de se rebusque suis sentire, omnia nimirum ad DEI opt. Max. gloriam referens. Quod Symbolo quoque mutato testari aperte voluit. Quandoquidem cum iuuenis (*non sine fato*) loco symboli usus sit, ingrauescente ætate illam sententiam in (*non sine Christo*) immutauerit Præter hæc, cum passim varia doctorum illustriumq; virorum circumferrentur de eo Elogia: ipsus in tẽpli Agathani sacrario decimum inter præfectos cænobii cum titulis celebribus depictos sortitus locum huiusmodi versiculos imagini, nominique suo subscribi iusserat.

*Anna Bergensis.*

*At forte quæras, Lector, iste Musius*
*Dum viueret Cornelius, qualis fuit.*
*Bonas amauit atque sacras literas*
*Castamque non abhorruit Poeticen.*
*Nil addo. Nam damnare sese publice*
*Aut prædicare neminem, vt reor, decet.*

Nullos

Nullos quoque, qualiscunque licet conditionis forent, contemnebat: nisi quos aperte constaret sceleribus contaminatos.

Quantum vero hæreses auersatus sit, quamq; ægre vir pius tulerit illas procerum magistratusque socordia & supina quadam negligentia latius per Belgium, præcipue vero per Hollandiam ac Frisiam serpere, cum alias sæpe apud amicos secreto testaretur, tum autem hymno in D. Willibrordum ad Antonium Honæum suum conscripto palam grauiter conquestus est, hoc modo sanctissimum Præsulem, adeoque nostrum Apostolum alloquens:

*Verbi sacri fidem sacram*
*Tu tradidisti gentibus,*
*Et primus hic lectissimos*
*Christo parasti milites.*
*At nunc, dolor, quamplurimi*
*Tua abnegantes dogmata,*
*Labuntur à prisca fide,*
*In hæresis delirium.*
*Quam Willibrorde feruido*
*Nisi precatu sopias*
*Actum tua de Frisia.*
*Actumque de Batauia est.*

Non defuere etiam, qui existimarent vaticinandi Spiritu Musium quoque donatum fuisse, quamuis ille sol icite occuluerit, præsertim cum Carmina illa, quæ planctui, quem ob defunctum vigilantissimum Ecclesiæ D. Hippolyti Pastorem Iacobum Goudanum, virum vere aureum, & quinque grauissimos eius Symmistas, quos Sacellanos vocant, habuerat, subscripta erant (dum ciuitas Delphensis insigni illa pestis clade laboraret anno à nato Christo clo. Io. LVII.) hanc qua præcipue nunc vrbs nostra infestatur, impietatem famemq; verbi Dei exacte ac dilucide expressisse viderentur. Quorum ad ciues Delphicos hæc conscripta erant:

*Lugete ciues Delphici*
*Et damna vestra expendite:*
*Potissimum lectissimos*
*Quod perdidistis tot viros.*
*Certe mihi mens horridum*
*Et grande præsagit malum,*
*Dum cerno luminaria*
*Ipsumque sic salem rapi.*
*Nam exempla vbi desunt pia,*
*Fere solet contingere*

Fiant

*Fiant vt omnes impii.*
*Qua plaga multo maxima est:*
*Qua pestilentius nihil*
*Vrbi nihil nocentius.*

*Lugete ciues Delphici,*
*Et damna vestra expendite,*
*Multaque pœnitentia*
*Rite expiatis sordibus,*
*Sancte deinceps viuite,*
*Nequid (quod absit) tristius*
*Minetur iratus DEVS.*
*Quod non Iobus, non Noe*
*Non Daniel auertere*
*Quantumlibet chari, queant.*

*Lugete ciues Delphici*
*Et damna vestra expendite,*
*Potissimum lectissimos*
*Quod perdidistis tot viros.*

Hæc vero ad defunctos ipsos:

*Recte ô fideles Martyres*
*Quod sic beati occumbitis;*
*Sed nostra sors durissima*
*Vobis quod absque viuimus.*

*Rogate Pastorem, Ducem,*
*Oues adhuc superstites,*
*Solas, vagantes, marcidas*
*Prorsum perire ne sinat:*
*Sed pane verbi prouidos*
*Mittens ministros nutriat.*

*Quod si negabit talibus*
*Quia non sumus digni viris,*
*Nihil moramur, si placet,*
*Nos pestis una absorbeat.*
*Nam præstat estque mitius*
*Peste interire, quam fame.*

Præterea ingruente hac dirissimæ persecutionis tempestate, sæpius apud familiares dicere solitus erat: se pro voto, quemadmodum iam olim etiam expetierat, ad Martyrium quidem destinari, sed animo exhorrescere, cum cruciatus illos, quos necem præcessuros cerneret, altius mente cogitaret. Narrauit mihi Opmo-

Opmerus. Consuetudinem inter aliquot *primarios ciues fuisse*, vt sub vesperam in D. Hippolyti ædem singulis conuenirent diebus; vti post hymnos dictos, ac preces Deo ac Virgini Matri peractas, quisque quodcunque noui haberet, animi causa in medium adferret: ibi itaque Musium cogitabundum ac suspirantem ipsum aliquando rogasse, quid de huius persecutionis procella vel serio sentiret, respondentique, vt ei mens læua tunc erat, D. Athanasij verbis: (vsus his olim de Iuliani persecutione fuerat iste) *nubecula est, cito dissoluetur. Non tam cito, illum dixisse, vir bone, quam tu existimas.* Quod & euentus satis nos docuit.

Cæterũ postquam Delphorum ciuitas paucorum perfidia iã prodita traditaq; esset Guilielmo Lũmeno, prædonibusq; qui ei aderant, & sacerdotes Christi passim ad pœnam quærerentur, primo alios occultare sacratos viros Musius, inde & ipse quoque latitare, atque sæpiuscule latebras anxius mutare coactus fuit. Aduentu vero Guilielmi Nassouii Aurasii Principis vulgo credebatur bene actum esse cum ipso, cum quod Aurantius de illo honorifice sentire diceretur: tum quod etiam plurimum posse apud Principem ob ius hospitii credebatur; quandoquidem ædibus ipsius iam olim is, cum Hollandiam Regis nomine gubernaret, familiariter usus esset. Sed longe se aliter res habuit. Vocatus enim ab Aurantio ad conuiuium Cornelius, dicteriis, sannis, minisque excipitur, præcipue insultante in eum Lumeno; à cuius asseclis puerisque passim etiam audiebatur, magnum illum sacerdotem, Aurantii hospitem hero suo donatum esse, ut cum illo pro libitu agat. Quæ res suspicionem reliquit in necem ipsius conspiratum fuisse, subornatosque qui suaderent Hagam ipsi proficiscendum esse, quo minori tumultu per emissarios in vincula coniiceretur, occideretur que. Porro Haga postridie ab Aurantio reuocatus, obuiamque factus Guilielmo Lummeno per glaciei leuorem, rheda auehitur Lugdunum Batauorum: Vbi post dirissima tormenta, & non æstimandos cruciatus pedum digitis mutilatus suspenditur in foro, cui à marmore cæruleo nomen, è regione domus ciuicæ prima noctis vigilia circiter horã 10. quarto Idus Decemb. anno à partu virgineo cIↃ. IↃ LXXII. Quo tẽpore tumultuatũ quoq; ab Aurantii satellitio, prętorianoq; milite in D Agathæ cœnobio Delphis: auditæque furentium voces, quibus sacris etiam virginibus cædes minarentur. Postero die cadaueri quoque sacro illusum, antequam in cæmiterii parte Boreali apud ædem Apostolorum Principis D. Petri sepeliretur. Nam & membrũ virile fœde à pumilione amputatu m fuit, & omentum ventri extractum caputque abscissum. Testamento sibi hæredem scripserat Hadrianum

num Meranum, quod crederet, illum hæreditatem bona fide sacris D. Agathæ virginibus redditurum. Oblatus est etiam puero legati nomine à virginum præfecta Reinberga Christiani filia eximiæ pietatis anu annulus, inclusum habens Achaten, cui tres virginum effigies mire decoræ antiquo artificio insculptæ fuere.

Charites esse diceres, nisi quod nudæ non sint. Quanquam easdem veste quoque soluta ac perlucida in picturis olim ornatas fuisse affirment. Non ille hunc annulum cum gemma Pyrrhi illius, qui cum Romanis bellum gessit, facile commutauerit. Quandoquidem Musii gratiæ merito ipsi etiam vel tanti Regis Musis Apollineque chariores sint. Mortuum autem Delphenses cuncti, præcipue vero Orthodoxi amaro planctu prosequuti sunt. Sed & Lugdunenses patibulum ex foro, ne tam diri facinoris extaret monumentum, abstulere, nec passi sunt aliud rursum eo in loco erigi. Tantam namque mortuus post se sanctimoniæ reliquit opinionem, vt vtrique gentium homines eum sacro sanctorum Martyrum Diptycho inscribendum esse pronunciarent.

Quam de eius sanctitate persuasionem piorum animis conceptam illud quoque angit, quod ex sexaginta circiter virginibus, quas ipse ad pietatem instituerat, paucissimæ hac persecutione lapsæ sint. Cum ex aliis cœnobiis complures aut impie ad hæreses desciuerint, aut turpiter se voluptatibus addixerint. Postremo idem quoque ei contigisse videtur, quod de S. Meletio Antiochenæ Ecclesiæ Archiepiscopo testatur Chrysostomus, nimirum vt ipsius imago passim in Musæis, cænaculis, thalamique parietibus depicta cernatur. Breui etiam phialis, poculis ac annulis insculpenda. Hymnos, Epitaphiaque varia varii in eum scripsere. Sed quod viuus sibi composuerat, atque in schedis tumultuaria opera ab ipso perscriptis, inueni, huiusmodi est.

*Quod Cornelius Musius*
*Hoc in sepulchro cluditur,*
*Nemo indecore lachrumet:*
*Viuus resurget denuo.*

Hæc fere sunt, Clarissime Præses, quæ in præsentia de vita inuictissimi Martyris ac Herois immortalitate multo dignissimi *Cornelij Musij Delphi* scribere potuimus: quibus si exemplum literarum ad *Taphenum* nostrum, quod hic quoque subiicimus, adiunxeris, quicquid deerat passione dignum cognitu fuerit, perfacile addisces. Addidi præterea duo Epicedia Hadriani Iunii, & Petrei Traiæ clarissimorum quidem hominum: sed à fide Orthodoxa, *vt nosti*, plane alienatorum, idque ea mente, quo appareat, tantam in illo fuisse virtutem, vt etiam à doctissimis diuersæ reli-

ſæ religionis viris celebrari meruerit. En tibi inſuper & Chronicon Diſtichon Bollii noſtri vtrumque Muſii Symbolum apte continens.

*Muſius eſt fato heu functus, ſed non ſine fato*
*Qui in Chriſto hic vixit, nunc viuit non ſine Chriſto.*

Interim bene vale, noſque T. D. addictiſſimos amare, vt ſoles perge. Amſtelrodami pridie Idus Iulii, ipſo videlicet die Liberti Martyris, quem Normanni, Dani ac Hunni Belgium annis abhinc Iↄ. cc vi. igne ac gladio vaſtantes ante aram S. Trudonis crudeliter occiderunt.

## *Magnifico viro Dn. Paulo Tapheo nouæ Eccleſiæ Delphenſis Paſtori vigilantiſſimo. S.*

AB eo die, quo me ex impie tumultuante ciuitate noſtra Dilfenſi ſatis feliciter ſubduxi, Paule Taphee, vix vllum cum maiore lætitia nuncium accepi, quam, cum D. Ioannes Gysbertus huc veniens retulit, te (quo mihi neque integrior, neque charior amicus vnquam fuerit) ex hiantibus tot immanium luporũ faucibus Numinis benignitate ereptum, per diuerſa pericula, variosque caſus Vltraiectum tandem ſaluum & incolumem appuliſſe, vna cum numeroſo comitatu præclariſſimorum Eccleſię veſtræ ſacerdotum, vere Ieſu Chriſti confeſſorum ac Martyrii candidatorum.

Quorum vt Aduentu plurimum gratulor, ita miſerrimæ ciuitati ſerio condoleo tot ſanctiſſimis viris orbatæ Ad quam propulſata procul vera religione, qua quondam floruit, impietas, hæreſis, falſuſque Dei cultus commigrarunt. In qua pro clementiſſimo Rege, legitimoque Principe crudeliſſimus Tyrannus. & ad extremum perditus alienigena regnat. Vbi antiqua & priſca illa tranquillæ Reipubl. forma, nullus Senatui, Optimatibuſque honos aut reuerentia, nulla ex ſaluberrimis quondam legibus ſecuritas hominibus, nullus agris cultus, nulla denique certa rerum ſuarum poſſeſſio eſt Vbi omnis quoque ſcientiæ, artiumque cunctarum contemptus atque odium. Vbi & is denique hominibus animorum habitus, vt peſſima quoque flagitia ac deteſtabilia facinora multi perpetrare audeant, plures velint, omnes patiantur.

Quæ omnia ſatis cum ex ipſius D Ioannis ſermonib. tum ex elegantiſſimis & omni ſolatio plenis tuis literis (quas bona fide ille tradidit) intellexi. In quibus clariſſimi Poetæ ac diuini plane Theologi *Cornely Muſij* Delphi, vtriusque noſtrum omnino amiciſſimi Martyrium ita graphice depinxiſti, vt ab illa hora, qua eaſdem ſæpius cum ſuſpiriis largoque fletu legi atque relegi, ob-

tutui meo

tutui meo continuo abscissis corporis membris, multum venerandissimis imago obuersari visa sit, ex furca fœde dependens. Quæ detestabilis rei indignitas subinde hasce mihi ad iram alioquin proniori voces expressit. Hasce gratias pro hospitali quondam mensa, xenijsque liberaliter donatis humanissimo viro Auranti refers, vt primo Aduentus tui tempore in proprijs ædibus, pro antiquo hospitij iure ad conuiuandum abs te vocatum, loco elegantium ferculorum dicterijs, scommatis, conuitijs ac minis turpiter fœdeque onerari cures? Neque id aliam ob causam, quam ob implacabile ac fatale quasi odium contra Orthodoxos illud tuum.

Et quod vir sanctissimus vno tenore, quoad vixerit, fidem Catholicam religiose coluerit. Hunccine omnis versutiæ malitiæque plane expertem, perniciosis tuis artibus circumueniri decuit, vt Delphos natale solum, arrepta fuga, senex septuagenarius relinqueret? Hiscine technis ei Pontificatus ille perstruitur, quo præfectum sacratum Virginum Agathensium (Stephano Montensi attestante didici) dignum esse, rebus tuis florentibus, affirmare apud tuos solitus es? Haccine ferali hostia Diis vindicibus litare, Seniumque ac Manes placare iuuat? Quis animo æquo feret innocentissimum ciuem, & eximiæ in ciuitatem benignitatis virum ab improbo iuuene Delphis honesto loco nato, & sanguinis iure ipsi etiam Musio propinquo (Engelberti Cornelii Flacci ex Maria Iohannis Vltraiectini filium fuisse ferunt) impune prodi, & a prædonibus illis tuis latrocinio iamdudum assuetis insectari ac rapi? Quid? quo consilio inito Haga captum per literas reuocare placet? præstructæque sub aliena inuidia fuerint insidiæ. Redeunti enim domum postridie omnium mortalium hostis Guilielmus Lumeenus pirata, (ementito vocabulo Comitem a Marca nominant) obuiam mittitur, sedentique in glaciali rheda cum generosa & longe castissima virgine, *Carlotta à Meruvy* & *Cornelio Merano* ex sacro baptismatis fonte a se suscepto adolescente fugæ socijs ad prima ex itinere congressus verba cathenæ statim quasi patriæ traditoribus iniiciuntur, illæque præ cæteris arctius, derisui habitis reuocatoris Tyranni literis, à Cyclopica illa Neptuni progenie vincitur. Tristis igitur, atque Carlottam aspiciens mæstam; Bono sis, inquit, animo, breui enim, vt spero, gaudio fruemur cælesti, cum interea miseros Delphenses diu seruitij iugum ferre oportebit. Quid multa? per leuorem glaciei summa cum celeritate Lugdunum Batauorum (sic elegantiores ex C. Ptolomæi tabulis edocti Leidam nunc appellari malunt) abductus eodem die sub vesperam in Lochorstianis vacuis ædibus ad tribunal quasi sistitur. Hic ad conspectum *Gisberti Dunenuerdij* Domini de Opdam antiquæ

*Carlotta à Meruvy Cornelius Meranus.*

*Gisbertus Dunenuerdius.*

tiquæ Caninefaticæ nobilitatis primarii viri paululum recreatus comiter ipsum alloquitur, p rans ob paternam amicitiam apud illum se aliquid posse. Ad opem i : plorantis voces toruo vultu oculisque distortis Dunenuordius: Tune ait, Agathensium virginum præfectus. Putabam subolidum hic Monachum residere.

Cum dicto se domum proripit, non vllius accepti iam ante ab illo beneficii memor. Et quis enim vllam calamitosis deberi putat gratiam? aut quand fortuna non mutat fidem? Mox Gisbertine instinctu an alterius incertum, concionator seu potius Agyrta aduenıens in Ro prius Pont ficem, Ecclesiam Catholicam, Orthodoxamque fidem multa debachatus, nonnulla Caluiniani dogmatis capita viro pio persuadenda proponit. Ad quæ ille: Quid, inquit, agis, ó bone vir: mene adeo vecordem aut insulsum existimas vt post tantam per omnem ætatem in diuinis literis collocatam operam, post tot euolutos sanctissimorum Patrum pios simul ac eruditos commentarios, tam facile ad quamuis auram semel professam fidem meam mutem? Non est sodes, quod me aut te fatigas, quæ enim puer didici, senex seruabo. Est Harlemensum portus Sparendanum, ob victoram D. Roderici Cauatain victi ac imperterriti animi Insubrensis Legionis Centurionis Primipili de Cornelio Rufo, quem Aduocapitaneum vocant, nobil pirata, vbique nunc celebratum, quod licet natura situque l ci inexp gnabile videri possit, sub Aduentum tam n Regii in Hollandiam exerc tu opere quoque munierant Caninefates Ad nuncium ergo expugnatæ eo ipso die illius munition s, præsidiique, quod erat, deleti placuit Lummeno indicta causa cædem innoxii accelerari. Sed prius adhibita quæstion de Cimeiius pecuniisque eius, quam de thesauro cænobii Agathensis, quod præ cæteris opulentissimum habebatur.

*Rodericus Capata.*

Non diu cunctatum, ad Propinquas Venij nostri, quod is abesset ædes à lictoribus non absque verborum summa acerbitate & publica ignominia deducitur. Intranti atrium ad dextrum conclaue amplum patet, honestior domus pars: quo intromissus foco assidentes conspicit *Christophorum Schaganum* Senatorii Ordinis virum in egerrimum, & *Hadrianum Assendelphium* Senatui Harlemensium à Consiliis (Pensionarium vocant) diuinarum humanarumque legum peritissimum. Quos ex legatione, quam ex ciuitatis suæ decreto mandatoque apud Illustrissimum Alcantr næ Commendatorem D. Fridericum Albanum exercitus tunc Regii Legatum obierant, redeuntes illo vinctos adduxerant Caninefates. Quorum etiam hic paulo post, nunitum IX. Kalend. Ianuarii ex iniami patibulo Delphis

*Christoph. Schagen Senator. Hadrian. Assendelft Pensionarius Harlemensis.*

into-

in foro Martyrium fortiter cum pertuliſſet, capite ſtipiti impoſito blandum ſubriſiſſe compluribus eſt viſus: ille ex intentiore tortura in carcere VI. Idus Februarii moriens, præclarum confeſſionis ſuæ teſtimonium reliquit. Salutatis vltro citroque comite: ſe mutuem, enarrataque, vt fit, nece *Iodoci Tolly* ædis D. Pancratii Canonici (hunc pridie per viam incedentem in ganæum aliquod vi abduxerant milites, ſpoliatumque impune occiderant) duram inter ſe communem ſortem inter ſe conqueruntur. Conſpectam dein domeſticam ancillam thalamum ingredientem rogat Muſius, vti Ceruiſiam ad ſextarii menſuram ſitientibus adferre dignetur. Hac itaque Ceruiſia (Anglicana ea erat) vtcunque ſedata ſiti, viribuſque parumper refocillatis, in proximum triclinium raptus rerum capitalium Prætori militari, nec non Dunenuoordio aſſeſſori ad quæſtionem a ſpiculatoribus redditur. Aberat Equuleus, ad ſcalam ſeminudum caligis & thorace extractis, reductiſque poſt tergum ambabus manibus, extendunt funiculis. *Iodocus Tollius.*

Tum ſupino per opertum ſudariolo ob frigidiorem imbrem (fruſtra enim fœtentem quæſierant vrinam) guttatim eo vſq; inſtillant, donec tandem venter abunde intumuerit. Mox horrendi ſingultus, clamoreſq; diri longe lateque exauditi fuere. Narrant illum, quo ſecretiora per intentiores cruciatus facilius extorquerēt ſacrilegi, pedibus in ſublime eleuatis extenuiorib. chordis ad ſcalam pependiſſe, & ruptis ex obeſioris corporis onere maximis pedū digitis, indigne, illiſo venerabilis canitiei capite ad ſolum, corruiſſe. O felices (libet hic paululū exclamare, ſummo id depoſcente amoris erga optimum virum ardore, quod & mihi, licet in hac narratione ſatis etiam prolixe haud difficile (ſcio) pro tua humanitate condonabis mi Taphee) ædes tuas Corneli veni, quæ ſanctiſſimo cruore magni illius Muſii conſperſæ ſimul & ſanctificatæ ſunt. O felicius cænaculum, quod auribus hauſit, oculis vidit, atque acriori ſenſuum acie percepit beatiſſimi ſenis paſſionem, quodq; fortitudinis, patientiæ atq; perſeuerantiæ eius teſtis dignus eſſe promeruit. O feliciſſimum te, alioquin & pio exilio & confeſſionis gloria illuſtrem ac felicem, Optime Præſtantiſſimeque veni, cui pro lare impuro inuictiſſimum Athletam Chriſti, ſimul & popularem, cognominem atq; domeſticum Patronum intra conſecratos pio eius ſanguine parietes cultu Chriſtiano venerari liceat, quique pro domo exigua ampliſſimam illuſtriſſimi Martyris Baſilicam iam deinceps poſſidebis. Vtinam & nobis permittatur aliquando anguſta templa illa tua oculis luſtrare, atque a te Myſtagogo ad ſacræ ædis reliquias viſendas circumduci! Vtinam & cœnaculo illo permiſſum ſit, per horas aliquot religioſe frui, ſacro quoque

pauimento amica figere oscula, scalam purpureo sanguine roscidam suauiter lambere, venerari vincula, in quam Babilicis illis cathenis non cessura si modo similis ipsis Antiochenus contingeret Encomiastes. Celebrarunt prisci quondam Ethnicorum vates Dianæ Ephesiorum templum inter septem mundi miracula adnumeratum.

At multo magis olim Venii ædes celebrarunt sacri nostri Poëtæ Sed iam interim cœptam prosequamur historiam. Post intolerabiles in quęstione cruciatus exanimi nonnulli pedum digiti præcisi fuisse feruntur, quorum vnum aut alterum inibi neglectum Venii ancilla Catharina postridie furtim excipiens apud proximum D. Petri cæmiterium in gramine herboso deposuit. Ad primas vigilias hora noctis circiter nona cruentatum, anhelum, ac triste suspirantem, simulque diuinum implorantem auxilium, per oppletas niue plateas pertrahunt, ad forum illud à marmore cyaneo famosum, truncis pedum plantis per impressa niui vestigia, copiosum sanguinẽ vsque stillantibus. Raptum illuc gelu torpentem sub furca statuunt. Horribile dictu; Post paucula Deo preces fusas, crassiore fune circum collum laxius, obnitente tubere seu struma constrictus, sic vt anima intercludi non facile queat, in sublime fœdum in modum extollitur, ibiq; ex infami furca eousque complicatis manibus dependet, donec tandem Spiritum Deo Opt. Max. vnde eum acceperat, redderet S. Cornelius. Quid non mortalia cogis pectora exitiosa bonis semper Tyrannis? Fiunt hæc in media Batauia, in foro Lugdunensi, omnibus ad spectaculum longe dirissimum admissis, nullo resistente, nulloque reclamante, aut super hunc talem casum tanti viri palam miserante. Viuite iam deinceps felices sacra ex latrocinio Batauicæ rebellionis ciuitates, habetis libertatem, quam tantopere petiistis. Ite obuiam alacres Aurantio, læte ex Hannonia cum Hispanorum manubiis (scilicet) redeunti. Exornate vrbes vestras, diemque aduentus eius consecrate, vt & hunc triumphum de ciue vestro, nulli Batauorum secundo, spectetis. Sed credite insensati, DEVM humanas quoque res curare, huiusque tam execrabilis triumphi adesse spectatorem, qui tam abominanda facinora non relinquit inulta: Sed iusta stimulatus ira vel tandem sanguinem sanctorum suorum vindicaturus erit. Postero iam die, qui III. Idus Decembris erat, meridiem circiter è furca cassum anima corpus deiicitur, in quod à ludibrio militum sesquicubitali nano sæuitum, non sine extrema etiam obscœnitate, amputato videlicet singularis illi summæ castitatis ac continentiæ exemplari membro genitali. Quin imo cum ægre tandem à sacra præcipuæ nobilitatis virgine monasterii Lewenhorstii impetratũ esset, vt miserabile cadauer terræ mandari lice-

ri liceret, illudque iam alto cum silentio per vespillones ad D. Petri portaretur, in postico templi fœde ventre dissecto, omentum extractum est, myropolisque atque aliptis venditum.

Sed & ædituus vir honestus ac pius intestina manu retinere vsque immota coactus fuit, donec quod adhæreret seuii auellerent. Quo perpetrato scelere, cum capsæ sagineæ tenuiorum plebeiorum videlicet loculo ægre ob corporis proceritatem includi posset, mortuum quoque obtruncarunt, continuoque caput simul cum trunco in herboso cæmiterio a libitinario humili fossa, & absque vlla funeris cura conditum fuit. Mortuus est nocte diem Eulaliæ virgini ac Martyri Emeritanæ sacrum insecuta anno à nato Christo cIↃ. IↃ. LXXII. cum iam innocenter ac pie summaque cum omnium laude vixisset annos septuaginta duos cum semisse. Causam tam diræ necis rogatus Lummenus, & Orthodoxum illum fuisse, & fugere voluisse respondit. Genus porro mortis tale dudum iam antea ipse etiam exoptauerat, quod præter familiares cum intimis amicis sermones, & continuam librorum D. Cypriani præcipue libelli, qui de *dupli-ci Martyrio*, eius titulo circumferuntur, lectionem abunde satis quoque testatur illa ad Christum passum confessio, quæ ex maiusculis aureis conscripta literis in eius cubiculo multis abhinc annis dependere solet. In qua cum se ad Christum reuersum pudere vulnerum necisque sui causa perpessæ pie cecinisset; Iam, inquit,

*Age quid tua pro gratia*
*Tanta rependet Musius*
*Inops miserque Musius*
*Peccator vsque pertinax.*
*Qui nil boni ingratus facit*
*Indignus afflatu tuo,*
*Indignus aspectu tuo,*
*Indignus hanc terram vt terat.*
*O si semel concesseris*
*Amore vt ardeam tui,*
*Vitam lubens tum impendero*
*(Nam cuncta debeo) tibi.*

Præterea dum hymnos & Epinicia meditans animo diligentius in passiones illorum Martyrum, qui ad Mosæ fluminis ostium apud Brielam oppidum, vt à lautitiis ac cupediis quondam, ita nunc ab efferata sæuitie & immani crudelitate nobile, variis suppliciis afficiebantur, inquireret, illorumque idcirco Martyria sæpius sacris virginibus suis referret, subinde dicere solitus erat: *At si heroes tali tantoque munere dignissimi Numini visi sunt: Quid?*

*Nos numerus sumus & fruges consumere nati,*

*Indigni, qui vel illustrium Martyrum corrigias calceamentorum dissoluamus.* Ob quam extremā viri excelsi humilitatem tam gloriosum Martyrium illi concessisse omnis virtutis remuneratorē DEVM opt. Max. affirmare non desinit *Fr. Petrus noster Slupicenus* Minorita, vir, si quis alius ob insignem mentis, vt nosti, puritatem & confessionis gloriam ad diuina cernenda aptissimus. Narrauit quoque nobis *D. Iohannes Gisbertus*, qui multis annis operando sacris fideliter Agathanæ Ecclesiæ inseruierat, & illo persecutionis æstu tunc maxime feruente, cum nonnullis sacerdotibus in secretiore cœnobii granario latebat, quod cum Sanctus & Beatus Musius ab ea præcipue muliere, quam quemadmodum antea bonitatis probitatisque nomine commendaram dilexerat, ita ob diram hæresin tunc quasi alteram detestabatur Iesabelem, de capessenda fuga persuasus esset, introierit in conclaue secretius, ibique conuocatis sacris suis virginibus multa de fidei constantia, spei nostræ certitudine, castitatis aliorumque solemnium votorum obseruatione & mutuæ dilectionis perfectione verba fecerit.

*Fr. Petrus Slupicenus.*

Quodque postquam de perseuerantia obedientiæ aliarumq; virtutum laudatas dimisisset, oblatis Dominici corporis, quæ in sacratio supererant, cum religiosa formidine (ne sanctum videlicet Domini canibus relinqueret) à se consumptis dixerit. *Hoc sumpto viatico* (forte opus fuerit) *armabor ad Martyrium: nec deficiam tam salutari refectus Sacramento.* Vnum adhuc referam, quod casune an mente talia præsagiente, siue alia de causa euenerit, equidem nescio. Cum ergo quatuor primorum Ducū decreto ex Hollandia frustra obnitente Bassuuii comite, ad obsidionem Montium primariæ Hannoniæ ciuitatis euocaretur Insubrensis Legio, quod eius militum Virtuti maxime fideret Albanus, atque Roterodamo incunabulis D. Erasmi longe celeberrimo oppido Hagam vsque sub meridiem peruenisset exercitus ad XI. Calendas Sextileis forte obuiam Opnero tuo factus *Arnoldus Pinsonius* Cattorum Prætor post solennia hinc inde salutationum verba rogat, numquid Musio mandari velit, se enim peracto prandio propere ad sorores, quas binas in illius cœnobio virgines habebat, iturum. Cui ille, nihil aliud, ait, nisi ut salutato meo nomine dicere digneris, ut si corpore se incolumem Musius velit, huc quanto ocyus possit, nulla mora interposita, advolet, sin omissa corporis cura, Martyrium pie ambiat, Delphis uti maneat. Quæ & illi tūc nunciata fuisse intelligo. Cæterū quamuis hic piis Viri manib. funebria iusta persoluta non sint, nec debiti tumulo redditi honores: tamen credibile est cælesti ciuitate promeritis donato non cælestes defuisse honores. Certe pe-

*Arnoldus Pinsonius.*

te persuademur animam sanctissimi Martyris mortalitatis huius vinculis solutam, atque pennis diuini amoris suffultam vna cum numeroso omnium virtutum examine recta statim ad ætherea euolasse regna, piis iam ante mundi exordium à Deo præparata. Finxerunt Poetæ, quo mores, studia, vitæque sanctimoniam Musij sui involucris quibusdam adumbrarent appropinquanti Sanctam Hierosolymam (illam, inquam, urbem, quæ super angularem Petram Christum ex viuis in cælo ædificata lapidibus, rectè *visio pacis* dicitur) occurrisse cū legatione in primis Agatham Siculam, Virginem ac Martyrem Catanæensem. & Paulam nobilem Romani sanguinis (ducebat enim à Paulo Æmilio Corneliaque Gracchorum matre, nec non ab inclyta Corneliorum, Scipionum stirpe originem) viduam, Monasteriorum olim virginum (tria namque sacris virginibus, & quartum Hieronymo aliisque sanctissimis viris ædificari curauerat) apud Bethlehemum præfectam, Eustochio filia & Lucia Syracusana, cateruisque simul aliquot innumerabilium Virginum comitatas, quarum aliæ rosas virgineo canore tinctas, alia candidiora niue lilia, violas aliæ saturè purpureas, luteolas calthas, nilleque odoriferorum florum genera calathis plenis ferebant, Epinicia sacra dulcesque hymnos personantes. Causam legationis hanc fuisse tradunt, vt gratulabundæ ciuitatem viro fideli, forti ac constanti ex Senatus decreto denunciarent esse donatam, simulque & corniculis armillisque aureis eum ornarent. Paulam interea illi etiam porrexisse annulum cum Sardonyche gemma, in qua gentilitia Hispaniæ in Batauis familia signa politissima arte celata fuere, multaque fecisse verba de Africano maiore, aliisque claris Corneliis, quos modo à Cornu (quod nunc buccinam, nunc vero alas siue extrema exercitus latera significat) dictos fuisse aiebat: modo autem nomen sibi sumpsisse dicebat à Coruo arbore hastilibus idonea, primoque Fauonio germinans circa solstitia fructum primo candidum, postea sanguineum reddit.

Subsecutos mox porro cum altera legatione commemorant Antonium, ortum ex genere Patriciorum, qui Comam (is est quidem pagus prope Heracleam apud Arcades Ægyptiis finitimos,) incolebant, Eremi cultorem illustrem, ornatum tunica illa de palmarum foliis in sportarum modum contexta, quam ex Pauli Thebæi intestati bonis pius hæres iam olim possederat, & in solemnibus Paschæ & Pentecostes diebus, quoad vixit, indutus fuerat.

Aurelium quoque Prudentium V. C. Cæsaraugustanum vatem Cytharа insignem & auro: ac Willibrordum de genere Anglorum virum sanctissimum Batauorum, Frisonumque Apo-

lum vna cum Hippolyto Commentariensi Ro. persecutione Valeriana multo illustrissimo. Qui Antonio aderant Monachi, vastique Eremi cultores Anachoritæ (adfuit inter hos quoque Martyris frater Petrus Musius, Thomæ Aquinati, cum eiusdem ordinis esset Sacerdos, socius datus) ouantium more coronis decorabantur myrteis ob domesticum hostem, propriam nimirum carnem, incruenta victoria domatum. Prudentii assectas, sacros Poetas, Hymnographosque Patres Laureæ corollæ (immortalis famæ & eterni nominis insignia) ornabant. Cum Willibrordo Archipræsule & Hippolyto Martyre togatorum cinctorumque multitudo, quæ numerari non poterat, intermistis æthereis Spiritibus incedebat. Quorum hi palmarú ramos, cruentæ de immanissimis Tyrannis ac fidei Orthodoxæ hostibus crudelissimis victoriæ ac animi inuicti signa, manibus gestare, illi vero cœlestem illam pacem, quæ omnem superat intellectum oleagines ramulis apte denunciabant. Porro Hippolytus, quique cum eo erant, & Græco & Romano sermone (vtriusq; enim callentissimus erat Musius) Ἀγάθῳ ποιήτῃ, Σωφρόνῳ πρεσβυτέρῳ, & ἀνικήτῳ Μάρτυρι. Præstanti Poetæ, Casto Sacerdoti, & inuicto Martyri, tam gloriose cruentam de impotentissimis Tyrannis & acerrimis hostib (mundo nimirum, carne, morte atq; Diabolo) victoriam non sane Christo partam, omnium cœlitum nomine gratulabantur Porrectoque militari illico cingulo illum in cinctorum Senatum coopratum esse pronuntiauerunt. Dum vero sanctam vniceque beatam ciuitaté versus viam corripiunt tardiusque tanta multitudo incedit, Saluianum aiunt, Massiliensem quondam Episcopum multa cum ipso verba contulisse, exauditosque à nonnullis, quibus tali visione frui concessum fuerat, complures esse affirmant sermones, qui in hæc tempora quam optime quadrarent. Quæ res, vt huic ἀποθέωσει multam adhibeam fidem, plane efficit. Nam illa de Antonio simul & Prudentio conficta videri possunt: ideo quod post varios sacros hymnos iam olim erudite pieque decantatos, *Solitudinem* quoque sane quam eleganter dignus Encomiastes laudauerit, & quod *de vero falsoque Monachismo libros breui* edendos nuperrime ad eundem modum conscripserit. Similis profecto suspicio quoque de Hippolyto & Willibrordo (quorum hic Dioceseos Vltraiectinæ primus fuit Antistes: illi antiquiori Parœciæ, in qua natus educatusque non procul à D. Georgii xenodochio, via Hagana Cornelius noster fuerat, Patronus apud Delphos præest) incidere posset Quin & illa de Agatha vel Paula virginum præfecta quisquam etiam facile excogitauerit, cui notum sit eum per triginta quatuor annos cum dodrante digne Agathensium præfuisse conuentui, vel fando aliquando audiuerit, quondam amplis-

amplissimo consessu septuaginta circiter patrum, loco ornatissimo Cornelium Musium Delphum erudite pariter ac grauiter de præfecti sacrarum virginum officio declamasse, stupore etiam correptis Cornelio Crocco, Nicolao Cannio, cæterisque ciuitatis Amstelæaccolis. Sed de Saluiano quis vnquam cogitasset? paucis admodum, vt opinor, nunc cognito. Ad cuius octo librorum *de prouidentia & iusto Dei iudicio* (leue piis, me Hercules, temporum horũ solamen) cum à me ingruente hoc bello Scuriliiille esset inuitatus, singulis ferme diebus, dum sub vesperam sacris D. virginis Matris laudib. ex more interesset, narrare Opmero, vt mihi retulit, solitus erat, quid potissimum per eum diem ex Saluianica lectione didicerit: sæpius mæstis cum suspiriis dicens: Vtinam & hodie multis huiusmodi abundaremus Episcopis. Sed non est, inquit, quod talia anxie speremus. Nam vel illo etiam priore sæculo Saluianus noster *Episcoporum Magister* dictus fuerat. Quid? quod à beatissimo Cornelio Apostolicorum temporum apud Cæsaream, vbi cohorti, quæ Italica dicebatur, præfuerat Centurio, Episcopo ad ingressum portæ auro, margaritisque intentis comiter, blandeque exceptum fuisse referant: Quem quoque aiunt fuisse

*Os humerosq; illi similem, & fulgentibus armis*

adeo, vti & hæc narratio me magis magisque ἀποθέωσι credulum reddat. Nam hunc Cæsareanum & Centurionem & Episcopum quis diceret tutelaris Diui loco à Musio electum fuisse, præsertim, qui ignoraret, quod amicimus ipsius Cornelius Kettellanus jam antea dudum Cornelium Ro. vrbis Pontificem Decii persecutione decollatum in patronum sibi asciuerit. Et de vtriusque similitudine id quoque sanè constat, quod cum ante paucos abhinc annos Apelles nostras Martinus Hemskerkius historiam illam de Centurione Cornelio ex Actuum Apostolorum decimo capite depingeret: ita semper nusquam, artifici manu fallente, illam eandem vultus orisque formam expresserit, quam Musium nostrum, modo defuissent thorax ferreus, cæteraque armatura, omnino referre videretur. Credo hominem, vt est summus antiquitatis admirator, ex vetusta aliqua statua exemplar illud Romæ carbone vel creta rubea excepisse: aut per quietem diuinitus, dum templi æædituus est, tali forma Italicæ cohortis centurionem illum ei apparuisse. Sed vt ad inceptam reuertamur narrationem, addunt & isti, qui superiora nobis retulere, quod varii hinc inde sermones exauditi fuerint, dum per plateas obryzo ex auro fulgentes tardius triumphalis hæc pompa incedit. Nam vici omnes & cunctæ viæ cœlicolis, minorumque gentium Diuis plenæ refertæq; erant, quorum alii alias noui Martyris virtutes recensebant. Quidam

enim lenitudinem animi, mansuetudinemque illius Mosaicæ sanè similem laudibus extulêre, aliis morum grauitas grata comitate condita placebat. Erant, quos aditus faciles, blandique affatus, Attici quoque lepores eius, nec non vrbaniores sales oblectarent. Complures hospitalitatem Episcopo plane dignam commendabant. Nonnulli temporalium rerum contemptum, summamque in pauperes munificentiam, alii ieiunia, inter lautissimæ mensæ regificas delicias admirandam hilaris senis temperantiam, alii vero Christianam illam deuotionem, & feruentissimas eius ad DEVM opt. Max. preces pro hæreseωn extirpatione, paceque atque vnitate Ecclesiæ pro Rege principibusque Catholicis, pro viuis denique & in spe resurrectionis dormientibus multa oratione laudabant. Eruditiores, qui aderant, indefessum illud sacrarum literarum studium: humaniores autem animi candorem, fidem quoque ac in tuendis amicitiis constantiam dignis prosequebantur præconiis. Erant, qui illos, quos Carminibus suis celebres fecerat, ordine recenserent. Porro cæteris Gulielmum Lindanum Rutemundensium Episcopum dignissimum præferentes, cum illi non minus charum fuisse, quam Basilio suo vel Nazianzenus, vel Chrysostomus vnquam fuerat, affirmabant. Anteponebant & aliis Cornelium Susium V. C. quem Pyladem eius nominauêre, illum nempe Susium, qui iubente Catholico Hispaniarum Rege Philippo II. late populis inter Helium & Flenum ius dicendo præses est. Forte obambulatum Elysiis in campis exierat Martyris Pater Iohannes Musius cum primario sui artificii viro Simone Coriario Ioppensi, Apostoli Petri olim hospite, quando Iudith Musia sacra ex cœnobio Hagiensi, quod Galilæa dicitur, Virguncula ab Elisabetha Matre missa, Patri filium triumphantium more inter cinctos aduentare denunciaret. Dum itaque ad hoc nuncium citatiore gradu in occursum Martyris ambo properantes longius sunt adhuc absunt, quod iis, quibus oculi in diuersas partes distrahuntur, accidere solet, uti dupla se conspicere arbitrentur.

Quandoquidem Simon duos Centuriones Cornelios se cernere, Iohannes contra duos filios visui suo exhiberi existimant. Cum vero propius accessissent, ita ut iam sutor filium ex tubere seu struma, quod sub sinistra maxilla ex contusione & ebinclusos spiritus solito plus intumuerat, certo cognosceret, in amplexus eius mens prægaudio illachrymasse creditur.

Ægid. Dilf. Cæterum intererat & cœlitum agminibus *Ægidius Dilfus*, sacer Poeta, Doctorq; Sorbonicus Martyris nostri ciuis:

Adamus Sasboutius. Cognati quoque ipsius *Adamus Sasboutius* triglottus ex Franciscana Familia Theologus Propheticarum ac Apostolicarum

Scriptu-

Scripturarum interpres, & Iodocus Sasbontius eius Patruus, Iurisprudentiæ ac Cancellariatus, quo apud Sicambros iussu D. Caroli V. Imp. Augusti per complures annos inculpate functus erat, nomine clarissimus. Quorum hi dum suauiter beateq; viuerent, pie mortem futuram (quod & conscripto sibi pereleganti Epitaphio testatus est) continuo meditatur: ille a tempore, cum mundo iam esset mortuus, cœlestem vitam in carne fragili super terram ducebat. Interierat & v[i]tiorum, maxime autem hæreticos ille supplantator *Iacobus Goudanus* (fratris Veterini cognomine Monnium vocant) in D. Hippolyti pastor, vna cum 5. illis suis sacerdotibus, qui omnes veluti pinguissimi arietes de grege Domini electi, pro ingrata ciuitate vltro, vt dignæ Deo hostiæ in suauitatis odorem fierent, grassanti anno Domini cIↃ. IↃ. LVII. pesti sese obiecerant, & ob quorum mortem, dum luctu planctuq; magno eos prosequitur, ciuibus Delphicis maximum hoc, quod patimur malum, imminere fatiloquus Musius prædixerat. Hi itaq; inter se cænobiticam illam Agathanæ ædis Oeconomiam, & raram ac inauditam bonorum omnium, siue hisce execrandis litium seminariis, *Meum, Tuum*, communionem prædicare, simul & Musium officio sanctimoniam castissimarum virginum moderantem laudibus mirum in modum extollere cœperunt. Idem quoque faciebat *Gerardus Lupus* sacrarum virginum præfectus Zutphaniæ, & quondam Patriarcha (Generalem vocant) cænobiorum tertiæ regulæ D. Francisci Assisii per Diæcesem Vltraiectensem, quo æger sub patibulum deportatus, ibidem obierat, quando ex eo Minoritarum *Guardianus cum sex sua familia Monachis dire vexarentur* à Guilielmo Comite Therenbergensi Aurantii sororio. Admirante ac subridente *Thoma Moro Britanno*, & quodammodo tacite instituta Vtopiensium suorum præ Agathensium moribus fastidiente. Hic enim summa alacritate cum *Ioanne Fischero* Roffensi Episcopo expiatorii fenestra hunc triumphum spectabat. Ad quorum conspectum lætus subsistit paululum Musius Martyr: atque venerabundus eos magna cum reuerentia ex via salutabat. neque id temere aut immerito factum quis opinetur: quandoquidem sicuti Anglorum VVillibrordi ac Bonifacii prædicatione ad fidem olim Batauii conuersi sunt: ita iidem passim nunc exemplo illorum illustrium heroum ad Martyria excitantur. Et agnouerat alioquin eos Cornelius ob tabellas in quibus domi suæ imagines ipsorum ad vnum depictas cum veneratione subinde intueri consueuerat: diuersis etiam Carminibus in easdem ludere solitus. Sub hæc vero *Paulus Gallouicanus* Ecclesiæ Ruremundensis Ecclesiastes doctus iuxta ac facundus, relictis minoritis Carthusianisque contubernalibus illis suis, quibus

Iacobus Goudanus.

Gerard. Lup.

Thom. Mor.

Ioh. Fischer

Paul. Gallou.

quibus cum nuper Martyrio coronatus] fuerat, pro veteri amicitia, quæ ipsi cum Delphensibus (habitauerat enim annos aliquot in veteri, quod Delphis est, Nosocomio. Postquam adolescens aliquandiu fraterculis, quos fouere atque ope & opera sedulo adiutare consueuerat Musius, conuixisset) intercedebat, se eorum agmini immiscuerat. Hic igitur cum de iustis Musii ad Lindanum suum quereis, tibi mi Taphee, plane non ignotis, multa referre pararet: tantus vbiq; e fremitus, tantusque clamor vndique cantantium Alleluia exauditus est; vti cæptum mox sermonem intermiserit, mox vero ad introitum Palatii augusti à Gregorio Nazianzeno præter exactam diuinarum literarum cognitionem (vnde & Theologus digne nominari meruit) Poetices etiam peterudito, & eius Discipulo Hieronymo Stridoniensi, sacrarum virginum apud Bethlehemum præfecto, eximiis olim solitariæ vitæ amatoribus aliisque honoratissimis Theologis excipitur. Quibus post dexteras summa cum humanitate datas conticen ibus: Hieronymus hac extemporanea vsus est oratiunula: Corneli Delphe, inquiens, cui a mure fecundissimo animali, non sine Fato, cognomen Musii inditum fuit.

Quandoquidem integritatis incorruptæ vir cum sies, gustatu tamen salis veræ sapientiæ prægnans tot præclaros ingenii fœtus ediderit, tibi cælitum omnium nomine gratulamur aduentum, vereque te felicem pronunciamus, quod ministerio tuo rite impleto, atque deposita graui ac molesta illa carnis sarcina ab omnium gentium primitiis, Cornelio nimirum hocce Centurione huc tanta cum Pompa adducaris, vbi opes sine amissione, abundantia siue defectione, gaudium sine mœrore, beatitudoque absque calamitate sunt. Vbi & victor etiam miles post duros ærumnososq; exantlatos labores donis ineffabilibus cumulandus eris.

*Nobile perpetua caput amplectente corona*

Post hæc per atrium vastũ, in quo Christi Martyrumque eius trophæa, & diuersa victoriarũ Ecclesiæ vexilla erecta conspiciebantur in amplissimum conclaue (Senatus namque ibi habebatur) deductus fuit. Hic post solemnes Deo Opt. Max. preces ex more fusas, Deiparamque virginem (& hanc vario dolore mæstam iam nuper lugubri officio pie tristis celebrauerat) regnanti filio assidentem alacriter, lateque salutatam omnes nouo Martyri honorifice assurgunt, locumque illi subter sellam Barnabæ Cyprii gentium cum Paulo olim Apostoli (quod die ipsi sacro filius iste cõsolationis Batauis natus credo fuerit) in subsellius cincto-rum designaot, inter Cassianum Notarium ac Martyrem, qui apud forum Cornelii operam suam pueris docendis quondam

loca-

locarat: & Marcellinum, qui sub inuidia tyrannidis Heraclianæ ab Hæreticis innocens cæsus est: ad quem præter complures Epistolas & libros *de peccatorum meritis ac remissione*, etiam præclarissim im illud opus *de ciuitate DEI* vir sanctus & præsul eloquentissimus D. Aurelius Augustinus conscripsit. Quem miro à *Iohanne Molano*, diligenti alioquin ac Curioso Diuorum indagatore præteritum esse, & in Martyrum album adscriptum apud nos non inueniri. Præsertim cum præter Hieronymi testimonium, & hoc apud *Paulum Orosium*, de eo Elogium extet. *In his diebus præcipiente Honorio, & adiuuante Constantio pax & vnitas per vniuersam Africam Ecclesiæ reddita est, & corpus Christi, quod nos sumus, redintegrata discissione sanatum est. imposita executione sancti præcepti Marcellino tribuno, viro in primis prudenti ac industrio, omniumque studiorum bonorum appetentissimo, quem Marinus Comes apud Carthaginem (incertum Zelo stimulatus, an auro corruptus)* occidit. Ob similem iam igitur, ni fallor) & tyrocinii & Martyrii genus tam excelso, maximoque honoris loco residens S. Cornelius Musius, fidelis obsequii remunerationem amplissimam accepit: immarcessibilisque victoris laurea ornatus fruitur nunc DEO Percipiens a Domino præparatum illud ipsum diligentibus se gaudium quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis vnquam ascendit. Quid dico percipiens? imo saturatus DEI gloria, *Eructat cor eius verbum bonum*. Dicatque ille opera sua Regi immortali, incomprehensibili, vni in trinitate soli DEO, qui est benedictus in secula seculorum. Merito ergo & hic exclamare libet:

*Marcellinus Martyr.* *Aur. Aug.* *Ioh. Molan.* *Paul. Orosius.*

*Sis bonus ô felixque Tuis, sanctissime Musi,*

nosque peccatores miseros, tuos attamen cultores meritis prosequere, & orationibus iuua. Fides enim & opera tua Christo te sociant, præsensque quod postulas pro nobis facilius impetrabis. Vide, mi Paule, quo me longius per aurem arreptum rei indignitas, amorque viri pertraxere. ut qui etiam aliorū hominum, attamen piorum contemplationes apud te prolixius recenseā, Sed satis, scio facile, quæ tua est humanitas, hoc affectui erga Musium meo condonabis. Et eleganti viro aliquid tribuendum fuerat, magisque Poetæ. Ego sane, si quid iudico, piam, verisimilemque magis (credat tamen qui velit) hanc ἀπόθεσιν existimauerim, quam illam, quam aliquando Maximiliano Burano comiti conscripserat Nicolaus Grudius. Fateor, erat venusta magis elegantioreque dignus quidem Musius: sed non erat in genii nostri alienas narrationes mutare ad libitum, nec vitium nostrarum talem tantumque virum pro meritis laudare. Virum, inquam, cuius carmina stupens clauus currus suos oblitus est.

*Maximilian. Buranus* *Nicol. Grud.*

Quem

Quem & in herbosis Pictorum pratis cum Thyrsi suo (Iohannem Secundum Hagiensem Poetam dico) cantu certantem de celsa rupe Gallia Poetam Batauum Salmonii Macrini sui ore salutauit. Gallia, inquam, tum potissimum ob Francisci Valesii Regis munificentiam exquisitissimis ingeniis, eruditione omnigena, variis diuersarum artium studiis luxurians.

*Salmonius Macrinus.*

Quem quoque Italia Transalpinæ eruditioni aliàs, vt aiunt, parum æqua per Ludouicum Guicciardinum suum rarae virtutis virum, exquisitæ doctrinæ Theologum & poetam elegantissimum pronunciauit. Ad quem visendum a toto orbe diuisa Britannia frequentes venere. Cuius colloquio vti frueretur Reuerendissimus Iohannes Gropperus Cardinalis, Germaniam suam per compluſculos dies relinquere non dubitauit. Apud quem serenissima Hungariæ Regina D. Carolo V. Imper. Soror Maria hospitari voluit. A quo oratiuncula gratulatoria se exceptum fuisse, maximus Monarcha Philippus Austriacus II. Hispaniarum Rex Catholicus, cum Hollandiæ Princeps apud Delphos inauguraretur, serio pieque lætatur. Cuius etiam amicitiam Beticæ suæ ornamentum Benedictus Arias Montanus expetiit. Cui gratificari per Petrum suum Nannium Belgium duxit sibi honori esse, idque literario munusculo. Quē & Lusitania munere plane regio (eburneo videlicet poculo Batoari artificis manu accurate sculpto, ac ex media Æthiopia Iohanni III. quondam Portugalliæ (ni fallor) Regi allato) per suum equitem doctissimum Damianum à Goes transmisso donari voluit. Quem denique sacri ac prophani, cincti iuxta ac togati, ciues, aduenæ, senes, iuuenes, anus, virgines imbecillaque puerorum ætas ex æquo honorare, diligere atque laudare non cessauerunt. Et vt vnico verbo eloquar, erat Diuis pariter ac hominibus gratissimus Cornelius, nec quispiam vel leuissimo rumore vnquam audiuit, quemquam ab eo, etiam minima in re, fuisse læsum. Sed quorsum hæc apud te, qui a teneris, vt aiunt, vnguiculis in Musii ædibus educatus sis, & quem ille ætate vt filium, Catholica pace, vt fratrem, honore vt Conpresbyterum semper dilexerit, cuique res ipsius domesticæ, omniaque vitæ instituta, & mores vniuersi ad amussim cognita fuère. Satis itaque vel tantum tibi sit, pro Epistola satis exigua, ingens quasi volumen accepisse. Porro, quæ de vxore, liberisque ac vniuersa domestica Opmeri tui familia scribis, pergrata quidem ei fuere, sed indies gratiora audire gestit, fugam eas secreto meditari intelligens. Faxit Deus opt. Max. vt negotium tam feliciter succedat, quam earum Aduentus ipsi erit gratissimus. Bene interim valete, meq; tuis purissimis precibus Christo commendare ne dedigneris. Salutant te hic Opmerus tuus, & Musii tuusque hospes

*Lud. Guicciardinus.*

*Ioh. Gropper.*

*Maria Hungaria Regina.*

*Philippus II. Hispaniarum Rex.*

*Benedict. Arias Montan.*

*Petr. Nann.*

*Ioh. III. Portugall. Rex.*

*Dam. à Goes.*

hoſpes Lucas Meynardus cum vxore ſua dilectiſſima Agatha. Salutat & filius Opmeri Petrus vna cum vxore. Salutat & Martinus Duncanus ex paupere nuper Decano Eccleſiæ opulentæ diues paſtor, ſanctorumque Exulum nunc etiam Sacerdotum Patronus & hoſpes, ſumptibus eoſdem quoque iuuans. Salutat poſtremo M. Maynardus Enchuſanus Confeſſor eminentiſſimus, & Edamenſis Eccleſiæ paſtor digniſſimus. Cui ſoli Sacerdotum ea gloria manet, quod ex illa quondam hæretica, barbaraque ciuitatula plures nunc fortes conſtantesque Catholici viri, rebus ſuis omnibus relictis, cum eo hîc appulerint: quam primitus ſub prædonum, ſcurrarumque aduentum reliquis Hollandiæ ciuitatibus exceſſerint. Dixiſſes S. Mauritium aduentare cum legione Thebæorum. Salutabis rurſum quam officioſiſſime meis verbis V.V.C.C. Do. Cornelium Suſium D. in Ryſvvyck & D. Splinterum ab Oſtervvych, ſimul & ornatiſſimum præſidis generum D. Ioannem Heuterum, communemque amicum noſtrum Hadrianum Terlingum, duriſſima quæque læta patientia vincentem, omne denique domeſticum veſtrum ſodalitium. Iterum vale. Amſtelrodamo Catholicorum exulum portu tutiſſimo, anno à natiuitate Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri cIↄ Iↄ LXXIII. IV. Calendar. Iunii, die nempe Maximino ſancto ſcilicet Epiſcopo & Confeſſori Treuerenſi, à quo beatus Athanaſius perſecutionem Conſtantii Principis fugiens honorifice exceptus fuerat.

*Corn. Suſius Splinterus ab Oſtervvic. Ioh. Heuterus Had. Terlin.*

## *In Cornelium Muſium Delphenſem virum doctiſſimum, indignâ nece ſublatum Epicedium.*

*Virtutis omnis ſeminiarum iaces*
*Fœda peremptus (heu nefas, ſecli) nece:*
*Speculum modeſtiæ, ſacerdotum ordini*
*Sortis malignæ & fraudis expers abditæ,*
*Fontes perennes largitatis pauperum*
*Turbæ recluſiſti. Vſque nec tua indigos*
*Vacuoſque opis diſcedere à te paſſus es.*
*Muſas amaſti liberales, à quibus*
*In familiam traductus olim Muſiis,*
*Tibi occupaſti nomen indelebile,*
*Tibi labis exors vita clarum ad poſteros*
*Tranſmiſit exemplum bonis, probrum malis.*
*Trigemina pectus Gratia, ingeni fibras*
*Camæna, tinxeratque mentem Charitas,*
*Amorque recti, & ſancta conſcientia.*
*Sed fati inextricabilem vim quis fugit?*
*Præſaga mens dextram futuri neſciam*

*Quam ſæpe nil ſato abſque iuſſit ſcribere?*
*Inuoluit illa te beatum, ſi tua*
*Non extuliſſes tunc pedem extra mœnia,*
*Quum perduellis publice inſtructum rapit*
*Lacerumque fœde barbaris tractat modis,*
*Innoxiumque & criminis purum necat;*
*Ne fœda torti vulnere innoteſcerent:*
*Laqueoque ſanctum lictor implicat caput.*
*Valete leges, commeatus publici,*
*Auctoritas vbi interibit, perditi*
*Scurræ libido vti obtinet legum vicem.*
*Vos liberi à contagione carnea,*
*Saluete manes lucidi axis incolæ:*
*O ter beati, qui labores irritos*
*Mortalium ridetis, ac Tyrannidem*
*Deſpuitis, & trophæa ducitis truces.*

Sanctiſſimi viri manibus mæſtus canebat Hadrianus Iunius Medicus Hornanus.

PROH *dolor, & ô Diuum fidem ac mortalium*
*O cælites, & ſi quid in terris pium*
*Sanctumque ſupereſt: O facinorum vindices*
*Vbi nunc quieſcit veſtra vis Erynnies?*
*Vbi ſunt faces, quos miſer Oreſtes pertulit,*
*Vltor paternæ iuſtus indignæ necis?*
*Sanuſne ſum? an ſæuus mihi mentem dolor*
*Expectorat? nil lampade inferna eſt opus.*
*Deus ipſe. Deus hæc ſuo tempore vlciſcitur*
*Animi flagrantem conſcij ſubdens facem:*
*Æquare quam fax nulla Tiſyphonis queat.*
*Sed quiſue iuſſit, quiſue patrauit ſcelus*
*Crudele, trux, immane, pluſquam barbarum?*
*Qui iuſſit hunc natum eſſe oportet tigride:*
*Qui perpetrauit, huic fuit mater lupa.*
*Auſoſue fauces eſſe, ſic elidere*
*Talis viri fune, atque torta canabi.*
*Illamne linguam obſtruere? quæ nil impium*
*Auditu, nil vnquam prophanum effunderet:*
*Sed ſancta, caſta, referta pietate omnia.*
*Illaue benigna & nemini clauſa manus*
*Iſtoue pacto debuerunt claudier?*
*Quis vidit vnquam Muſij occluſam domum*
*Mediocribus, maximiſue, aut infimis?*
*Cui nocuit vnquam Muſius? Cui Muſius*

*Occasioni, ne iuuaret, defuit?*
*Cognomen ipsum, in Scytharum pectora*
*Gereretis, abstinere docuisset manus*
*A capite Musis sacro & horum praesidi.*
*Tantum potestis religionem dicere,*
*Quam Patris, auique hereditate acceperat,*
*Defensam ab illo. Itane omnium ceruicibus*
*Dissentientum Sparta laqueique imminent.*
*An ille Christum cum Patre & cum Spiritu*
*Vobiscum eodem non reponebat loco?*
*An fuga metusque debuit Cornelio*
*Capitalis esse? Quis vero sic punijt?*
*Vt non monerent tanta virtutum bona.*
*Non veretudit aetas. Non misertum est frangere*
*Guttur senile. Adeone cuncta humanitas*
*Ab hominibus discessit atq; omnis pudor.*
*At tu anima Musi exemta nunc ergastulo*
*Perfruens illo, quem sitiuisti, tuo*
*Christo, minas Carnificis ac laqueos supra*
*Nos multa patimur, metuimusque omnia.*
*Haec ipsa, quae iustus mihi dictat dolor*
*Deplangere inter arma, non vacuum metu est:*

Cornelio Musio Petreius Tiara Frisius Poeta.

Carmen Chronographicum Martyrii anno 1572.

MVsIVs est fato, heV, fVnCtVs non sIne fato:
qVI In ChrIsto hIC VIXIt nVnC VIVIt non sIne ChrIsto.

Ἄλλο. Dura iacens tumulo maledicens, at cruce Musus
Quippe pius Vates, credimus esse Themin?

# PETRI OPMEERI
# DECADIS II.
## LIBER I.

### Martyrium CC.V.V. Lamberti ac Quirini Coss. Harlem.

*Ex relatione D. Maxmiliani Comitis de Bossi* Ioannis Zurenii, *variis literis amicorum &* diuersis diariis.

POSTQVAM moneat lex vetus, ne in conspectu Domini compareamus vacui, sed vt vnusquisque offerat iuxta benedictionem Domini DEI sui, atque non solum eadem lex in turturibus & columbis, quæ tenuiorum oblationes sunt, binarium commendet numerum, verum etiam ipse Christus Dominus in Euangelio duo minuta à vidua paupercula in gazophylacium missa, ingentibus diuitum donariis præferat. Visum & mihi fuit operæ precium Priori Martyriorum Hollandicorum decadi iam absolutæ, & alteram adiungerem, ambasque sic innotas afferre in templum Domini. Quo etsi non pari affectu, saltem non dispari numero imitari videar hanc, in qua si vnquam alio certe vel hoc maxime seculo Saluator designasse suam Ecclesiam creditur.

Quæ vt Domina Gentium, atque Regina quondam in vestitu deaurato circumdata varietate astitit à dextris Regis sponsi sui, ita vt nunc quasi vidua omni præsidio destituta ab immanissimis hæreticis, scurrisque vilissimis spoliatur, in exilium eiicitur, protruditur in carcerem, affligitur ac opprimitur. Audit quotidie, vbi est sponsus ille tuus? Quinimo videtur propediem cum probro sterilitatis intermoritura. At interea non cessat offerre omne, quod habet, minuta duo. Carnem videlicet per afflictionem, & mentem per humilitatem: quæ quadrantem, hoc est, tres vncias efficiunt. Vnde & ob vitam sobrie, iuste ac pie in tanta morum corruptela transactam à sponso suo merito commendatur, dilatatur atq; adeo propagatur. Quæ enim quæso ætas vnquam in tam angusto mundi angulo inter tot inextricabilia dirissimæ longissimæque persecutionis pericula plures pie eruditorum confessorum phalanges, pluresque castarum virginum cuneos conspexit. Quod enim pluribus illustrium Martyrum

rum coronis enituit? Videmur cum seueriore illo sæculo certare posse, quādo Christiana religio duro Martyrii potissimum agone commendabatur, si modo non inuidia præsentia, præterita veneratione prosequeremur. Indignum igitur, medius fidius, fuerit, hæreticos ad sua dogmata stabilienda Tragicis aliquot Simiis celebrandis diligentiam priscorum Patrum imitari, nos vero eorum filios, nescio qua socordia animique mollitie, ex tam vbere, lætaque verorum Martyrum messe nullos fidei Orthodoxæ confirmandæ testes colligere, & ad ipsorum laudes quodammodo obmutescere. Illos discordibus animis domum illam super Petram ædificatam, quæ Ecclesia DEI viui, columna & firmamentum veritatis est, oppugnantes, Encomiis decorare, nos eandem defendentibus, & tam impiis conatibus cum vitæ etiam huius iactura vnanimiter obsistentibus haud vlla dicere præconia; Præcipue in tanta luxuria ingeniorum, scribendique prurigine. Vtinam sublatis periculis & domesticæ curæ & rei familiaris angustia permitterent, me aliquando animo obsequi, quicquid virium ingenii, eruditionis, licet prætenuis in me esset, libenter elogiis illustrium Belgii Martyrum conscribendis impenderem. Sed quando, vt volumus, non licet; velimus vt possumus, atque intra Hollandiæ limites nos continentes à *Lamberto Rosenueldio* & *Quirino Talesio* V.V.C.C hanc secundam decadem fauste feliciterque auspicemur, quos inclytos Martyres Harlemum nobis exhibuit. Quam vetustam ac florentem quondam Caninefatum vrbem inter Hollandiæ ciuitates secundo dignitatis loco numerant. Hanc locinatura longe amænissimam antiquitus præcipue nobilitauit Frederici Ænobarbi Imp. Ro. ad sacra Palæstinæ loca, quæ Saladinus Sulthanus occupauerat, recuperanda expeditio Alexandri III. Rom. Pont. consilio pactoque sub annum Domini cIↃCLXXXIX. susceptа. Cui inter cæteros Galliæ, Britanniæ & Germaniæ principes Florentius III Hollandiæ minorum ex ordine decimus Comes, vna cum filio Guilielmo quoque interfuere. Etenim cum Heroes illi vndique comparatis nauibus iam abundarent, nec portus vspiam recipiendæ classi commodus pateret, Pelusium Ægypti oppidum ad supremum Nili ostium Astamversus situm, (Heliopolim quondam, nunc Damiatam vocant) primitus oppugnare statuunt. Erat sane Pelusium nauali bello satis opportunum, nisi ferreæ æneæque cathenæ inter longe munitissimas turres extensæ portu hostem exclusissent.

*Lambert. Rosenueldius.* *Quirinus Talesius.*

His igitur effringendis proram simul & carinam præsidii nauigii serris, limisque ferreis vestiunt Caninefates, quod imposito milite sociisque naualibus Guilielmo duce in cathenas vento ac æstū secūdis vsque agunt, donec illæ paulatim disruptæ o-

nere nauis innitentis tandem late dissiliunt, classiq; aduenienti portum adaperiunt. Capto optimo Sarracenisque in potestatem redactis laudatum ex more Comitis filium muneribus cinguloque militari donat Imperator. Harlemensis tunc quoque ciuitatis insignia fidei virtutisque ergo gladio cruceque honestata fuere. Monumento huius stratagematis etiamnū tintinabula illa Damiatica sunt, quæ singulis fere vesperis summa alacritate pulsantur.

Post illa vero deinceps tempora secundæ aduersæque res Harlemi plurimum variarunt, ad hanc vsque nostram ætatem: qua cum aliquot summi pictores, sculptores, vitriarii, incisores atque artifices, tum in omni disciplinarum scientiarumue genere complures viri multo doctissimi vrbem celebrem plane reddiderunt.

Ornant eandem præterea D. Philippus Austriacus II. Hispaniarum Rex Catholicus, impetrando a Paulo IV. Rom. Pontif. vti Episcopatus sedes ibidem collocaretur, in qua nunc digne sedet *Godefridus à Mierlo* raræ doctrinæ, admirandæ mansuetudinis ac humanitatis Antistes.

*Godefridus à Mierlo.*

Postremo multo illustrissimam nupetrime eam reddiderunt complures IESV CHRISTI Martyres, qui pro religione sincera pati fortiter, & in pertinaci Orthodoxæ fidei confessione constanter occumbere non dubitarunt. Inter hos duo sane priscorum morum viri clarissimi & antiquæ virtutis rara exemplaria fuerunt, *Lambertus Rosenveldius & Quirinus Talesius*, ambo exactæ quidem ætatis, sed quibus senectus sensibus virebat integris, vegetumque ingenium in vivido corpore vigebat. Quorum ortus, studia, mores ac mortis genus aperire, vti ingenio possum operæ precium duxi, quandoquidem sub oculos quasi ponetur, quam dira atque nefanda in clarissimos etiam viros etiam ii, qui titulo Euangelii (si Diis placet) se nunc venditant, perpetrare audeant, dum suo in Catholicum nomen odio gerentes morem religionis reformandæ prætextu sæuiunt. Nati igitur ambo Harlemi fuere, habuitq; patrem Lambertus Iacobum Rosenueldum Guilielmi filium celebrem per ea tempora pictorem, matrem vero Margaretam, mulierem quauis vnione preciosiorem, quæ mores vrbaniores cum pietate prolem sedulo edocens ipsum cum Gisberto & Guilielmo fratribus optime educaret. Porro decimum septimum ætatis annum jam agebat Lambertus, cum nasceretur *Quirinus patre Theodorico Crispensi Petri filio cognomine Bono*, solertis industriæ, ac suauissimæ comitatis sene, matre Maria, Ioannis filia, anno à nato Christo & Saluatore cIↄ.Iↄv. 12. Calendas Ianuarii, duab. circiter horis, antequam Sol exoriretur. Quem ex Tornenburgorum familia origi-

*Lambertus Rosenfeldius Quir. Talesf. Martyres.*

originem trahere signa gentilitia candenti rota illa sua ferrea satis testantur. Vtrumque cum ex Ephebis excesserat, ob ingenii præstantiam, & miram virtutis indolem, parentes liberalibus disciplinis, Aristotelicaque Philosophia erudiendum curavere. Quibus feliciter perceptis Lambertus Louanii in Falconiana, Quirinus vero Coloniæ Agrippinæ in Gymnasio Montensi lauream spectatæ eruditionis promeruerunt. Hæc itaque digne recepta Rosenveldus summo conatu iuri ciuili ac Pontificio operam dare, diuinarum ac humanarum rerum notitia imbui, iustique simul ac iniusti addiscere scientiam; Quanquam interim arcano naturæ motu ad Physices Medicinæq; studia potius traheretur. Quirinus autem Basileam profectus, cum commodum illinc discederet *Liuinus Algotius* Gandanensis, in eius locum D. Erasmo Roterodamo minister efficitur. Cui fidissime iuxta ac gratissime per septennium ferme inseruiuit, latinis accurate exscribendis potissimum occupatus: cum Nicolaus Caminus Græca accuratius pingeret. Celebrauit illum colloquio familiari ἀστραγαλισμὸς seu *talorum lusus* inscripto Erasmus, quo Talesii (Panarium ea vox sonat) cognomine innotesceret, quod tali occasione illi inditum narratur. Miserat filio Basileam Theodoricus pater aliquot vlnas panni Harlemensis, multo nigerrimi. quibus acceptis cum colore saturo illo summopere delectari præceptorem animaduerteret Quirinus, pannum ei donandum censuit. Munus jam ergo verbis commendans narrat patrem suum. à quo pannus iste esset confectus, secundum fuisse, qui Harlemi lanificium exercere, atque quæstum ex eo facere instituerit. Quo audito sermone perquam lepide Erasmus: Igitur & tu, inquit, merito nobis posthac *Talesius* vocaberis. Itaque hoc deinceps cognomine vsus est *Quirinus*. Extat autem & inter familiares D. Erasmi Epistolas, vna ad Quirinum Talesium suum, cum hic eius negotia in Britannia conficeret. Porro quanti eum vigesimum tertium ætatis annum tunc agentem fecerit Erasmus satis testatur *Richardo Pacao hoc modo scribens: Hunc Quirinum meum, quo nemo alius mihi inseruiuit amãtius. ob certa negotia amandaui in Angliam, quorum duo præcipua sunt: Alterum vt sceleratissimi impostoris rapinis aliquando finem imponam: alterum, vt quoniam Archiepiscopus Cantuariensis, simul Regia Maiestas literis amantissime scriptis me inuitant in Angliam. dispiciam cum amicis, an id commode fieri possit. Nam hinc fortassis migrandum erit, velim nolim. Vtrumque cognoscere poteris ex huius iuuenis narratione, quem tibi commendo, mi Pacæ, non vt famulum, sed vt filium mihi carissimum, si qua forte in re fuerit opus officio tuo.* Thomæ quoque Moro scribens: *Tragœdias meas, inquit, cognosces ex hoc Quirino meo,* iuue-

*Liuin. Algot.*

*Quir. Tales.*

*Richardus Pacæus.*

*iuuene mihi perspectæ fidei: quem, quoniam nouit omnia mea, in Angliam præmittendum arbitratus sum, vt per eum dispiciam cum amicis, quid fieri possit, aut quid expediat.* Præterea Epistolis ad Franciscum Dilsum & *Gerardum ab Assendelst* meminit *Talesii sui.* Quem abs se tandem discedentem, honesto prosequutus est viatico. Datis quoq; ea super re literis suis autographis Symbolo, quod demortui Ioannis Caluariam cum hisce notis (*Cedo nulli*) referret, ex cera rubea signatis, & ab auersa parte inscriptionem (*Donatio Erasmi*) monstrantib. Quorum exemplũ hic libuit adscribere: *D. Erasmus Roterodamus famulo meo Quirino Talesio pro fideli ministerio complurib. annis mihi præstito, dono dedi sanus & valens centum & quinquaginta coronatos solatos, vt de his faciat, quicquid volet. In cuius rei fidem hæc mea manu scripsi & familiare Symbolum appressi. Basileæ pridie Nonas Martias anno 1529.*

*Franciscus Dilsus.* *Gerard ab Assendelst.*

Quin etiam in patriam reuersum Maximiliano à Burgundia, vltimo Veriani nominis Principi his cõmendauit verbis: Hunc amanuensem meum Quirinum Talesium tibi non ignotum; pridem tribus verbis Iohanni Borsalo commendaui, nunc eundem tibi commendo, sed ita, vt nolim, te mea commendatione grauari. Iuuenis est moribus & fidis & placidis: Græce Latineque doctior, quam præ se ferat. Est enim rara quadam modestia præditus. Ita fit, vt plus habeat in recessu, quam fronte polliceatur. Mihi iam multis annis magno fuit vsui, vixque alius obtigit, qui mihi vel diligentius vel amantius inseruierit. Ad studiorum labores plane adamantinus est. Vnde *Hubertus Barlandus* solitus est illum appellare Mulum Marianum. Quod habui preciosissimum, illi non maligne impertii. Pecuniarum, vt ipse, non sum diues, ita largus esse non possum. Quamquam arbitror illum de mea benignitate non esse querulum. Ad perpetuam fortunam, velut ad optimum sacerdotium, aut munus aulicum, præter commendationem nihil dare possum. Quare te vehementer rogo, vt principi Veriano patri tuo nonnunquam literis tuis de Talesio aurem vellices. Crede hoc beneficium non collocaris in iuuenem non indignum, nec ingratum. Qui si fefellerit, quod scio non futurum, en me fideiussorem habe. Hæc ergo Erasmus, qui postea complures etiam ad Telesium suum Epistolas Harlemum transmisit. Quarum vna 7. die Maii anno cIɔ. Iɔ. XXXII. scripta penes me seruatur, in qua ipsi de Pensionariatus, vt vocant, officio adepto gratulatur. Quin & sub mortem quadringentos quoque coronatos Quirino legasse refertur. Hos an ille acceperit, nescius sum. Cæterum detulerat secum ex Germania *Talesius* tabellam pedali fere magnitudine, in qua effigies Præceptoris ad viuum artificiosissime expressa

*Joha. Borsal.* *Hubertus Barlandus.*

expressa fuerat à *Iohanne Holbeno*, claro pictore, qui ab Henrico VIII. postea in Angliam vocatus, summo in honore ibidem vitam agebat. Hanc à præcipuis pictoribus plurimum commendatam, atque etiam vel centum coronatis æstimatam in ædibus illius in vico Dammensi non lætis modo oculis me aliquando conspexisse, verum maxime pio gratoque animo & admiratum & veneratum fuisse recordor. Prætereaque magis quod *Cornelius Crucius* Præceptor meus in eam hocce Epigrammation luserat olim: *Iohan. Holbenus pastor.*

*Ora viri cernis viuam spirantia formam*
*Ast animum referunt scripta diserta tibi.*
*Fœcundumque eadem ingenium, linguamque beatam,*
*Erasmo à viuo, dic age, plusne feras?*

Qua etiam de causa exemplum ipsius tabellulæ mihi quam accuratissime depingi curaui.

Porro ne verbosius huiusmodi referendo Lambertum obliuione præterire videar: ad illum quoque nostra reuertatur oratio. Hic ergo Louanio domum reuersus, suadentibus amicis scholæ publicæ se Rectorem præfici facile passus est, quo liberius hac occasione bonis etiam literis, quæ tunc vel maxime apud Hollandos coli cœperant, operam daret. Peracto deinde studiorum utriusque cursu satis feliciter, ambo ad Rempubl. accessere, non dissimili quidem virtute, sed moribus plane diuersis. Rosenueldus tranquillam ac clementem secutus vitam, Magdalenam Petri filiam virginem castissimam uxorem duxit. Qua vita defuncta, licet nullam ex ea prolem susceperit, cælebs postmodum faciliter placideque vixit, gradu ad honorem ascendens. Nam primo à Secretis, deinde à Consiliis ac legationibus complures annos Pensionarius, ut vocant, ciuitati fuit. Quirinus contra, cum otii quasi pertæsus negotiis curisque variis se inuolueret, mulierem viduam Hazam Theodorici filiam nomine, cui liberi aliquot essent, coniugem accepit. Quæ quandoquidem ipsi duos filios, & tres pepererit filias, ille domi laborare, atque exercendo lanificium, non modo nomine, sed reipsa Talesium agere: foris vero inter mercatores nautasque ut plurimum versari, cum patriæ more facultates opesque suas in exercendis nauibus, quibus nauclerus, penes quem summa potestas est, præficitur, collocare solitus esset, atque inde quæstum honestissimum faceret. Magistratus summos fauore aulicorum statim adiit, neque quisquam sæpius aut diuturniore tempore apud Hollandos consulatu est functus, adeo, ut inter ciues consulis nomine vulgo appellaretur. Ætate illum Lambertus antecedebat quidem, sed autoritas, eruditio & eloquentia in ipsis prope æqualia fuere. Magnitudo animi par, item gloria; sed alia alij. Roseneldus

integritate vitæ, æquitate ac iustitia magnus habebatur, industria, sollicitudine, morumque honestate Talesius. Ille hospitali mensa & liberalitate, vestiumque splendore clarus amicis consanguineisque ornamento erat. Huic frugalitate parsimoniaque Caninefatica ac moderato cultu insigni dignitatem amici cognatique addidere. Nam præter *Henricum Glareanum, Beatum Rhenanum, Gilbertum Cognatum, Carolum Vtenhouium, Franciscum Dilfum*, cum quibus in ædibus D. Erasmi amice versatus fuerat, & plerosque aulæ proceres ac ciues aliquot primarios, clarissimi viri *Alardus Amstelrodamus, Cornelius Crocus & Nicolaus Cannius* (hic sexennium una cum Talesio D. Erasmo etiam Amanuensis inseruierat) amicitia familiaritateque arctissime ipsi coniuncti fuerunt, quemadmodum & eius agnatus *Maynardus Mannius*, quem Abbatem Eugmondensem meritissimum nobis Wormoria ediderat. Qui vir sanctimonia insigni, non modo collapsa vetustate Monasterii ædificia restituit; verum etiam extinctum prope inter suos pietatis studium resuscitauit, studiososque omnes miro amore complexus fouit, atque ad honores promouit. Cum huiuscemodi igitur viris florente versatus ætate Quirinus in lege Domini vt plurimum meditabatur, assuetus etiam preces horarias sacerdotum more religiose recitare. Lambertus miseris oppressisque consulere quam optime quidem, sed vt nullius fouere lites, ita à recipiendis muneribus omnino abstinere. Contra Talesius negotiis amicorum intentus esse, suamque illis minime denegare operam: præterea dona quoque nõ difficulter admittere. Vnde & apud celebrem parsimonia gentem sibi inuidiam parasse à plerisque creditur. Quam auctam ferunt, *quando sano salubrique plane consilio forum pistorium ad ripam Sparæ amnis transferre conaretur, resistentibus palam ipsius captu stolidæ superbiæ viro quodam magnate, & plerisque popularibus non sine seditionis metu. Addo periculosum in Republ. quicquam nouare, cum consuetudinis mutatio animos ciuium semper nouitate perturbet.* Cæterum contempsit facile inuidiam vir prudens talem, haudquaquam auram captare popularem assuetus. Potuerat namque & scribendo sibi apud posteros nomen comparasse, quod ex literis familiaribus satis perspeximus. Quandoquidem illæ licet ex tempore nullaque cura conscriptæ: multa sua tamen elegantia Erasmi discipulum omnino redolerent. Sed nihil ab ipso editum fuisse palam omnibus est. Quamquam audio eum olim familiaria D. Erasmi colloquia satis accurate repurgasse, sublatis iis, quæ piorum aures offenderent aut quæ magis auctor se vlciscendi causa, quam docendi alios, illis immiscuerat. Liber approbatus à Theologis Louaniensibus ab Henrico Talesio, Quirini filio Curione Sparevvondano asseruatur.

*Henr. Glar. Beat. Rhen. Gilbert. Cognatus. Car. Vtenb. Fran. Dilf. Alardus Amstelrod. Corn. Crocus Nicol. Cann. Maynardus Mannius.*

At.

At vero cum Symbolo etiam cunctis pacem inquirendam esse suaderet Talesius, & multum solicite Rosenueldus, Innocentem ne quis condemnaret, admoneret; ambo & teterrimo & atrocissimo latrocinio irretiti fuerunt, atque etiam tanquam sacræ victimæ è caula gregis Domini ad lanienam productæ. Postquam enim Frisia Occidentalis pyratarum tyrannidi sese iam vltro subiecerat, isque rerum status apud Caninefates esset, vt ad bellum ac defectionem, spreto saniore paucorum consilio, omnes spectarent, virtutisque summum opus crederetur illinc fugisse. Quirinus, qui se tumultu subduceret, Coloniam veterem studiorum sedem cogitabat: Nouiomagumque Gelriæ ad Vahalem vrbem peruenerat, cum imbecillitatis motus, & inclinatæ in deterius principia valetudinis sentiret. Quamobrem secundo amne Vltraiectum vectus hisce verbis à Maximiliano Bossunii Comite ibidem excipitur: Tene Rempub. deserere, qui vel vnus res perditas deploratasque posse restituere videris? Exquirit operam tuam vel nunc potissimum Catholica Regia Maiestas, Consul experientissime. Etenim quilibet nautarum vectorumque mari tranquillo gubernare potest: sed vbi sæua fuerit orta tempestas, ac turbato mari rapitur vento nauis, tunc viro gnauo & industrio gubernatore opus est. Quamobrem domum profectus inconditos populi mitiga tumultus, atque prærupto ancipitique periculo patriam eripe. Vrbem iam ergo ingresso Talesio, mox quoque exules VIII. nimirum Calendas Iul i intromittuntur, qui popularibus ac nouarum rerum cupidis stipati Senatum ad dicendum iusiurandum, quo illudentes Regis nomini Aurantio adstringerentur, Albanum Belgii hostem declararent, atque decimationi mercimoniarum se restituros sancte promitterent, compellunt, cuncta hæc omnino plebe probante. Quæ illud adeo more suo facere videbatur. Nam semper in ciuitate, quibus opes nullæ sunt, bonis inuident, malos extollunt, vetera odêre, noua exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student, turba atque seditionibus aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. Forte ob aduersam valetudinem lectulo decumbebat Lambertus, rogatusque vt sacramentum diceret, eius exemplar exhiberi, atque aliquot horarum inducias ad consultandum super eo sibi concedi postulauit. Interea Sacerdote clam vocato, factaque criminum suorum exomologesi, Eucharistiã cũ fide ac sũma animi deuotione accepit, & oleo quoq; benedicto corpus suũ ritu Christiano vngi curauit. Postero ergo die, cũ adessent, quib. illud exequi mandarũ fuerat, benigne allocutus eos, ait religione iurisiurandi, quod olim principi, qui secundum DEVM Opt.

Opt.Max.humano generi summe diligendus colendusque sit, ac ciuitati suæ præstiterit, se etiamnum teneri, nec aliud posse iuramentum dicere. Habere ingentes idcirco se gratias ipsis, quod temporis sibi abunde satis concesserint, quo curare potuerit,ne vacuus hinc Christianis migraret mysteriis. Agant modo in se senem lecto decumbentem,quod optimum ipsis visum fuerit. Deinde cum tali responso eos, quantumlibet dira minantes à se intrepidus dimittit. O pectus generosum, mentemque vere nobilem,& ab omni infidelitate prorsus alienam! O animum cœlestem,ac Constantiam plane angelicam! Non hæc blanditiis vinci, non minis & terroribus superari potuit: digna profecto, quæ eruditorum celebretur Elogiis, quæque laurigerorum passim decantetur vatum hymnis. Post hæc tempora Delphis tumultuatum fuit,præcipuæque ciuitates à Rege desciuêre,Amstelrodamo cum aliquot oppidis pertinaciter in fide remanentibus. Enituit tunc quoque nescia terreri virtus D.Roderici Capati Insubrensis legionis primipili,& memoranda fortitudo eius signiferi Iacobi Felicis.Cum enim Roterodamenses, cæterique Mosæ accolæ iam Regiis parere coacti rei frumentariæ penuria laborarent,hi cum delectis trecentis summæ audaciæ veteranis per depressiorem Hollandiæ agrum,qui bituminosus tremit ad ingressus Amstelrodamum contendunt, ibique oneratis sexaginta curribus annona tractu littorali Roterodamum reuertuntur,sæpius ex itinere hostibus profligatis, *Sparedamo, Santvordio*, Cattorumque vico maritimo insuper incensis,atque Ænocapitone pyrata manibus post terga ligatis quinque suorum signa militaria trahente in triumphum quodammodo adducto. Quæ res factiosorum hominum animos valde pupugit,quos acrius quoque ad persequendum Orthodoxos accendebat,quod Insubrensis Legio in Hannoniam ab Albano euocata,Harlemum frustra tentauerit, cum magna strage tectorum pecorumque & hominum pernicie. Quandoquidem primipilaris Centurio cohortes aliquot à Lazaro Mullero ex Canchis (hi ad Visurgum accolunt,nostratisque Planti appellantur) conscriptas ex itinere fugerat, fugaratque, strenuissimi militis officium præstante,qui à Bossuuio missus Hispanis aderat,*Liuino VVeldamo*,Patricio Hagiensi.

*Liuin. VVeldanus*

Nam circa triginta hostes eum trucidasse narrabat mihi confestim post fugam *Franciscus Valdesius* ordinum ductor,cum non vulgaris ipsi mecum ob bonarum literarum studia intercederet familiaritas. Verum quanquam donaria vasaque argentea in fiscum redacta erant, Consulesque ac plerique Magistratus Harlemi mutati;nondum tamen de religione Catholica omnino propulsanda quicquam aperte prorupit.Aduentu Aurantii III.videlicet

*Fran. Valdes. Capitaneus*

Nonas

NonasDecembris monasterium templumqueDominicanorum primo profanatum, ornatuque omni spoliatum fuit. Inde idem in cæteris cænobiis templisque factitatum à *Wigboldo Ripperda* Frisone, qui cum præsidio, quod ex perditissimis Caninefatum ac Batauorum constaret, vrbi præerat. Dum hæc fiunt Zutphania Sicambrorum ciuitas clara ac potens ad fossam Drusianam ab Hispano milite capitur, diripiturque plurimis etiam ædificiis incensis. Cuius rei nuncio perterriti hostes, q̃ præsidiis tenebant oppida, relinquentes Gelria, ditione Transisalana, Frisiaque orientali ac regionibus finitimis discedunt magno pauore. Exercitui ab Albano p̃fectus fuerat Frederic⁹ filius Magister Equitũ. (Commendatoré vocant) Calatranæ, qui reb. secundis nimius spreto saniore patris consilio, quo ille Gorcomiũ Batauorum, ꝙ commodius paucioribusque præsidiis, nullo à tergo hoste relicto, commeatus illo adveherentur, adoriri voluerat, in Caninefates mouere statuit. Expeditionem ineunte hyeme aduersus & arduam, & variis iisque maximis periculis obnoxiam. Itaque Amersfordia benigne in fidem recepta, & Nardeno Goierorum oppidulo, & peruicacem scurrarum aliquot insolentiam non sine extrema sæuitie propemodum deleto, dum Amstelrodamum venit, Harlemenses Senatusconsulto legatos ad illum mittunt *Theodoricum Frisium* Consulem, *Christophorum Scaganum* Senatorem, & qui ciuitati à consiliis orationibusque (Pensionarium vocant) erat *Hadrianum Assendelphium*. Quorũ ambo posteriores cum responsis ad Senatum redeuntes in vincula coniecti fuere à Wigboldo præfecto, qui eos necandos Aurantio mox Delphos transmisit. Ferocior enim factus mænibus se bellum propulsare posse confidebat, quod quatuor Canchorum cohortibus auctus iam esset, quas illo adduxerat *Iacobus Stenbaccus* Neodamo Waterlãdiæ vico, à *Lazaro Mullero* tribuno Caninefatibus auxilio missus. Interea Sparendamo Caninefatum portu expugnato præsidiisque vna cum *Martino Pruysso* centurione trucidatis Harlemum Fredericus petit. Venerat illuc paulo ante cum mandatis ab Aurantio missus, *Philippus Marnicius Aldegondanus*, ex Allobrogibus oriundus, vir ingeniosissime nequam, & publico malo facundus, omnibusque prauis artibus Reipubl. perniciosus, qui conuocatis sagittariorum sodalitiis exponit sibi mandatum esse, vt nonnullos Magistratu amoueat, dignitateque priuet Senatoria, non quasi infidos, aut parum tali munere dignos, cum viri alioquin sint honestissimi, sed pro tempore lecto nouo Magistratu Aurantium securitati publicæ ac ciuitatis commodo tantum consulere voluisse. Aliud interea animo versans. Nam *Petro Kiesio* exule loco Frisii, qui ad Menapios metu profugerant, in Consulem, aliisque ad alios Magistratus lectis,

*Wigb. Ripp.*

*Theod. Fris.*
*Christophorus Scaganus.*
*Adrian. Assendelph.*

*Iac. Stenbac.*
*Lazarus Mullerus.*
*Mart. Pruyss.*

*Philippus Marnicius. Aldegondan.*

*Petr. Kiesius.*

lectis & nouo insuper creato Senatu, statim qui sententiam de legatis Amstelrodamum ad Fredericum mittendis dixerant, domi custodiis seruandi traduntur. Inter quos præcipui fuerunt Rosenueldus ac Talesius, *Ioannes* quoque *Sureinus* insignis Mathematicus Consulares, & *Ioannes Tinctorius* aliique complures ex Senatu. Cum aduenisset iam ergo exercitus, post displosa frequentius 14. maiora, quę secum adduxerant, tormenta bellica in crucis D. Ioannis portas, tentata res est, si primo impetu capi vrbs possit. Vbi id parum processit & copiæ, quas Lummenus ducebat, ad Lastiuiæ montem cæsæ fugatæque essent, obsidione munitionibusque cæpti premi hostes. Erat regio circumcirca vastata, videbaturq; exercitus quasi in solitudine destitutus lassitudinem, frigus, inopiam ad desperationem ferme perferens. Multos exanimauit rigor insolitus niuis, complures cum in excubiis deficientia sternerent corpora vis frigoris ita adstringebat, vt sursum ad surgendum conniti non possent.

*Ioh. Sureinus* *Ioh. Tinctor.*

Accedebat his grauius aliud malum, simultas nimirum inter Fredericum & Belgarum proceres, & obscuriora coniurationis in Hispanum nomen, (ea mortuo Requesenio palam tandem erupit) signa terrorem metumque militum animis incutientia. Interea etiam non cessabatur ab hoste, fiebantque subinde leuia quidem, sed longe acerrima prælia multis hinc inde cadentibus, dum aut obsessi eruptionibus frequentibus statiua aggrediuntur, molestique obsidentibus sunt: aut rursum, si cohortes auxiliares, eosque qui annonam per congelatum stagnum rhedis trahisque adueherent, accessu oppidi arcere nituntur. Cum enim in castris propter lutosa, latrociniisque infesta itinera pulueris tormentarii, pilarum ferrearum & cōmeatus penuria summe laboraretur, ad obsessos vsque aditus patebat, donec Bossunius qui nauibus præerat copiis, perrupto ad Cerui domum aggere naues Batauorum stagno expelleret, simulque ab ea vrbis parte compluribus munitionibus, ac classe 50. nauium auxilia commeatumque ciuitate excluderet, crescebat interim in vrbe cum inopia rerum omnium, tum odium quoque aduersus Orthodoxos, in quos & priuatim & publice pro cuiusque libidine sæuire licebat. Præter alios *Bernardus Thybautius* eminentissimi *pictoris Vitriarii Guiliemi*, & summi philosophi ac Medici *Theodorici Tibautiorum* frater glande sclopetoria impune traiicitur à ciue improbo, dum is causatur tardius illum ascendere muros. Hugonem etiam infectorem lintearium, hominem gnarum & industrium, quod liberius locutus, se tam diuturnæ obsidionis tædere, dixerat, crudeliter flagellatum, carceriq; traditum lege lata exulem fecerunt.

*Bern. Tybau. Guilh. Pict. Vitriarius. Theod. Thybaut. fratres.*

Porro externæ opis expectatione destitutis per literas alligatas

tas pedibus columbarum (his namque internuncii per emissarios vrbe exportatis vsi frequenter fuere) significarant Batavi, se munitionibus ad Amstelæ ripam in hortis claræ Theussorum familiæ (Mermundo loco nomen est) positis exercitum exclusisse commeatu: sed ea spe obsessi quoque decidere, capite *Oliuarii Pictoris*, vti tabella affixa indicabat, per muros ab Hispanis proiecto. Fuerat hic stolidæ audaciæ Centurio, multa contra Regem hostilia ausus, & ob montes Hannoniæ Metropolim Ludouico Nassauio proditam ab Albano proscriptus, quem conspectis à longe aliquot fossorum calonumque mani, ulis metu munitiones relinquentem, & cum suis profugientem insecuta Amsteirodamensis iuuentus, quique sub signis erant ciues trucidarant, mortuumque in castra ad Fridericum transmiserant. Eodem tempore adolescens quidam Antonii Benedicto-dii filius in cuniculos propugnaculi, quod ex aduerso Hispanorum, aggerem ab obsessis in modum Lunæ, cum eminent cornua, nondum totum orbem sidere implente, erectum medium erat, deprehensus quasi transfuga accusatur, quandoquidem vulgatum fuerat inter veterem Senatum Hispanosque clam nuncios commeare. Qua occasione cum Consules Senatum conuocassent, decretum fuit de Lamberto & Quirino hypogæo includendis. Carcer est descendenti ex foro via Barteliosia ad dextram situs, eum muniunt vndiq; parietes atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta. In eum locum, quando haud vlla prodessent excusandæ valetudinis verba, lecto surgentes ducuntur VII Idus Maii duabus circiter horis post occasum solis, subsequente illos Vrsula natu maxima Talesii filia, quæ vt animo generosa, ita & corpore casta inter eas cum sorore degebat virgine, quas voto liberas monasticam agentes vitam Begguinas a Diua Beggua, illius instituti principe dictas volunt.

Oliuarius Pictor.

Ducebatur vero cella vinaria, quę sub æde ciuica habitatur, extractus in hunc quoque carcerẽ *Hadrianus Groneuensis* Senatorii ordinis vir plane bonus cum nobilitate generis, tum satis lauta fortuna ornatus. Hunc ex castris XIII. Calendas Februarii Amstelrodamum per glaciei leuorem (erat enim hyems multo asperrima & diutina) proficiscentem excursione facta ceperant aliquot prædones, cum antea trucidassent *Hadrianum Iustum*, qui ipsi aderat, sacrarum virginum veteris, vt vocant, curiæ apud Alcmariam præfectũ, cuius consuetudine mihi paulo ante Vltraiecti frui suauiter per aliquot mẽses contigerat. Inclusi ergo tenebroso putidoque huic ergastulo, clarissimi eminentissimiq; viri postridie sacrum Pentecostes diem læti inter se celebrant, illuminante ipsos iustitiæ Sole, Christo, & ignem diuinæ charitatis in cordibus ipsorum accendente Spiritu sancto,

Hadr. Groneuensis.

Hadrianus Iustus.

cto, sic ut odor gratissimus Deo iam essent, exhibentes nimirum illi casta sacrificia atque eximia holocaustomata in immolatione propriæ carnis, & oblatione animarum suarum. Erat porro intra carceris septa hortulus herbis coronariis consitus, floribusq; diuersi generis mire ornatus quem vinctos subinde accedere non difficulter permittebat Commentariensis vxor, quo carceris tædium animo sic excuterent, simulq; liberiore fruerentur cœlo. Hoc vbi resciuere, ægre ferre consules, accersitumq; Commentariensem, verbis obiurgare asperrimis, atq; etiam minabundi interdicere, ne præter ipsum quemquam vlterius carcerem adire sinat, ita vt palam quodammodo appareret tam illustrium virorum captiuitatem priuato magis odio, quam publicæ vindictæ ratione factam. Interea fame per ciuitatem crescente, de censu agendo decretum fuit, *numeratiq; ciues mille octingenti triginta sex, milites ex nostratibus Canchijsq; conscripti mille octingenti quinquaginta sex; ex Gallis, Anglis, Scotis ac Hibernis mille ducētiquindecim.* Imbellis vero turbæ capita quindecim millia octingenta, sexaginta quinq;. Cæterum cum multi hinc inde singulis caderent momentis, plurimique inedia & frigore essent consumpti, in captiuos vtrinque sæuiere erectis in mole extra & in aggere intra mænia patibulis.

Forte intercepti fuerant internuncii aliquot, qui puluere tormentario onusti vrbem petebant. Hos inter, dum ab Hispanis VI. Calendas Iunii suspenduntur, vnus quasi transfuga ex altero pede pendebat, sed prius strangulatus, propterea, quod anteactæ vitæ pœnitentia crimina sua Christiano ritu confessus Sacerdoti fuerat. At obsessi credentes illum etiamnum viuere, displosis eminus sclopetis pendentem traiiciunt. Mox deinde in rabiem ob hanc suorum contumeliosam necem quasi efferatæ cohortes in perniciem Orthodoxorum coniurarunt.

Britanni primo, Galli deinceps concursu ad carcerem facto, vinctos ad pœnam sibi tradi poscebant. Sed cum horum furorem facile repressierat *Theodorici Bontii* Commentariensis blandior oratio, prætoriana cohors, magna ex parte etiam sanguinariis ciuibus, qui omnia nouare cupiebant, permistis, ergastuli fores effringens, clarissimos innocentissimosq; homines verberibus ac contumeliis affectos ad infame ac turpissimum supplicium trahebat. Dubia lux erat, stabantq; præ ædium foribus mœsti Caninefates, recordantes, quos paulo ante consules habuissent, eos ægrotantes, sacroq; chromate vnctos, nunc cædi alapis, duciq; furcam. Incedebat Rosenfeldus erectus, & staturæ proceritate ac longævæ ætatis veneranda canicie (vix erat enim octoginta quatuor annos) conspicuus: eratq; iustitia cingulum lumborum, & fides cinctorium renum eius. Talesius

*Theod. Bont.*

autem

autem longanimis atque mansuetus, canaq; barba venerabilis, terram cernuus intuebatur quidem, sed mente ad cœlestia anhelabat. Hos pone Quirini filia, aliique longo sequebantur ordine. Ad aggerem cum iam ventum esset, conspicatus Lambertus adstantes præfectos, Quid hocce rei, inquit, est? siccine ne accusatos vllius quidem criminis noctu rapi ad pœnam? si vindicari libet, intententur delicta, reique audiantur, & sic vel innocentes quoque damnemur. Ad quem conuersus Talesius: Quid damni Christianis est, ait, huic seculo nequam quolibet tempore & quoque pacto abstrahi? Deinde furcam aspiciens: Quid extimescimus ad lignum? Etenim si gloriæ Dominum crucifixerunt, quid nobis eius seruis aliud expectandum restat, cum non sit maior seruus Domino suo? Moram vlterius trahentem Lambertum, & preces puras ad DEVM Optim. Max. fundentem scalas ascendere cogunt, hastilium spiculis identidem latera eius fodientes, sicque excutientem ipsum scalis tandem pestilentissimo hiberno milite (infandum) publica ciuitatis vox infami nodo constricta periit, cum nemo salutem eius defendisset, qui per quinquaginta septem annos publicam salutem defenderat, Inde consuli Quirino gulam ex furca fregere. Cum per omnem ætatem, vt ingenio florentissimus, ita & vita integerrimus ac proposito sanctissimus fuisset, tantis denique etiam adornatus virtutibus, quantas perfecta, & natura & industria mortalis conditio recipit.

Eodem quoque modo de Hadriano Claronenio Senatore & Hugone ciue honesti nominis supplicium sumptum est. Præterea de Germanis militibus tribus & adolescente quodam Lugdunensi. Parum visum ipsis in viros sæuiisse, in sexum muliebrẽ erubescenda etiam perpetrauerunt. *Vrsulam* Consulis Talesii filiam, quod excelso animo Caluinianam aspernaretur doctrinam; eodem tempore in fossa Balieuessana mersere, lapidibus obruentes. Ter emergere ac in terram ascendere conatam, ter ascensu prohibuerunt, donec tandem hasta transfossa animam, quam vario ac multiplici virgo virtutum mundo habebat ornatam Christo Sponso in odorem obtulit suauissimum. Sed ne Vrsulæ deesset comes, mulierem Tornacensem, quæ à Mernis virum secuta, ex excursione illa memorabili, cum obsessi Germanorum castra aggressi octo militaria signa in vrbem reportarunt, capta fuerat, eodem supplicii genere interemerunt. Quin etiam ut tam solenni tot eximiarum victimarum sacrificio adesset quoque Sacerdos, *Franciscum Iacobi Rembrandi* filium moribus inculpatissimis Presbyterum lecto euocatum, & nihil sinistri suspicantem, indicta causa mox eodem ex patibulo, quo alios suspendere. Tumultuatum vero fœdum in modum

*Vrsula Talesii filia.*

*Franciscus Rembrandus.*

est per noctem, conquisitique ad pœnam passim Orthodoxi latitantes, quorum metus, lachrymas, suspiria ac gemitus haud facile fando quis explicauerit. Maxime autem cum in vincula coniecti essent præcipui ciuitatis Sacerdotes *Gaspar Petri filius, Martinus Florentius, Petrus Ballingus & Reinerus Rufus*. Postridie cum iam resederat impetus ille animorum, ardorque plane Panicus, silentium subito exortum, & tanta cogitatio quidnam egissent: quodque furor plus valuisset, quam ratio, plerosque maxime pœnitebat, Quamobrem subtrahi oculis acerba funera curant.

Gasp. Petr. F. Martin Flor. Petr. Balling. Rein. Rfus.

Permissum itaque absque apparatu funebri Lambertum ad Altare D. Nicolao sacrum apud vxorem: Quirinum vero cum filia sub organis Pneumaticis in patruo sepulchro, alios item aliis in locis humari. Posthæc omnia in peius ruere. Nam & ædes ciuium spoliatæ, & duæ insignes bibliothecæ fuere direptæ. Quorum vna Græce Latineque doctissimi Theologi *Hieronymi Vairlenij*, qui ipsus latebat, erat: altera ad D. Iohannis.

Hier. Vairl.

Deinde mox ad vltimum inopiæ adducti obsessi, pelles bubus, equisque detractos, vbi secunda mollissent aqua, mandere inceperunt, nec canibus aut felibus alioue animali abstinuerunt. Omne etiam herbarum radicumque genus terra eruerunt. Ferunt humanam voratam & carnem, Mariamque alteram Talesii filiam viduam, vt ætate integram, ita corpore solido ac succi pleno ægre famelicis subtractam. Cum ab hospite milite in frontem imbricis fragmine icta, vitam apud matrem quam honestissime egerat, immatura morte finiisset V. Idus Iulii, quo tempore & æditui summi templi *Ioannis* Nicolai *Ballingi* vxor miserrime trucidata fuit, multique fame perierunt. Tentata proinde, eruptione facta, sæpius fuga. Verum omni potissimum spe fuerunt frustrati, cum Guilielmum Badenburgium cæsum atque Batauorum copias, quæ auxilio ab Auriantio cum annona erant missæ, internecione deletas esse intelligerent. Commearant frequenter internuncii, qui de dedenda egerant ciuitate, sed *Othonis Comitis Ouersteinii* opera potissimum factum, vt ea III. Idus Iulii anno à Christo nato cIↃ. IↃ. LXXIII. arbitrio *Frederici Albani* eradicetur. Pacta tamē imbellis ætatis sexusque salus, & ciuium fortunæ quoque ducentis quadraginta millibus Carolęis redemptæ. Sunt qui numerauere mensibus plus minus septem, quibus vrbs obsessa fuerat, tormenta bellica maiora decies millies, quadringenties ac bis in muros portasque fuisse exonerata. Capta ciuitate Amstelrodamo venere in castra à Senatu missi ornatissimi viri Sibrandus *Occo Pompeij filius & Albertus Marcus* ambo consulates, vt pro Harlemensibus vicinis apud Fridericum intercederent. Eodem die *Hibernus ille Lumius* nomine

Ioh. Balling. Otho Ouerst. Fred. Alban. Occo Pomp. Alb. Marc.

mine, qui crudeli modo carnificem in Christi Martyres egerat, ex eodem patibulo suspenditur. Hunc propexo ac rutilante crine, quem barbaro voto aluisse dicebatur spectatoribus horrorem incutientem apud aggerem pendere conspeximus.

Postero die *VVigboldus Ripperda* cum legato suo gladio percussi, & Steinbacci Ecclesiastes in foro suspensus. Landeslotus Brederodius nothus, & Iohannes Duuenvordius, Quæstor ditionis Warnensis, cum Rosonio centurione quoque cæsi. Mox de militibus gregariis supplicium sumptum: pars in stagno mersa, multi suspensi, alii capite obtruncati. Numerum mille octingentos excessisse ferunt, quibus omnibus prædictum fuerat, propterea seuerius in illos animaduerti, quod in viros longe clarissimos sine causa tam atrociter sæuierint. Quingentis circiter Canchis, qui sub Stenbacco meruerant, data venia: quod Ædem Apostolorum Petri & Pauli inuiolatam conseruassent. Sed hi magna ex parte, licet non sine viatico dimissi contra pactum iureiurando etiam confirmatum, continuo ad hostes transiêre. Similiter & ex Senatu nouo ac perniciosis ciuibus fæceque populariium complures, cum delicta fæda, infandaque crimina ipsis inaudita quadam clementia condonasset Albanus, Delphes statim ad Aurantium perfugerunt, tumultuantesque ingressi D. Agathæ cœnobium, in quo is tunc hospitabatur, vniuersa fere supellectili illud spoliauerũt. At quamuis plerisque nimium indulsisse Harlemensibus videretur Albanus: non tamen DEI Opt. Max. iudicia effugisse impune creduntur: quandoquidem varia postea calamitate ciuitas affecta fuerit. Nam seditiosas ob stipendij fidem minus seruatam Hispanorum legiones sustinere, & Germanorum Gallorumque præsidia alere coacta tandem etiam plus tertia sui parte conflagrauit, atque ad eam deuenit solitudinem, vt in ipsis ruinis postmodum admirabundus retia rara, quibus Gallinagines irretirentur, tendi cum summo animi dolore conspexerim. Maiora procul dubio subitura quoque mala, nisi tot sanctissimi Martyres, qui & intra & extra muros pro cana sacræ Romanæ Ecclesiæ fide fortiter occubuerunt, continuo pro salute eius intercederent. Inter quos Lambertus cum Quirino suo non aliter atque Sol & Luna inter cætera profulgent astra. Franciscus autem Hadrianus, Hugo & Vrsula vna cum sorore Maria haud secus atque stellæ eæ, quas Græca voce πλανήτας quasi errones vocamus, etiam enitere conspiciuntur. Qui docti fuerint, ait scriptura, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Non ego sane sic septem illa aurea Ecclesiæ candelabra olim luxisse crediderim, quemadmodum si magnanimi Heroes &

testes fidei Orthodoxæ multo illustrissimi nunc septiforme lumen pastum lætitiæ oleo, longe lateque, qua Religio viget Christiana, effundunt. Quos S. Sanctus sapientia, intellectu, consilio, fortitudine, scientia, pietate, timoreque Domini repleuit. Porro in septenario hoc sanctorum Martyrum numero, qui ex compari & pari, nimirum ternione, quaternioneque constat, re ipsa comperimus apud DEUM non esse respectum personarum, sed in omni ordinum, omnique vitæ genere, quisquis timet ipsum, & amplectitur iustitiam, hunc acceptum esse illi. In *Francisco* namque Sacerdotum, in *Lamberto* togatorum, in *Hadriano* nobilium seu cinctorum, & in *Hugone* Plebeiorum ordines non carere *IESV CHRISTI* Martyribus intelligimus. In *Quirino* vero pungentes matrimonii rosas, in *Vrsula* candida incomptæ virginitatis lilia, in *Maria* pullas lugentium viduarum violas etiam suas proferre nunc Martyres cernimus. In his fides, Spes, Charitas: in illis Prudentia, Iustitia, Fortitudo ac temperantia potissimum effulsere. Non igitur O Caninefates hos lamentis lachrymisque tanquam extinctos (viuunt enim vigentque cum Christo) prosequi decet, sed quotiescunque occurret memoria illorum, veluti ad patronos & intercessores, ipsos sedulo cum castis precibus accedere satagite. Rogati namque orabunt Dominum fideliter pro populo & ciuitate vestra.

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS II.*
## LIBER II.

### *Martyrium Eylardi VVaterlandi & Dauidis Leonardi F.*

PRÆCEPTOR noster Petrus Nannius V. C. quem cum laude & summo plausu studiosorum in Buslidiano collegio Louanii T Lucretium Carum & Ciceronem de Legibus diserte prælegentem audiuimus, cum apud Hollandos suos subinde liberius nugaretur Alcmariam suam miris extollere laudibus. Quod oppidum olim locum castris metiendis opportunum Hollandiæ Principibus, contra Frisios minores belligerantibus fuisse, & ex reliquiis deletæ Veronæ ciuitatis ab Iohanne Hannonio anno cIↃ.CCC.III. exstructum fuisse asserebat. Exhibuit vero nobis & hæc vrbs inter alios inclytos Martyres etiam *Eylardum Waterlandum & Dauidem Leonardi* Filium. Namque cum Harlemo *Eylard. VVaterlandus. Dauid Leonardi F.*

iam

iam in potestatem Regis sui redacto frustra tentata esset XII. Kalendas Septembris, rursum ab exercitu Regio arcte obsideri cœpit. Præerat porro præsidio, quod quatuor signorum Hona. astello Eugmondensi defendendæ vrbi aduenerat, *Iacobus Mulhemius Flander*, cui ab Asello pisce Cabellano cognomen erat, vir ingenio truci & amaro in Orthodoxos animo. Hic quando inter ipsum militumque præfectos ac primores ciuitatis sancte conuenerat, ne cum exercitus Regii Imperatore Friderico Toletano vllo paciscerentur modo, omne studium omnemque operam oppido muniendo impendit. Cumque ergo apud propugnacula fossoribus operisque adesset sedulo, D. Dauidem Leonardi F. nepotemque *Conradi Olenii* Hagani decempedatoris agrorum quondam apud Batauos longe æquissimi haud procul inde obambulantem in vincula conici iubet, Idcirco quod sacrificum eum esse vicinus indicasset, & quod liberiore lingua aliquando in Hæreticos vsus fuisse narraretur. Neque profuit iuueni, ciuem fuisse bonum ac commodum, patremque eius ludendis pneumaticis sacræ Ædis Organis complures annos honori diuino, publicæque delectationi digne inseruiisse. Eodem die Nonis nimirum Septembris Eylardus Waterlandus Guilielmi F. Harlemensis, cum annum iam ferme arctiori loco apud pistorem latuisset, indicio muliereulæ proditus vna cum hospite suo, vniuersaque familia teterrimo carceri traditur, vir numeris omnibus absolutissimus, quique supra omnem inuidiæ aleam positus videretur. Nam & præclara stirpe ortum & excelsæ staturæ proceritate, honestiorisque oris grauitate conspicuum, fides vitæque integritas simul & multa doctrina eximie commendabant. Quibus accedebat erudita quoque morum comitas, ingenuusque candor, & grata Caninefatibus Frisiisque frugalitas, ob quam etiam in re lauta atq; bene aucta (summum id isti ducunt) versari credebatur. Quę quidē illis opinio maxime inde augebatur, quod præter oblationes donaque fidelis populi honorarium ducentorum Carolæorum annuatim ei ex ærario ciuitatis numeraretur. Hac enim quasi ordinaria pensitatione promissa Velseno, pagus est in Caninefatibus Martyrio sanctissimi Engelmundi antiquitus celebris, vbi & Eylardus aliquot annos Ecclesiæ digne præfuit. Alcmariam eum pellexerat, vnicum illud totius Hollandiæ Australis ornamentum *Guilielmus Lindanus Dordracenus*, Ruremundensium Episcopus multo dignissimus, dum ægrotantis Antistitis Harlemensis Nicolai Monaterrani nimia fideliter summaque cum vigilantia obit. Mouerat namque ille quendam ex sacerdotum primoribus supina negligentia, seu potius auaritia detestabili aliquot prauos & hæreseos virus occultantes viros ad huius Ecclesiæ gubernacula non ita

*Conrad. Olen.*

ita dudum admonuisse, qui cum multitudinis munirentur fauore, commoti inani gloria intrepide contagiosa effudere venena, atque ciuitatem paulatim multiplici hæresi inficere perrexerunt. Cui malo indies longius latiusque serpenti hunc vnum vt opponeret, maxime idoneum existimauit vir ingenio sagaci & singulari quadam prudentia præditus.

Erat etenim Eilardus non solum diuinæ Theologiæ, sed & sacrarum legum scientia atque prudentia Iuris ciuilis inprimis clarus. Nam & Lyta Iuris Louanii declaratus titulo a Baccis lauri ex more sumpto honestatur, priusquam studiorum rationem omnem ad sacrarum literarum cognitionem conferret; Porro cum sedulo huic Alcmarianæ iam præesset Ecclesiæ, perspiceretque omne auxilium ad tollendas hæreses a Senatu sibi denegari, neque easdem moderatis remediis corrigi facile posse: Atticum Constantinopolitanum olim Episcopum imitatur, cum prius Hæreticos terrere tentasset, statim se illis mansuetum ac facilem declarauit. Quin eum & Maximilianus Bossuuius Hollandiæ præfectus superioribus annis asperius in Senatum ciuesque inquireret, propterea, quod excluso præsidio, quod illo miserat, mensores, qui diuersoria militi intra oppidum designabant, ad pœnam quæsiuissent complures ex plebe. Eylardus cum fratrum minorum moderatore, Daniele Arendoncio, in genua procumbentes non segniter pro ciuitate apud illum intercessere, oportunissimeque captato tempore offensionum memoriam ex animo illius deterserunt. Quam lenitudinem animi, facilitatemque tanti viri nonnulli æmuli atque obtrectatores vitio vertere, asserentes eum opinionem illam ex D. Erasmi Roterodami (quoniam nominis huius studiosior credebatur) scriptis hausisse, quod hæretici scilicet gladiis & mortibus è medio tollendi non sint, ne simul & boni occidantur, sed potius tolerandi, si forte resipiscant. In illam quippe sententiam parabolam de zizaniis tritico permixtis, quæ apud Matth. 13. legitur, interpretari stylo liberiori comperitur Erasmus, Chrysostomum ibidem haud satis sincere secutus. Fuerat sane & eiusdem quondam opinionis clarissimum illud Ecclesiæ occidentalis lumen beatus Augustinus, sed libenter ab eadem recessit, non tam contradicentium verbis (ut aperte Epistola 48 scribit,) quam demonstrantium superatus exemplis. Cæterum quanquam propter hæc popularibus gratior haberi crederetur Eylardus, atque etiam initio persecutionis huius fugientem Harlemo magnificis promissis evocarant Consules: tamen cum coma intonsa, incultaq; barba horridus teterrimo detinetur carcere, vix bonorum secretæ indignationes exaudiebantur, tantum abest, ut ad publicam querimoniam res excesserit. Interea necquicquam oppugnatur

oppidum,

oppidum, cogiturque Fredericus ob perruptos aggeres, fœdasq; tempestates & continuos imbres soluere obsidionem, pagis villisque circumcirca incensis. Porro exercitu ad hybernandum Francisco Valdesio duce in Batauos translato, vbi & *Henricus Pighius* accensus Hagiensis clarissimorum Pighiæ gentis virorum Alberti ex fratre nepos, Stephanique frater, dum incautius agmen præcedit, glande sclopetario à prædone traiicitur. Alcmariani post diuersas calamitates ab emendatioris vitæ proposito etiamnum alieni ad Eylardum vexandum se conuertunt. *Henr. Pighius*

Accedunt enim eum frequenter Caluinianæ hæreseos sectatores, varias de rebus sacris disputationes prophanis verborum iurgiis agitantes, quo cum à fide recte sentientium ad suam perfidiam pellicerent. Verum persistit ille firmiter magnoq; cum robore animi in semel recepta religione, Spiritu sancto videlicet ipsi tempestiue suggerente, quæ improbis responderet. Cum itaque neque disserendo, neq; blandiciis vllisve promissis quicquam se proficere sentiunt illi, flagrantes ira, cui impotens est gens, apud præsidii præfectum Cabollaum atque *Guilielmum Sonnebergum*, eius vicarium grauiter virum accusant, asserentes magni suæ Ecclesiæ referre, si talis è medio tollatur, difficile enim aliter sua firmari posse dogmata, quando æquis iniquisque persuasum sit, tantum eruditione virum neminem vsquam iis in locis inueniri. Assensere libenter ipsorum precibus & Præfectus & Sonnebergus, quod ingenio etiam essent crudeli & sanguinario, & præcipue Christi Sacerdotes degeneri odio persequerentur. Sed prius hominem, quem egregie nummatum audierant, emungere argento statuunt. Quamobrem extractum carcere ad ædes præfecti reum capitalium duci mandant, vbi impunitate vitæq; salute proposita sancte promittunt, se eũ dimissuros, si modo trecentos Carolæos lytri nomine ex pacto sibi addictos recipiant. Iam ducentos numerauerat Eylardus, reliquos, qui deerant, Harlemo sibi transmittendos expectans, atque in spem certam dimissionis erectus liberalius cœnauerat, cum subito concubia nocte, hora nimirũ circiter secunda dormientis lectum adit rerum capitalium præfectus, atque ambobus somno excitatis (cubabat enim Dauid quoque eodem in conclaui) supremam ipsis vitæ noctem superesse denunciat, vtque vltimæ necessitati se præparent admonet. Ad quas voces cum socium consternatum, misereq; suspirantem, & de fato suo cum lachrymis conquerentem vidisset Waterlandius, eximie illum consolatur, atque suauissima philosophiæ Christianæ dogmata, de animorum immortalitate, gloriosaque sanctorum corporum resurrectione inculcans docet, pulcherrimum esse viro Christiano hunc Spiritum, quo viuimus, pro Dei Opt. Max. *Guilielmus Sonnebergus*

gloria, proque ipsius sanctissima religione profundere. Vitæ enim huius breuem esse cursum, gloriæ vero sempiternum.

Cumque omnibus sit definita mors, optandum, vt vita, quæ necessitati debeatur; Deo potius cũ æterni nominis decore donata, quam ignominiose reseruata videatur naturæ. Nos hic namque manentem non habere ciuitatem, sed futuram inquirendam, & per multas tribulationes oportere nos intrare in regnum Dei: quodque non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Scientes quoniam, sicut socii passionum sumus, sic erimus & gloriæ. Deinde plures enumerat veros Dei Martyres, quos antiquitus sancta veneratur colitque Ecclesia. Horum exemplo Martyrium forti constantique animo expetendum esse demonstrat. Quin & vt calamitosi huius æui martyres aliquot, inquit, tibi non ignotos referam, tertius iam agitur annus, quando pyratæ Caluinistæ leuibus nauigiis prædabundi hãc Hollandiæ oram vastant, atq; Scorelii proximo Caninefatum pago D. Guilielmum Montanum Isbrandi filium è lecto nudum sublustri nocte fugientem comprehendunt. Papæ! quantis illum contumeliis, quantis affecere tormentis! Post sanguinem etiam ferreis vinculis abunde pollicibus expressum, vt fidem Orthodoxam violaret, eum inducere non potuerunt. Putabat enim secum belle agi dummodo honorẽ sacerdotii Martyrii palma decoraturus esset. Quapropter cane venatico inter ipsos venundatum in proximis sabuletis III. Nonas Februarii quasi victimam immolarunt. Præcipit forte inquies, antiqua lex, ne precium canis offeratur in domo Domini: at hæc nouæ legis hostia coram Deo nostro odoris fuit suauissimi. Quid & de vicinis eius optimis viris dicam? quorum vnum *Gosuuinus VValingus* nomine eodem in lecto confoditur, alius, qui agri Zypani, antequam is inundaretur, prætor fuerat, ad Flenum vsque nauigio vectus, maloq; alligatus ardenti lardo sclopis emisso misere exustulatur. Tertius vero ex squallore pedoreque nauis interiit. Nimis longum foret commemorare, quomodo Franciscanorum præfectus Arendoncius cum suis fratribus Enchusiæ suspensi fuerint. Et alioquin notissima tibi est historia.

*Gosuuinus VValingus.*

Quamobrem illorum, quæso, vestigia secutus esto fidelis vsque ad mortem, & dabit tibi coronam vitæ Iesus Christus, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ: qui diligit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo, ipsi gloria & Imperium in secula seculorum. Hunc igitur in modum sermocinando certa spe obfirmato Dauide forte conspicit ancillam domesticam, quæ cum fide paucis hisce diebus ipsi inseruierat,

sat, cui annulum aureum clam vesti extractum, ne ad prædam satellitibus raperetur, donat. Hocce munusculo quasi officium remunerans.

Dum hæc geruntur, rursum adsunt Caluiniani disceptationes varias, perfidiæq; suæ sermones diuersos serentes, quibus Eylardus: Non est, inquit, nunc tempus terendum vestris ociosis, nihilq; nobis profuturis disputatiunculis, cum potius instanti nos præparare morti æquum sit. Vix dum hæc fuerat locutus, cum arreptum vna cum Dauide ad locum ciuitatis celeberrimum pontem nimirum lapideum, qui via lata templum recta aspicit, ducunt satellites, vbi patibulum cernens erectũ, nullosque adesse ciues conspicatus, voce in altum elevata: Adeste clamat, populares, succurrite misero, subuenite inopi. Siccine ab ouibus pastorem deseris? Præpositum à Subditis relinqui? Siccine inauditum, nulloq; crimine condemnatum media in ciuitate crudeliter trucidari decet? Ergone vllus quidem pro Sacerdote, vel vnico verbulo intercedet illo, qui toties pro vniversa plebe apud DEVM & homines intercesserit? Quid me Harlemo reducem voluistis, an vt hoc spectaculo tam immani oculos pasceretis vestros? Ad huiusmodi igitur miserabiles viri voces, nullus ciuium domo sua prodiit, præter vnicam mulierem, quæ relicto pistrino viriliter sane in publicum procurrit, digna atque indigna relatu vociferans. Dum hæc fiũt, cunctantem Eylardum in altum extollere, præparato ad hoc crassiore fune, conantur sacrilegi. Quibus ille, desistite, ait, jam jam enim, vbi paucis Deo animam commendatus fuero, quæ restant, mihi facienda, strenue sum executurus. Moxq; scalas recitando vernaculo idiomate Psalmum XXX. Dauidicum, subiens laqueoq; collum constrictus *infami patibulo à Spiculatore deiicitur*, atque Christo Domino debitum reddens Spiritum immortalem & gloriosam vitam hac lubrica fragiliq; commutauit III. Idus Decembris summo mane, hora nimirum sexta, anno à nato Christo cIↃ.IↃ.LXXIII. cum nondum quadragesimum quartum ætatis annum excessisset. Statim quoq; eodem supplicii genere dilectus Deo Dauid necatus est. Sub vesperam demissa patibulo sanctorum cadauera per viam latam recta ad cæmiterium suum templi trusatili vehiculo à baiulis publicis subuectantur, vbi vestibus spoliata vsque jacuere, donec tandem in pratis herbidis, Austrum versus, loco videlicet, vbi nocentes sepeliri solent, effossa scrobe simul humata fuerunt, illudentibus ipsorum nuditati pueris, atque corpora semisepulta multo rudere cænoq; contumeliose, fœdumque in modum onerantibus. Sed nec obfuit sanctis Christi Martyribus aut membrorũ nuditas, aut sepulchri vilitas. Cum animæ ipsorum, quibus

datæ sunt singulæ stolæ albæ ex veritate, fide & iustitia, clament voce magna subtus altare dicentes: Vsquequo Domine (sanctus & verax) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Erit profecto, erit illud tempus, & illucescet aliquando dies ille, cum subactis fidei hostibus, & pace Orthodoxis reddita, altare beatis quoque Martyrum ossibus debitam quietem ritu vetusto præstabit. Altare, inquam, in quo Deo sacrificium celebrabitur, in quo Dominus Sacerdos erit, super quod corpus Christi offeretur, & sanguis eius pro peccatoribus effundetur. Vbi Mors Domini quotidie annunciabitur, sicut ipse ait: Quotiescunq; hæc feceritis, mortem meam annunciabitis, donec veniam. Merito quippe, qui propter Christi nomen mortui fuerint, sub Sacramenti eius mysterio in pace quiescent. Porro nobilitata nuper fuerat Alcmaria ob duos vndecunque doctissimos suos ciues *Gerardum Bastium & Petrum Nannium*, quorum ille:

*Gerard. Bastius. Petr. Nann.*

*Batauam iuuentam literas docens bonas*
*Bonosq; mores copulans cum literis*
*(Alardus vt noster cecinit) Hollandiæ*
*Phrysiaq; primus intulit Græcanica*
*Totos dies, totas item hæc noctes crepans.*

Hic vero cum Louanii in collegio Buslidiano Latinas profiteretur literas, nihil arcani in monumentis Græcorum contineri, quod ipsum, licet sub Hollandico æthere natum, latere potuerit, manifesto ostendit. Dum post complures summos Poetas, Oratores, Historicos, Philosophos atque Theologos Catholicæ Ecclesiæ quondam columen, diuinum nimirum Athanasium, Alexandrinum etiam Latio donauerit. At quanto magis ciuitatem eam nobilitent ambo hi sacratissimi Christi Sacerdotes, atque Martyres inuictissimi, qui vt in sancte atque innocenter quondam Deo summo hostias immolabant: ita sanctæ & innocentes victimæ, holocaustomataque grata Christo ac Deo ibidem effecti sunt? Gloriari quoque solet, quæ in vicinia est Eugmonda, ab augusto Portus ostio olim, vt volunt, sic dicta; Cum quod ex Britannia illic appulsus D. Clemens Willibrordus primo nostram gentem extincta superstitione, ad fidem Christianam conuertens religione munda imbuerit, pagumque ipsum, pauculis literis immutatis Heemundam appellauerit: tum quod eius Archileuitæ Christique confessoris inclyti Adalberti Deirorum Regis in Anglia filii cineres ossaque, in regali plane monasterio, à Theodorico Secundo Hollandiæ Principe ibidem ex lapide restaurato vsque religiose conseruarentur. Sed quando potius Alcmariam gloriari æquum est, vbi S. Eylardus, quæ pastor Christi gregem docuit, morte sua confirma-

firmauit Vbique eius Sacerdos Dauid dedit in celebrationibus decus, & ornauit ciuitatem vsque ad consummationem vitæ. Vterque cum leonibus lusit, quasi cum agnis, & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium In omni ore quasi mel indulcabitur ipsorum memoria, & vt Musica, cuius & ambo periti fuére, in conuiuio vini.

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS II.*
## LIBER III.

### Martyrium D. Huberti Delphi.

***Ex relatione D. Francisci Valdesii Legati Exercitus in Hollandia & variis literis amicorum: præcipue Michaelis Endij Delphis Sacellani Valdesii.***

A Vase illo electionis gentiumque Apostolo D. Paulo edocti sumus, quod his, qui diligunt Deum omnia simul adiumento sunt in bonum: his nimirum, qui secundum propositum vocati sunt sancti, quos etiam pater cælestis præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filii sui.

Quod quidem neque volentis, neque currentis esse libenter sane confitemur, sed potius miserentis Dei, qui in multa patientia sustinet vasa iræ apparata in interitum, ut ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Alioquin quis vnquam crediderit *Hubertum* hunc nostrum *Hadriani filium*, Delphis ciuitate quondam tam religiose inter suos ciues ob fidei Orthodoxæ professionem Martyrii corona ornari potuisse. Præsertim cum sæuiente hac dirissimæ persecutionis tempestate, non solum de vna ciuitate in aliam anxius transfugerit, sed etiam quod Roterodamo cum Insubrensis Legionis milite discessurus, quando abiecta Magistratus obedientia, omnia in peius apud Delphenses ruere cerneret, Musium Taphcum cæterosque amicos, uti fugæ socii esse vellent, misso nuncio sedulo hortatus sit. Huius ergo Martyrium, quantum diligenter interrogando cognoscere atque intelligere potui, eo libentius *Hadriano Terlinga* apud te cum fide commemoraturus sum, quod jam olim utrique nostrum ipse multa familiaritate notissimus fuerit. Nam multo ante tempore, quam sacris initiaretur, atque *Hubertus Adriani.*

inter

inter eos sacerdotes, qui Teutonicæ militiæ nomen dedere, Vltraiecti adscriptus esset, æditu us sacrorum in D. Hippolyti Delphis fuerat. Quin etiam cum annis ab hinc ferme octo apud Lyram pagum in Batauis quinque milliaribus à Delphis distanté templi curionem ageret, atque ibidem summa dexteritate Præcepta atque hortationes ad vitam modeste pieque agendam sedulo auribus rusticorum inculcaret, sæpiusculè hominem inuisere gestiebam, cum otiandi causa ad prædia, quæ socero mihique illic erant, subinde me confero. Postquā igitur Christophorus Bauarus Friderici Palatini filius una cum Ludouico ac Henrico Nassouiis fratribus ad Mocam, Sicambrorum inter Vahalim Mosamque pagum cæsi, omnisque eorum exercitus esset deletus, atque Antverpiani quater centena aureorum millia tumultuanti Hispano Militi, ob clandestina cum hoste consilia inita numerarant: Ludouicus Requeseuius, qui Belgii præfectus Albano successerat, in Batauos exercitum secundario mittit Francisco Valdesio Duce. Qui ad Alpheni castra ingenti militum alacritate, trucidatis quinq; cohortibus Britannorum, quæ muni. tiones reliquerant, & quod aliæ quinque Valcenburgi sese iam dedidissent: Lugdunum ac Delphos Batauorum ciuitates vetere fortuna opulentas obsidione operibusque aggressus est. Sed quia nō satis re pecuniaria apparatuque bellico instructus erat, nec tam validæ urbes sine tormentis machinisque capi poterant, longum magis, quam acre bellum gerebatur. In iis statiuis, quæ à Caninefaribus ad Mosæ ostium vsque erant, unicuique libere per agrum Batauum commeare licebat.

Quo etiam, vt oues suas pastor inuiseret, cum aliis Sacerdotibus Hubertus profectus, illico pestilentia corripitur. Erat quippe commune illud malum tam intra vrbes, quam in agro castrisque, cum intoleranda vis æstus tempore autumni & locis natura grauibus omnium ferme corpora inflammaret ac inficeret. Et primo quidem temporis locique vitio & ægri erant & moriebantur. Postea vero curatio ipsa & contactus ægrorum vulgabant morbum, vt aut neglecti desertique qui incidissent, morerentur, aut assidentes curantesque eadem vi morbi correptos secum traheret, quotidianaque funera & mors ob omnium oculos esset, & vndique dies noctesque ploratus audirentur. Qui sane cum vtrorumque animos facile auertere à belli consiliis potuissent: haud tamen ab agendis prædis hinc inde abstinuére. Iam vtcumque conualuerat Hubertus, cum Iohannes Boschius de nocte Delphis, cum prædonum manipulo egressus cubantem inuadit ac vinctum secum in vrbem trahit. Aduenientem contumeliis sannisque excipiunt ciues, ipsum abigeum, latronem proditoremque esse vociferantes.

Quin

Quin & à iaciendo fimo lapidibusque ægre abstinuere. Est locus in carcere, qui Furum puteus appellatur, multumque vndique munitus, humique depressus, inculta tenebris, odore fœda atque terribilis eius facies. In eum locum captiuus demittitur, cum graues inuidiosæque subessent scilicet causæ, & ad pœnam rapi illico posse decerneretur. Obiiciebatur enim atque etiam exprobrabatur viro sacrato Catholicæ religionis professio, & diligentius culta diuinitas. Imputare insuper innoxio, quod Arnoldus Vossius, cui in pastorali munere successerat, Hagiensis consilii iussu ob hæreses seditiosas quondam exustus fuerat. Ipsum enim iudicium fecisse. Quod ille magna constantia negare, neque dicto neque facto à se vnquam quemquam esse offensum affirmare. Erant præcipui Accusatores consules nominibus ciuium dicti Magistri, ne vera autem satellites atque adeo carnifices, qui non contenti optimos quosque ac honoratissimos ciues sponte exulantes auitis euoluisse patrimoniis, calumniabantur in sanguinem, & vitam rei iam pauperis premebant. His se adiunxere Arnoldi consanguinei, qui, quo minus à prædonibus redimeretur, obstitêre. Porro cum virum sacerdotio honorabilem adeo inhumaniter, vt nec cognatis affinibusque ad eum pateret accessus, tractari à suis ciuibus audirent, qui in munitiones Sionensi erant Hispani milites, statim ad Magistratum scripsere, se in omnes, quos detinerent captiuos ciues sæuituros, nisi modesto cum Huberto deinceps agant. Quamobrem humanius iam inde cum tractaretur ille, literis ad Centurionem datis id palam testatus est. Sed pupugit viri animum atrocis rei indignatio, sic vt inualescente subinde atræ bilis morbo, in subitam mentis insaniam proruperit. Interea post quassata tormentis mœnia Lerdanum deditur. Obsidentur quoque Bomelia & Gorcomium, ab aliquot Hispanorum Heluetiorumque cohortibus, quas illo duxerat Requesenii Legatus *Capinus Vitellius* & genere & arte militari inprimis clarus. *Capin. Vitell.* Nec cessat etiam Valdesius inclusos mœniis Lugdunenses literis sollicitare, modo promissa magnifica, modo minas terroresque ostentans. Sed cruciabatur plurimum animo negotium cum Poieto de tradendis Delphis transactum minus successisse, & quod tam incommodo tempore intelligeret nonnullos Proceres perdubiæ fidei homines de pace velle agere, atque exitiali Hispani nominis odio seipsos iamiam victores Aurantio fœde quodammodo prodere. Qui quando nulla supererat spes liberandi obsidione ciuitates, extrema tentare cogebatur. Rhenus enim Mosaque perfossis aggeribus agro immissi Batauo inundatione ruinisque villarum regionem vastarunt: sic vt camporum non alia quam vasti & profundi æquoris

spacies

species esset. Inualescebat intereaLugduni apud obsessos fames. Absumptis enim frugum alimentis, carnisque omnis generis quadrupedum, aut moriebantur miseri, aut herbis radicibusque & corticibus teneris ægre viuere.

Et quamuis vrbs nõ difficile scalis videbatur expugnari posse, quod vires ad standum in muris ferendaq; arma deessent: tamẽ tam crudelis pertinacia animos Magistratus à fide Orthodoxa alienati, occuparat, vt ad voces obstetricum, dicentium fœtus in maternis visceribus inedia passim extingui, aures etiam occluderent. Videbantur plane malle ignauiter consumi fame, quam clementiæ optimi sui Regis committere. Vnica spes illis supererat *Ludouicus Boisotus*, quem Vlissinga ab Aurantio euocatum octingenti circiter comitabantur nauiculatores semilunulis argenteis stanneisq;, quibus adscriptum erat, sese velle Turcis potius seruire, quam Romano obedire Pontifici: Matrosæos appellauere. Colluuies hominum aspectu tetri ac horribiles, membris hispidis, & ad ventum fumumq; induratis, oculis aquilinis, crine impexo, pilis barbæ promissæ ex labro superiori, crudelitate plusquam Gelopica infames. Crediderim enim ego facile, in hocce Polyphemi quasi antro plures Orthodoxos proximo quadriennio Martyrio esse coronatos, quam noxii per vniuersam Hollandiam Zelandiamq; 40. retro annis affecti suppliciis fuerint. Idque tanta morum feritate, vt pueris ludus esset, in portu marique circum cadauera sanctorum nauiculari, atque nuditati ipsorum fœdo exemplo illudere. Digna sane res scilicet, quæ etiam à Iano Douza poeta memoriæ cõmendatur: quandoquidem ex hoc prædonum genere quendam, quasi re bene gesta, suis celebrauit carminib. quod visceribus demortui Hispani euulso cordi morsus liuidos infixerat. Cæterum cum hi cyclopes (nationis enim dum extincto lumine affectu tantummodo monerentur, recte illos hoc nomine appellandum) Roterodamum Delphosque appulerant, metum ingentem terroremq; Orthodoxis incussere. Edicto namque publico petitum fuit, ne quis sacri quicquam intra parietes suos occultaret: Sed ad prædam in publicum exponeret. Non obtemperantibus edicto pœna erat ædium direptio. Inter alias domus *Mariæ Arnoldiæ* viduæ Delphis quoque diripitur, quod apud eam aliquot virgines seuerioris ordinis S. Claræ latuerant, quæ palantes per vrbem ægre tandem pauperum tuguriis excipiuntur. Interea Oceanus fœdis tempestatibus maximisque æstibus per ruptos aggeres actus munitiones relinquere, atque soluere obsidionem in qua vltra 8000. Batauorum occubuisse traduntur, Hispanos coegit. Obsidionem Lugdunensem atrox seditio V. Legionis, quæ sacri fœderis vocatur, iam ante irritata.

*Lud. Boisot.*

*Ianus Douza*

*Maria Arnoldia.*

nec satis in principio compressa statim excepit. In hac enituit egregia fides, & nunquam satis laudanda virtus magnanimi Decurionis *Inigi Maldonati:* qui cum Valdesio Tribuno à tumultuante milite capto, fugam pauore capesseret, à contubernalibus (erat enim in excubiis) quasi desertor castrorum comprehensus, nullis minis terroribusve, vt cum seditiosis coniurare ac simul arma capere vellet, adigi vnquam potuit. Stabant apud forum Haganum in circuitu frementes & furibundi milites, hastis præpilatis obiectum iamiam confectum. Cum, postquam preces supplex ad Deum Opt. Max. fuderat, assurgens orationem grauitatis plenam ad commilitones habuit, mouens atque rogans eos, ne tantum scelus in dedecus nominis Hispanici, in quod vbique fere coniurabatur, committere velint, vt neglecta Christianæ religionis Regisq; sui causa in certam ipsorum perniciem tumultuari pergant. Mox armatura, quæ circa collum pectusq; ei fuerat, deposita: Nunc, inquit, lances vestras vibrate, scelerisque purum hastilium spiculis cuspidibusq; gladiorum fortiter petite. Pudet enim pigetq; vlterius impie seditionem excitantes cernere milites triarios, exploratæque virtutis veteranos. Quin etiam certam concepi animo spem benignissimum Dominum pro sua erga genus humanum misericordia, me quoq; pro iusticia hic morientem in album sanctissimorum suorum Martyrum adscripturum, beatitudinisque æternæ laurea gratis donaturum. Ad hanc orationem constiterunt primo attoniti, stuporeque correpti milites, mox elicitæ gaudio lachrymæ, alacritasque & salutationis gratulantium de virtute constantiaque insuperabili noua exultatio, atque contingendi manum cupiditas. Eodem fere tempore haud minor virtus animiq; magnitudo eminebat in triario milite Gallo, cuius nomen in tanta absque indiciis suspendendi, quos cuiq; liberet, licentia, publicaque quasi carnificina addiscere interrogando haud potui. Patria Luxenburgium existimo. Hunc, cum ob inflictum circa coxam vulnus ægre agmen subsequentem cæpissent prædatores, Delphosque adduxissent, vigiliis quibus tunc bini ex Senatu præerant, sistunt. Aderat forte *Arnoldus Cornelius* Ecclesiastes Caluinianus, vecordis impudentiæ iuuenis, qui, quando probe Gallicam calleret linguam, verbis asperioribus accusat militem, inquiens, ipsum læsæ Maiest. reum capitis fortunarumque damnandum esse, quod aduersum Regem patriam scelestus meruerit, Hollandiamque infestarit armis. Ad quæ ille respondit: Mene sumpsisse arma aduersus Patriam Regemque, ais, impudens, atque adeo imberbis adolescens, omnisque bellicæ rei ignare? an Tyronem lixamue me esse existimas? Erras, me Hercules, si hocce cogitas. Patre enim mul-

*Inig. Mald.*

*Arnol. Corn.*

tis mi-

tis militaribus operibus sub D. Carolo V. Imp. claro prognatus, complura sub Philippo eius filio stipendia feci, nec alio quam nunc, modo auctoratus sum vnquam, aliudue dixi sacramentum. Bellum domesticum atque intestinum est, nos Regis partes tenemus, auitamque defendimus religionem, & prædones omnia vastantes patria expellere satagimus.

Iisdem, quibus in externis bellis semper, paremus tribunis ac centurionibus. iisdem vexillis vtimur, eadem, quæ solet, rubea tessera est nobis, quibus & stipendium ex Regio quoque ærario persoluitur. Vos contra Regi minus obsequentes impiam clientis infidi causam in vestrum exitium fœde suscipitis, pyratasque generis humani hostes, grassantes passim, atque sacra prophanaque diripientes, pecuniis violenter a ciuibus extortis fouetis, vt profligata prisca religione, noua quadam & antehac inaudita superstitione (si Diis placet) imbuamini. Conantem plura dicere interpellat Arnoldus, & mitiori vsus sermone, dogmata quædam perfidiæ suæ enarrat, debacchando præcipue in Deiparam Virginem Mariam: hortaturque, vt si se saluum ac incolumem velit, eadem quoque profiteatur. Tum miles: Affectus ille tuus in Matrem, impietatem in filium, inquit, aperte ostendit. Quadraginta annos natus sum, cum omni hominum genere, domi, militiæque versatus, nunquam huiusmodi audiui conuitia, maledicentiamque. Tunc illam dictis lacessere paras, quæ puritate Angelos, quæque pietate omnes superat Sanctos? in qua nec nodus originalis, nec cortex venialis culpæ fuit: Hanc beatam dicunt omnes nationes. Quandoquidem Gabriele teste, in ea omnis plenitudo gratiæ superabundauit. Cuius quoque viscera beata, quod meruerint portare æterni Patris filium. His dictis ira accensus Ecclesiastes de suspendendo Gallo secum statuit, & quo non sine specie legitimi iudicii eum condemnasse videatur, quasi alter Caiphas sic vigilias alloquitur: Audistis, optimi ciues, quo pacto hic Furcifer nobis insultando Pontificiam tueatur impietatem, nec vlla supersit spes, eum resipiscere velle, quamobrem decernite, num suspendio vobis dignus videatur. Mox complures voces exauditæ, confuse clamantium: Suspendatur: Suspendatur. ita decernimus omnes omnes. Obfirmato iam inde ad mortem animo: Ergone, inquit ille, obsidem à charis Parentibus traditam extremo supplicio afficiendus fuero? Agite, postquam ita vobis visum, accelerate pœnam, suspendite me citi, ne vlterius huiusmodi blasphemias audire cogar. Nec mora. Pauca quippe DEVM Opt. Max. precatus cum esset, gula ipsi ex furca frangitur. Vix dum hæc gesta fuerant, cum reuocatis sensibus paulatim conualesceret Hubertus; de quo interficiendo, quandoquidem exercitus Hollandia

decesse-

decesserat, metusque iam omnis erat sublatus, consilium ordines inieret Nonis Nouemb anno Domini cIↄ.Iↄ.LXXIIII.

Accedit *Christianum Goesium* Prætorem, *Iacob. VVyngardus* non extremæ inter Batauos nobilitatis vir, obnuncians sibi ab Aurantio (agebat is illo tempore Delphis) iisque, qui ei à Consilio ex ordinibus essent, iniunctum: vt in latrones aliquot, qui in vinculis detinebantur, inquirat; Quare carcerem sub vesperam recludi curet. Paret illico dicto Prætor. Accersitum itaque Hubertum, vt morti se in crastinum præparet; monet Wingardus, satis iam ipsi indultum esse, dicens: Nec veterior de noxiis viro cura fuit. Sub noctem excubiis custodiendus traditur, quasi certæ iam neci destinatus. Cumque ibi adesset Ecclesiastes Arnoldus obtestatur ipsum cum lachrymis ciuis sacerdos, & sibi sepulchrum in D. Vrsulæ cœnobio, quod nondum solo æquatum tunc erat, procurare dignetur. Idque non superstitione vana, quandoquidem sciat, vrgente necessitate non referre Christiano vbi condatur, quave tegatur humo, se petere, ait, sed Abrahæ aliorumque Patriarcharum exemplo, rectum hunc locum sibi sepeliendo delegisse. Quod etsi multis persuadere niteretur rationibus, haud tamen impetrare potuit. Mox abeunte Arnoldo, codicibus sua ipsius manu conscriptis testatus est, quid de rebus suis post mortem fieri velit. Varios quoque ad ciues excubantes habuit sermones, multum conquestus, quod ad dicendam causam reus non admitteretur, quodque cum omnia liceat impune perpetrare scelera, solum bonum ac fidelem Regi fuisse, crimini detur: adeo, vt plerisque etiam lachrymas excusserit! Quin etiam non confundebatur confiteri peccata sua, ac verum dicere, quando huiusmodi confusio non delictum, sed gloriam ac gratiam adduceret. Post recitatas deinde complures Psalmos Dauidicos, in genua Orientem versus procumbens Spiritum suum supplici prece DEO commendat, omnibus, qui aderant, cum stupore admirantibus inuictum animi ipsius robur Nam cum ad focum multa cum indignatione collum eius laqueo circumdedisset carnifex: Placide iam, inquit, cum visum vobis fuerit, hinc ad pœnæ locum transeamus. *Christ. Goes. Iac. VVyng.*

Diluculo ergo, cum dubia luce ex æde ciuica ad pœnam à lictoribus ducitur, conspicatus tribunal, quæque vitreis erant inscripta fenestris D. Caroli V. Imperatoris & regnorum Hispaniæ insignia, titulum insuper, quo monentur iudices, ne temere, nisi vtraque parte exaudita, iudicent, queribũdus exclamat: Philippe Hispaniarum Rex Catholice, Hæccine fieri, Te Principe, flagitia! En ciuis & sacerdos ad furcam nullo præmisso iudicio suspendendus fœde trahor, sic iubente Tyranno, qui quasi alter Ieroboam de nouissimis populi fecit sacerdotes excelsorum, &

curauit, ne faciat populus iste sacrificia in domo Domini, & conuertatur eius ad te Regem & Dominum suum. Porro ad patibulum tractus, eadem fere verba repetiit, vbi & talari veste indutus aliquis ipsum consolatur, atque ad Martyrium fortiter perferendum adhortatur. Qui quisnam fuerit, haud vnquam sciri potuit. Mox deinde medio in foro iugulum illi fregere, cumque manibus complicatis fronteque hilari ac serena ex furca pependeret. Cadauer vero sub vesperam in cœmiterium, quod nouo templo adiacet, adsportatum, ibidemq, leni cespide obrutum, cum anima virtutum decore circundata, interea cœlum ingreditur, & à certaminis arbitro Iesu Christo designatam Martyrii coronam læte accipit. Magnus igitur ac gloriosus beatus Hubertus, qui calore pietatis accensus bonum certamen certauit, & hostes Catholicæ Religionis non resistendo, sed perferendo deuicit, Delphosque patriam suam sua morte reddidit clariorem. Fuere quondam sane pietate clari Delphi, quod non

*Hadr. Barl.* *Ioh. Sasbout.* *Anna Duyst.*

tam *Hadriani Barlandi* aliorumue scriptorum testimoniis, quã reliquiis priscæ virtutis ac fidei *Iohanne Sasboutio* & *Anna Duystia* nuperrime, dum horum temporum detestantur impietatem, animi mœrore extinctis constabat. Quorum ille cum vigesimum quintum consul iam fuisset, vitæ honestate, cura, sollicitudineque erga Christi pauperes, pietate quoque erga DEVM opt. Max. quam maxime apud ciues suos cõmendabatur. Hæc vero quasi altera filia Phanuelis non discedebat a templo ieiuniis & obsecrationibus Deo seruiens nocte ac die. Sed quid homines commemoro, cum & volucrum illius ciuitas pietas à sacro Poeta Cornelio Musio celebrata sit? Nam nobili illo incendio, quo III. Nonas Maii anno cIↃ. IↃ. XXXVI. omnis pene vrbs conflagrata fuit:

*QVum iam domorum culmina,*
*Turresq; templorum editas*
*Flamma vorarent stridula:*
*Ecce hic timebat prolibus*
*Tenerrimis, mœstibus*
*Tristis parens Ciconia.*
*Nec quid misella conferat*
*In summo opis periculo*
*Habebat, aerium tamen*
*Tectis in Heuteri arduus*
*Nidum petit, circumuolat,*
*Omnesq; pertentat vias.*
*Nunc ore, curuo nunc pede, ex-*
*emisse Charos impio*
*Pullos volens incendio,*

*Dees-*

*Donec piis conatibus*
*Frustrata, speq; perdita,*
*Se sponte in ignem conijcit*
*Cum dulcibus natis suis,*
*Malens honeste commori,*
*Quam non pia esse & viuere.*

Felices quoq; ac inclyti Delphi iam nuper fuerunt, cum inter sua ornamenta præclarissimos ciues Ægidios, Iodocos atq; Adamos Poetices, Iurisprudentiæ atque diuinæ Theologiæ cognitione celeberrimos numerarent. At iidem, quanto nunc magis inclyti, cum duo magna luminaria à Iustitiæ Sole Iesu Christo lucis suæ splendorem haurientia, nimirum Cornelium Musium & Huberti Hadriani filium illis quoq; adnumeret. Felices sane & nos etiam, *Mi Terlinge*, qui hosce & hic dum viuerent, pro veritate & iustitia pie confidenterq; pugnantes, omni obseruantia dilectionis & societate colimus, & nunc eosdem in vita beatiore, post incerta omnia superata victores, maiori fiducia & laude prædicamus: vt quos communes quondam amicos habuimus in terris, eosdem etiam intercessores ac patronos habeamus in cœlo apud Dominum nostrum Iesum Christum, qui est benedictus in secula seculorum.

---

# PETRI OPMEERI
# DECADIS II.
## LIBER IV.
### Martyrium D. Guilielmi Goudani.

*Ex Historia Germanica impressa Buscíducis, & relatione Carthusianorum domus Hollandiæ prope Montem S. Gertrudis atque aliorum.*

ALardus Amstelrodamus vir multæ & variæ lectionis, idemque Theologus Triglottus, cum surdaster esset, neq; recte, nisi admota auriculæ vola, ausculraret, sæpius illud Antischenicum in medium proferre solitus fuerat. *Regium esse, cum facias bene, audire male.* Quam quidem sententiam, cum ob ambiguam significationem verbi audire lepide atque eleganter vsurpari ab amico sene adolescens animaduerterem, eo libentius memoriæ mandabam, quod persuasum mihi semper habuerim, clamores vulgi popularesque applausus magno viro haud ma-

gnifaciendos esse, virtutemque propter se exoptandam, quam veram solidamq; gloriam, non secus atque vmbram corpus comitari necesse sit. Quod cum in aliis virtute præstantibus viris, tum vel maxime in electis illis veræ vitis palmitibus, nempe sanctissimis IESV CHRISTI Martyribus videre licitum est. Qui quidem, quamuis ludibria, sannas, verberaque insuper, & exilia ac carceres sunt experti: ex imbecillitate tamen validi ac robusti effecti regna per fidem vicere, operatique iustitiam assequuti sunt promissiones. Porro inter hostes non extremum locum

*Guil. Fopp.* obtinuisse mihi visus est *Guilielmus Foppeius filius Goudæ*, quod Batauorum oppidum est, honestis religiosisque parentibus natus. Qui post liberales disciplinas non infeliciter perceptas perfectam desiderans sectari vitam propositi sui, ducē B. Franciscum Assisium constituit. Huius ergo vestigiis insistens, atq; admonitiones & præcepta religiose obseruans, quo nudus nudum commodius sequeretur Christum, aurum luti loco ducere, ciboque emendicato victitare, orare, psallere, sacrificare atque sedulo Domino reddere officium.

Præterea quotidiane ei in lege, Prophetis, Euangeliis, literisque Apostolicis meditatio exercitatioque erat, S. sancto ipsi arcanos scripturæ sensus suggerente. Verum cum ingenio esset præstantissimus, nec minor etiam industria, videretque monasticum hocce vitæ genus sibi prodesse tantummodo, & quantum Christi Ecclesiam ex pie viuendi merito ædificet, tantum & nocere, si destruentibus illam hæreticis non restiterit, munus concionandi verbum DEI libenter summaque cum animi alacritate inuitatus a præposito suo suscepit. In quo quidem munere obeundo, quid præstiterit, testis potissimum est, primaria Hollandiæ ciuitas Dordracum, vbi præcipue vixit, testes etiam sunt oppida ac pagi, quæ circumcirca in Rheni Mosæque ripis late conspiciuntur, quoque fragrantia cœlestis doctrinæ, diuinæque eius Eloquentiæ peruenit. Inerant enim sermonibus eius latens quædam vis, atque flexamina illa, vt quacunq; placuisset, auditorum mentes circumduceret, vti eam ob rem & ciuibus & aduenis iuxta gratus charusque esset. Cæterum cum immunitatum atque beneficiorum quondam à principibus suis, ob fidem seruatam acceptorum immemores Dordracenses, receptis intra muros Piratis, à Rege Catholico iam palam desciuissent, nec tutum licitumve esset viros sacratos inter ipsos versari: Guilielmus Bredam Advaticorum vrbem, quæ regio præsidio tenebatur, confugere compellitur. Vbi annum circiter agens à ciuibus Orthodoxis accipiebat quidem, quod ad vitæ huius attineret necessitatem. Cum interea eis conferret, quæ ad vitam immortalem pertinerent. Neque enim permisit illos

habere,

habere, cur imputarent ipsi beneficium suum; quandoquidem res vilissimas pro preciosissimis commutaret. Temporalibus namque cibis illorum refectus selecti gregis ouiculas in amænissimis Ecclesiæ pratis diuini verbi pabulo sedulo pascebat. Est oppidum ad locum, in quo se Rhenus Mosaque spargunt, Gallici quidem littoris, sed ditionis Hollandicæ: Fanum S. Gertrudis idcirco volunt dictum, quod *Pipinus Landius*, primus Brabantiæ dux anno à Christo nato IↃ.C.XLVII moriens illud hæreditarium reliquerit Gertrudi filiæ, quam ob sanctimoniam vitæ Honorius III. Rom. Pont. Diuatum inscripsit Catalogo. *Pipin. Land. Sanct. Gertrudis.* Hoc itaq; oppidum à probis honestisque ciuibus potius, quam opulentis habitatur, maxime autem piscatoribus, quorum nonnulli cum Guilielmum concionantem attente auscultassent, ideoque familiaritas non parua inter ipsos esset iam contracta. Bredam (vnde Busoducum migraturus dicebatur ille) proficiscuntur rogantes enixe, vt ante suum illinc discessum dignetur populum Gentrobergensem quoque modo, vt solitus fuerat, consolari atque efficacibus suis sermonibus in fide confirmare Catholica, simulque valedicere. Paret eorum precibus ille, habitisque duabus è suggestu grauissimis orationibus ad fidei, quæ per dilectionem operetur, Constantiam primo ciues adhortari, deinde acerrima reprehensione in longe corruptissimos mores Hollandorum Zelandorumque, vt apud quos religio Christi pedibus subiecta obteretur, & pro libidine immanissimi tyranni tot innocentes homines, quasi sacræ victimæ, mactarentur inuectus, satis exemplorum dicebat alienas clades præbere, ne quærant & ipsi, quemadmodum cæteris exemplo quoque sint. Dum igitur diutius æquo ibidem hæret Guilielmus, admotis clam muro scalis ac vigiliis, quod socordius agerent, ab Aurantii milite occisis capitur, diripiturque vrbs Pridie Calendas Septemb. anno Domini cIↃ.IↃ. LXXIII. mane horam circiter quintam. Capta porro vrbe in præsidiarios præcipue sæuitum est milites, inter quos *Guilielmus Galensis* Canonicus misere quoque trucidatur. *Guiliel. Gal* Mox conquisiti & in vincula coniecti, duobus tantummodo inter piscatores aliquot elapsis, reliqui Sacerdotes virique sacrati, inter quos Guilhelmus hic Goudanus Minorita, & ob doctrinæ opinionem & ob religiosæ vitæ merita plurimum eminere visus est. Hunc odio atrociori prosequentes scelesti ac nefarii homines, postquam apud rerum capitalium præfectum acerbius accusauere: vociferantur idcirco laqueo è medio tollendum esse, quod Monachus sit, & longo tempore plebem suis sermonibus ludificasse conuincatur. Quæ cum ille audiret, Martyrii accensus amore, Non me inconditi hi, inquit, clamores terrent, neque

feruida vestra dicta tantum extimesco, vt me à recto dimouere possint tramite. Agite ergo, & de me, quodcunque lubet, statuite. Nec enim detracto pro Christi religione, fideque orthodoxa confirmanda vel innocens mactari. Quandoquidem hæc sine Numine haud eueniunt. Postquam conticuit, vinctum compedibus, atque contumeliis ac verberibus affectum ergastulo tradunt custodiendum. Porro seruabatur eodem in loco *Iohannes Vogelsanganus* sacrarum virginum ibidem moderator, vir ingenio mitis & purioris vitæ simplicitate gaudens. ex eorum videlicet grege Sacerdos, qui apud Diestenses incedunt cucullati, atque inter sectatores beati Francisci Assisii tertiæ consentur classis, ac, vt vocant, Regulæ.

*Ioh. Vogelf.*

Hunc igitur crudeli miserabilique modo vulneratum capite ac vestibus spoliatum benigne consolatur Guilielmus, ex prædiuite S. Scripturæ thesauro depromens nimirum quodcunque ad animi eius ægritudinem, communemque miseriam leniendam facere videretur. Quin & confitebantur inuicem sua delicta, vt de remissione criminum ac peccatorum læti, curas sollicitudinesq; huius seculi alacrius deponerent, atque mortis instantis terrorem animo expellerent. Post triduum vero accedit illos *Hadrianus* quidam, cognomine *Cocus* hæreseos Caluinianæ Ecclesiastes, verbis multum atrocibus rogans: vbinam nefarius ac infelix is Monachus sit, qui impiam suam religionem detestari recuset? Cui Guilielmus: En coram, quem quæris adsum. Tum ille: Missus à præfecto, huc veni, vt te de Christi fide, quem falso profiteri te asseris, diligentius examinem. Mox ira atque conuitiis præceps multa confuse & vllo absque ordine debacchatur Inde quoque blasphemias aliquot è vomens in diuinam Eucharistiam, cæteraque Ecclesiæ Sacramenta frustra fidem Orthodoxam euertere nititur, resistente ac superante illum Guilielmo solidis rationibus, vincique nesciis argumentis, quæ S sanctus, cuius opem sedulo implorabat, ipsi suggesserat. Cum ergo os sibi obstrui cerneret nebulo: Apage, inquit, scelesté ac homo impie, teque morti præpara. Cras enim laqueo periturus es. Abeunte itaque Coco ad Vogelsanganum conuersus Guilielmus multa oratione eum ad fidei constantiam & fortitudinem Christianam hortatur, docens quam gloriosum sit, pro Christi nomine pati, atque etiam, si res ita ferat. sanguinem fundere, quod & in votis se habuisse jam dudū, præsenteque matre sua Hasa subinde optasse commemorabat. Profugerat enim & illa quoque, cum mulier esset vidua, ex Hollandia, atque filium secuta Bredam commigrauerat. Ad hanc igitur, & consolatorias dedit literas. ex carcere secreto scribens, se quidem libenter pro iustitia, Christique religione velle pati, quam-

*Hadr. Cocus.*

quamobrem haud contristari velit, sed postea lætetur ac gaudeat. Quandoquidem filium voti tam pii compotem iam tandem factum esse cernere ipsi liceat. Se namque anteactæ vitæ conscium expectare coronam innocentiæ debitam, quam redditurus sit Dominus in illo die, quo iustus iudex rependet vnicuique præmia pro vitæ meritis. Pridie vero Nonas Septemb. qui dies Veneris erat, summo mane somno excitatus rursum Vogelsangano peccata sua ritu Christiano confitetur, pœnitentiæq; salutaris nitro purgatus, se multis gemitibus ac feruentibus precibus commendat Dei Misericordiæ. Dum hæc fiunt, adest ad horam octauam matutinam Centurio quispiam, qui significet illum statim suspendendum fore, atque vt mortis metum animo expellat, hortatur. Hunc ergo tam atrocem nuncium excipiens patienter Guilielmus, atque grauissimum sibi supplicium imminere animo reuoluens, rursus ad preces confugit, & ab æternæ salutis auctore Iesu Christo fidei constantiam ac fortitudinem multo, quam vnquam antea, ardentibus postulat votis, Athletas cursoresq; potissimum imitatus. Quorum hi, cum ad finem stadiorum iamiam perueniunt, vehementiorem seruant cursum, vt metam contingant, & præmia mereantur. Illi autem post plurima certamina & diuersas victorias, cum pro corona certandum fuerit, maiori nisu omnia faciunt, vt coronati discedant. Paulo post accedit & prætorianus miles, qui manus eius crudeliter vinciens ipsum ad supplicii locũ, qui media in vrbe erat situs, adducere parabat. Cum itaq; Ioanni virginum Moderatori blande supremum vale dixisset, atq; vt pro se iam morituro apud Deum Opt. Max. intercedere dignetur orasset, ad Prætorianum paululum cunctantem, ac aliud, nescio, quid agentem, conuersus: Cur cessas, ait, cum festinato opus sit, & me Christus sponsus iam dudum expectet. Forte suspendendus scalas ascendebat Gallus, qui vnus ex præsidiis supererat. Hic Guilielmum vinctum patibulo adstare conspicatus, multa prece eum obtestatur ac obnixe rogat, vt sui meminisse, suaque pro salute Deum precari velit. Assensit illico Guilielmus, atque illum ad mortem constanter perferendam ob officium Regi suo legitime recteque præstitum, & fidem Orthodoxam palam confessam egregie hortatur. Variaque deinde consolatione ac prece morientem prosequitur. Mox voce quam maxime clara ciues adlocutus, testatur illam ipsam, quam palam semper ac passim docuerit, vnam, veram, sanctam, Catholicam & Apostolicam esse fidem, atque eos, vt in illa immobiles persistere pergant, iterum atque iterum rogat. Hanc enim & Christus Dominus docuit, & Apostoli prædicauerunt, hanc Patres obseruauerunt, confirmauerunt & Martyres. Pro hac de-

nique consignanda, & ego quoque libenter ac alacriter vitam impendero. Post hæc ad Cocum Ecclesiastem, qui huc tentaturus eum, & quasi catastrophen Tragœdiæ spectaturus aduenerat, conuersus: Discede à me, inquit verbis Latinis, mancipium Satanæ, scelerumque instigator. Discede à me fomes impietatis, quia te auscultare de fide, imo perfidia puti de differentem nolo. Me namque satis pacatum reddit sanctæ Matris nostræ Ecclesiæ traditio, sufficitque tibi respondisse, quod sic edoctus sum. Porro cernens tandem, se nihil leuissimis suis sermonibus, tamque constanti fidei suæ confessione apud immanissimos planeque efferatos hostes proficere, lachrymis obortis, ac eductis imo pectore suspiriis, Christi clementiam pro ipsorum salute sollicite deprecabatur: Domine Deus, inquiens, remitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. Ad quæ statim scelerati: An nescimus, quid facimus? respondent, En laqueũ aptamus tuo iugulo. Non deerant quoque, qui ob pertinaciam à 4. equis pernicibus in 4. frusta distrahendum esse, vociferarentur. Sed vt nihil eorum, quæ agerentur, ipsum deterruit: ita nec tam atroces voces vllo modo de sententia deduxerunt. O constantiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam! Audientes vero tumultuari militem *Hieronymus Seratius* (hinc enim Dordraco cum Aurantio profectus, oppido tunc præerat) quiq; adstabant Centuriones mandant Carnifici, vt illum è scalis quam otius deturbet, bis terve clamantem: In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum. Ferunt ex ciuibus plerosque, qui mærentes se domi abdiderant, ad hoc tam impium ac crudele spectaculum cernendum vi ædibus extractos fuisse, cum interea Guilielmus mortem, ad quam se iam diu antea præparauerat, alacri ac læto animo exciperet, & vultu ad hilaritatem composito ex furca penderet. Quem cum milite Gallo inter occisorum cadauera depositum, leui deinde cespite obruerunt. Post paucos dies, cum alii sacerdotes, tum & *Reinerus Hadriani Arnoldi* Prætoris quondam Vrbani filius, ibidem Canonicus suspensi fuere. Qui vero omnes, quemadmodum glorioso vitæ suæ exitu fidem nostram Catholicam, quæ Martyrii fœcundissima parens est confirmauere: ita quoque fanum S. Gertrudis nobilitauerunt. Fuerat olim sane hoc oppidum, licet humile nunc videatur, omnino inclytum, antequam Australis Hollandiæ ager multo fertilissimus rupto apud Wyldrechtum aggere longe lateque fœdum in modum demergeretur. Soliti quippe nostrates erant, ibi aduenientes Hannonios Principes, cum etiam Hollandiæ imperarent illi, honorifice excipere, atque rursum in Hannoniam recedentes illousque comitari. Quamobrem

*Hieronymus Seratius.*

*Reinerus Hadriani F.*

Guiliel-

Guilielmus Duuenuordius, præfectus ærarii Guilielmi cognomento Boni, tertii nimirum eius nominis Hollandiæ Principis arcem eximiam ibidem exædificasse traditur, nec procul inde monasterium quoq; Carthusiensium, religiosum iuxta ac conspicuum, vir à solerti quidem industria plurimum commendatus, sed ingenio duro ac præfracto. Sed de quo historiolam antiquam sed elegantem referre gestit animus longa narratione fessus. Cum enim aliquando vxorem duxisset ille, Toparchæ Vianensis filiam, & forte noua nupta lectum ingressura, cum lachrymis ingemisceret, sentiens id, causam sciscitatus, nec desistit, quin ipsa eloqueretur: Quæ graue & indignum sibi videri dicens ministro patris sui (inseruierat enim, cum adolescens esset, Ioanni aliquot annis Duuenuordius) nuptiali thoro sociari: nunquam hoc tibi eveniet respondit, simulque ex lecto resiliit: nec vnquam postea, quamuis puellam dicti pœnituerit, ac pro ea sacrati viri, magnatesque complures intercessissent, adduci potuit, vt communẽ cum ipsa ingrederetur thorum, vitam deinceps cælibem agens. Narrat de hoc etiam Guilielmo *Reynerus Sneyus*, Medicus Goudanus lib. 8. Historiæ suæ Batauicæ.

Guilielmus Duuenuordius. Guilielmus Bonus III. Comes Hollandiæ.

Reynerus Sneyus

Quod cum mutuo postulatus esset ab Eduardo III. illius nominis Britanniæ Rege (hic filiam Hannonii Principis Philippam duxerat, belloque cum Philippo Valesio, pro Galliæ imperio decertabat) interrogauerit, quantum peteret, respondentique Regi, sibi opus esse Centum aureorum mill bus, ait, ducenta millia sese numeraturum, modo Rex cõcederet, ut liceret ipsi, quoad summa illa sibi redderetur, immunem & sine vectigalibus per Angliam versari.

Quod cum percrebuisset odio ac invidia nobilium aliquot apud Principem suum peculatus accusatus, ad rationes cogitur. Paret itaque dicto, & ad constitutum diem reuertens, ingreditur amictus vestibus rusticis fascem clauium manu gestans. Mirari Princeps cum suis primoribus, & rogare, quid sibi mos ille vellet, *Reddam, inquit, ipse rationem. Hanc arcem extruxi; tua, ait, ô Princeps, est, & hæc clauis, Cape igitur. Illam quoque ædificaui, ergo & hanc clauem accipe. Tantum hic, tantum illic argenti est, omne tuum est. Hæc, inquit, mea ratio, quando aliter non datur ob aures tuas ab æmulis occlusas, Cum hoc amictu primum ad te accessi, cum hoc à Te discedam, Vale.* Erubuere his auditis Proceres criminationis conscii, iussitque optimus Princeps, quoque non erat æqui ac iusti obseruantior alter, uti præfectus fuerat ærarii, maneret perpetuus. Hæc diffusius paulo commemorata sunt mihi animo reuoluenti, quam amice ac suauiter versatus fuerim in monasterio Carthusiensium (Domum Hollandiæ nominant) quod

Guilielmus ex Duuenvordiana nobilitate nothus olim, ut dixi, pietatis ergo fundauit, Guilielmus vero Auasinus seu Nassouius Aurasii Secundanorum Princeps maiores suos crepaces Romanos Cæsares nupertime, postquam ob complura humanitatis ac honoris officia sibi suisque maioribus à Monachis præstita in tutelam suam receperat, summa impietate flammis consumpsit, diruit, soloque æquauit, atque ex templi, imo ipsius sanctuarii lapidibus, ædes augustas in fundo cænobii sacrarum virginum, apud Fanum S Gertrudis ædificari curauit, ubi repudiata Anna Saxonica uxore, cum recens nupta Elisabetha Borbonia Moniali Gallica se oblectet, adeo nec luxuriæ crudelitas, nec crudelitati luxuria obstat.

Et hunc talem, postquam Hollandos Zelandosque dirissima hæresi imbuisset multa quoq; scelerum maculasset colluuie, denique omni argento emunxisset, in Brabantiam euocatum Belgæ cum alii, tum etiam Cucullati aliquot (etsi Diis placet) proceres opum, salutis ac pietatis temere obliti, tanquam Heroa ac semideum venerantur, tantumque non adorant. O tempora! ô mores! Scilicet nil præstitum legitimo Regi Catholico iusiurandum, nil fides Deo opt. Max. debita æstimanda fuerint, modo legibus solutos gaudere liceat libertate errorum. Siccine ergo vita, quæ ex præscripto sacrarũ legum ab optimis Principibus ad conseruationẽ Reipubl. latarum degitur, seruituti potius erit deputanda, quam saluti? atque è re vestra fuerit sacra prophana sursum deorsum ferri, nilque sanctum, nihil castum relinqui ac pudicum: sed licere impune decipere, peierare, latrocinari, mœchari, furari, ac miseram plebem exhaurire vectigalibus tributisque plusquam tyrannicis. Quid? miseros ne magis, an insulsos, atq; diutina ætate vos infatuatos existimem, ô cucullati proceres, qui tanta nunc alacritate Ecclesiarum cimelia opesque vestras Christo in pauperibus suis aliquando etiam denegatas ad hunc Aurantium, tamquam ad alterum Aaronem, pro conflando nouo vobis vitulo defertis.

Cum interea fortunis, vitæ animabus vestris insidietur simulator perniciosissimus. An ignoratis illum propulsatis hinc procul Carthusianis, agros, latifundiaque ipsis à Duueuordio donata, atque vltra ducentos & quinquaginta continuos annos possessa, alendo sustentandoque Mauritio filio suo vsurpasse? Sed forsitan hæc vos illi pacificatione Gandensi illi concessisse dicetis. Belli, me Hercules, estis homunculi, nimirum de alienis rebus quam maxime liberales, de iis vero, quæ ad vos pertinent, parcissimi.

Salse quidam sane magna mittentium Gandanum, magna euntium simplicitas. Et alter cum lectis pacis conditionibus ad

nomi

nomina subsignantium peruentum esset. Non frustra hi, inquit, cucullis induti fuere. Siccine simulante clementiam Tyranno fidei adhibenda fuerit? Nondum ne videtis, mactatis eius opera tot lectissimis viris, alios quotidie certæ rursum destinari laniénæ? Nunquid vel tandem aliquando fando etiam audistis in regionibus, quæ Helio ac Fleno interiacent, lauacri atque salutaris aliorumque Sacramentorum Christi vsum Orthodoxos penitus ab hocce Diocletiano interdictum esse. Nonne eadem quoque titulo concordiæ diuersarum religionum apud vos illũ moliri adoramini? Nolite, inquit Apostolus, iugum ducere cum infidelibus.

Quę enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum Idolis? Credite licet serius monenti mihi, quas res auaritia in rapinis, superbia in contumeliis, luxuries in flagitiis & crudelitas in suppliciis efficere potuerint, eas omnes perferre illo gubernante cogemini Sed ad Christi Martyrẽ Guilielmũ rursum tandẽ reuertatur nostra oratio. Hic ergo illorũ vestigia secutus, quos sacerdotium & humiliores facit & paupere amore Iesu crucifixi voluptates calcauit, subegit libidinẽ, honores contempsit, ac in thesauris pecuniæ non confidit, neq; etiã sibi soli laborauit; sed omnibus exquirentibus disciplinam. Testimoniũ præbuit, in conspectu Domini & Christi, neque quispiam mortalium illum criminatus est. Sapientiam illius narrent populi, & laudem ipsius celebret Ecclesia, atque gloria illius in perpetuum non abolebitur. Etenim memoriam superborum perdit Deus, & relinquit memoriam humilium sensu.

---

# PETRI OPMEERI

# *DECADIS II.*

## LIBER V.

### Martyrium DD. Iacobi & Nannii.

HERACLITVS physicus, qui naturæ vniuersæ principium, ignem esse, ex eoque nasci omnia, & in eum omnia resolui ac desinere, affirmare solitus fuerat, in furnaria aliquando domo assidens foculo prætereuntes clara voce inuitasse commemoratur, Introite, clamitans; Nam & hic Dii sunt. Quod quidem percelebris philosophi dictum non incommodum mihi in mentem venit Frisiam occidentalem mente perlustranti. Nam quam-

quamuis incolarum plerique regionis illius moribus agrestes, animisque truces, variis insuper vitiis ac erroribus infecti inueniantur: attamen non desunt inter eos complures summis ingeniis, minimeque vulgari eruditione præditi. Præterea multi quoque vt laboris patientia; ita simplici prudentia, & prudenti simplicitate, potissimum vero sinceriore fide commendantur. Hos ego frutices, surculosque felicium illarum arborum, quas à S. *VVerenfrido* plantatas, beatus *Odolphus* olim rigauerit, quibusque deinceps successu prospero DEVS incrementum dederit, non male nominari posse, dicere soleo. Quandoquidem illos iustos fuisse homines tentatio tribulationis probauerit, haud secus atque vasa figuli fornax probare solita fuit. Quorum innumeros rapinam bonorum suorum cum gaudio suscepisse, atque quinquennale ferme exilium nō sine paupertate & contemptu pertulisse conspicatus sum. Alios quoque vincula ac carceres: alios item varia & inaudita supplicia constanti & infracto animo perpessos fuisse, satis mihi constat. Vidi quendam *Petrum Numonium* nomine, cui venter prunis ardentibus in tortura exustulatus fuerat, pectusque à mure maiori (Rattum nostrates dicunt) exesum, & vmbilicus mirum in modum à crabronibus laceratus: cum eum post cibi potusque inediam, continuasque vigilias quater & vicies quæstione repetita, tormentis cruciatibusque diuersis crudeliter plane affecissent. Retulit nobis, atque adeo, vt fidem ipsi adhiberem prolatis publicis instrumentis effecit *Iohannes Ieronius municeps Hornanus* honestus & prædiues, mihiq; à multo tempore probe cognitus, cum ipsum in carcere inuiseremus, inter cætera torquendi morem longe turpissimum atque obscænissimum, quem impii atque cum scelere ingeniosi nebulones excogitauerant: quo illos, quos tormenta non vincerent, libidine multo fœdissima superari posse, persuasum sibi haberent. Corpus namque iuuenis primo ætatis flore pubescentis supra tabulam leuiter extendentes, penem eiusdem cremone lactis perunctum, vsque faucibus lactentis vituli nouem sestertiis, quos stuferos vocamus, à bubulco ad hoc comparati, intrusere; donec illo auidius sugente, quæ animus meminisse horret, subsequerentur:

*Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,*
*Ferrea vox: omnes scelerum comprendere formas*
*Omnia pœnarum percurrere nomina possum.*

Crediderim ego nec Sodomam vnquam vel tale quicquam cogitasse, qualia nunc (Proh dolor) sub titulo reformandæ religionis, scilicet perpetrantur ab his, qui in Batauis Amstelrodamique nati & educati Frisiis humaniores videri volunt, quique se munia iustitiæ iam olim Catholici Regis nomine ebriosi iacta-

ta-

S. Werenfridus
S. Odulphus
Petrus Namonius

tauit. Idque in eos, qui cum Propheta merito canere potuere. Perambulabamus in innocentia cordis nostri, in medio domus tuæ. Quippe etiam cum summo patientiæ exemplari, sanctissimo nimirum Iobo secure dicere audeant: Nulli nocuimus hominum, iuste viximus cum omnibus. En qualia portẽta ad Reip. honestissima irrepsere munia, dum locantur conducunturq; Magistratus, atque quæ virtute mereri solent officia, plurimo licitanti addicuntur. Non vlla de ambitu nunc lege opus est, & sacerdotes & dignitates ciuiles passim Regina pecunia donat. Sed conquerendi de his rebus tempus alias oportunius fuerit.

Porro si antea vnquam, certe vel tũ maxime laqueis, flammis aliisque suppliciorum generibus in innoxios sæuitum, quando Germano milite flagitante, (vt gentis mos est) stipendia, & ob inopiam rei pecuniariæ detrectante expeditionem, Francisco Valdesio Tribuno morbo implicito, frustra ab Ægidio Barlemontio Domino Hirgiensi, cum aliquot Hispanorum signis trecentisque equitibus Epyroticis tentata esset hæc occidentalior Frisia. Etenim quoscunque tunc tractu in illo Orthodoxos paulo opulentiores nouerant scelesti, hos calumniari, in vincula coniicere, horum denique vitæ fortunisq; varias insidias struere aperte aggrediuntur. Nullum namque delictum grauius apud Theodoricum Snoyum præfectum regioni, cæterosque qui a consilio ipsi erant viri sanguinarii inueniri potis erat, quã religionem Catholicam profitentem abundare diuitiis, agrosque magni precii ex iusta hæreditate possedisse. Est Horna oppidum ad lacum potens ac opulentum, eruditorum hominum *Iacobi Cerastini & Hadriani Iuny* patria, mercatu boum, qui ex Cimbria Chersoneso strigosi illuc aduehuntur, vt quondam celebre: ita nuper fertilitate immani ac barbara truculentia nobilitatum. Nam cum haud satis iræ odioque indultum Senatui nouo populoque videretur, quod complures honestissimos ciues Orthodoxam fidem profitentes asperrima hyeme nudos ac inopes ciuitate expulissent, Postridie Non Martias anno Domini LXXIII. supra millesimum quingentesimum, quando sacratissimum Paschæ festum iam instaret, omnes sacras virgines, quas ex 7. cænobiis collectas è somno excitauerant nauibus impositas, libidini militum, nautarum ac calonum fœdo exemplo exposuere.

*Theodoricus Snoyus*

*Iacob. Cerastin.*
*Hadrian. Iun.*

Has laceras ac seminudas postridie cum lachrymis & eiulatu aggere Antoniano aggredientes Amstelrodamenses comiter atque humanitate plane Christiana exceperunt. Præterea dirum ac funestum quoque Exemplum ab efferatæ gentis hominibus editum in CXLIIII, deditios Germanos milites, quos Orthodoxos

doxos esse ægre ferebant. Hi cum sub Polwylero Tribuno mererent, à suis in agro Wormariano destituti se hostium fidei commiserant, à quibus Hornam transmissi immani sæuitie trucidati fuere.

Nauibus namque impositi, pars in lacu mergitur, hastisque ac contis fœde traiicitur, alii gladiis pugionibusque petuntur. In nonnullos ad virium experientiam, quam xiphomachæris romphæisq; vulnera infligere possint, iuuentus sagittariorumque cohortes tendant. Ferunt carnificem illis gratias sociæ sibi operæ præstitæ egisse, vrbeque exeuntem dixisse; non sine acri sale. Haudquaquam deinceps sua opera egere *Senatum posse Hornanum, posteaquam tortorum officio tam accurate fungantur ciues.* Ab hoc igitur oppido Septentrionem versus pagus Woggerũ quatuor miliaribus distat, vbi auitos agros secure ac diligenter colebat *Iacobus Coppenus* (id enim illi cognominis fuit) Cornelii filius, vir bonus & benignus, moribus modestus, visu verecundus, atque inter cæteras virtutes hospitalitatem præcipue diligens, cum solitus esset egenos vagosque inducere in domũ suam, ac esurientes alere, diuidens vnicuique, prout poterat, de facultatibus suis. Non omnino dissimilem Tobiæ Nephthalitæ illum dixisses, præsertim cum vnicus illi esset filius Nannius nomine, quem mente potius quam pedibus (nam mire iuueni ex morbo intumuerant) celeriter iam inde ab infantia timere DEVM docuerat, & abstinere ab omni peccato. Hunc igitur & nomine & re vere vitiorum supplantatorem, quandoquidem apud suos inter primi ordinis Orthodoxos censeretur, statim post Hispanorum ex agro Frisiorum Caninefatumque, quo illi mouerant, discessum comprehendi, atque Alcmariam deduci vinctum, cum vxore & vtraque prole Sonoius mandat. Sed vxore filiaque paulo post dimissis, ipsum accusare, quod incendiarios ære conduxerit, qui regionis tractum illum flammis deuastent. Negantem vltra decies quæstioni subdidere, & exquisitis tormentorum excruciarunt generibus. Nam & axillas pedumque plantas ardentibus candelis, cæteros vero artus subuculis lineis vino caustico seu ardenti (aquam vitæ vulgo nominant) identidem madefactis accensisque horrendum in modum exurunt. Iam vires ei deficere nimio præ dolore cæperant, cum rursum ad quæstionem vocatus, metu intentioris pœnæ exanimatus concideret, atque ita Spiritum DEO Optimo Maximo vir innocentissimus redderet. Postridie Calendas Iunii, qui dies diuinæ Eucharistiæ tunc sacer erat, anno a partu virgineo CIↃ. IↃ. LXXV. dum interim improbi illi apud rude vulgus rumores spargerent, ceruicem ei ob enorme scelus, quod confiteri noluerit, a cacodæmone fractam esse.

*Iacob. Coppenus*

esse. At vero non sine causa sæuiisse putarentur, cadauere in 4. partes dissecto, viscera suspensa, caputque erectum pro Alcmariensium portis fuere, bonis ipsius insuper quoque fisco addictis. Hic itaque finis sanctissimi hominis illius fuit, qui per omnem vitam seruata fidei veritate, in pauperum miserationibus DEVM cum timore cogitabat. Interea Valdesio vtcunque iam sanitati restituto, exercitum in Burenos superiores Batauiæ populum Hirgius mouet. Quorum oppido ac arce longe munitissima, quam Linga fluuius adlabitur, in fidem receptis summa celeritate in Hollandiam ad veteres aquas obsidendas copias reducit. Oppidum hoc pro sui magnitudine probe munitum, & ab opulentis stolideq; animosis ciuibus habitatum, præsidio quatuor signorum tenebatur. Quod cum post tormentis disiecta mœnia expugnatum VI. Idus Augusti, incerto igne conflagraret, atque in victos cæde sæuiretur indiscreta. Duo ibidem Sacerdotes eximii ac Christi confessores, D. Splinterus Gerardi filius, & D. Nicolaus pastor Pelsbroncanus erudite facetus, senex octuagenarius. Hi ambo apud Cellitas, vt vocant, virgines iam vltra triennium latitarant, misere occisi fuere. Cæterum Schonhouiani post quassatos tormentis muros illico sese quoque dediderunt, & munitionibus ad Leccam Mosamque amnes mox expulsi hostes sunt. Restabat nunc ergo ex his Hollandiæ oppidulis, quæ frontis in modum Vltraiectinis obtenduntur, Worda, natale solum *Ioannis Pistorii*, qui libidine concubinæ suæ in vxorem ducendæ sacerdos stimulatus primus inter Hollandos Lutheranam hæresim palam erat professus, vnde & factum existimo, quod in illam sectam, quam in Caluinismum Wordenses procliuiores fuerint. Hæc vrbecula *Hollandiæ clauis antiquitus* propterea nuncupabatur, quod ob frequentes paludes, nemusque sacrum illuc ad Hollandos secundo Rheno descendere Romanorum aliarumque gentium exercitus soliti sint. Quæ si armis ad obedientiam Regis sui redacta fuisset, iam debellatum foret, cum Batauis. Verum robore exercitus à Requesenio ad bellum Zelandicum, obsidionemq; Zwiczeensem euocato, mœnibus includi, fameque domari hostis vana magis specie, quam efficaci ad euentum cœptus est. Interea dum hæc fiunt, multo crudelius cum pedibus ægro Nannio, quam antea cum patre ipsius actum fuit, quem quaterdecies Alcmariæ, & in arce Scagensi duodecies variis affecerunt suppliciis. Non ibi deerant candelæ, vinique ardentis flammæ vstulantes, non crabones, non mus, vitulus ve. non denique fistula, qua vento vesica miseri, vti turgeat, inflaretur, aberat. Mirum dictu: Halecem conditaneam cum pane cibario esurienti apponunt, potum subtrahentes omnem, quo salsugine sitim

*D. Splinterus Gerardi* *D. Nicolaus Pelsbroncanus*

*Ioannes Pistorius*

*Worda clauis Hollandiæ.*

prouo-

prouocante ærumnosum enecent. Quid plura? succubuisset variis ille pœnis, decreueratque nescio quos innoxios accusare, ac quiduis cruciatuum magnitudine victus fateri, ni affuissent amici, qui clam ipsum consolarentur atque producto Euangelii codice ad Dominicæ passionis lectionem hortarentur. Nunc enim post plurima certamina maiori nisu pro corona certandum esse dicentes, velisque naucleros imitari. Qui postquam multa maria enauigauerunt, & onerati mercibus peregrinis iam plenis velis in portum ingressuri sunt, tunc sollicitudinem curamque gerunt, ne in breuia scopulumve aliquem impingant, qui priores labores omnes disperdat. Posthæc Hornam, (vbi conuentus Frisiorum Frisiabonumque erant, adductum tali mactandum esse supplicii genere condemnarunt, quale in patriæ proditores legibus constitutum est: nimirum vt viuenti cor è corpore extraheretur, visceraque in 4 partes secarentur.

Cum iam ergo in publicum puniendus produceretur, inuicti roboris animi iuuenis, tanta fortitudine constantiaque Apologiam coram Senatu populoque Hornano pro innocentia sua Patrisque pronunciauit, tam probeque omnem infamiæ notam diluit, uti concionis vniversæ admurmuratio strepitusque subsecutus sit, & crudelissimi quique, maxime sanguinarii homines Caluiniani concionatores apud iudices intercedere, ne quid vlterius de illo fieret, sint coacti. O florem Ecclesiæ vernantissimum! O preciosum lapidem inter Ecclesiastica ornamenta! O cæleste pectus & constantiam vere admirabilem viri confessione plane inclyti, qui domesticis fidei ac virtutis exemplis prouocatus, nec degener patri, nec minor eo esse poterat. Quod si in certaminis laborisque tempore tam illustris fuerit, qualem coronæ retributionisque tempore credemus? Postridie, ipsis nimirum Calend. Octob. leuiter strangulato, atque etiamnum spiranti cor à carnifice, cui se innocentem esse, filiumque propterea cælestis regni fore declarauerat, emissum fuit, corpusque membratim in 4. partes diuisum, quæ ante portas Hornanæ ciuitatis appensæ fuerunt.

Caput quoque præacuto in stipite positum, & ex turri templi Woggenomensis ostentatum, dum interea nimia ipsius in cælesti illa Ecclesia à Christo Martyrii redimita corona, æternitatisque abunde remunerata præmiis sempiternum gaudeat Rumor constans interim per Frisiã vagabatur, in quadringentorũ Orthodoxorum locupletũ Capita coniuratum fuisse, quæ periculo extracta solerti diligentia *Ioannis Ieronii* sociorumque, dum de violentia sibi illata libello supplici conqueruntur apud Senatum Hagiensem, atque se reos sisti coram ipsum deberi ostendunt, rogantque. Narrant Heraclytum acriter Ephesios suos

*I. Ieronii.*

carpsisse,

cărpsisse, iudicasseque omnes adultos relicta impuberibus urbe, mortem meruisse: quandoquidem Hermodorum sui præstantissimum ciuem oppido expulerant, dicentes: nostrum nemo inæqualis sit, quoniam siquis erit talis, alibi & cum aliis esto. Quid illum, si hæc conspiceret, de sanguinariis crudelissimæ huius sectæ hominibus censere debuisse, existimas? Sed nulla esto linguis libertas, nullusque sit Heraclytus, qui mortalium miserias deflens grauius quiddam in hos ipsos nunc statuat. Quid? annon conscientiæ stimulis eos exagitari, cum tanquam carcere clauso & cæco, nulla spe evadendi, detenti scelesta custodiuntur vita, atque breui se morituros quoque metuunt, credibile est? Nonne sociorum exemplis moneri censendum est? cum *Asellus* Alcmariæ doloribus inconsolabilibus occubuerit. *Lignipes* inter epulas Enchusiæ occisus.

*Seratius* post infelicem velitationem proditionis accusatus, ante portas Iani S. Gertrudis truculenta crudelitate trucidatus. *Ænocopito* ab Hispanis strangulatus Vltraiecti: *Wigboldus* Frisius Medenblici. *Marinus Brantus* Sæltingæ Flandriæ pago. *Dommalius Delphis* fœdissime, ita ut carbone magis ater videretur, suspensi: *Decrocius* Scagæ Frisionum à suis *Ripperdanus Harlemi* ab hoste victore gladio percussi sunt: alii denique alios: omnes tamen infelices vitæ exitus sortiti fuerunt. Quid de Lummeno nobili Pirata, eiusque legato *Bartholomæo Entio* referam? qui postquam ambo capti ac peculatus accusati Delphis in Britanniam aufugissent: sic tandem post varias calamitates quasi patriæ hostis a Groningensibus à se obsessis caput glande traiectus fuit: ille vero tanquam monstrum horrendũ, deforme, rabidum, execrabile, ac indignũ, quod humana conficeretur manu, morsu canis molossi in Eburionibus (ut ferunt) furibundus interiit.

At non omnibus eadem belli alea dices. Quandoquidem præcipui auctores huius Phalarismi *Guilielm. Sonnenbergius* & *Guilielmus Caluus* etiamnum viuunt ac viuant, atque ob Rempubl. bene gestam hic Amstelrodamensi, alter vero Brederodiana Prætura remunerati sunt. Non nunc exigit tempus Perillos huiuscemodi concremandos æneis includere tauris, populares sunt, ac negotiis, quæ modo geruntur, longe aptissimi. Sunt & Aurantio gentiles inauditæ clementiæ Principi: Qui in nullos vindicat sæuitque, quam in Monachos Sacerdotes ac orthodoxos cordatiores, quos sui proditores esse autumat. Sed age, credat illos felices iam ac beatos qui velit. Ego vero nec eos vnquã neque vigilantes, neq; insomnis credo mente posse consistere. Necesse enim est, quamuis sint, ut sunt, violenti & furentes, cũ ipsis obiectæ fuerint species singularium, quos afflixerunt virorum, perterritos de somno excitari, furere etiam vigilantes. An-

non ignem inextinguibilem postremo, & cruciatus perpetuos eos extimescere putandum? Cum interea sanctissimi nostri Martyres Iacobus & Nannius in cælesti aula cinctorum inscripti Senatui bonis perfruantur ineffabilibus, & hic in terra viuis clariores sint. Poterant quidem transgredi, & non sunt transgressi, & facere malum, & non fecerunt. Ideoque stabilita erunt bona illorum in Domino, & Eleemosynas ipsorum enarrabit Ecclesia sanctorum Memoria namque iustorum cum laudibus, & nomen impiorum putrescet.

---

# PETRI OPMEERI

# *DECADIS II.*

## LIBER VI.

### Martyrium D. Gertrudis Hadriani Simonis F. Wormarianæ.

WOrmaria cum Gispa vico Caninefatum vetus ac potens municipium, Zana amne tribusque maximis stagnis in modum Insulæ cingitur, proximum est Waterlandiis, quos Aquitanos minores nonnulli dictos volunt. Incolæ Galatophagi fere sunt, operis amantes, parci, industrii, linguis liberi, nec non tenaces iusti. Agrum possident palustrem, qui fossis frequentibus discissus maiori pecore abundat. Hunc mira solertia ferre triticum suauissimum, etiam aliaque frumenta docuere. Linum è fossarum fundo vellunt, eoq; iacta per ripas semina conspergunt admixto fimo Æstate non modo solum, sed & salum colunt, piscatuique halecum sunt intenti. Hieme vero condunt se, geniumq; curant. Panis bis coctus cum butyro caseoque: Pisces quoque ac ceruisia Delphica Moselaris illis deliciæ. Quanquam interea vini passi, caricum, pomorum, nucum atque huiuscemodi illecebrarum multo auidissimi sint. Si vsquam adhuc rusticana simplicitas & antiqua virtus, in hoc terrarum angulo latitat. Qui non tantum robustorum, ac meritis in Republ. Clarorum virorum, sed & mulierum fortium fertilis est. Orta namque hic & educata fuit *Gertrudis Hadriani filia* aperti excelsique animi virago, quæ vitis generosæ instar fructibus concordis coniugii læte redundans nuper Christi odor bonus fieri Deo meruit. Digna plane pastore quondam suo Martino Duncano ouicula: digna tanto magistro discipula. Cuius multiplices agones Martyriique coronam eo libentius

Gertr. Hadr.

rius memoriæ prodidero. quod ipsius fratre Cornelio, dum viueret, familiariter vsu fuerim. Fungebatur is sacerdotio Brucelii, celebri in Batauis pago; vnde tumultuantibus Hollandis statim Delphos demigrauerat, credens tuto se posse ibi consistere. Verum postquam intelligeret, quantum ex insania vnius Aurantii, qui primo aduentus sui tempore vxores, liberosque Orthodoxam exulum nefario decreto pellere vrbe, ac ruri ludibrio prædonum exponere moliebatur, tum dedecoris, tum periculi Catholicis viris, maxime vero sacerdotibus immineat. Per congelatum stagnum Harlemæum calopodiis ferratis Amstelrodamum mira celeritate labitur. Ciuitas enim hæc fugatis procul perniciosis ciuibus, ab optimis quibusque aliarum Hollandiæ vrbium maxima ex parte habitabatur, eratque receptaculum quasi sacratum virginum, ac asylum piorum sacerdotum. Qui tanto numero eo confugerant, vt ex illis hoc anni LXXIII. supra clɔ Iɔ. curriculo vltra septuaginta ibidem animi mærore morbisque fuerint consumpti. Harlemæum.

Hoc rumore ergo ad vicinas gentes perlato, quisque de suis sollicitus esse, præcipue Gertrudis, quæ amoris succensa igne desiderio fratris ardebat, quod ipsum sepeliendis militum cadaueribus vt sacerdos adesset, operam locasse suam audierat. Ah quoties ex longinquo vrbem spectans secum sola fatur: Quis mihi det te fratrem meum, sugentem hubera matris meæ, vt inueniam te fratrem foris, & iam me nemo despiciat. Apprehendam te, & deducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ Ecclesiæ Catholicæ: ibi me docebis, & dabo tibi vasculum butyri conditi, & par caseorum selectissimorum. Ah quoties nauicula Amstelrodanum vehi frustra tentauit: à prædonibus, ne illuc perueniret, prohibita. Solstitium æstiuum erat. & licet nullo religionis cultu, vt solet, attamen gaudio publico Epulisque lætis celebratur anniuersaria dedicationis templi Wormariani solemnitas, quando consobrinā suam probam & antiqui moris fœminam alloquitur Martyr, multisque persuadet rationibus, vt itineris socia secum proficiscatur, inopiæque opituletur sui fratris Iacobi Bartholdii, qui sacerdos quoque eadem in vrbe exulabat. Iam nauigantes gratos cędere inter se sermones, cum subito à iuuentute agresti, quæ nauiculis exercendo piraticam oram Amstelanam infestabat, captæ ex insidiis, transuectæque fuerant Ipersiotum. Is nomen loco, qui angustis faucibus agro adhærens Amstelrodamēsi, qua via Mudenū fert, Isthinc in modum hunc stagno Dimeno, illinc Tya flumine alluitur, quemq; opere præsidioq; muniērāt. Cum vt mergendo circiter nonaginta naugia Amstelrodamenses lacu excluderent, tum vt aggere perfosso ager late inun-

daretur Amstelanus, atque vrbem castraque auxiliis commeatuque (is Vltraiecto aduehebatur) prohiberent. Quod vtique euenissent capta actuaria naui, atque Gallorum manipulis aliquot ad Amstelam à Batauis occisis, nisi ædes nonnullas subliciumque Pontem veteris Fani Winlienburgius Centurio opportune incendisset. Idcirco spe munitionis potiundæ frustrati Batauí, postridie fugam nocte capessunt. Cæterum appulsas Iperslatum captiuas contumeliis minisque præsidiarii excepere. Accusante præcipue eas agrestium præfecto, quod Pontificiæ, vt vocabat, essent, & quod Idololatras commeatu iuuare conati fuerant. Ad quæ libertate omnino Christiana Gertrudis respondens: Siccine, inquit, à te, non modo ciue, sed & arcta affinitate mihi iuncto accusari nos æquum est? An nescis maritum meum tibi patruelem esse, tuosque optimos parentes eiusdem nobiscum semper fuisse fidei? Quid opus verbis? Age non mentiar, sed quod est res, dicam. Ambæ Christianæ sumus mulieres, Orthodoxæ sumus: Catholicæ sumus, nec vllum nouimus Idololatram. Vtrique nostrum frater est Sacerdos, non Baalam excelsorum, sed summi Dei. Hos sedibus eiectos suis ac laborantes inopia ex nostra tenuitate vnaquæque 20. quasi libris butyri, duobusq; caseis, vt vides, subueniẽdos existimauit. Si quid peccatum ea in re, id muliebri condonandum putato affectui, qui maior iusto etiã in prægnantibus esse solet. Oratio hæc fremitu militum agrestiumq; excepta fuit, dicentium se Christianos ac vere Catholicos esse, & pro religione sincera contra Monachos, Sacerdotes eorumque sectatores belligerari, nec licitum esse mulieres vllas huiusmodi Reipubl. pietatisque hostibus præbere annonam. Tum illa nihil vesanos illorum vultus & furentia ora extimescens: Equidem, ait, nec quid taceam, nec quatenus fœmina inter armatos proloquar, inuenio. Illud modo dicam, hanc me profiteri veram esse fidem, quam colere & venerari nos maioresque nostros Christi Sacerdotes docuerunt, non eam, quæ prauis & externis religionibus captas hominum mentes, velut furialibus stimulis ad omne scelus & ad omnem libidinem agat. Vnaquæque arbor, inquit Saluator, de fructu suo cognoscitur. Annon prima inter fructus Spiritus Charitas à Paulo Apostolo numeratur? Quam cum in nobis persequimini, quid aliud, quam vos lætari super iniquitate, nec congaudere veritati credendum est. Porro cum præsidii præfectus eam magis ingenuitatis, quam præsentis conditiones mærorem videret, monuit, ne militem pæne auidum libertate loquendi magis incẽderet. Se enim ab impotenti illius crudelitate ipsam vix tutari posse. Sed cum religio Christiana Orthodoxaque mulieri vita antiquior esset, Non tantillum, inquit, ex iis,
quæ

quæ ad fidem attinent, præsidiario militi tuo agrestibusque cessero, etiamsi me patibulo affixerint.

Periclitari quidem ad tempus veritas poterit, opprimi vero minime. Hanc à Sacerdotibus in scripturis probatam fiducialiter defendere me oportet. Quod si non fecero, fidei desertrix proditrixque futura sum veritatis. Corde creditur ad iustitiam; ore autem fit confessio ad salutem. Non ergo militum minas, aut pœnas carnificis exhorreo Quomodo enim metuere potest cruciatum, quæ iamdudum carnem suam crucifixit? Aut quomodo mortem formidabit, quæ iam pridem cum Christo & mortua & sepulta est? quæ iam non ipsa, sed in qua Christus viuit. Indignati passim omnes, atque in hæc grauius constantiusque, quam pro rusticana muliere, loquentem ira odioque accendi vociferarique i lam: etsi 60. Carolæis se redemerit, eaque pecunia iamiam expectetur, tollendam è medio esse, nec tantam ferociam in fœmina humili nata loco ferendam. Cum ipsa per se res adhuc anceps esset, prout cuiusque ingenium erat atrocius mitiusve suadentibus, tum insignis affinis agrestesque prædones in rabiem quodammodo accensi suam captiuam esse affirmare, atque seipsis, qui patibulatam vellent, cedere aiunt. At vero mulier sexu ferocior suo, egregiam, inquit, laudem promerebitis, boni viri, tam immani crudelitate in eiusdem municipii ciuem, iam 5. mense vterum ferentem, consæuientes Idque nullam ob causam quam ob fidei, quam liberam esse, & à Deo non dari clamitatis, professionem, pietatemque erga fratrem tentatam. Neque enim proditionis, vlliusve alterius criminis conscia mihi sum. Quod si essem, compendio mortis longos profecto cruciatus vitarem. Sed agite viriliter, ac aluum maternam nouo Martyri in Basilicam conseruatote, proque vna duos Christo coronandos transmittite Martyres. Tum oculis in cœlũ suspiciens, & volutis per ora lachrymis: Tu, inquit, testis es Domine Iesu, qui es scrutator renum & cordis, cuique occultum nihil est, non me idcirco hæc affirmare velle, ne peream, sed ideo tacere nolle, ne peccem. Baptizetur itaque, quandoquidem necessitas id modo postulat, hic fœtus meus, pro cuius fide me obligatum habe, in tuo suoque sanguine, qui cum Patre & S sancto viuis & regnas DEVS per omnia secula seculorum. Dies Dominicus erat IV. Calend. Iulii, anno à Christo nato cIↃ. IↃ. LXXIII. hora circiter sexta matutina, cum ducta ad patibulum palla, quæ superior ipsi vestis erat, se exuit, simul & capitium lineum vertice deponit ad circumstantes vicinos ait: Has meas exuuias quæso vos ô ciues, vt marito multum mihi charo adferre velitis: vt iis liberos communes vestiat. Nec enim aliud quicquam hic mihi est; testamento quod ipsis nuncupare pos-

re possim. Tum scalas ascendens: Promptus quidem est Spiritus, & anima mea liquefacta est. Cupio dissolui, & esse cum Christo. Quid stas ô caro? quid extimescis? quidve tergiuersaris, pugnamque abnuis? Dura necessitas tibi patientia vincenda est. Nil mali commisisti, sola pietas tibi crimini datur. Confortare igitur ac animose confidenterque age. Nunc tempus exigit, vt iusto te prælio committas. Adest designator arbiterque certaminis IESVS, digna tibi pro meritis præmia largiturus. Vix hæc locuta erat, taciteque secum precabatur, cum scalis deturbata, thori immaculati honorem corona salutiferi Martyrii decoraret. Narrant sanctissimum Martyris cadauer ex patibulo, quod aggere haud satis firmi soli erectum fuerat, in flumen Tyam fuisse delapsum, atque dum accessu recessuque æstus continuo agitatur computruisse. Dum hæc consobrina, quæ soluto lytro inuiolata domum redierat, Wormariæ nunciantur: tantus gemitus Orthodoxorum subito exortus est, tantaque mœstitia, vt non grauius accepturi viderentur, si nunciaretur illis, etiam eo loco mortem oppetendam esse. Passim in triuiis ac compitis viri fœminæque de seculi huius incommodis sæuitiæque conquerentes æuum viris quondam probis fœcundum ad memoriam reuocant. Hic vitæ sanctimoniam monasticamque disciplinam enarrat ciuis sui *Meinardi Manni* Abbatis quondam Eugmondensis, omniumque eruditorum Patroni. Illa grata recordatione pastorem suum *Martinum Duncanum* Paradoxa Memnonis Frisii refutantem, ac nitro acriori hæreseωn maculas mentibus subditorum suorum eluentem commemorant. Aliorum subit mentibus sincera illa Genbrandorum Wormariensium familia, ex qua *Gulielm. Hinnesius* Theologus, & Petrus Petri filius, Prætor quondam ac Consul Amstelrodamensis germani fratres oriundi fuere. Quorum ille dum pastorali Sacerdotio placide ac digne fungendo in D. Virginis ornamento Patriæ est, cum summo omnium piorum ciuium dolore è viuis nimis subito eripitur: Hic autem post multos Regis sui nomine Catholicæ religionis ergo exantlatos labores, multasque patientiæ coronas fortunis omnibus ab impiis ciuibus spoliatus, exul Louanii in Christi pace quieuit. Vir ad omnia, quæ recte facienda sunt, natus: quique semper simplice virtute magis meruerit, quam captauerit gloriam. Nonnulli scholam Wormarianam, quam Duncanus quondam aperuerat, laudibus vehebant, inde innumeros Orthodoxos Pastores Sacerdotesque dicere prodiisse, quorum alii confessionis gloria inclyti, etiamnum viuerent, alii vero egentes atque extorres lento quodammodo Martyrio extincti essent: Omnes tamen omnibus his præferre Gertrudem, mu[illegible]em omnibus

*Mein. Mann.*

*Mart. Dunc.*

*Guil. Hinnes.*

*Petrus Petri Hinnesius.*

omnino

omnino amabilem cuius magnitudine animi, grauitatem atque constantiam prædicantes: macta virtute, exclamant, tuam mortem omnia sæcula laudibus ferent.

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS II.*
## LIBER VII.
### Martyrium D. Gerhardi Ketelani.

SI vllum Batauiæ populum, cuius frugalitas etiam Paulo Iouio fuerat nota, certe Schiedamensem intelligere puto; quam magnum vectigal sit Parsimonia. Quandoquidem restrictior sumptuum ratio parcitas illorum vulgari prouerbio, quo pane absque obsonio dicuntur vesci, passim iam olim celebrata est.

*Horum oppido amnis Schia infusus per emissarium* paratumque portum in Mosam tandem euoluitur, locoq; nomen Sciedanū reliquit. Ciues industrii sunt ac impatientes otii, piscatores plerumque agunt naues, capturæque halecum seduli incumbunt. Complures strenue negotiantur: alii item aliis operibus sunt intenti, faciendis reficiendisq; retibus fœminæ occupantur potissimum, pueri filum passim ducunt canabinum, sed nec auertendo thombo tenera vacat ætas: alioue a labore immunis est. Vnde fit omnino vt cum neminem ibidem conspicias desidiosum aut inertem, nullum etiam ostiatim mendicantem reperias. Lacte seroso, vt plurimum, halecibus quoque muria aut fumo duratis ac salsamentis, quæ promptuariis condita habent, victitant. Rarissime inter se conuiuantur, genioq; indulgent. Iurares à formicis Reip. rationem curam prouidentiam eos addidicisse. Nobilitata vero à multo tempore ciuitas fuit ob Lydevvydem incredibilis abstinentiæ, tolerantiæ, patientiæque virginem: quam tanti fecere sæculi illius viri pietate clari *Thomas de Kempis*, & *Ioannes Brugmannus*: vt eam etiā scriptis suis illustrauerint. Memoria quoq; Patrū inclitū fide erga Maximilianum Cæsarem Rom. ciues Sciedamenses fuere: dum ille Franciscum Brederodium armis Roterodamum occupantem bello, vt vrbem recipiat persequitur. Monumento amburbalia sunt anniuersaria decimo sexto calendas Martii celebrari solita: porro quod nullos exquisite eruditos viros hoc oppidum produxerit, cum tamen ingenium non sit ipsis negatum, tenacitas gentis præcipue in causa est, & quod apud illos

*Lydevvydis*
*Thomas de Kempis.*
*Ioh. Brugm.*

plus honoris habetur egregie morum integritati, quam excellenti doctrinæ. hinc quoque accidit, quod cum iuuentutem raro ad sacerdotium educent, peregrinis fere ad diuina officia peragenda cogantur vti presbyteris, in quibus magis honestatem vitæ, canendiq; peritiam, quam raram eruditionem solent spectare. Talis igitur fuit de quo nobis iam sermo instituitur *Gerardus Iacobi filius.* Qui Vlandingæ vetustissimo Hollandiæ municipio cum natus esset Delphis in domo Fraterculorum (sic appellant) educandus datur. Celebris hæc domus cum ob diuersos pietate eruditioneque claros alumnos: tum quod Hadrianum sextum Pont. Rom. & Ioannem Bardvvicium Rudolphi II. Imper. à secretis, ibi pueros vixisse constans fama sit, à duodecim ingenuis adolescentibus gratuito habitatur, qui seueris constricti legibus ad perdiscendas liberales discipiinas scholam publicam, quæ in proximo est, cucullati frequentant, intra parietes interea rudimenta pietatis, musicam, cantusque Ecclesiasticos addiscentes. Quæ apud Agathenses, quæ alimenta illis præcipue præstant, virgines dum diuinis inseruiunt officiis potissimum exercent. Hoc ergo loco educatus Gerardus sacerdotio, quando per ætatem licet initiatur, Pagumq; Ketelam (hinc ipsi Ketelani cognomen accessit) quinque millia passuum ab vrbe Delphis distantem commigrat. Vnde mox Sciedamum euocatur, vt ibi sacris operetur, canonicisq; (vt vocant) horis decantandis præsit. Vir pius magis, quam doctus, simplex ac modestus: quique omnes facile perferre ac pati, cum quibus erat, eorum obsequi studiis, aduersus nemini: nunquam præponens se illis, ita vt facillime laudem inuenerit, & amicos paret. Oblectabat sese subinde, animumque laxabat, ludens cum Nicolao Houio sene, suauiter delirante: cum is insulsissimos rythmos Teutonicos ab omni vocum, numerorumque enormitate ridendos facere ac recitare solet, seq; summum artificem in versiculis chronicis componendis esse putaret. At ita vt extemplo ad consueta pietatis munia alacrior rediret, atque inter presbyteros primus in templo postremusq; esset. Porro cum pyratæ in oppidum iam recepti essent, Ketelanus intra tugurium, quod ipsi intra septa virginum Beguinarum erat, se continere nec vsquam prorepere, vitam quodammodo cochleæ in modum ageas. Nemo quoque cum facile accedere, præter, quo ipsi inseruiret, Materteram, & pueros orthodoxos, quos præ inopia, dum annua ei negatur alimonia, docere pretio, magister Pædaneus cogebatur. Interea Franciscus Valdesius cum copiis Hagam ad hybernandum peruenerat, vbi percon atus de natura loci, hæc fere intelligit: Regionem campestrem ac fossis discissam haudquaquam eiusdem esse altitudinis, distingui aggeribus ac aduentu brumæ in stagno-

*Gerard. Iaç. Ketelanus.*

rum faciem aqua imbre collecta oppleri: hanc molis vento agitatis in alueum, vnde in Mosam per emissaria exoneratur, propelli deriuarique, agrosque hoc modo siccescere, artem illam vix dum centum triginta annos excogitatam, regionem multo quam antea fuerat fertiliorem, frugiferamque magis reddidisse. Extare etiamnum molam apud Maeslandiam pagum primo omnium ædificatam, cui nomen Impensæ perditæ maiores indidere. haud procul inde ad Molæ cataractam aggerem muniisse Philippum Aldegoudanum: quo intro extroque mittendæ vndæ potestas omnis penes ipsum esset. Audito hoc Valdesius statim illuc mouit comitante eum Iuliano Romerio legionis Neapolitanæ tribuno. Quo cum ob fœdam tempestatem, iterque lutosum ægre peruenissent, videntes viam munitioni proximam impeditam, ac difficilem à Gallo milite obsideri, pontem qui in principio erat, deiectum, ædesque circumcirca incensas ad statiua reducere exercitum cogitabant: cum subito Hispani aliquot veterani in vlteriorem ripam aluei scaphis verti, apertumque hostium latus sclopetis adorti illos in fugam agunt. Insequitur arma fœdum in modum iactantes Valdesii miles munimentoq; expellit, Pars in flumē cæci ruebant, alii dum cunctantur in ripis, inter fugæ pugnæque consilium oppressi. Aldegundanus vero luto alte immersus cum clamaret se captiuum haud difficulter cū Bossuuii comite commutari posse, saluatur. porro Bossuuius, cui classis cura, maritimæque oræ imperium à Frederico Alcmariam obsidente, mandatum fuerat, paulo ante, dū ad Tyæ fluminis fauces, Albano etiam duce ex aggere dimeno spectante, hostem iam ferme superatum elabi ignave patitur: Simulque eminus fugientem, quam vincere cominus mauult, naue in vado prope Houiam hærente, fœde sese dedere fuerat coactus, virtute ac fide erga Regem insignibus viris *Ioanne Deslo, Iodoco VVernio, Ioanne Vessio iuniore, Frederico Thomasio* cum aliis quam plurimis ignotis capitibus partim mersis, partim crudeliter trucidatis. Cæterum Valdesius postero die præsidium Vlandingæ quoque imponit, nec vlterius progredi ausus Hagam reuertitur. *Ioh. Deslus. Iod. VVern. Ioh. Vessius. Fred. Thom.*

Interim Vorschotum, Ketela aliique pagi, Hierocomia quoque & quicquid sancti amæniue circa ciuitates erat incensum à Batauis est, dirutaq; non tecta solum, sed etiā sepulchra: nec diuini humaniue iuris quicquam præ impotenti ira est seruatum. Aliis omissis duo insignia exempla stolidæne inhumanitatis, an insulsæ impietatis dicam; alterum Roterodamensium, alterum Lugdunensium recensebo. Roterodamum autem præter alios claros ciues pridem *Ioannem Cimontium* festiui ingenii pictorem ediderat, qui cum ingente cura ad gloriæ fastidium contende- *Ioh. Cimont. Pictor.*

ret, videns popularē suum D. Erasmū non sine pungentib. aculeis Moriam laudando primā nominis sui famā longissime protulisse, argumento ingenioso historiam Passionis dominicæ ex albo versicoloribusque imagunculis ita depingit, ut omnium nobilium artificum vitia errotesque miro artificio detexisse, atque adeo ipsi arti quoque quam artificiosissime illusisse videretur.

*Petr. Longus pictor.*

Opus profecto ob salsam asperginem periucundum visu vel grauibus etiam ac occupatis: cui *Petrus Longus* alter in pictura pyreicus (hunc Rhyparognophum Pluuius cognominatum scribit:) tantum tribuere solitus sit, vt etiam sub mortem, cum lecto ipsius assiderem, sancte affirmauerit, nullo satis digno pretio illud permutari potuisse. Hanc ergo tabulam gloriæ præclarissimi ciuis sui inuidentes insulsi homines frustratam confregere; dum interea in locum marmoreæ ab improbo milite deiectæ D. Erasmi statuæ ligneam substituunt, ridiculeque sub dio ponti lapideo imponunt. At Lugdunenses deliciis quam rusticitati propiores *Luca Hugonis* ciuis sui tabulæ, quæ pictam extremi iudicii faciem habens in D. Petri conspici solet, pie quidem pepercerunt, sed interim pauperes suos priuare annona impie aggressi sunt. Quando Rheniburgum nobilium ordinis D. Benedicti virginum monasterium longe amœnissimum, à *Petronilla Saxona Florentii Crassi* principis vidua & Lotharii II. Imp. Rom. sorore ad tertiū ab vrbe lapidem fundatum demoliuntur: vbi sportularum loco vltra duo millia trecēta pondo panis gradilis terhebdomadatim egenis distribui solebant. Cæterū copiis Hagam reductis Valdesius ita hyberna constituit; vt quæque munitio (eæ ad numerum triginta octo ab exercitu vix dum sex milium virorum tenebantur) ab hoste tentaretur: & confestim auxilia submitteret. Obsidebatur interim & Lugdunum; quod eo inopiæ breui peruenit, vt chartam puram ad nummi modum effictam pecuniæ loco in præsidiarios erogare cogerentur. Præerat militi præsidiario Georgius Norellus, qui consules in periculum capitis vocauerat, eos apud Aurantium Poierumque per litteras grauiter accusando. Has interceptas Valdesius humanissime ad magistratum transmisit, eo fere tempore, quo arcæ Wenmoudensi hostem expulerat. Paulo post Roterodamum frustra tētatum fuit. Ex qua expeditione *Michael Cudius* pastor Vercelanus (hic ut Sacerdos Valdesio adesset castra sequutus fuerat) morbo contracto veterno pie in Christo moritur. vir ob humanitatem singularem egregiamque doctrinam longiore vita longe dignissimus. Fuisset & Sciedamum tentatū, ni huic Swerschia pago illius loco, cui à quinq; cataractis nomen, opere præsidioque munitis accessu oppidi Franciscum prohibuissent, sed & vrbs valido quoque præsidio tenebatur: sic

*Lucas Hugo pictor.*

*Michael Cudius.*

vt nec

vt nec quod ab hoste crudelius ciues pati potuissent, reliqui quicquam fuerit, quam quæ passim à præsidiariis paterentur, forte interrogando didicerant aliquot contubernales vnicum sacerdotem in ciuitate latitare Gerardum: ad eius casulam igitur continuo aduolant, vestemque omnem, ac supellectilem in prædam vertunt, nec dum his eorum satiata fuit immanitas, conuertunt se nocte intempesta; cum iam hora vndecima esset effringunt fores, atque in ædes furibundi irruunt. Decumbebat mæstus, ac animo perturbato incertoque præ ægritudine Ketelanus, ad Deumque conuersus: Domine, clamat, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea & exaltans caput meum. Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. Quoniã alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animã meã, & non proposuerunt te Deum ante conspectum suum. Exurge Domine, adiuua me, & libera me propter nomen Sanctum tuum. Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: & de necessitatibus erue me. Vide humilitatem meam & laborem meum & dimitte vniuersa delicta mea. Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me: Custodi animam meam & erue me, non erubescam quoniã speraui in te. Ad hunc igitur fere conquerentem alii fustibus cædere, alii ferire gladiis, nonnulli manubriis ensium vsq; tundere: donec tandem animam agentem relinquerent. Crudele, hercules, spectaculum materteram videre nepotem sacerdotem sexagenarium, morbidum ac longa tabe consumptum cõticinio noctis ita affligi; nec vllum præter se adesse iamiam, vt videbatur, morituro. Quis noctis illius lachrymas, quis eiulatus, quisue gemitus explicet? aut quis denique verbis sollicitos mulieris possit æquare labores?

Postridie illucescente iam die scapha Delphos veniens à Bernardo Ioannis filio tenuis sortis homine, at integro ac Orthodoxo tecto recipitur. Vbi cum dies aliquot piorum eleemosynis esset sustẽtatus, vndecimo Calendas Martii Anni cIↃ. IↃLXXIIII. nocte ad duplex Sacerdotii & martyrii prœmium in cælum migrauit. Mane sub horam nonam corpus anima cassum in lectulo inuentum absque vlla funeris pompa in cæmiterio noui templi, vbi nunc forum Boarium est sepelitur magno orthodoxorũ mœrore. Qui inde etiam augebatur, quod certo rumore ferretur post infelicem illam naualem pugnam ad Remensualam; vbi Iuliano Romerio quondam elapso sexcenti Galli ac ducenti Hispani occubuerant, Christophorum Mandragonium conditionibus

nibus pro necessitate honestis Middelliburgum Gruindamque cessisse Aurantianis. Sed interea nonnulli lætari tabulam illam nobilem à Ioanne Mabusio olim pictam flammis esse consumptam: ne quid duriuspati ab Aurantio cogatur. Alii de tempestiua Gerardi morte gaudere dicentes ne videat horrenda deploratissimi huius sæculi mala, ideo à facie iniquitatis sublatus est iustus, & erit in pace memoria eius. Alii de honesta in cœmiterio sepultura piis eius gratulati manibus: cum in augustissimo illo & vetusto templo non modo cura boum, cultusque tunc habebatur pecorum.

*Ioannes Mabusius pictor.*

*Et madidus Baccho sua festa palilia pastor*

concinebat: sed quod extremæ impietatis est, etiam Veneri sua soluebant sacra quæstusque ibi exercebatur meretricius. Qui Schiedamo vt funeri interessent aduenerant queribundi: Domus orationum inquiunt etiam apud nos spirituali cultu vacuæ sunt. Non amplius conuentus fiunt orthodoxorũ, non amplius doctorum conciones, non dogmata salutaria, non festa, non hymni nocturni, neque beatum illud gaudium quod in Synaxibus ac communione spiritualium gratiarum animis credentium in Deum accedit. In luctum conuersæ sunt festiuitates nostræ & cantica nostra in planctum, nobis conuenit dicere, quod non est hoc tempore Princeps, neque lex, neque Sacerdos, neque oblatio: non locus sacrificandi in conspectu Domini, & inueniendi misericordiam eius.

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS II.*
## LIBER VIII.
### Martyrium D. Ioannis Capitonis.

MAGNVS honor summaque reuerentia à maioribus nostris antiquitus sacris baptisteriis, seu fontibus (quorum pro dolor, nullum iam in Hollandia exstare cernimus) exhiberi solent. Ex his duo præ cæteris maxime celebria fuere: vnum Lugduni Batauorum visebatur in æde D. Petri Apostoli, in quo baptizatus fuerat Guilielmus Cæsar Rom. Alterum quod ad enormem capacitatem vulgari adagio nobilitatum est, apud vetus Nieropium erat, pagum celebrem in Frisiis, vbi & complures vici suas nuncupationes à Kers, quod veteri lingua Christum (vnde & Kerstenen Christiani dicti sunt) & poil, quod paludem significet, habent, solent enim olim in paludibus, stagnis, fluminibus,

nibus,riuis aut fontibus baptizari. Est pagus ad longum aggerem Sudekenspoil nomine sic appellatus,ni fallor,quod ibidem siue baptisterium,siue palus fuerit vetustissima,apud quam Frisii Christo primum initiari cœperunt. Quæ idcirco memoranda putaui quod hic minori fungeretur sacerdotio. Ioannes Capito Theodorici filius atque alteri deseruiens particeps erat altaris. Vir honestæ vitæ testimonio ornatus,quique crudelissima Ioannis Caluini hæresi sæuiente per Hollandiam & instar morbi ac pestis totam fere Prouinciam vastante,fidei Ecclesiasticæ vniuit puritatem. Non dissimilem illum diceres Protogeni,quem presbyterum Valens Princeps Edessa quondam cum Eulogio sacerdote primario in Thebaidem relegauerat. Quandoquidem scholam etiam moderaretur, & pueris docendis daret operam. Quos non modo exercuit ad legendum celeriter,pulchreq; scribendum, verum etiam Psalmos Dauidicos hymnosque Ecclesiasticos illis cantandos proposuit,præterea fidei orthodoxæ rudimenta eos apte edocuit. Euangelicæ quoq; doctrinæ aliquot sententias,quas ingeniis ipsorum accommodatas putabat, tradidit ediscendas, quod si quando autem illum ab hisce studiis feriari contingeret, & pueris esset copia excurrendi in agros: non perpotando intemperanter vt plerique,sed huc illuc inambulando suauiter etiam consumebat. Modo namque Alcmariam petit, miraturque ex itinere campos iam esse: vbi Verona quondam fuerat: modo rursum qui in proximo sunt, peragrat vicos atque Warmenhusanos subinde vicinos inuisit. Apud quos Pastorale sacerdotium obibat, insignis Theologus Petrus Bonchostius,quem raptum inde anno superiori Bartholomæus Iutius Brielæ tandem laqueo necauit, sæpiuscule etiam Scorelum natale nimirum adit solum, Pagus Caninefatum est,nobilitatus plurimum ob alumnum suum Ioannem Scorelium Pictorem illustrem, quem Roma Pontificatu Hadriani sexti (qui & ab eo pictus fuit) florere quam maxime vidit. Vnde in patriam reuersus canonicatuque Vltraiecti in æde Deiparæ virginis ornatus audentē iam aliquid apud Hollandos penicillū ad summā gloriā perduxit. Nobilissimum eius opus tabula aræ maximę est in D Nicolai Amstelredami Passionem Saluatoris nostri Iesu Christi continens. Cothurnus enim ipsi inest, & grauitas oris, præcipue autem latro qui à sinistra conspicitur,in ea citra modū laudatur ab artificibus. Porro quatuor millibus à Scorelo (vt & hoc referam) continuo Oceanus cum Frisiis Caninefatibusque luctatur. Rarescentibus namque tumulis ibi ordinariis iracundus ac tumidus æstus impetu procellarumque quod reliquum collium superest,eluere atque in ipsorum agros perrumpere molitur.

*Ioannes Capito.* *Petrus Bonchostius.* *Ioannes Scorelius Pictor.*

Resi-

Resistunt illi impigre & quo suis finibus fluctus excludant marinos, sublicis, vndis recedentibus, palosque quærendos in littus fistucis adigunt: quos trabibus vinctos inter se firmant. Intra hosce fisces coniiciunt ingentibus saxis, ne temere effluant, oneratos. Caninum nemus nominant terribilis visu locus, nec absimilis, vt reor illi: vbi D. Ioannes olim angelum vidit stantem dextero pede super mare, tollentem manum ad cœlum, & iurantem per viuentem in secula seculorum. Occulta nempe religio quoque annis ab hinc duobus animos aduenientium illuc hospitum subire cœpit: dum secum reputant Hieronymum Gerardimontensem Carmelitam à præfecto suo vt campi pastorem ageret, missum à pyratis quarto Idus Aprilis anno cIↃ. IↃ.LXXI. misere ibidem trucidatum fuisse. Interea haudquaquam desunt etiam loco suæ deliciæ, paruæ conchulæ palis adnascentes ganionibus plurimum expeditæ. Hæc ergo visere subinde loca Ioannes, domumque reuersus pietatis scholæque munia alacrius obire consueuit. Verum postquam prophanatis passim templis aræ quoque excinderentur, nec sacerdotibus Dei facultas esset celebrandi diuina sacrificia: ille interdiu noctequc orationibus vigilando sine intermissione gratum Deo sacrificium offerebat, spiritum nimirum contribulatum, & cor contritum atque humiliatum. Interdum mœrore plenus, apud se cantillare: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi, ô salutare vultus mei & Deus meus. Aliquoties vero paululum spe erectus psallere: Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Auerte mala ab inimicis meis, & in veritate tua disperde illos. Voluntarie sacrificabo tibi & confitebor nomini tuo domine quoniam bonum est. Interim concuti armorum strepitu Hollandia & Harlemum obsideri à Regio exercitu cœpit. Quo palantem ergo coerceant militem hinc Batauì in Saxonum vico, illinc vero apud Dugmontanos Frisii castra sua collocauere. Ingrauescebat & vtrobique vel maxime persecutionis tempestas, cum nihil contemptius, nihil abiectius, nihil denique abominabilius catholicismo apud vtramque gentem haberetur. Vicere tamen crudelitate Frisii. De quorum truculentia cum aliquando nobis Alcmariæ inter cœnandum sermo incidisset, narrauit matrona quædam Dugmondensis, haud sine suspiriis, fratrem suum Cornelium Alardum virum honestum, & antiquæ fidei, ex mentula fune constricta aliquot horas pependisse, atque præ intensiore cruciatu post triduum expirasse. Retulit quoque maritus eius se vidisse Ioannem Castriconium sacerdotem ex geniculis ad scalas orantem in sublime arripi, atque ex furca misere supremo affici supplicio. Commemorauit & ter-

*Hemskerk.*

*Hieronymus Gerardimontensis Carm.*

*Cornelius Alardus Martyr.*

*Ioannes Castriconius Martyr.*

tertius matrem vna cum filia immaniter fuisse flagellatas, cum interea laqueo filius extingueretur. Alii in agricolas orthodoxos vsque adeo sæuitum esse dixere, vt quot in castris illis suspensi sint exacto affirmare numero difficile fuerit. Cecidisse enim discissis laqueis, haud aliter ex patibulo: atque locis in proximis ardeæ pellecani, & præcipue catarractes, quos mergos maiores nominant, ex arboribus concussis excidere solent. Cæterum commeabat frequenter in castra Iodocus Venensis Prætor Dugmontanus huiusmodi Tragicis se spectaculis oblectans. Quo igitur quoque audere videretur, cum eiectis vbique Magistris orthodoxis è scholis publicis, percepisset Capitonem etiamnum agrestes instituere adolescentulos: ilico Sudekenspoilum, quo & ius Prætoriatus eius extenditur, aduolat atque Ioannem è medio cœtu puerorum extractum Houam castellum ducit, sperans hoc tali munere se summam gratiam apud castrorum præfectum Theodoricum Sonoium initurum. Sed longe aliter se res habuit: quare aspernari munus, seque contemni à Sonoio videns Capitonem in castra tractum Ioachimo Nieuincio rerum capitalium Præfecto (erat is auaritia iuxta ac crudelitate insignis) mancipii loco donat. Sub hoc itaque Herodurum seruire seruitutem coactus martyr sarciendis ac resarciendis militum vestibus (addidicerat enim hanc artem puer) sumptum exercebat suum, verum haud consueuit diu relinquere dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Forte itaque ad Calendas circiter Iulii præcipiti nudatus alea Ioachimus Capitonem sub vesperam aggreditur, postulans vt si viuus ac saluus esse velit, marsupium leberide iam inanius, quam ocyssime sibi pecuniis repleat. Excusantem se perquam modeste, ac haud quicquam nummorum habere dicentem ira percitus repente rapi, atque in foro medio spoliari vestitu iubet, simul & laqueum expediri: paret dicto lictor; nec mora extinguitur ex furca sacerdos Christi innocentissimus. Cuius mors preciosa quoque in conspectu domini, sicut & reliquorum sanctorum eius. Postero die deiectũ patibulo sacrum cadauer, in cœmeterio Eugmondensi humatur. Porro non impune tulit impiam hanc suam crudelitatem: sed diuina ipsum persequente vindicta mox ob Henrici Michaelis Centurionis militibus in eum solum collimare iussis misere glandibus sclopetariis traiectus fuit, dum hostili quasi animo Henricum in Frisiis cum equitatu suo persequitur. Cæterum Harlemo in potestatem regis redacto Houa castellum amœnitate præcellens & Eugmonda pagus incensa dirutaque fuere, vna cum Monasterio totiis regio-

*Iodocus Venensis.*

*Theodoricus Sonoius.*

*Ioachimus Nieuincius.*

regionis & amplissimo & antiquissimo quod Polyandrium Principum Hollandæ nuncupaueris. Sed vt historiolæ huic tandem finem imponam; Memorant annales nostrates domitis à Pipino Herstallo Frisiis, Ratbodum ipsorum Ducem ex arce sua Medemblica venisse Hoichtwondam vt à Beato Wlframo Senensi Episcopo baptizaretur: sed cum interrogando à sanctissimo viro intellexisset plures ad inferos descendisse quam ascenderint ad cœlos, ipsum dixisse, malle se quoque cum multis esse & maioribus suis; simulque pedem a fonte baptismatis retraxisse. Horremus Christiani non immerito crudelis inscriptum Barbari factum, at quanto magis expauescere debemus ad immania Aurantii facinora? qui se cœlesti lauacro ablutum oblitus, non solum non fieri curat, vt intret in regnum cœlorum: verum etiam disruptis passim conflatisque sacris baptisteriis, atque pulsis è ludis litterariis orthodoxis moderatoribus, paruulos ad Christum venire prohibet. Quod mirandum quidem in eo non videtur, postquam exuto omni pudore, verique numinis metu sublato Deum esse mortali, iuuare mortalem sibi fingat, quorum facultatibus cum suis nunc sustentatur, atque idcirco vocem populi, Dei esse vocem continuo clamitet. O præclarum Deum quem beluam multorum capitum recte Plato nominat; fateor magnum quiddam esse multisque illustribus viris expetitum imperare. Sed age, nonne satius foret priuatum sine ambitione inter suos viuere, quam Deum tam sordidum, tam prophanum, tam impium, ac tam sanguinarium colere: cuius

*Tantum relligio potuit suadere malorum?*

Verum cum inter arma etiam leges sileant; & me linguam coercere, nec cuncta propalare æquũ est. At interea Ioannes Christo gratiosus recepta corona vitę inter populares vicinosq; suos illos martyres suauiter in cœlesti aula cantantes: sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate domini virtutum in ciuitate DEI nostri. Deus fundauit eam in æternum: modo in hanc erumpit vocem: Apud dominum misericordia & copiosa apud ipsum redemptio, modo vero in illam: Disrupisti domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: donec in nouissima tandem tuba mortui resurgant, & corruptibile nostrum induerit incorruptionem, & immortalitatem: cum Deus omnia erit in omnibus.

PETRI

# PETRI OPMEERI
# DECADIS II.
## LIBER IX.

### Martyrium Lycosthonis seu Wolpherdi & sociorum Ambstelrodensium.

*Ex narratione Petri Petri filii consularis & variis amicorum litteris.*

AGer Ambstelanus, non ingloria nunc Hollandiæ pars, in veterem nouumq; diuisus terræne olim an mari fuerat annumerandus dubium est. Depressum saneac in modum æstuarii humilem fuisse, quercus altissimæ indicant, quæ multo infra terram ibidem reperiuntur. Has nonnulli sacri nemoris quondam reliquias opinantur, cum alii illas esse existiment, quæ maxima auiditate supra Canchos quondam nascebantur, & suffossæ fluctibus aut propulsæ flatibus complexu radicum vastas secum insulas afferre solitæ erant, in quas Romanos territos classibus aliquando noctu nauare prælium iniisse, narrat Plinius secundus. Has Coro flante vehementius, illuc adductas stratasq; fuisse putant, Rheniq; vndas ad arborū istarum obstaculū, quasi ad aggerem magno cum limo, quem illud flumen secum attrahit, circum has oras subsedisse, atq; ita longa alluuione, quæ nunc sunt pascua ibidē fuisse nata. Cæterū incertū quando regio primum aggere cincta, quandoq; in ea ceptum condi Ambstelrodamum, quisque auctor vrbis. Illud constat *Gisbertum Ambstelanum* qui ob thorum Gerardi Velsii affinis sui execranda libidine violatum in necem Florentii V. Hollandiæ comitis quoque conspirauerat, ab exilio reducem pontibus sublicijs, fossaque & aggere, nec non ligneis turribus oppidum muniisse anno à Christo nato cIↄ. ccc. primo: quo sibi seni prope ætate confecto, ac bello infœlici contra immoderatam sæuitiem Hollandorum tutum haberet receptaculum. Eoque mortuo, atque regionis nobilitate metu se ad plebem conferente, Ambstelanos principum Hollandorum imperium ferre: ciuitatemque ædificiis ac breuissimo tempore auctam legibus municipalibus priuilegiisque ornari cœpisse. Quæ facile fortissimi ciues religione erga Deum Opt. Max. immobilique in principes suos fide meruere. Iis quippe quam simillimis atque coniunctis quo- *Gisbertus Ambstelanus*

l dam-

dammodo inter se virtutibus præcipue decorantur Ambstelredamenses: quemadmodum exulante procul liberalitate, vitiis maxime contrariis, auaritia nimirum & prodigalitate vt plurimum (pro dolor) laborant. Nusquam celerius immensas parari diuitias, nusquam easdem euanescere citius, ac interire cernas. vnde dissensiones, inimicitiæ, factionesque ac partiū studia interdisparem vsque adeo moribus populum continuo oriuntur. Accessere hæreses, venenum reip. perniciosissimum; quo infecta ciuitas distractis plebis viribus confici atq; iamiam ruinam minari videtur. Cæterum floruerunt quondam in hac vrbe insignes aliquot viri, ob pingendi sculpēdi artem per Belgiū quam maxime nobilitati. Mediocriter doctorum quoque haud vsquam gentium vberior prouentus: quos inter omnes nefariæ eruditionis claritate potissimum eluxere *Alardus Amstelredamus, Cornelius Crocus* & *Nicolaus Cannius*. Sed & vix alibi vspiam tantus numerus hominum vtriusq; sexus, qui monasticam cœnobiticamue vitam degant. Præter hæc fuere qui & in toga & in sago ciuitati ornamento forent. Nam etsi inter incolas nullus se prosapiæ antiquitate, splendoreque natalium efferat: habuit tamen vrbs quam plurimos ciues, municipesque honestis opibus & summis simul ergo Remp. meritis clarissimos. Inter quos summopere eminere visi sunt, *Guilhelmus Eggertus*, à quo Purmerendum Waterlandiæ oppidum conditum annales testantur: eiusque filius *Iannes Eggertus*, & patrum memoria *Andreas Boelius*, ac *Ioannes Benignus* Cæsari Maximiliano, Philippo Austriaco Hispaniarum Regi, ac Carolo V. Imp. multum dilecti: quique ope a *Rodolphi Agricola*, à propatruo suo *Adolpho Occone* sibi relicta orbi perquam humaniter communicauit *Pompeius Occo*: *Gerardus* quoq; *Teus* Nicolai V.C. filius: & quem nuperrime octogesimum septimum ætatis annum ingressum non sine confessionis gloria Harlemi mori contigit: *Henricus Theodorici* filius vir animi fortitudine & tolerantia rerum aduersarum plane inuictus: de quo dubites, vtrum solertiane an grauitas, prudentia an æquitas, scientia rerum, an orationis dignitas in eo præstiterit. Nestora aliquem resuscitatum dixisses, cum ex ore ipsius dulcior melle quouis flueret oratio.

*Alardus Amstelredamus. Cornelius Crocus. Nicolaus Cannius. Guilhelmus Eggertus. Ioannes Eggertus. Andreas Boelius. Ioannes Benignus. Rodolphus Agricola. Alphonsus Occo. Pompeius Occo. Gerardus Teus. Henricus Theodorici.*

Porro ex sagacis scientia vbique rei militaris illustris magis fuit *Gosuvinus Recaluus*, qui memorabili illo apud Rauennam prælio sub Iulio II. Rom. Pont. meruerat iuuenis, & postmodum senex, compluribus ciuibus socioque consule iam misere trucidatis, cunctando, quasi alter Fabius, ciuitatem ab Anabaptistarum coniuratione anno 1575 vindicauit. Fuit & bellica virtute illustris Wolpherdus Michaelis Frisia oriundus, cuius martyrii triumphum, vti & aliorum martyrum, idcirco etiam commemo-

*Gosvvinus Recaluus. Wolpherdus Michaelis Foppinga.*

memorandum putauimus: quod post varia in religionem catholicam merita, quasi athleta Christi fortissimus, pro fide orthodoxa, honore Regis, patriæque salute strenue capta iam pene vrbe, inter profligandũ hostes, dimicando occubuerit. Fuerat hic natus via Oleraria, recta è regione turris veteris tẽpli ea in domo, cui pro signo globuli precum sunt, Patre *Michaele Wolpherti* filio Frisio viro tantę integritatis, vt quando declinante iã fortuna senex progeneta fuerat factus, tam præclare eo functus sit munere publico, vt nunquã nec vendentiũ nec ementiũ querelæ fuerint de eo exauditæ: cuiq; semper inter optimates ciuitatis haud infimi honoris remanserit locus. Mater vero Margareta ex clara Persquorum (qui antiquitus Waterlandis dominati fuere) familia oriunda religione Christiana conspicua ac insignis, ipsum & Henricum (hic curio cum Ambsternenii esset, nuper pie ibidẽ obiit) filios, simul & Machteldam filiam liberaliter ac honeste pro re familiari satis educauit. Fuit vero Wolpherdo in litteris præceptor M. *Cornelius Crocus*, in quo viro pietas & eruditio, latinæq; linguæ puritas ex æquo decertabant. Quem vt scribentem varia Germania, ita & latine purissime loquentem admirata fuit etiam ipsa Roma: vbi in numerũ Sacerdotum societatis Iesu à B. Ignatio primo authore anno Christi 1550 receptus supremum clausit diem, non sine opinione sanctitatis. Conscripserat eius vitam amicus noster Nicolaus Cannius, sed eam cum cæteris ipsius scriptis incuriá hæredum litterarum rudium periisse intellexi. *Michael VVepserdus Foppinga.* *Corn. Crocus. Ambstelrod.*

Porro docuit Crocus pueros *Wolpherdũ* nominari *Lycosthenẽ*, quod ea vox significaret *Lupi robur*, haud aliter quam *robur vrsi* nomen Bernherdi sonet apud Germanos. Sub hoc præceptore cum litteris fidem orthodoxam ac morales virtutes edoctus, assuefiebat amare, quæ facere conueniret, fugereque contraria. Cæterum cum iam ex ephebis Lycosthenes excesserat ablegatus à parentibus in Hispaniam, idioma gentis exactè didicit, atque domum reuersus mox vxorem duxit: ex qua tulit liberos aliquot, quos satis honeste educauit. Postquam vero Petrus Petri filius vir summæ integritatis iam Prætor vrbis esset creatus, continuo vt sibi legatus ac Proprætor Lycosthenes (hoc enim & nos eum deinceps vocabulo indigitabimus) fieret, procurauit. Amboque magno commodo Reip. ciuitatique Amstelredamensi fuerunt, cum Anno M. D. LXVI. violentiæ Iconoclastarum fortiter resistunt atq; quam maxime conatui Henrici Brederodii obstant, ne ille dominatu potiatur vrbis. Paulo vero post creatus prætor agrarius Waterlandiæ Ambstelredamo migrauit Monachodamum; vbi cum multũ ei negotii facesserent veneficæ ac incantatrices aliquot mulierculæ, ipseque iuris ac sacrorum canonum esset imperitus, consilio Æmilii Haestenii I. C. (quem *Æmil. Haesten. I. C.*

 amicum

amicum sibi idcirco factum postea summe coluit:) vsus summa eas persequebatur seueritate. Erat enim oppidulum Nautis, hominibusque agrestibus habitatum ob veneficia erroneamque religionẽ non minus Hypata Thessaliæ quondam infame vsq; adeo, vt vita vicinis populis pro *Monochodamo* vulgo Lutherodamon diceretur. Vnde etiã orta fuerat Wendelmuda, quam duodecimo Kalend. Decembris anni XXVII. supra sesqui millesimum damnatæ religionis ergo Hagæcomitis flammis necatam hæretici suis Pseudomartyribus annumerant, catalogoque inscribunt sanctorum. Porro extremum quoque periclitatus fuit Lycosthenes, cum Pyratis anno dni cIↄ. Iↄ. LXXI postridie calend. Mart. Monachodamum diripientibus ad pænam quæsitus in hara inter aues cohortales delitesceret: atque Ecclesiæ Pastor *Ioannes Pipo* Henrici filius Nardenus in lacu aliquamdiu remulco tractus, ad malũ tandẽ glandibus sclopetariis transiiceretur. Quamobrem in sequenti anno tumultuantibus passim Hollandis Ambstelredamum quasi ad tutum orthodoxis asylum Lycosthenes confugit. Erat vero senatus illius ciuitatis prudentia, integritate ac præcipue pertinaci ergaDeum opt. Max. Rom. Pont. atque Regem suum fide multum nobilitatus, qui quo vrbem ab iniuria maleficioque ferorum ac barbororum hominum tueretur, duas subitariorum militum cohortes, ex ciuibus orthodoxis accurate conscribi iussit. Harum itaque vni Lycosthenes præficitur, qui & paulo post quoque prætor agri Amstelani designatur. Quare sollicite iam ergo Reip. curã agere, *nihilque husmile animo versari, non loqui vlli ad gratiam, nec vllius potentiam auctoritatemque vereri*. Graue certe magnitudinis animi eius simul & libertatis linguæ testimonium est. Quod cum nonnulli ex senatu Hollandiæ Vltraiecto (. ibi namque exulabant) Amstelredamum sub noctem appulsi per dispositos ad portam milites ab illo intromitterentur dicenti militari more Cornelio Susio Præside vt cum cura vigiliis intenderet, responderit: non opus fuisse ut eius rei admoneretur: si modo ipsius Præses diligenter iam olim excubias egisset.

*Ioannes Pipo Parochus.*

Hadrianum etiam Sandelinum V. C. qui ciuitati à pensionibus erat, pro auctoritate loquentem ægre auscultabat. Indignabatur porro & vel maxime iis, quibuscum nihil præter lucrum & annonam curæ esset, ad falsos hostium codicillos, ac nota cunctis periuria tam aperte conuincerent aduersus Wiggerum Alardum aggerum Medemblici in Frisiis minoribus Præfectum non satis æquum quoque fuisse commemorant. Guilielmo præterea Adamo Regiæ classis legato infestus fuisse fertur. Sic vt in his asinum, taurum, & vulpem persecutus esse dicatur. Interea non solum mœnibus arcere hostem: sed etiam aggeribus modo

*Hadrianus Sandelin.*

*Wiggerus Alardus.*

*Guilielmus Adamus.*

Dieme

Diemeno, modo rursum Ambstelano expellebat, fugabatque. Quanta alacritate vidimus ipsum apud Mermundam persequi fugientem cum suis Olinarium Centurionem? Quanta & æquitate quodcunque manubiarum esset distribuere? Diceres in eo Patriarchæ vaticinium illud compleri: Ben-iamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia. Recte autem Ben iamin hoc est filius dexteræ, in qua fortitudo est. Fortitudo enim & refugium eius Deus. Quod satis abunde declarant officia diuina deuote ab eo frequentata, & crebræ itiones ad sacrum locum.

Est hoc nomine ad Ambstelam via vitulina sacellum magnitudine conspicuum, omnique ornatus genere decoratum: ad cuius septentrionale latus sacrarium mysteriis corporis Dominici conferendis ideo supra focum cineresque sacros fuit constructum, quod eo in loco diuinam Eucharistiam, quam pridie æger euomuerat, è mediis flammis illæsam incontaminatamque matrona quædã miraculo territa eripuerit. Quare & amburbalia Eucharistiæ quotannis celebrantur die Mercurii Idibus circiter Martiis: & singulis Mercurii diebus, multo ibi cum lumine hymnos laudesq; Christo decantant sacerdotes, sacraque faciunt. Aduentant illuc itaque sæpius, & ciues peregrinique; qui ritu veterum Christianorum, sacrarium istud circumeunt Deum Opt. Max. cum pro corpore ac animæ salute, tum etiam pro externis bonis sedulo precantes. Quæ à diuina benignitate ipsos plerumq; consequi, testantur solennes gratiarum actiones; ostilla quoque certa, & vota Eucharistiæ donaria. Nam pars oculorum auriumue, alii manuum ac pedum, alii vero ædium nauiumque semiustarum aut scopulis quasi illisarum simulachra ex argento aliaue materia confecta, & parietes circumcirca ibidem suspendebant. Hæc eo prolixius paulo: quod constans rumor sit, locum hunc à Caluinianis prophanatum, nunc vmbras inquietare.

Cæterum licet haudquaqum amplis fortunis fuerit Arcosthenes, erat tamẽ insignis hospitalitate, virtute nimirũ & opulentiis sordidis, & insulsæ prodigalitati æque incognita. Nam cum ex Triumuiris quibus Belgii curam moriens Requesenius commendauerat, Petrus Ernestus Mansfeldius & Carolus Barlamontius in carcerem essent coniecti, passimque aqua & igne Hispano militi interdiceretur, ille Centuriones Hispanos Balthasarem Peralta & Antonium Villegastum vna cum Iacobo Sanchio Lateriense Harlemo expulsos tectis benigne excepit, mensæque adhibuit. Insecuta mox noua in Regem coniuratio est, sub nomine pacificationis Gandensis: abyssus malorum & pandoræ quasi pyxis. Hac ergo p̃ vrbẽ diuulgata, primo mœstitia, deinde

terror pauorque animos incussit, audiebanturq; passim querentiũ voces: tantũ fortunã mutasse, vt qui capta modo Ziricea Aurantiũ vidissent cum suis adornare fugã vasaq; colligere: ij verso marte Tyrannum nunc auaritia & crudelitate omnes fama celebratos tyrannos æquantẽ dominum experturi forent: frustra sperari deinceps vt Hollandia vel tantũ Caluiniano soluta imperio in patrios redeat mores ritusque: Haud æquum esse Ordines Belgii ita prodere socios. Tolerãdum quodammodo illud in Magistratu improuido & versutiæ technarumq; Aurantij ignaro. Ferendum & in nobilitate ad omnẽ aurã spei mobili ac infida: quæ ære alieno altum quasi demersa nil præter rapinas opimaq; spolia meditatur. Sed quis æquo ferret animo turbulentos inquietosq; Monachos ad insigne Christianæ religionis dedecus ita tumultuari: & in suam quasi perniciem aduersus Regem Catholicũ conspirare? Non illud didicisse eos ab Antonio Abbate: qui cum talis esset vt Imperator Constantinus, & alii primarij viri permagni, æstimauerint videre illum, loquentẽ audire, eiusq; imperata facere: tamen studebat ignotus esse & in solitudine delitescere. Solitus subinde dicere, aquam piscibus alimento esse, solitudinẽ autẽ Monachis afferre ornamentum: atq; illos cum continentẽ vitã amittere: hos quippe similiter cum vrbes adeant, Monasticã grauitatẽ perdere solere. Non fieri posse, nec rationem pati, vt repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera & falsa misceantur, lux & tenebræ cõfundantur, dies quoq; & nox habeant aliquam coniunctionem. Alteram quippe alteri succedere, eiusq; locum occupare. Auctæ vero fuere querelæ: quando nunciatum fuit Iacobum Teum Cons. & Sibrandum Buycium ciuitatis legatos cum comitatu Ægidii Barlemontii Domini de Hierges Sicambrorum Præfecti Bruxellã petentes in Eburonibus à Scotis illic palantibus interceptos teterrimis contra ius gentium detineri vinculis. Nam quisq; sibi metuere, præcipue sacerdotes, qui Lycosthenem suum Iudam Machabæum appellantes, rogabant sedulo, vt ipsos ab iniuriis improborum tueri velit.

*Iacobus Teus. Sibrandus [illegible] [illegible] [illegible]*

Idque magis eo, quod cernerent ipsum Hispanos Centuriones post deditam pacis arcem immolatos Vltraiectum ad socios deduxisse. Quæ res pariter & ipsius obstinatio fidei adeo grata D. Ioanni Austriaco Belgii Gubernatori fuere: vt illum per litteras salutauerit, atque etiam torque aurea censuerit donandum. Quam tamen illum nequaquam recepisse conquesta mihi fuit, cum ad eam diuertissem, soror ipsius Machtildis Michaelia mulier fidei orthodoxę obseruantissima. At interim Ambstelredamenses se mari terraque videntes obsessos, nihil vsquam spei, nihilque auxilii superesse (quandoquidem Vltraiectum velut arcem ciuitati suæ impositam teneret Aurantius) vt secundum pacta pacificationis Sandensis ipsis satisfiat, postulant.

Sed dum Aurantius potiri vrbe, & cuncta pro suo vult geri arbitrio: contra illi peius Lotho flagitia timentes religionem Catholicam integram ac fidem olim Regi iuratam, seque & sua inuiolata conseruari expetunt: frustra ordinum Belgii nomine pro iis intercedente V.C. Arnoldo Sasiboutio secretioris consilii Præside res in longum protrahebatur. Dum hæc fiunt, Aurantius vt successum insidiarum quæ Austriaco tendebantur, videret eminus, Frisiam minorem peragrare statuit. Vbi a fœminis Barbaris diuinis quasi honoribus fuit exceptus: dum hæ centones quibus gens mire superbit, illæ vero puluinaria transeunti per viam substernunt; aliæ vero thura adolent, denique nonnullæ ad libanda vina Zythumque inuitant, aut bibere recusantem transitione prohibent. Venerat Hornam, vbi in hortis Walcheuicis, quo studia Frisonum omni genere popularitatis incenderet magis, cũ Ioanne Berchouto Cons. viro vt fœdo crudelique animo ita & f cie cadauerosa, de proxior. a.t metam globorum iactu certamen iniit, brauiumq. e propositum optima regionis lactiferique magis vacca vincit primo Aurantius, eique vacca nosocomio adfertur lectissima At secundo tertioque victori consuli pro boue vituloque quam maxime obesis centum & quinquaginta Carolini numerantur. Huiusmodi ludis ergo Aurantio sese oblectante suauiter. Austriacus intellectis insidiis, quæ sibi ab illius fautoribus structæ fuerant, Mechlinia ilico Mamurcum petit: vbi arce per simulationem recepta bellum v x dum sopitum restaurat. Euocatur itaque ab ordinibus in Brabantiã Aurantius: cui quasi nouo Phaethonti Remp committant. Qui ne interim hostile quid in Hollandia suboriatur, met ens de Ambsteleredamo proditione inuadendo huiuscemodi consilium cap t: vocat ad se Hermannum, Herlingum, & Nicolaum Ruychauerum notæ audaciæ Centuriones: hisque mandat vt ex dispersis hic illic cohortibus ad mille circiter expertæ virtutis euocent veteranos: simulque quibus ex improuiso vrbem adoriantur modis, edocet. mil tibus vrbis direptionem edicit concedi: ipsis vero senatum in prædam fore promittit. Ergo hi nouo Calend. Decemb. anni cIↄ.IↄLXXVII. mane ad octauam horam hoc modo facinus aggrediuntur. Ex promissis pridie decem præsidiariis Waterlandiæ militibus, qui porta Harlemia exire fingentes deposita ex more arma receperant, duo pro vallo imaginariã instituunt pugnam. Quo signo quasi admoniti qui vectoriis appulerant nauibus in aggerem se exponunt: dum Nicolao Biccio ianitore cum aliis duobus interea truc datis, ac cæteris excubitoribus, aut fuga d lapsis, aut metu in vnda se præcipitantibus portæ Egres adaperiuntur, per quas quatuor infestis signis vrbem ingressi hostes, quo angusta

*Ioannes Berchout.*

*Hermannus Herlingius.*

*Nicolaus Biccius.*

gusta viarum obsideant, alii magno cum fremitu, ac sublato ad æthera clamore dilabuntur. Agmen condensum quod trecentis fere constabat triariis, aggere nouo signa ad forum consequitur. Occluduntur passim ædes: crebrisque velitationibus, multi vtrimque cadunt. Proripit quoque ex domo ciuica sese senatus, ac populum ad arma nolæ sonitu euocari iubet. Primus omnium cum suæ cohortis vexillo in forum irrumpit Isbrandus Holleslotus manipulo contubernalium constipatus. Qui videns Centurionem alterius cohortis Cornelium Smorum glande fœde ictum, vt suis nequeat esse auxilio; ilico accersito volone quodam, in illum, qui scuto tectus descendentibus ex tabulato libræ excubiis vulnera inferebat, sclopum exonerare iubet, similiter & in tympanistem, qui apud hostes bellicum canebat sclopus exoneratus fuit. His itaque concidentibus hostes gradum referunt ad Harlemensem emissarium: subitoque locum illum vallo muniunt. Mox quoq; superuenit Lycosthenes; qui discussis elingui panore pridianique cibi nausea, exceperat enim epulo presbyteros & cantores sodalitatis Deiparæ virginis Mariæ, non frustra jam (inquit) milites memorando notam cunctis vestram virtutem tempus terendum fuerit. Quid enim hic stantibus spei est? non murus nec vallum: sed media in vrbe armati armatis obstant. Pro præda illi, vos pro aris focisque dimicabitis. Virtute non impares, necessitate, quæ vltimum ac maximum telum est, superiores estis. Non vobis ociosis eos hinc abituros credite: ferro expellendi sunt, fortes strenuosque Deus Opt. Max. adiuuabit. Quare hic, qua me prægressum videritis, ite mecum, qui domos, parentes, vxores, liberos, saluos vultis. Hæc locutum exequentemque dicta cohortes sublato clamore sequuntur, gradusque sistunt ad D. Iacobi Sacellum: vbi Remus Burgundio legatus ipsius glande sclopo fortuito emissa traiicitur. Porro quo infimæ plebis eluuiem nauicularios ad se pelliceret Hellingus: diuerticulo ad pontem nouum contendit, illisque modo blandiens ac multa promittens, statim rursum ignauiæ insimulans minitansque naues copiis auxiliaribus repletas ostentat: quæ ob aeris tranquillitatem reciprocationemque æstus appellere nequibant.

*Isbrandus Holleslotus.* *Cornelius Smoer.* *Reim. van Bourgengne.*

Arcet illum inde Reinerus Henricus Consul Andrea Brauuio aliisque fortibus viris comitatus: atque ad suos ire compellit. Interea & in vallum tormenta aliquot in cassum exonerata fuere. Aduentarant quoque ciues vndique: quorum quidam per fenestras vacuas ingressi ædes, glandibus inde hostem infestabant. Cadunt nonnulli: Hollingus quoque lethali accepto vulnere, cum ad portam esset à suis delatus exanimatur. Clamor trepidationis fugæque ipsorum indicium primum fuit, excitatior & cre-

*Reinerus Henricx.* *Andreas Bravv.*

crebrior è tectis sublatus. Tum Lycosthenes cum cohortib. aggressi vallum diruunt: addunt & se his ciues, hostemque fugientem acerrime persequuntur.

Trucidantur complures, multi quoque è muris in vndas se præcipitant, quorum quidam hausti sunt, alii enatarunt. Pars porta elabuntur. paucos, quos cataractæ demissæ incensusque puluis tormentarius intra pomerium vrbis detinuere, strictim increpans Runchanerus: Quid inquit, hiccine vos telis hostium præbituri estis indefensi? quid igitur arma habetis? aut quid vltro huc accessistis: Quin extremâ belli experimini aleam? quod si nulla vobis erumpendi fuerit facultas, saltem ne moriamini multi. Hæc vbi dicta fuere, confestim duo manipuli subito quasi furore correpti dant impressionem, qua ciues conferti maxime se obiecerant, bipennibus punctim ac cæsim ferientes. Ferociæ ergo illorum cedentibus ciuibus occiduntur duo spectatæ virtutis antesignani: qui loco iniquo hostium impetum animis atque audacia sustinere tentabant. Tum cohortes quoque pedem referre coactæ. Lycosthenes & ipse turba fugientium actus, dum terrorem suis demere fœdamque sistere fugam satagit, ad vicum Anglicanum cuspide bipennis collum transuerberatur. Accipit & gladio in latus occultum vulnus. Accurrunt vndique igitur milites, quo procumbentem erigant ducem, atque intra manus abreptum ad amicas ædes deducant. Ad quos ille aspiciens; non est, inquit, commilitones; vt de me soliciti sitis: hostem potius porta expellite, ciuitatisque consulite saluti. Ego enim quasi destinata victima Christo iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Certamen certaui bonum, cursum consummaui ac fidem seruaui: Quod superest reposita est mihi corona iustitiæ, quam dominus reddet in die illo, quo iudex iustus rependet vnicuique præmium pro vitæ meritis; non mihi solum sed & vobis, qui pro vera religione & iustitia sanguinem vestrum profundere non ambigitis. Non ea spes manet hostibus: quorum pars cum mendacibus, periuris, homicidis, & sacrilegis erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda. Agite, breui iam modo vidibitis, vtrumne illorũ fides nouitia, & ab operibus charitatis vacua præualeat: an nostra antiqua & concordi sanctorum Patrum consensu perpetua; quæ per charitatem sedulo operatur. Interea restauratur pugna, hostesque fuere coacti, ilico se dediderunt. Runchanerus, qui apud forum suarium in proximis pomerio vrbis tectis sese abdiderat, dum frustra vitam ducentis licitatur coronatis aureis, à milite multo strenuissimo generosissimoque, cui Rufo cognomen erat, trucidatus est. Vrbe ab hostili inuasione liberata, Lycosthenem, postquam sanguine vulneribus profluenter emanante, iam animam ageret,

milites domum detulere, vbi cum à noui templi presbytero Petro Henrici filio Subula, qui mysteria illuc adportarat, post solennes ex more dictas preces, extremum oleo sacro esset vnctus spiritum Deo Opt. Max reddidit: atque vitam quam ex virtute per annos quadraginta quinque degerat, cum laude & honore Martyrii finiuit. Cecidere ex militibus ciuibusq; quadraginta circiter: Ex hostibus amplius octuaginta desiderati sunt. Reliqui cũ vulneratis sub noctem Harlmemum redierunt. Quo captiui quoque postea transmissi, metuente magistratu, ne quid in ciues orthodoxos seuerius, quos in vincula vbique coniecerant Hollandi, statueretur. Postridie per singulas domos atque cognationes occisorum quisque lugebatur à suis. Sed & suggestum ascendens Iacobus Buychius in D. Nicolai Curio planctu apud populum ducem cum militibus prosequitur ita orationem exorsus. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est? Doleo super te frater mi Ionatha decore nimis ac amabilis super amorem mulierum, sicut mater vnicum amat filium suum; ita ego te diligebam. Quomodo ceciderunt robusti & perierunt arma bellica? porro in diem tertium, qui septimus Calendas Decembris Catharinæ virgini & Martyri Alexandrinæ erat sacer, supplicatio fuit decreta processioque publica cum Eucharistia, ac gratiæ actæ Deo immortali pro vrbe conseruata. A prandio mox funus luctu publico Lycostheni iustauratum in templo antiquo, vbi ad eum humatur modũ, vt capite pedes clarissimi Poetæ & Theologi Nicolai Cãnij prope attingat. Hæreditarium Persquiæ gentis sepulchrum est, in quo conditur, cippo candido insigne haud procul ab Eucharistiæ sacrario: quo nimirum in loco vndecimo Calend. Maii Anno cIↃ.IↃ.LIX. iusta exequiarum D. Carolo V. Imp. Cæsar. Aug. celebrata fuere. Hæredes paternæ virtutis potius, quam opum inuidiosarum reliquit sex liberos, quos ex duabus sustulerat vxoribus. Horũ duo natu maiores à patria nunc exulant: Alter regi suo inseruit & militari nescio quo munere apud veteres Salios fungitur.

*Iacobus Buychius.*

Alter vero Romæ, vt audio, liberalibus instituitur disciplinis. Prodigii porro loco habitus fuit Cometa, qui per eos dies cõspiciebatur, sydus plane terrificum & magnitudine flammigerantis comæ dira portendens. Rumore etiam ferebatur per vrbem, rotas, quibus septa emissarii Herlemensis in altum tolluntur, de nocte sponte fuisse circumactas & pondera publicæ bilancis loco suo mota. Nunciatum præterea est, tres cœtos miræ magnitudinis (flatores vocant) vndis recedentibus in littore hæsisse apud Heidam viculum: cum nocte, quæ vrbis inuasionem præcesserat, ingens eius generis multitudo illo quasi Hollandiam debellatura horrisonorum fremitu accessisset. Aquilas quoque duas

duas sclop glandibus ictas in Batauis exanimes concidisse, & obscenos animalium fœtus locis plurimis editos. Quin etiam postquam ciuitati ab Aurantio satisfactum fuerat, atrociora vndiq; ostenduntur. Nam & alter cometa conspectus est in mucronem fastigiatus, gladii nitore, sine vllis radiis: cœli etiam species sanguinea visa est. Hollandiaque omnis terræ motu concussa maxime locis paludosis tremuit. Aer denique noctu lucere ac quasi ex incendio subinde illuminari creditus, & non exiguo tempore Ambstelrodami canenti passim cecidere imbres. Quin an non portenti quoque simile familiari Lycosthenis Petro Theodorico Monachodamo barbam excreuisse ad sex pedes Romanos? Præterea virum furentem Westphalum Georgium nomine simul & Weinam amotæ mentis rusticam, minis quibusque contemptis, dirissima quæque ciuitati continuo ominari! Horrore totus concutior, atque ab vlteriore narratione animus luctu omnino refugit. Quis enim supremum quodammodo tantæ Metropolis casum? Quis ciuitatem illam, quæ ob fidem operamque strenuam à D. Maximiliano primo Austriaci sanguinis suo principe memorat, vt ipsius signum cæsarea decoraretur corona, à sociis deseri, hostique tradi tyranno? Quis fidem sacramento litterisque ac septendecim sigillis roboratam tam facile violari? Quis sacra, prophana, publica, priuata, sursum deorsum volutari? Quis religionē Catholicam cum ipsis initiis vrbis maioribus traditam inde expelli, atque in eius locum dirissimam succedere hæresim? Quis tot religiosos Monachos, tot honorabiles sacerdotes, tot grauissimos senatores, tot denique ciues ac inquilinos ornatissimos in exiliū quasi deportari? Quis plebem Magistratui semper morigeram in seruitium tradi, atque sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum ducere? Quis virgines Deo sacras velatasque Moniales suis deturbari sedibus & impune ad stupra publicitus sollicitari? Quis pueritiam parentibus destitutam flagris inopiaq; cogi ad impietatem? Quis moribus antiquis longe propulsatis libidinem ac licentiam pro lege haberi? Quis cognatos, affines & amicos extorres nusquam non vagari? Quis postremo filios paternis prohiberi ædibus, atq; eosdem ob virtutem ac fidem patria propulsos vltra Albim vsque cum dulcissimis nepotulis inter Vandalos haud tuto satis exulare? aliaque qualia & ipse miserrima vidi, & quorum pars magna fui, recensendo temperet à lachrymis! sed tu ô Lycosthenes, cæterique vos Athletæ Christi fortissimi felices beatique iudicandi, vt quibus hinc migrantibus portæ apertę fuerint paradysi, vbi lupus & agnus pascuntur simul, vbique & vos summo affluentes bono æternis gaudiis triumphatis Salue itaque inexpugnabilis agninus Dux Catholice. Saluete Orthodoxi milites, legionum

*Petrus Dirk.*

fulmi-

ci fulmineæ & Thebæorum vere æmuli ac imitatores. Saluete ciues sanctorum & domestici Dei, fidem edocti Apostolorum & Prophetarum, siue dilecta habitatis Domini virtutum tabernacula, & inebriamini ab vbertate domus eius: siue in monte sancto eius requiescitis, atque inde respicientes ad hospitium hocce calamitatis terrenam videlicet vestram patriam inter vos admirabundi huiusmodi sermones confertis: Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicii? iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ, Principes eius infideles, socii furum, dicentes in cordibus suis: non est Deus. Die præterea ac nocte circumdabit eam, super muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia, & non deficiet de plateis eius vsura & dolus.

---

# PETRI OPMEERI
# *DECADIS II.*
## LIBER X.
### Martyrium D. Petri Ballingi Harlemensis.

***Ex variis litteris D. Martini Duncani, M. Ioan. Zmenij, Caroli Liberti & aliorum complurium.***

QVOD si celebre illud apud Hollandos Prouerbium: Innocentem plerumque, quod alii sumpserint, persoluere in quenquã alium, certe vel maxime quadrat in *Petrum Ballingum*, qui Martyriorum decadis huius secundæ sexta, vt aiunt, occludet. Erat hic presbyter innocentissimę vitæ, & mente munda exulans: vir doctus nimirum iuxta ac pius, & confessionis gloria clarus; quamuis Symbolo testaretur: Amare nesciri. Nam cum esset natus Harlemi ad quartam Calend. Septembris Anno cIↄ. Iↄ. XX. patre *Nicolao Ballingo* tyrocinium in humanis litteris sub insigni Grammatico *Iacobo Heyert* cum Theodorico & Ioanne fratribus, Hadriano Iunio, Ioanne Zmenio aliisque discipulis fecit. Inde missus Louanium in Collegio Atrebatensi gratis fuit altus. *Nicolaus namque Ruterius* Episcopus Atrabacensis, natione Luxenburgensis, & officio ac dignitate Episcopus Atrebatensis, cum extruxisset hocce collegium, ordinauit vt inter Luxenburgenses suos & Atrebatenses tres adolescentuli Harlemo (quod ibidem pastorali officio fuerat decoratus) orti citra sumptus onera continuo alerentur. Vnde fieri autumo, quod ea ciuitas præ Hollandiæ cæteris oppidis abundauerit compluribus annis semper viris litteratis.

*Petrus Ballingus.*

*Nicolaus Ballingus.*
*Iacobus Heyert.*
*Nicolaus Ruterius.*

Nam Dialecticen ac Physicen in schola Porcensi à *Ioanne Beuero*: Ethicen autem à Warnero collegii præside exacte discebant. Inde

*Ioannes Beuerus.*

Inde Theologiæ studiis quam plurimum se dicabant. Quemadmodum fecerat hic Martyr noster *Petrus*: qui licet Myops esset oculisque carneis parum prospiceret, mentis tamen oculis acute cœlestia contemplabatur;& in scriptis alienis examinandis vix eo reperiebatur oculatior Aristarchus. Ita vt eius iudicio multum tribueret *Godofridus à Mierlo* Episcopus, ac frequenter eius vteretur opera. Præfeceratque eum sacris virginibus S. Margarethæ ad præscriptum tertiæ regulæ D. Francisci vitam instituentibus, vbi & pacate & pie degebat: donec Aurantius cum ordinibus Ambstelredamo decreuissent Coss. ac Senatum, vnaque Minoritas cum aliquot sacerdotibus, ciuibus, ac incolis Deo atque Regi maxime fidelibus esse expellendos contempto solemni iuramento inter ipsorum petitioni satisfaciendum præstito. Persuasum enim habebant hoc perpetrato scelere omnem religionē Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ mox per Hollandiam esse interituram. Quod vt persuaderet suis, ad se euocarat *Hermannum Rodenburgium* vrbis præfectum, cui dicens *jaculum* esse iurare peiurareque, docet eum qua astutia eos comprehendat vrbeque extrudat. Ad quod perficiendum aliquot veteratores callidos illo quoque mittit: inter quos locum principem obtinebat *Adrianus Milius* Dordracenus, quod nil tale ab illo exspectari Ambstelredamenses crederet. Nam cum patrem eius *Arnoldus* Cornelii filium ex vestiorum sartore, dictatorem sæpius vrbis creatum magnis muneribus equestriq; cingulo donatum esse nouerant à Philippo secundo Hispaniarum Rege, quod vrbem primariam Dordracum ab omni Iconoclastarum iniuria cum laude defenderet, non dubium putabat, quin non dissimilis patri foret, præcipue quando cum Carthusianis ac aliis religiosis viris benigne versaretur. Sed in eo, Rodenburgioque, quem stipendiis suis alebant, experti fuere, *ambitione multos mortales malos fieri; malos quoque cum se bonos simulant, tunc esse pessimos; fortitudinemque ac robur ipsorum legem esse iniustitiæ.* Etenim excitato tumultu ac præsidiario milite ad periuria adacto septimo calendas Iunii sub horam secundam pomeridianam, iussa Aurantii implent. Primum *Guilhelmus Delphus* Guardinus cum cæteris minoritis vrbe exportantur, tum Coss. Senatoresque captiui ducuntur ad ædes publicæ bilancis, quæ apud forum sunt, indeque abstracti nauibusque impositi, atque oppido euecti nudi in aggerem expositi fuerunt; Mox ciuium ædes armati inuadunt, & si quid armorum vsquam est, illis auferunt. Postremo ex templis quicquid auri argentique aut sacrarum vestium est, confractis claustris, tollunt, multaque rabie in statuas tabulasque Christi ac Diuorum sæuitum vsq; adeo, vt nec arti nec religioni vllo modo parceretur. Hinc sci-

seipsos in magistratus creant, atque nouo more remp. administrare aggrediuntur. Quæ vbi Harlemi nunciata fuere, metum terroremque maximum orthodoxis incusserunt: præcipue Ballingis Fratribus *Petro* ac *Ioanni*, quorum hic cum ædituus esset in Dominico S. Wilibrordi tempore obsidionis vrbis, vxorē suam misere trucidari conspexerat, quod cymelia templi apud illam latere suspicarentur seditiosi milites: quando & ille cum tribus aliis sacerdotibus mortuo *Theodorico* fratre, sacrarum S. Claræ virginum Hornensium præfecto in vincula esset coniectus. Etenim licet omnibus Gandensis pacificatio ordinumque Belgii fœdera versarentur continuo in ore, cernebant tamen illi facile cum prudentioribus, quod Aurantio eiusque sectatoribus tantum essent tristia bella:

*Iraque, insidiaque & crimina noxia cura.*

Iam in propinquo erat dies sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento sacer, qui ex Vrbani IV. Rom. Pont. institutione singulis annis per omnem fere Europam Christiana deuotione ac processione celebri populi religiosi celebrari solet, cum decantatis vespertinis Deo hymnis ac precibus, Coss. elusa plebe, aliquot signa militum gyganthea arrogantia contra Deum Opt. Max. pugnatura intra muros recipiunt. Erant vero in vrbe *Paulus Busius* molitoris Ambstelredamensis filius immanitate scelerum ante alios omnes nobilitatus, aliique malis artibus Reip. maxime damnosi. Qui varia versabant animis consilia, quo Episcopum atque clerum inter sacrificandum mane inuaderent, vt sic plebi incuteretur terror, ipsique sine tumultu possent perficere, quæ in mandatis habebant. At Episcopus cum clero populoque frequenti se tacita intra septa templi continebant sacris intenti, atque ibidem etiam procedere cum Eucharistia constituerant Aduenerat inuadendi hora, cum Petrus Balingus peracto sacrificio staret ad monumentum fundatoris sacri ex more oraturus pro eo defuncto quando effractis valuis, qui ad ministerium sceleris delecti erant, Dominicum cum delectu intrant. Incondito ergo clamore & lugubri vlulatu, gemituq; celsa templi tecta reboabāt, cum in *Petrum* irruentes tribus vulneribus eum conficiunt nihil aliud dicentem quam *Deo gratias.* profluebat plagis cruor largiter donec tandem decidens ingremium honestæ matronæ animamque agens percussoribus se libere condonare dicebat, sicque inter manus diripientium vestes suas spiritum suum sacerdos ac Martyr *Christi* Deo patrum nostrorum obtulit in odorem suauitatis, quarto Calend. Iunii anno ab Incarnatione Domini cIↄ. Iↄ. LXXVIII. cum vixisset annos quinquaginta septem, menses nouem summa vitæ innocentia. Ita vt nulla futura sit tam muta posteritas, nulla tam ingrata

grata fama: quæ non in cœlum debitis cum laudibus feret. Memini me religiosa oscula lapidi pio eius sanguine consperso infixisse, quem ciuis quidam Harlemensis solo templi postridie ablatum mihi ostenderat. Sepultus vero fuit *Petrus* in monumento maiorum ad meridionale Ecclesiæ latus apud aram sodalitatis balistariorum. Cæterum crudelitati rapinæ aderant, matronæque in cuius sinu expirauit annuli digitis abstracti fuerunt: sacerdotibus vero tam sacræ quam prophanæ vestes *Iacobo Wyeo* sacræ Theologiæ licentiato, quod togam difficulter excuteret, plagæ inflictæ, vulneratus, & *Hieronymus Varlenius* est, vir raræ doctrinæ, vicariatu Episcopi fungens. Episcopus autem veste mutata subito ignotus per posticum elapsus fuit. Ad quem cum paulo post *Busius* accessisset, atque multis verborum ambagibus facinus excusare ordiretur, iuberetque eum bono esse animo, se curaturum, ne quid mali ipsi eueniat. *Ne me*, inquit, *tam imprudentem Paule existimes rogo, vt credam eos, qui Deum fallunt, homines reuereri; Quod si me Gandensis pacificatio & satisfactio Principis Aurantii solemnib. iuramentis confirmata non defenderunt, frustra & tu me protegere conaturus sis.* Moxq; clam oppido euectus, relicta Hollandia, Coloniam Agrippinam secessit. Princeps ordinesque, quo infamiam sceleris a se depellerent militem quendam gregarium suspendentes, illum *Petrum Ballingum* trucidasse asserebant.

Porro nil vlterius aduersus religionem Harlemi fuit tentatum, quod ad Gallicantes Belgas perlato illo rumore omnis Hannonia, Insulæ, Duacum, atque Orchium Flandriæ pars ab ordinum confœderatione palam deficerent, atque Emanuel de Lalaing dominus de Montignii occupato Meno pago ad Leyam, se pactis quoque stare nolle profiterentur, iisque qui sibi adhærerent malecontentorum nomen imponerent. Hoc nuntio accepto Aurantius noua fœdera populorum, qui trans Rhenum degebant, meditabatur, omnemque occasionem captabat opprimendi orthodoxos. Nam M. *Henricus Theodorici* filius consularis Ambstelredamensis senex LXXXIIII. ad accusationem leuissimi hominis suæ alienæq; substantiæ decoctoris, quod dixisse ferretur interesse Rex Hispaniarumne quid, aut ordines Hollandiæ statuerint, Hagam deportatus in carcere ad complures dies fuit detentus. Porro conuocarat Princeps Amstelredamum ordines tum fere omnes qui ex populari multitudine (nihil hac insipientius insolentiusue.) constabant: inter quos sublati animi præcipue erãt, quibus paululum pecuniæ ex negotiatióne accesserat. Existimabant quippe hi se aliquid esse, & quicquid seu Aurantius, seu ipsi dicerent, instar oraculi ex tripode dicti, excipiendum.

Cæterum cum decreuissent religionem Christianam exercitiumque ceremoniarum non modo Harlemi sed per omnes transrhenanas ciuitates esse prohibenda, vtque sacerdotes monachique fidem orthodoxam docentes exercentesue alimentatione mulctarentur, & absque strepitu fori ac iudicii forma per consules iuberentur exulare, eaque Harlemum rediens *Iohannes Zurenius* consularis, qui conuentui interfuerat, nuntiaret orthodoxis;

*Ioannes Zurenius.*

*Frigidus obstabat circum præcordia sanguis*

Itaque in studia contraria scinditur vulgus. Pars, suadente Theodorico Cournhortio Volckaerdi filio libellum supplicem (quod male postea ipsis cessit) principi efferendum censuit, quo humiliter petauit, vt memor iuramenti solemnibus pactis petant factionis ipsis concessæ stare dignetur: alii illi identidem cum indignatione occinunt:

*Nullis ille mouetur*
*Fletibus, aut voces vllas tractabilis audit*

Quorum mens handquaquam læua fuerat, quando mox immisso milite templa direpta, sacerdotib. ac clero vniuerso interdictū fuit catechisare, plebē docere Euangeliū Christi, sacramenta vlla administrare ac ēt clam sacrificare sub pæna grauissima, sacerdotib. cleroq; exiliū, hospiti in cuius domo id fiat mulcta cc. Carolæorū, præsentib. singulis XXV carolæorū constituta. Quin à Prætorib. conceditur vel ex sola præsumptione, atq; iniquiore delatione, Orthodoxorum ædes inuolare, minari ac perscrutari omnia auferreque quicquid visum fuerit. Coguntur & Catholici in singulos dies stipem conferre, in commodum aliquorum alienigenarum nebulonum, qui ciues omnes ad conferendam in vsum ordinum quartam partem prouentuum bonorum omnium cogant. Nomine hi dicuntur vigiles, re vera cum sint exactores, lictores, atque adeo carnifices: quorum metu Olyarchiam Hollandiæ Auarchiæ permixtā stabiliri intelligimus Sacerdotibus præcipuum ex delatione Apostatarum periculum. Audio D. Franciscum virginum sacrarum præfectum quondam Enchusiæ, M. Ioannem Ambstelredamum Harlemi & alium presbyterum Medenblici sola delatione cuiusdam Apostatæ ambientis scholæ Hornanæ moderationem, qua exciderat, Accusatos illico coniectos fuisse in vincula. Ioannem Fabrum personam Delphensem virum absque fuco & simpliciter simplicem apud fratrem Fabrum Ferrarium latentem iussum fuisse patria ciuitate egredere, quod apud eos confessus fuerat fidem Catholicam ab vrbis exordio in sua Ecclesia ad annum cIↄ.Iↄ LXXII. semper citra contradictionem vllius à prædecessoribus fuisse prædicatam, sicque non Theologicis ratiocinationibus, sed præscriptione lon-

*Ioannes Faber.*

ne longissimi temporis se velle potius agere contra iurisperitos pensionarios (si nunc tyrannis imprimis agunt) qui sacratissimæ Theologiæ essent plane rudes. Intelligo & virum doctrina senioque venerabilem Martinum Dun.anum Ouempenatem, Decanum Hagiensem spoliatum domo omnique supellectile, prohibitum ædibus prodire Auersfordiæ atque Eleemosynis Orthodoxorum vitam sustentare. Superare fidem mihi visum est quod narrauit nobis Theologiæ Licentiatus ac insignis Poeta Carolus Liebartus Pastor Longo marcensis atque Chorepiscopus præclari Confessoris Martini Rithouii fratris nostri in Domino Episcopi Hyprensis, se nimirum cum Longomarco per prædones Gandenses esset expulsus multum confidentem in tantū prædicatæ apud Flandros clementiæ Principis Aurantii nauigasse in Hollandiam, atque Delphis apud tres sorores virgines antiquæ fidei diuertisse, ibiq; per aliquot dies clam vixisse tenuiter propria quadra. Quod vbi resciuerunt Coss. ad se euocatum confestim oppido egredere alioque migrare iubent. Paret ille eorum dictis, atq; antequam domum reuertatur, Vltraiectum cogitat, licet amicis Batauis dissuadentibus, fratrem, qui Nicolao Nouiterrano Hebronensi Episcopo à Sacris erat, salutaturus, valedicturusq; illi, Lugdunum peruenit, visusque a popularibus suis Flandris mira benignitate & affabilitate excipitur, cunctis ipsius aduentui gratulantibus. Deducunt nonnulli eum per diem perlustrantem vrbem ad varia loca, atque sub noctem comi hilariq; hospitalitate intra ædes suas excipiunt. Paulo mox post vulnera inopinanti infliguntur, pecunia omni spoliatur, funeque ad gulam adaptato mors ei intentatur, ni magnam pecuniæ summam se Lytri nomine bidui persoluturum promittat. Qua vt maiore licentia emungant miserum, nauiculæ impositum Gandauum Flandriæ latronum tunc receptaculum vehere moliuntur, vectoribus persuadentes illum amotæ mentis causa reducere se ad lares patrias. At vbi Delphos rediere, ille se vrinam reddere fingens concitato gradu ad portas, vbi frequentes ciues in excubiis erant, profugit: narratque ibi quid sibi acciderit Lugduni contra vim Flandrorum suorum, opem excubantium implorans. *Carolus Liebartus.*

Excurrit ergo *Petrus Subula* ob rei indignitatem ad rabiem quasi versus, & quendam illorum arreptum trahit in vrbem, atque recta deducit ad domum ciuicam accusationemque contra eum apud Coss. instituit. Ille non inficiari factum, sed dicere Liedbertum sacerdotem ac summum Papistam, indigna apud Flandros effutiisse de pacificatione Gandensi, quocirca se cæterosque alios ducturos fuisse ad causam dicendam Gandauum præcipuum Flandriæ Prætorium. Accersitur mox ædibus Carolus, receptaque parte quam latro penes se habebat suæ pecuniæ *Petrus Subula.*

oppido excedere iubetur: dimittitur paulo post quoque fureifer, dicent è scriba publico, zelum domini illum comedisse. Præclarũ sane iudicium, indoctorum hominum, atq; sale infatuato aspersorum, qui imaginatione quadam veritatis atque pietatis illusi fuere ab iis, qui temporalis commodi maxime gloriæ, Principatusue gratia falsas ac nouas opiniones secuti fuerant. Qui cum incubent cadaueribus Monasteriorum atque Sacerdotiorum quiduis potius designauerint quam bolos huiuscemodi è faucibus suis eripi patiantur. Facie quidem homines, at cætera lupi ac vultures. Cæterum ne quis me vanitatis arguat, subscripsi Caroli carmen, quod mutuæ consolationis ergo ad Cornelium Susium Hollandiæ Præsidem, quem sibi amicum fecerat, scripsit, & postmodum Mechliniæ, vbi sacras litteras prælegebat, apud Carmelitas, ad varios amicos impressum typis transmissum.

*Quas olim donarat opes, has abstulit idem*
*Summo pro libito dans, adimensq; Deus.*
*Bellorum furiis miser exagitatus acerbis*
*Exul mendico, qui modo diues eram.*
*Dum profugus, dulci patria laribusq; relictis*
*Hollando versor deliteoq; solo*
*Candaces inflictis plagis, & vulnere multo*
*In Leida loculos diripuere meos*
*Carmine rem gestam, totamq; ex ordine facti*
*Historiam longum commemorare foret.*
*Fortiter interea, quod rebus restat egenis*
*Sum patiens, Iobi verba subinde legens*
*Si bona de manibus Domini suscepimus, aequum est,*
*Forti animo immissum sustinuisse malum.*
*Ingressus terram nudus de ventre parentis*
*Nudus in effossum rursus inibo solum.*
*Rursum exspectabunt Dominum posita ossa sepulchro*
*Idem ego non alius, carne videbo Deum.*
*Idem ego non alius surgam rediuiuus eadem*
*Pelle, canet summo dum tuba sacra die.*
*Sit nomen Domini benedictum: nam dat & aufert*
*Reddit, & occidit, viuificatq; Deus.*

*χαρδικὶς rapto viuentes & nullo stipendio auctorati milites Barbari olim erant quos latrunculos vocat IV. lib. Vrybuyters.*

Vis ergo cognoscere lector libertatem Hollandicam, ea nihil aliud est quam Ecclesiæ Regisq; Optimi ac potentissimi contemptus & scelerum impunitas, etsi homines continuo in ore habent conscientia grauari se. Quanto porro odio in hos Martyres flagrarint Hollandi mei inde satis liquet: quod & Henricum Talesium curionem Spannewoudensem Quirini V.C. filium vinctum carceri incluserint Hagensi, quod delator quidam (tales complures alunt) detulisset, ex muliercula peregrina audiuisse, illum dixisse haud secus ac olim, Ecclesiam quoque nunc suos veros ca-

*Henricus Talesius.*

catholicæ fidei habere Martyres, quamuis non fuerint canonizati diariisque inscripti: ne ergo talis rumor per Belgium spargeretur, voluerunt ordines laqueis gladiisque deinceps abstinere, atque sacerdotes Monachosque in fide Catholica immobiles persistentes lento consumere martyrio, nempe incarceratione, negatione alimentationis, quæque eam consequitur, fame atq; exilijs: interim asserentes liberam apud se omnem qualiscumque sit esse religionem, neq; se quenquam religionis ergo persequi. Cum interea vel ipsis scribis & pharisæis Christo in membris suis forent magis infesti. Illi namque se neminem propter bona opera lapidare dicebant: at hi vero neminem non sacerdotum orthodoxorumque acerbissimis silicibus ob vnum opus longe optimum lapidandum scurris, satellitibus & harpyis voracissimis pessimisque exponunt: Non possunt ordines inficiari, conferre petenti baptismum in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, debere Episcopos, Presbyteros, ac etiam diaconos, vt testatur scriptura Matth. 28. Marc. 16. & Luc 8. secundum mandatum Domini Dei Patrum nostrorum. At illi hoc prohibent per edicta data Delphis 4 Martii anno M D.LXXXI. & Hagæ 21. Nouemb. anno M. D. LXXXIV. sub pœna exilii eorundem & centum Caroleorum illius, in cuius domo quis baptizatus fuerit; addentes interim se nolle quenquam grauare in sua conscientia. Quasi vero conscientiæ casus illi ex suis didicerint symmistis, quibus nec mens, nec ratio, nec doctrina, neque iudicium. Quorum omne studium nihil aliud, quam sursum deorsum omnia volutari: Quod si pro more primariæ illorum Ecclesiæ Genabensis susque deque faciunt, siue baptizatus, siue expers baptismi decedat è vita infans: cur aliter persuasos & citra noxam vllius leuicula aquæ aspersione infantes abluere volentes non modo æternis exiliis simul & multis triplo, aut quadruplo maioribus afficiunt, quam vrbium permittant priuilegia. Quæ noxiorum ciuium bona plerumque per omnes Hollandiæ ciuitates sexaginta libris Artesiis redimi concedunt. Pro quibus corroborandis defendendisque sacramento soliti erant adstringi Burgimagistri: quibus quasi Tribunis plebis ciues suos defendere ab iniuria & iniquioribus Prætoribus bolos nimium præpingues è faucibus eripere curæ esse solebat. Quod vt nunc faciant tantum adest, vt etiam innocuos ciues Sacerdotes & primarios orthodoxos viros libidine ac odio æstuantes inauditos ac indefensos præter officium, contra ius, fas & æquum seipsos & accusatores & iudices constituentes condemnent, illisque exilia perpetua verbis suis denuncient. Crepantes interim fidem donum Dei esse (quasi nesciamus & cæteras virtutes omnes) nec homines ad fidem debere

bere cogi, vim quoque non inferendum esse conscientiis subditorum, sed cuique permittendum viuere suo more. Quid, malũ grauare, in conscientia est? si illud non fuerit prohibere sacerdotes id non facere, quod Deus illos facere tam aperte iubet: quodq; requisiti vt faciant sine extremo scelere etiam in vitæ periculo omittere nequeunt. Quid, quæso, est, paruulos prohibere venire ad Christum, quam vetare ne baptizentur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti? Quo pacto magis aliter grauantur conscientiæ parentũ, quam quod à vobis coacti ducti sæuitiæ vestræ metu exponant quodammodo dulcissima pignora, & Sathanæ ea relinquant possidenda. Sciunt quippe pueros citra baptismum nõ posse saluari iuxta illud Christi dictum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Nulla ibi proponitur exceptio in generali vocabulo quis; quod vt nullum sexum, ita & nullam ætatem excludit: atque tam infantes, quam adultos, senesq; simul vtriusq; sexus comprehendit. Non vt peccatum ex traduce (ne erretis) sic & salus prouenit: sed eam largitur per gratiam mediante Christi baptismate, Deus. Quicunq; enim in Christo baptizantur, inquit Apostolus, Christũ induũt, in quo est vita & resurrectio nostra, per quem liberati & saluati sumus. O insensati Bataui, quis vos fascinauit non obedire veritati? Illud Thomas Tillius malesanus Abbas: qui cum Abbatiæ suæ S. Bernardi ad Scaldim alienæque pecuniæ esset prodigus, expilato Monasterii ærario cum semifatua muliercula solum vertit, atque nunc exulante Episcopo Harlemi Imperium exercet in beluas, de quo dubites plusne Thrasonici fastus, an Catilinariæ audaciæ vel Phormionicæ cõfidentiæ eius animo insideat. Quod narro negare non potest, excusare forte (hoc noxiorum proprium) aggredietur. Porro tantæ dignitatis est Baptismus, vt Episcopis presbyteris & Diaconis tantum conferre fuerit commissus, tantæ quoque necessitatis, vt ea vrgente, rite etiam conferant Laici, mulieres, Iudæi, Infideles, hæretici, si materia, hoc est aqua, & forma, id est verbis: Ego te baptizo in nomine Patris & filii & spiritus sancti vtantur ea intentione, qua baptizatur in Ecclesia Christi Catholica. Nec quisquam vnquam vel vsquam ab orthodoxis principibus aut magistratibus increpitus, nedum mulctatus punitusue fuit, quod rogatus baptismum cuiquam contulerit. Quid vos viros imo Christi sacerdotes non modo minoris existimatis ebriosis obstetricibus, sed & Iudæis, Infidelibus, ac deniq; hæreticis? Quod si baptisma ab ipsis collatum infame ac impium sit; vt & vos à sacerdotibus baptizati nequaquam Christiani sitis oportet, sin vos esse Christianos asseritis, per baptisma ab ipsis vobis collatũ illud factũ fuisse, vt confiteamini necesse erit. Sicq; eos persequimi-

*Thomas Tilius.*

mini quorum opera vobis ap erta est ianua vitæ æternæ, idque eam ob rem, quod vobis fecerint membra Christi: cum interim paruulis baptisma negare, adultos baptizare, & cōuentus agere, fictitios suos martyres carminibus inconditis celebrare, prædicare, postremo delirare impune permittatis superstitiosissimis diuersarum sectarum Mennonistis, nec etiam vllo modo molesti sitis Lutheranis, odio atque ira tantum æstuantes in illos, qui eandem, quam patres, aui, maioresq; vestri professi fuere fidem, constanter tuentur Non fuere tam iniqui Apostoli Iudæis docentibus circumcisionē esse necessariam iis, qui saluari vellent: sed potius vt legi Mosaicæ non viderentur omnino aduersari; iusserat etiam gentes abstinere à sanguine & suffocatis. Quin & optimi quoque Romanorum Principes Theodosius Magnus cum Ducadio & Honorio filiis non fuerunt tam iniqui Idololatris, vt non præbuerint aures suas Symmacho pro cultu deorum restaurando: cum parum nuper abfuerit, quin optimates Harlemenses male fuissent à vobis mulctati, quod libellum supplicem à Theodorico Cornhartio secundum pacificationis Gandensis constitutionem, cum supra centum numero essent pro libertate religionis obtinenda suis nominibus subsignauerint. Si vos esse vultis religionis reformatæ, discite ex D. Aur. Augustino: Summam religionis esse, imitari quem colitis: qui sinit Solem suum oriri super bonos & malos.

Et si vultis dici Euangelici, scitote quod abbreuiatus atque perfectus sermo Euangelicus sit, & pro cunctis laciniosæ legis ceremoniis dederit præceptum leuissimum fidelis dilectionis, vt quod nobis fieri noluerimus, ne fecerimus alteri. Vnde & dominus in Euangelio: In his duobus, inquit, mandatis pendet omnis lex & Prophetæ Quod autem non fuerint illi etiam Romani Cæsares tam sæui in Idololatras, indicant inscriptiones complurium ararum, quæ Romæ effodiuntur singulis pene annis. Quin & Lex exstat Honorii, quæ Deorum gentilium templa demoliri vetat in hæc verba: Sicut Sacrificia prohibemus: ita volumus publica ornamenta seruari. Nec vllum templum illorum vsui Christianorum fuit dedicatum ante Phocæ imperatoris tempora, qui Pantheon à M. Agrippa omnibus Diis consecratum, Bonifacio 4. Pont. Rom. concessit, inde eiici Gentilium simulachra, atque ipsum templum consecrari Deo vero, & omnibus Sanctis eius ducentis plus minus annis post legem ab Honorio latam. At vestra consilia nimis calida prudentioribus videntur. Præter hæc omnia vestris iniquissimis edictis vario tempore, variisque locis nuper promulgatis sacerdotes variosque sacratos ad penuriam compellere satagitis. Nam cum illi secundum vetustissimam Ecclesiæ Vltraiectensis consuetudinem Episcopo iurauerint

rint, se bona ecclesiastica conseruaturos esse integra & illæsa, & amissa recuperaturos, vos eos cogitis ea vobis prodere, iuramento neglecto, mox quoque vt bona monasteriorum, quæ vestræ auaritiæ non sufficiunt, in vestros vsus cessura. Sic à vobis itur ad astra. At vos orthodoxi Christi sacerdotes, quibus insidiantur nunc maxime catuli mugientes Leonis illius, qui circuit quærens quem deuoret, fortes & immobiles persistite in fide, ac depositum seruate imitantes Hispaniarum præcipuum decus Leuitam illum Laurentium, qui post aurum non abiit, nec minis tyrannicis territus fuit, quin etiam dum in carcere Baptismum conferret Commentariensi Hyppolito cum omni sua familia: cum iam antea iussus prodere thesauros ecclesiæ, eos pauperibus iustius distribuisset, vnde & ad martyrii gloriam exaltatus promeruit coronam auream pretiosis variarum virtutum lapillis exornatam imponi capiti suo. Periclitari veritas poterit ad tempus, opprimi vero minime. Potens est Deus noster, quineque inflecti gratia, neque corrumpi precibus, neque adulterari pecunia, neque perfringi potentia potest, & citra vllam difficultatem contra nouos istos homines auaritiæ, inuidiæ, immodestiæ, intemperantiæ, libidini, rixis, ac crudelitati quam maxime obnoxios vos fideliter defendet. Quis nescit illos, vt Chamæleontem quosuis colores præter candidum effingere consueuisse, & erroribus cunctis fauere, veritatemque tantum in vobis feritate ac crudelitate, plusquam Schytica persequi. Agite ergo confidenter fortissimi itaque sacerdotes ac confessores Chrristi in fide stabiles, in spe erecti, charitate dilatati, in doloribus patientes, & in quæstionibus victores, vt lachrymas matris Ecclesiæ, quæ ruinas & funera plurimorum plangat, vos vestra lætitia tergeatis; atque cæterorum stantium quoque firmitatem prouocatione exempli vestri solideris, ad augmentum gloriæ eius qui est benedictus in sæcula sæculorum amen.

Obseruatum omnes qui sanctis martyribus fuere mortis authores, vario mortis genere extinctos Lippis & Tonsoribus nota est mors comitis Lummæi à cane morsi, Wilhelmus de Bloys, dictus Treslong Nortuici, vbi D. Gereonis est memoria, calculo tortus interiit, & sibi ipsi atque omnibus suis grauis, non admisit concionatorem, solo Laico lectore contentus; alii alibi vitam ac nequitiam deposuere, excepto solo Drossardo aggeris Sancti Martini in Zelandia: is vitam morbosam trahit, ita vt ei illam ipsa Atropos inuideret. Audiui eo præsente & cœnãte Hagæ cum viro primario, huius rei sacram recitatam aliquando historiam, Drossardum illum, nomine N. Ploech, dicentem Monachis istis factam iniuriam. Cui vxor cuiusdam præsidis Monetæ: Quare ergo tu illos iussisti suspendi? respondisse Drossardum: Quia

ini-

*iniquitas temporis ita fieri iussit.* Id ego qui hæc scribo præsens audiui Cornelius Duyn. Post seniores Martyres suspensus fuit quidam iuuenis monachus, tentatus antea vt fidem deserat sed maluit mori quam Deo datam fidem fallere. Clamatur: *Videat an Deus ille quem in templo adorat veniat illum liberatum.* Respondit Martyrii Candidatus: *Meus Deus me liberabit.* Sic tanquam agnus moritur.

## CENSVRA.

Hanc martyrum historiam à Petro Opmero Ambstelredamensi contextam, ad Romanæ fidei dignitatem promouendam eiusque constantiam in piorum animis augendam atque excitandam, vtiliter in lucem emitti posse iudicaui anno cIↄ. Iↄ cvii. vi. Augusti.

Laur. Beyerlinck Antuerp.
S. Theolog. Licent. &
librorum censor.



*ALbertus Austrius & Isabella Clara Eugenia indulto diplomate edi permiserunt, vt & Gul. Estij Doct. Theologi Historiam Martyrum; & Franciscano ordini Pontifex annuam hic indulsit supplicationem publice fieri, viuorum Catholicorum solatio.*

FINIS.

